This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600049671X

E Dansey
Ex Coll
Oxford

2/-

2989 d. 6.



P. VIRGILIUS MARO

IN USUM SCHOLARUM

AD NOVISSIMAM

HEYNII EDITIONEM

EXACTUS,

EXCISIS DISQUISITIONIBUS, EXCURSIBUS,

ET NOTARUM IIS,

QUÆ AD JUNIORUM COMMODITATEM MINUS

PERTINERE VIDEBANTUR.

LONDINI:

IMPENSIS J. JOHNSON, T. PAYNE, R. FAULDER, G. WILKIE ET J. ROBINSON,

J. WALKER, R. LEA, J. WHITE, J. NUNN, ET J. RICHARDSON.

M. DCCC. IX.

Excudebat S. Hamilton, Weybridge.

L. S.

HANC alteram Virgilii Editionem in Juventutis manus traditurus quid tandem præstitum sit, paucis significare visum est. Scias igitur, Lector benevole, textum, quod vocant, ad fidem editionis ab Heynio ann. MDCCC. vulgatæ esse formatum; et cum in exemplari prius emisso casu quodam aut negligentia evenerit, ut notarum aliæ minus recte transcriberentur, aliæ, quibus juventus carere vix potuit, prorsus exularent, nos operam nostram in eo posuisse, ut errores corrigerentur, omissa suppeditarentur, et quæ ad Virgilii interpretationem viderentur utilia, sua statim in sede collocarentur. In novissima sua editione perficienda multum operis collocavit Heynius. Multa obelo confodit, multa in melius mutavit. In his quoque ei obtemperandum esse duximus; adeo ut pagina vix una aut altera extet, in qua non aliquid emendandum invenimus. Vale. M. H.

P. VIRGILII MARONIS

BUCOLICON

LIBER.

ECLOGA PRIMA.

ARGUMENTUM.

Meliboeus, agris suis exutus, dum patria extorris capellarum gregem ante se agit, in Tityrum incidit, quem cum in communi calamitate summa securitate et otio frui videret, miratus hominis sortem, cui acceptam eam ferat, rogat. Narrat Tityrus, quomodo et a quo agros suos gregesque salvos recuperaverit, 20. sqq.; scilicet se, jam aetate provectum, libertatis consequendae causa Urbem adiisse, ibique ab heri facilitate hoc obtinuisse, ut greges suos tuto ac libere pascere liceret. Putandus est adeo Tityrus esse unus ex pastoribus servis in fundo a domino habitis: cf. ad v. 28. Interea alter de malis ac molestiis migrationis suae conqueritur, tandemque aperte de veteranorum immissione in agros loquitur v. 70. Subsistit dialogus in eo, ut Tityrus miserum exulem in suo tugurio pernoctare jubeat. Communis omnium temporum opinio, veterum Grammaticorum fide firmata, obtinuit, Eclogae hujus rationem ad illa tempora et Virgilii fortunam accommodatam esse, eoque anno eam (U.C. 713.) scriptam esse, quo Triumvirorum pactione decreta nefanda illa agrorum inter veteranos divisio ab Octaviano facta est. Locus in quo pastores conveniunt, est ad umbrosam fagum in loco arboribus consito, sub qua Tityrus recubans pastoritio cantu otium consumit, dum gregem errantem prospicit. Versu tamen 52—59. accuratius describitur loci prospectus, et quantum v. 48. 49. *quamvis lapis omnia nudus*—intelligitur, ex ipsa rerum veritate. Ad majorem rei jucunditatem facit contraria alterius pastoris fortuna; quae miserationem movet, et qua nihil disertius ad Tityri felicitatem illustrandam commemorari poterat. Sunt tamen multa in hac ecloga, in quibus subtilius poëtae judicium desideres. Primum ipsum hoc genus argumenti, quod ad allegoriam accedit, adeoque in perpetuo rerum ac verborum lusu versatur, vix satis magnam gravitatem ac dignitatem unquam habere potest. Nec in eo potuit vitae rusticae propria vis ac ratio (characterem vocant) recte servari. Vix e persona pastoris apotheosis illa heri satis placere potest. Comparatio autem seu allegoria non ubique commode procedit. Sic v. 28. Tityrus, ut libertatem suam impetret, Romam proficiscitur; obtinet ab hero libertatem greges pascendi: quid mirabimur hoc factum, si quidem ille heriles greges pascit? v. 46. *Pascite, ut ante, boves.* In sententiis autem ac verbis plurima sunt ab hoc rerum et hominum genere aliena. Ita

plures versus sunt fere epici, ut 7. *illius aram Sæpe tener nostris ab ovilibus inbuet agnus.*

[Meminerint tirones, versus eos, qui stellulis notantur, aut abesse ab optimis codicibus, aut aliis de causis suspectos haberi.]

MELIBŒUS. TITYRUS.

MELIBŒUS.

TITYRE, tu patulæ recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:
Nos patriæ fines et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

TITYRUS.

O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus inbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.

MELIBŒUS.

Non equidem invideo; miror magis: undique totis

1 Melibœum puta agendo gregem ante se accedere ad Tityrum. Tityrum *silvestrem —musam*, carmen pastoritium, *meditari*, exercere, μελετᾷν, h. e. cantui eum vacare, indulgere, ait, et quidem *tenui avena*, ut culmus pro fistula sit. v. Ecl. III. 27. quod, nimis forte argute ad genus carminis humile et tenue referunt; quamvis ejus notio ipsi naturæ carminis bucolici subsit. Ornans epitheton *tenuis*. 4. *Fugit*, φεύγει, et is, qui expellitur et exulat, ut h. l. Melibœus. *lentus*, otiosus et securus.

6—10 *deus*, dominus Tityri, quem Romæ adierat, quemque infra vs. 43. *juvenem* appellat. Octavianum Cæsarem declarari, Divi Julii filium, dubitari nequit, quatenus Virgilius suam fortunam adumbravit sub Tityri persona (Apud Pompon. Sab. est: *deus*, Augustus—"vel Roma, ut ait Apronianus;" ergo et is his argutiis litavit?). Nunc tamen herus Tityri *deus* ipsi est beneficiis. Per *otia* intelligit securitatem inter tantas turbas et tumultus bellicos. 7. Observa poëticam orationem, pro, *ei sacrificabo*, sollennem tamen; ut apud Theocr. Epigr. I. 5. Βωμὸν δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος ὦτος ὁ μαλλός. 8. *ab ovilibus*, nostri ovilis; et tum *ovile* pro grege. 9. Burmannus valde contendit, ita jungi debere, ut sit, *ipsum hoc, quod animi caussa et tam securus canto*. Cic. XIII. ad Attic. 28. *ut vivere ipsum turpe*. Multo tamen simplicius et pastore dignius, *ipsum* me *ludere permisit*. Mox *ludere* animi caussa cantare. *Ludere* enim de omni re non gravi et operosa, ac de carmine tenui infr. Ec. VI. 1.

11 *Non equidem invideo*. Κοὔτοι τι φθονέω Theocr. I. 62. quæ forte verba hinc defendi possunt tamquam Maroni lecta. *miror magis* pro vulgari: sed potius; non tam invideo,

Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas
Protenus æger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.
Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TITYRUS.

Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similis, sic matribus hædos
Noram; sic parvis componere magna solebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbis,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

MELIBŒUS.

Et quæ tanta fuit Romam tibi caussa videndi?

quam miror: *usque adeo totis agris turbatur.* In prosa per *nam* vel *quum* efferendum erat; miror te tam tranquille agere, quum tantæ undique in nostris agris turbæ et calamitates exortæ sint; quum immissi in nostras possessiones coloni nostros agros occupent, nosque depellant. 12. *Ipse*, ejectus paternis bonis, affecto quamvis corpore (nisi *æger* pro *ægre* accipias, ut Æn. V. 468. 432. quo ducit *hanc etiam vix*), ago capellas, dum hinc migro etc. 13. *Protenus*, porro tenus, longe a finibus, Servius ait. Simpliciter accipiendum pro: sane se agere; opp. *τῷ errare, vagari*, quod fit, dum pascendi caussa aguntur; at hic abiguntur. Unam vero *ducit*, fune trahit. 15. *connixa reliquit*, quod in prosa, *enixa est. reliquit*, majorem etiam miserationem excitat. *silice in nuda*, non substratis herbis, v. Ge. III. 297. 16. Bene hæc ad superstitionem talium hominum dicuntur, cum adversi aliquid iis accidit. Debuisse se hanc calamitatem prævidere ait ex arboribus frequenter fulmine tactis: quod est inter ostenta. *læva mens*, stupida, tarda. Horat. Art. 301. *O ego lævus* etc. 19. *da*, ede, dic, edissere, ut *accipe*, audi, Æn. II. 25. *Serv.* Notent in iis, quæ sequuntur, tirones longas narrationis ambages pastoris imperitiæ non male convenientes.

20 Adiit Tityrus Romam, cum alias tantum ad vicinum oppidum excurrere soleret. 21. *huic nostræ*, Mantuæ, *quo* agnos agere solemus. *depellere* forte nimis violentum, nam portantur a pastoribus agni tenelli; ait Burmann. Verum ii, qui jam a lacte remoti lanio tradi debent, haud dubie agi et depelli possunt. Servius a lacte removere interpretatur, qua de re proprie *depellere* Ecl. VII. 15. III. 82. Ge. III. 187; quo tamen sensu additur fere *depulsus ab ubere. lacte.* aut ipsa res eo ducit. Calpurn. II. 47. *Ne depulsa vagos quærat fetura parentes.* Sed *depellere*, dixit pro pellere, agere: Sic *compellere* Ecl. II. 30. ἐλαύνειν toties ap. Theocr. pro ἄγειν. 26. *Viburna* sunt fruticis s. virgulti genus flexile et lentum in sæpibus obvium, vinciis h. ligandis fasciculis utile.

TITYRUS.

Libertas: quæ, sera, tamen respexit inertem;
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima sæptis,
Pinguis et ingratæ premeretur caseus urbi:
Non umquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

MELIBŒUS.

Mirabar, quid mæsta deos, Amarylli, vocares;

28 *Libertas*, h. libertatis obtinendæ spes ac desiderium. Ut nihil de ineptis hujus loci interpretationibus dicamus quas ipse Burman. sequitur, quamquam vix omnia ad liquidum perduci possunt, verba tamen nullum alium sensum suppeditant, quam hunc: Tityrus intelligendus est esse aliquis ex servis, quorum Romani tantum numerum in fundis suis et agris habebant, quibus sive agrorum sive pecudum cura mandata erat. Hoc pastorum genus isto tempore, quo latifundiis occupata erat Italia, per omnem Italiam erat frequentissimum. Neque alius Corydon Ecl. II. 1. Qui homines an recte in pastoritio carmine, quod sensibus nostris nil præterquam amœnissimam quamque et suavissimam vitæ rusticæ speciem exhibere debet, a poëta excitari potuerint, nunc non disputo; sed ii homines, si peculium sibi satis magnum parassent, pretio dominis soluto in libertatem se vindicare poterant. Nota res, de qua nemo facile dubitet. Tityrus, qui per multos annos, dum Galateæ amori indulserat, peculii parum diligentem rationem habuerat, jam senex factus, cum Amaryllidem, quæ frugalior et parcior erat, amicam haberet, ut libertatem sibi compararet, Romam ad herum suum profectus est. Jam de libertate quidem, quam obtinuerat, jam v. 28. 29. 30. memoraverat; facilitatem tamen heri et humanitatem maximam expertum esse se significat, in primisque illud obtinuisse ait, v. 46. ut tuto ac libere greges suos pascere posset. *quæ, sera, tamen r.* quæ, etsi sero, tamen aliquando mihi contigit, ut v. 30. repetitur. *Respicere* de Libertate, ut proprie *Fortuna respiciens.* A deorum signis hanc designationem ductam esse, existimat Spencius Polymet. p. 155. nimis argute *Pietas labores humanos respicit* Æn. V. 688. 30. *Respexit tamen, et longo post tempore venit.* Singula ad declarandum tempus, quo libertatem obtinuit, valere debent. Contigit tamen, inquam, libertas, et multo post mihi data est, *postquam*, ex quo tempore, a Galatea relictus, in Amaryllidis, conservæ (quam v. 3. carmine recolebat, et quæ mœrore suo ex Tityri absentia amorem suum prodebat vss. 37. sqq.), contubernio sum. *longo post tempore*, ut v. 68. iterum. Sic *tanto post* G. III. 476. Fatendum tamen, insidere his nescio quid invenusti et incomti: quamquam et alia nonnulla in hoc primo carmine paullo jejunius dicta videri possunt. Multo vero magis inficeta hæc sunt, si cum aliis per alteram amicam, Mantuam, per alteram, Romam declarari pronunties.

34 Quamvis juvencus unus et alter ex meis armentis deductus venderetur in urbe, aut eo deportarentur a me casei. Georg. III. 400. *Quod surgente die mulsere horisque diurnis*, Nocte premunt; *quod jam tenebris et sole cadente, Sub lucem exportans calathis*, adit oppida *pastor.* 35. *ingratæ*, quod nihil inde argenti referret, v. seq. Burmannus nimis argute exponit: *Mantuæ jam non gratæ, postquam occupata a veteranis, novis colonis.* Martinus pro *infelici* accipiebat.

37 Nunc in animum revocat mœrorem Amaryllidis, cujus causam ignorabat tunc Meliboeus, nunc facile assequitur. Ceterum desiderium Tityri absentis bene poëta exprimit; quod vero subjicit 39: *Ipsæ te, T.* etsi bucolici carminis nota figura est (sic apud Theocr. IV. 12.) ab hoc tamen loco, si recte judico, aliena est. Quorsum enim nunc hoc, cum de Amaryllidis desiderio agebatur?

Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsæ te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta, vocabant.

TITYRUS.

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam præsentis alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves, pueri; submittite tauros.

MELIBŒUS.

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt!
Et tibi magna satis; quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua junco.

41 *Quid facerem?* necessario mihi Romam proficiscendum erat, nulla Amaryllidis querelarum ratione habita, cum neque libertatem recuperare alibi, neque tam *præsentes* h. propitios, faventes (v. Cerda) deos, tam præsens eorum beneficium, alibi experiri possem. 43. Hac in urbe herum meum vidi, tam munificum et lenem, ut eum pro deo colere decreverim. Dicta hæc esse respectu ad Cæsarem Octavianum habito, dubitari vix potest. Ei se menstruis sacris litare velle ait. cf. v. 7. 8. *fumant* pro fumabunt. 45. Hic, cum Romæ essem, primum tuli responsum illud, h. facultas nobis data est, ut nos pueri, vernæ, servi, libere pasceremus et tauros submitteremus. Color similis carminis Agathiæ Aanalect. Brunck. Tom. III. p. 46. n. xxxvii. *Responsum* non nunc eo sensu, quo oracula, hinc jussa dicuntur: nec tam magnifice, quam apud Horat. C. S. 55. *Jam Scythæ responsa petunt:* sed simpl. respondit petenti, annuit. *Submittite tauros. Submittere* est alere ad gregem supplendum; nam subjunguntur reliquis et aggregantur ii tauri, quibus grex suppletur. Ge. III. 73. *quos in spem statues submittere gentis.* cf. 159. *Submittere* enim esse mittere in alterius locum, supplere, dubitandum plane non est. An dictum esse possit pro *tauros admittere*, dubitare licet.

47 *Ergo tua rura manebunt* tibi, non eripientur, *et* ea quidem *satis magna*, ad pascenda armenta. Quæ sequuntur varie interpungi et exponi possunt. Aut ut nova sententia fiat: *Quamvis—obducat pascua junco: Non* (tamen) *insueta g.* Aut ut cum antecedenti jungas: *'et tibi magna satis, quamvis lapi—junco. Non i.* ut sit sensus: *manebunt tua pascua, satis tibi magna, quamvis lapis et palus omnia obducat.* Jam hoc duplici potest modo dictum esse, aut ut ager ille Tityri saxosus et palustris sit; aut ut inter aliorum agros saxosos et palustres pascua Tityrus habeat satis bona et tolerabilia. Hoc præferam, ut neglectam culturæ agrorum colonis suis ereptorum ea res arguat. Scilicet haud dubie hæc dicta sunt cum respectu fortunæ istorum temporum. Prioribus dominis erepti agri a veteranis male culti sentibus horrebant, lacunis et paludibus erant obducti: id quod multo magis ita se habere debuit in agris ad Mincium fl. sitis, cujus et stagnatione et frequenti exundatione paludes facile existere poterant; erant autem Maronis agri a clivo inde collis ad eum fluvium siti, quibus adjacere debuere alii eodem situ eademque conditione: Ecl. IX. 7. VI. 12. Ge. III. 14. 15. II. 198. 199. Æn. X. 205. 206. Nunc igitur Melibœus pergit v. 50. comparare suam calamitatem: cum, inquit, a meis agris discedendum mihi sit: neque, ex partu male affectas capellas conveniente pabulo reficere, neque, cum mihi illæ, qua sors dabit, agendæ sint, satis cavere iis possum, ne in greges contagio, quod *malum* h. noxium dicitur, tactos, aut in infecta sæpta incidant. Sic etiam

Non insueta gravis tentabunt pabula fetas;
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontis sacros frigus captabis opacum.
Hinc, tibi, quæ semper vicino ab limite sæpes
Hyblæis apibus florem depasta salicti,
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

TITYRUS.

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in litore piscis:
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

in sqq. istius sortem cum sua comparat. 50. *gravis—fetas* dixit, ut *fetas* intelligas enixas, partu liberatas, ut sæpe: Eo sensu *feta vulpes* ap. Horat. III. 27. 4. ut recte Bentleius accipit. *Gravis* h. ægras e partu. *Tentare* de morbis proprie. Ita non necesse cum aliis distinguere post *pabula*, et *graves*, gravidas, *fetas* autem, quæ peperere, intelligere, ut Cerda fecit.

52 *Flumina nota* sunt Mincius et Padus; Mincius, ex lacu Benaco ubi processit, non longe a Mantua lacus fit quinque mille passuum, mox aliquantum progressus Pado se jungit. Jucundus vero ille tractus et bonus pascuis. v. Georg. II. 198. 199. 53. *Frigus opacum* est frigus loci opaci, nemoris umbræ. Ecl. II. 8.

54 Hunc locum, uti nunc se habet, ita expedire, ut nihil supersit quod offendat, quamcunque rationem ineas, non adeo facile est. Inter cæteras tolerabilior ratio hæc est, quam Burmannus quoque iniit, verbis in hunc modum jungendis: *Hinc sæpes a limite vicino*, h. agrum vicinum a tuo disterminans, limitaneus (nisi malis *Hinc a limite vicino*, h. e. ab ea parte, qua vicinus limes est, ut Oudendorp. ad Suet. Aug. 91. monet, *sæpes) quæ semper depasta est florem salicti apibus*, cujus salices, e quibus ipsa structa est (cf. Georg. II. 434. 435. 436.) semper depascuntur ab apibus (quas epitheto ad ornatum facto *Hyblæas* a monte Siciliæ appellat) *suadebit sæpe tibi susurro levi* apum (καλὸν βομβεῖν Theocr. dixit I. 107.) inire somnum. Ultima expressit Auspn. Ep. 25. 12. *Hyblæis apibus sæpes depasta susurrat.*

57 *Frondator*, qui vites amputat et vitium folia stringit, decerpit. vid. Georg. II. 365. seqq. 400. 407. 410. Ecl. II. 70. IX. 60. *ad auras*, uti de *clamore*, eum *exire in auras*, *tolli ad æthera* etc.; alii *spirantibus auris et æstum levantibus*; subtilius etiam alii. *sub rupe* h. in rupe. Mox v. 59. *gemere* turturum ac columbarum proprium. et *aëria ab ulmo*, perpetuo arborum epitheto.

60 *Ante leves ergo*, quasi dicat: recte utique hæc bona mea enumeras, Melibœe, et propterea grato per totam vitam in patronum meum ero animo. *Pascentur in æthere cervi*, pro volabunt, *et maria destituent pisces*, h. et pisces in sicco vivent; itaque *nudos* dixit.

62 *Pererratis amborum finibus*, ad ornatum spectat: ita ut alter alterius fines pererraverit, ad alterius sedes pervenerit; h. antea Parthi migrabunt in Germaniam, et Germani sedes Parthorum occupabunt; quod, nisi victis et subactis Romanis, fieri non poterat. *Exsul* hic non urgendum; simpl. apud poëtas, qui ad alienas terras proficiscitur. 63. *Aut Ararim P.* Reprehenduntur hæc, et merito, tamquam aliena a pastorum memoria, nomina, nimisque longe

MELIBOEUS.

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros;
Pars Scythiam et rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En, umquam patrios longo post tempore finis,
Pauperis et tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
Inpius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en, quo discordia civis
Produxit miseros! en, quis consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, opone rdine vitis.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam; non, me pascente, capellæ,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

TITYRUS.

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem

petita. Sed recessit Virgilius ab antiqua simplicitate in moribus, quos pastoribus suis tribuit. Porro *Germania* et *Arar* sibi respondere debebant; hic vero Galliæ fluvius est, qui in Rhodanum se immittit. Defendunt poëtam sic, ut dicant, hanc ipsam locorum inscientiam indoctum servulum non male decere. Verum, populos Gallos et Germanos vulgari sermone fere confundi, satis constat. Et fit hoc eadem fere ratione, qua Tigris, qui Parthorum fines facit, Parthorum fluvius appellatur.

63 *Ibimus Afros*, elisum *in*; quod in epico carmine melius fieret, Homerico more. *alii* et *pars*, pro alii et alii. 66. *rapidum Cretæ veniemus Oaxem*; alii adibimus Cretam. Totus locus alienus a pastoritii carminis indole; nec modo tragicum quid spirat, verum adeo ἀπροσδιόνυσον, quomodo enim pastores sua armenta agentes per Africam et Scythiam errare aut Britanniam et Cretam insulas adire poterant? Expressit tamen locum Nemes. Cyneg. 67. 68.

68 *En, umquam* pro unquamne. inf. Ecl. VIII. 7. *En erit unquam Ille dies.* 70. Vulgo *aristas* de annis exponi notum est. In hunc sensum jam Claudianus accepisse videtur qui IV. Cons. Honor. 372. *decimas emensus aristas* dixit. Huc etiam Rhiani, χείματά τε ϖοιάς τε δύω καὶ εἴκοσι ϖάσας, advocari possunt, ap. Pausan. IV. 17. extr. Enimvero *nea regna* subjiciuntur *patriis finibus* v. 68. ac *tugurio* v. 69. et eosdem agros et possessiones miseri Meliboei denotant; hæc itaque videns *post*, posthac (ex v. 68. *longo post tempore*), h. quando eos aliquando iterum adspicere mihi continget, *rara in illis aristæ aliquot oculis occurrent? hi tam culti agri (novalia* dixit v. 71. omnino pro agris quibusvis) *per novos suos colonos inculti neglectique jacebunt?* ut Ge. III. 476. *Nunc quoque post tanto videat desertaque regna Pastorum.* In sequentibus poëta sui obliviscitur: pastor de segetibus, de civibus, de pomorum insitione, de vinea agit. 71. *Inpius*, sceleratus, nefarius. 72. *Barbarus*, Galli, aliique, qui in legionibus Romanorum tum erant. 73. *En, quis c.* quibus, in quorum utilitatem agros coluimus. 74. Ironice dictum accipies. Quid juvat nunc insevisse! 76. E Theocrit. I. 116. 117. 79. De *Cytiso* v. ad Ecl. II. 64.

80 Ex Theocriti XI. 44. sqq. 82. *Castaneæ molles* varie explicantur, ut sint *matu-*

Fronde super viridi; sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, et pressi copia lactis;
Et jam summa procul villarum culmina fumant;
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

ECLOGA II.

ALEXIS.

ARGUMENTUM.

Corydon pastor, Alexidis pueri, qui a communi utriusque domino amabatur, insano amore quum fureret, miserum sui animi affectum hoc carmine exponit. In votis habet, ut ille ruri secum habitet. Enumerat copias suas et opes rusticas v. 20, suam oris speciem 25, suam artem canendi 31, sua munera puero parata, fistulam 36, et duo capreolos 40, tum corollas variorum florum 45; mox tamen damnat ipse amorem suum 58. Dominus per *Iolæ* nomen declaratus esse videtur v. 57. Idem Corydon amaverat Amaryllidem, asperam puellam, et Menalcam puerum v. 14. sq. 52. In interpretatione ad commenta respicere non possumus. Illud tenere satis est, exprimi hac Ecloga egregio cum artificio æstum et furias amoris, quo pastor, verna Iolæ, nomine Corydon, in Alexin misere exarserat, qui domini amasius erat. Locus autem, in quo ille dolorem animi carmine mitigat, convenientissime describitur v. 3—5.; amant amantes solitudinem silvarum. Siculos in hac Ecloga pastores inducere videtur poëta, v. 21. *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* Quo ipso argutiæ allegoriæ concidunt; quæ plane corruunt, si expressa pleraque ex Theocrito cogites, imprimis ex Idyll. XI. XXIII. et III. quæ tamen, si cum his compares, multo dulciora esse, vix inficiari possis. Transtulit poëta in Corydonem nonnulla, quæ melius de Polyphemo dicta erant, ut illud v. 25. *nuper me in littore vidi.* Inverso modo Polyphemi amores ad Corydonis exemplum expressit Ovid. Met. XIII. 776. sq. 801. sq.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini; nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Adsidue veniebat; ibi hæc incondita solus
Montibus et silvis studio jactabat inani:

ræ, vel *recentes*, vel *tostæ*; vel de genere quodam, quod echinum seu corticem minus durum habet. Fit id in primis, si amygdalis inseruntur. Laudant ex Palladio lib. XIV. 155. *Castaneamque trucem depulsis cogit echinis Mirari fructus lævia poma sui.* Potuit tamen improprie pro *maturis molles* appellare. *Pressi copia lactis*, h. casei, quia serum e coagulo, sive concreta lactis parte exprimitur, et *adjectis* etiam pro *soliditate acquirenda ponderibus*, ut Palladius loquitur, *eliquatur*. 83. *Et jam*—nox ingruit. conf. Ecl. II. 67.

ECLOGA II.

4, 5. Vid. Theocr. XI. 17. 18. *jactabat*, ut *verba, voces, jacere*, cf. Ecl. V. 62. Nunc silvis in montibus conqueritur spretum amorem suum.

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
Nunc viridis etiam occultant spineta lacertos;
Thestylis et rapido fessis messoribus æstu
Allia serpyllumque herbas contundit olentis:
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec, qui sim, quæris, Alexi;
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.
Canto, quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

7 Ex Theocr. III. 9. 8—13. In summo æstivi temporis æstu tua vestigia sequor. Suaviter e vita rustica adumbrata sunt sequentia. ad v. 8. cf. Georg. III. 327. sqq. 9. Ex Theocr. ductum VII. 22. σαῦρος ὑφ' αἱμασιαῖσι καθεύδει, ubi ὑφ' ex h. l. commendabat Valk. Diversa tamen *αἱμασιὰ* ex cæmentis a spinetis; assident lacertæ maceriis, aut insident: præstat saltem *ἐν*, quod codd. præbent.

10 *rapido æstu*, h. vehemente, magno, quia *sol rapidus* dicitur, ducto vocabulo ab iis, qui *rapido cursu* h. magno et incitato feruntur. Burmannus, qui h. l. Clericum exagitat, ipse nimis argute exponit, *æstum, qui vires messoribus rapit*. Alio modo *flamma rapit*, rapax est. 11. *herbas olentis*, ornat epitheton a natura rei ductum, nec definit, bene an male, modo graviter ac valde. *Allia* vero *serpyllumque* memorantur simpliciter, quia talium hominum in illis terris quotidianus cibus erant; nam, quod ideo manducasse aiunt, ut odoris gravitate serpentes et scorpios fugarent, id vero, ne subtiliter magis, quam vere dictum sit, vereor.

12 *Arbusta resonant cicadis mecum* h. me cantante, illis una stridentibus. Nam ita mecum Ge. I. 41. II. 8. Æn. I. 675. 15. *nonne Menalcan?* nonne pati satius erat Menalcæ fastidia? quod v. sq. confirmatur.

17 *ne crede*, confide formæ. Servius e Sallustio laudat: *Virtuti satis credebant*. 18. *cadunt*, decidunt neglecta, adeoque jacent. *vaccinia nigra* esse eundem florem cum hyacinthis ferrugineo colore, satis convenit inter viros doctos. cf. inf. v. 63. X. 39. coll. Theocr. Idyll. X. 28. Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, ᾧ ἀ γραπτὰ ὑάκινθος. Ge. IV. 183. ubi Martinus *hyacinthum* poëtarum *lilium floribus reflexis* sive *Martagon* esse putat.

19 Ex Theocr. III. 7. et reliqua ex Theocrit. XI. 29. sqq. 21. *Siculis*. Revocatur adeo hoc carmen ad pastores Siculos. v. Argumentum. nec potuit Corydon esse verna Iolæ; sed pastor sui juris. 22. Suppetere sibi per totum annum vaccas ait, quæ bonam lactis copiam præbeant, ut quotidie lac recens apponi possit. Theocritus pro lacte *caseum* posuerat Idyll. XI. 36. etiam hoc ex more harum regionum: vide modo Georg. III. 400. 401.

23 *armenta vocabat*, revocabat, compellebat, ut inprimis fit vesperi, ut domum pastor gregem reducat. 24. *in Actæo Aracyntho*. Hujus nominis nobilis mons est Acarnaniæ sive Ætoliæ; v. vel Strab. X. p. 692. A.; nam fines harum

That flute is mine which Colin's tuneful breath
Inspired when living, & bequeathed in death:
But now the seed shall hang on yonder tree,
For ever silent, since despised by thee. — Pope. II Past.

Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum placidum ventis staret mare; non ego Daphnin
Judice te metuam, si numquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humilis habitare casas, et figere cervos,
Hædorumque gregem viridi conpellere hibisco! marsh mallows.
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere pluris
Instituit; Pan curat ovis oviumque magistros.
Nec te pœniteat calamo trivisse labellum:
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem conpacta cicutis a pipe made of the hollow stock of hemlock.
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: te nunc habet ista secundum:
Dixit Damœtas; invidit stultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti,

regionum modo angustius modo latius patuerunt; non longe ab urbe Pleurone. Quod Aracynthus *Actæus* vocatur, puta eo spectare, quod mons ille fuit in finibus Bœotiæ et Atticæ, unde *Actæus;* omnis enim Attica *Actæa* dicitur, h. e. littoralis, ab *acte*, quæ pro *littore* dicitur. Sextus l. l. Ἀράκυνθος τῆς Ἀττικῆς ἐστιν ὄρος. Add. Barth. ad Stat. II. Theb. 239. *Illa* (Diana) *suas Cyntho comites agat, hæc* (Pallas) *Aracyntho.*

25 E Theocr. XI. 34. sqq. Verum in eo commode hæc de Cyclope dici poterant; non æque nunc de pastore, qui melius fonte, rivo, amni, pro speculo utitur. Alb. Gentilis de lacu Mantuano accipere maluit, ut Æn. I. 224. mare de Timavo. *Quum placidum ventis staret mare*, h. a ventis, per ventos. v. inf. Ge. IV. 484. Explicat Seneca Quæst. nat. V. pr. *Itaque si legeris:* Quum placidum ventis staret mare, *scito illud non stare, sed leviter succuti, et dici tranquillum, quia nec huc nec illuc impetum capiat.* Est hoc philosophi argutantis. Quantopere Tassus, dum eandem rem in *Amynta* ornare vellet, a rerum natura recesserit, docuere viri docti.

28 *O tantum libeat*, ut Theocr. XI. 65. *sordida rura*, h. l. non in vitium dictum, sed pro vilis, pauper. Servius *tibi sordida* jungit, quæ tibi sordent. 29. *figere cervos*, si feræ sunt, telo, jaculo, Georg. I. 308. Æn. V. 516. VI. 803. Venationis tamen studium a vita pastorum alienum esse videtur. Præstat hactenus alterum, quod Servius habet: "aut furcas, quæ figuntur ad casæ sustentationem: quæ dictæ sunt cervi, ad similitudinem cornuum cervinorum." In re militari obvia est vox. In vita communi aut pastoritia vox non æque occurrit, et omnino poëta non satis caute dilogiam intulit: dum *figere cervos* dixit. 30. *hibisco.* Hibiscus e malvarum agrestium genere esse creditur, Græcorum *althæa:* etsi, quæ de ea disputantur a viris doctis, parum certa sunt. Jam h. l. duplici modo ejus notio constituitur: aut ut sit, *ad hibiscum*, tanquam ad herbam pabularem: aut ut hibisci caulis et virga intelligenda sit, qua pastor utitur ad compellendum gregem. Haud diffiteor mihi nunc præferendum videri prius illud; est enim *hibiscus* pabuli genus et planta esculenta: Calpurn. Ecl. IV. 32. *viridique famem solarer hibisco.*

34 *Nec te pœniteat*, pigeat, molestum videatur aut parum te dignum. 35. *quid non f.* omnia fecisset, nihil intentatum relinquens. Nota formula. Corydon igitur cantu fistulæ excellebat: ejusque artis æmulus erat Amyntas. 36. *cicutis* pro cannis. Ecl. V. 85. Expressa quidem hæc a multis, satis ingeniose tamen ab uno Popio *Pastor.* II. 39. si expendas ac compares versus 43. 44.

40 E Theocr. XI. 40. sq. III. 34. sq. *nec tuta m. valle reperti*, commendat donum a difficultate; periculo a feris contemto capreas has silvestres ceperat. conf. Ovid

Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet; quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis; tibi candida Nais,
Pallentis violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna; honos erit huic quoque pomo;
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte:

Met. XIII. 834. sq. quo toto loco hanc Eclogam ante oculos habuit. Ovem præbere ubera capreolis, exemplo non caret. 41. *sparsis pellibus albo*, ut maculæ fuerint albæ. Ducta res e Theocr. XI. 41. *etiam nunc* vero, quia accessu temporis mutant colorem, ait Servius. Nisi, durius quidem, ad *siccant* referas; etiamnum lactent. 42. *die*, quotidie Ecl. III. 34. Æn. XI. 397. 44. *Et faciet*, abduceret; ex Theocr. III. 36. Ad 45. cf. XI. 47. 56. 57.

46 *ferunt Nymphæ*. Repente a vita vera et communi aberrat poeta, et transit in vitam mythicam et poeticam; quod vix bene fit. Forte tamen non nimium in hoc argutandum; ita enim loqui et deos deasque agrestes lusibus pastorum interesse dicere, genus carminis bucolici fert. Splendidi autem hi versus 46—55. 47. *Pallentis violas*, sunt violæ flavæ inter vernos flores numerandæ; λευκόϊον s. album violam, flore sive albo sive flavo sive purpureo, vocant veterea. *Pallens* vero pro flavo; si corpora hominum calidiore in plaga viventium reputes, quæ, cum pallent, subflavescunt. *Papavera* sunt ex genere silvestri, flore rufo, quod in arvis cum hordeo maxime nascitur. 48. *Narcissus* ex eo utique genere est, quod nos ita appellamus. Quæ Julius Sabinus h. l. habet de Narcisso, coronis Erinnyum destinato, petita sunt ex Schol. Sophocl. Œd. Col. 681. *Anethum* in nostris hortis visitur, flore flavo. ἄνηθον etiam Theocritus cum rosis et violis jungit VII. 63: Dubites tamen de alio loco Idyll. XV. 119. Cum malvis et apio jungit τό τ' εὐθαλὲς ὅλον ἄνηθον Moschus Idyll. III. 101. 49. *Casia* a Plinio inter herbas ac flores recensetur coronarios, et inter eos, quos circa alvearia serere jubet. Vulgo *lavendulam* nostram esse putant. Sed Martinus, comparatis inter se Plinio, Dioscoride, ac Theophrasto, docet, *Casiam* hanc esse *cnebron* Græcorum, s. *Thymelæan tini folio, quæ grana cnidia* fert. 50. *pingit vaccinia*, variat; *caltha*, tamquam flore diversi coloris, *intexens herbis* n. violas et reliqua. conf. Æn. VII. 488. *mollia*, tenera, ut Ecl. V. 38. VI. 53.

51 *cana—tenera lanugine mala*. Χρυσόμηλα. Intelligunt vulgo mala cydonia, s. cotonea, quæ cana lana s. lanugine obduci satis constat. Quum tamen ea palato puellæ parum grata fuisse videri possint, conjicit Martinus significari a poëta *præcocia*. Sed vulgata interpretatio confirmari etiam potest ex Alcimi Epigrammate Antholog. Burm. T. I. n. 211. quod ex h. l. expressum, ubi *hæc mala* redduntur *velleribus hirsuta cydonia canis*. Calpurn. Ecl. II. 90. 91. *ut in arbore sæpe notavi Cerea sub tenui lucere cydonia lana*. 53. *cerea pruna*, sive flava, sive matura; hoc sensu dictum illud Alcmanis, quod h. l. laudat Fabric. κηΐνας ὠπώρας, illo videtur accipere Ovid. Met. XIII. 818. cf. Intpp. ad Horat. I. Carm. 13. *cerea Telephi brachia*. 54. *proxima myrte*, quæ in calatho proxima laureis frondibus ponetur; et junguntur fere. v. Horat. Od. III. 4. 19. *Laurus* vero non est accipienda de eo genere, quæ accuratius *laurocerasus* dicitur, et versus finem sæculi XVI. ex Trapezunte et Constantinopoli ad has terras allata fuit, sed de ea lauro, quæ in silvis et sæpibus passim per Italiam visitur.

O. See what delights in Sylvan scenes appear;
Descending Gods have found Elysium here.
In woods bright Venus with adonis strayed,
And chaste Diana treads the forest shade. — Pope. III. 59.

Sic positæ quoniam suavis miscetis odores.
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis;
Nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
Heu, heu, quid volui misero mihi! floribus austrum,
Perditus, et liquidis inmisi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens? habitarunt di quoque silvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvæ.
Torva leæna lupum sequitur; lupus ipse capellam;
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et sol crescentis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

56 *Rusticus es*, stultus; uisi poëta exprimere voluit Theocr. XX. 3. Βωκόλος ὢν ἰδίοις μὴ κύσαι τάλαν; quod tamen paullo argutius esset dictum. 57. *Iollas*, dominus Corydonis et pueri hujus delicati. Fluctuat autem in sqq. et jactatur variis curis animus miseri amantis ab alio ad aliud abreptus.

58, 59 Ita intelligo: me miserum! qui munerum mentionem feci, quibus te expugnare et mihi conciliare vellem; quam meæ caussæ male ipse consului, quum, ut munerum rationem habeas, te horter; habes enim herum tuum, amatorem, qui multo majoribus te corrumpere possit. *Perditus*, n. amore, amens. Ecl. VI. 88.

60 *habitarunt di quoque silvas*. Notum exemplum Phœbi. Ovid. Art. II. 239. Tib. II. 3. 11. Paris autem inter pastores adolevit. Pallas vero πολιὰς, πολιοῦχος, ἀγελαία satis nota. Enimvero quid est, *quas condidit?* An plures arces, ἀκροπόλεις, Minervam condidisse constat? Scilicet revocanda res ad solas Athenas. Etiam hæc paullo doctiora, quam pro pastorum ingenio, videri debent. Ornavit hæc Popius *Pastor*. II. 59. sqq.

63 Ex Theocr. X. 30. quo loco, quidquid Grammatici pro Virgilio dicunt, multo commodius et elegantius positum est. Hic Corydon inter alias animi æstuantis curas ardoris sui incredibilem vim et impetum sive exponere sive excusare putandus est. *Torva* est truculenta, ipso adspectu terribilis, βλοσυρά. *sequi* autem non uno sensu ponitur. 64. *Cytisus* fruticis genus, rhamno similis, colore albicante, ramis fere cubitalibus, jucundo foliorum odore et sapore, apibus et capris gratum. 65. *trahit sua q. voluptas*, amor, libido. Theocr. X. 31. unde hæc conversa, ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μαμάνμαι. 66. *aratra* ex *jugo suspensa*, inverso vomere, ut solum verrant, protracta. Ad v. 67. cf. Ec. I. 84. Horat. Epod. II. 63. *videre fessos vomerem inversum boves collo trahentes languido*. Color horum versuum petitus ex Theocr. II. 38. 39. Græcis una voce est βαλιτός. 68. Theocr. VII. 56.

69 Ex eodem XI. 72. sq. 70. *Semiputata tibi f.* cf. ad Ecl. I. 57. et Georg. II. 410. Objurgat se ipsum, quod amori indulgens curam operis rustici negligit. Servius ad h. l. superstitionem veterum commemorat, *in sacris dici furore corripi eum, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus imputatis*; atque talis lex inter Numæ leges memoratur: *Dis ex imputata vite ne libanto*. Cujus opinionis ad acuendam rusticorum industriam summa vis esse debuit. Amputantur autem vites bis in anno, primum æstate, deinde post Idus Octobres, ut maturitatem capere fructus et sole coqui possint. Colum. V. 5. *Pampinandi autem modus is erit, ut opacis locis humidisque ac frigidis æstate vitis nudetur, foliaque palmitibus detrahantur, ut maturitatem fructus capere possit, et ne situ putrescat.* De altera hac amputatione accipiendus locus Theocriti VII. 134. quod apparet, si conferas ib. vss. 24. 25. Idem in arboribus fieri necesse est, quibus vites se adjungunt, et susti-

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco.
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

ECLOGA III.

PALÆMON.

ARGUMENTUM.

Disceptant hoc carmine alternis versibus duo pastores, Damœtas mercenarius, Ægonis oves pascens, et Menalcas, puerili ætate (v. 33.) constitutus, et puerili petulantia alterum lacessens: cujus carminis, *amœbæum* illud dicitur, ea lex est, ut is, qui respondet, iisdem versibus ac numeris aut contrarium aut majus et pulchrius aliquod dicat, aut ulla alia ratione simile quid subjiciat. Neque ex eodem omnia argumento necesse est esse petita, sed a variis ac diversis plane rebus arcessita; cujus quidem rei bene memores esse debemus, ne argutemur in constituendo sententiarum ordine et nexu. Etiam nostro tempore ejus generis carmina apud Italos in pretio haberi, et laudari poëtas *Improvisatori*, nota res est (cf. Spencius, Anglus elegantissimus, Ecl. VII. pr.). Occasio hujus certaminis parum feliciter a conviciis mutuis et probris, quibus se invicem lacessunt, petitur, in quibus non modo honesti et decori nulla ratio habita, verum ne id quidem, quod poëtæ nomen et naturam efficit, spectatum est, ut non nisi gratæ et jucundæ res exhiberentur. Nec omnino inventi magna laus esse potest, non modo in summa carminis; est enim petitum argumentum ex Theocrito Idyll. IV et V; verum et in singulis versibus pastorum sibi respondentium: nihil enim in illis est, quod naturali aliquo sententiarum ordine vinctum vim ad animum habeat. Singula disticha sunt singula carmina; scopæ solutæ. De tempore hujus carminis v. Vita Virgil. a. 711. cf. 709. Agitur res inter pascua et greges per agros gramen carpentes. cf. v. 55.

MENALCAS. DAMŒTAS. PALÆMON.

MENALCAS.

Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Meliboei?

DAMŒTAS.

Non; verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.

MENALCAS.

Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neæram

nentur, ne æmula umbra viti noceat. 71. *quorum indiget usus*, quæ ad usum vitæ rusticæ necessaria; scil. vas aliquod, vel calathum. 72. *mollis*, flexilis, ὑγρός.

ECLOGA III.

1 Ex Theocr. IV. 1. sq. *cujum* jam desueta vox erat; *sic rure loquuntur*, addebat Virgiliomastix, ut Pseudo-Donatus §. 61.

Dum fovet, ac, ne me sibi præferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et sucus pecori, et lac subducitur agnis.

DAMŒTAS.

Parcius ista viris tamen objicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello.

MENALCAS.

Tum, credo, quum me arbustum videre Miconis
Atque mala vitis incidere falce novellas.

DAMŒTAS.

Aut hic ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quæ tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas;
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS.

Quid domini faciant, audent quum talia fures!
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?

memorat. 4. Dum ipse Ægon Neæræ assidet, hic mercede conductus gregem perdit. Fere ut ap. Homer. Od. ρ, 246. ἀλαλήμενος αἰὲν Ἄςυ κάτ'· αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες.

8 *Novimus et qui te* scil. corruperit. Non me latet, te inter greges, intuentibus hircis, et in ipso sacello Nympharum turpi libidine pollutum esse. 9. *sed faciles Nymphæ risere* n. sacrilegum hoc facinus, cum alii dii severiores id graviter ulturi fuissent. Potest itaque *faciles* hactenus ad lasciviam Nympharum referri, quæ caussa hujus facilitatis erat.

10, 11 Tum, credo, hoc factum, cum Nymphæ viderunt me etc. Noto ironiæ genere de se prædicat flagitium alterius. Imitatus est hoc, ut solent homines digna indigna imitari, Calpurnius VI. 84. sq. 11. *mala falce*, obtusa, rubigine exesa, qualis falx ramis et vitibus tanto magis nocet. Ita exponit Burm. docte utique, ut tamen nihil huic loco insit, quod ad istam argutam rationem ferat. Damœtam furtim per malitiam vites præcidisse ac corrupisse sufficit. Accipiamus itaque simpl. nocivam, perniciosam. *arbustum* potest esse synonymum *vitium*, ut Georg. II. 416. *Jam vinctæ vites, jam falcem arbusta reponunt.* Nec tamen necesse.

12 Recriminatur hic, simileque ejus, quo se petitum videbat, malitiæ et invidiæ flagitium objicit Menalcæ. *quæ donata* v. 13. sc. *arcum* et *calamos*. Arcus non alienus a pastorum vita ad defendendos greges a feris.

16 *fures*, servi, ex oppos. *domini* et vetere interpretatione Servii; cum nunc ille mercenarius pastor conviciari audeat. Usum vocis in vulgari sermone arguunt comici, qui *fures* pro servis inprobis ac de scelesta plebe adhi-

Tityre, coge pecus; tu post carecta latebas.

DAMŒTAS.

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

MENALCAS.

Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMŒTAS.

Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

MENALCAS.

De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater; est injusta noverca;
Bisque die numerant ambo pecus, alter et hædos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam

bent. 20. *Tityre, coge pecus*, quod dispersum vago discursu palabatur; tacite vero eo ipso indicabat, furem adesse, qui caprum ex grege dolo interciperet. *Tityrum* vero Damonis servum intelligere debemus, aut eum certe, qui ejus pecus pasceret. *Carex* apud Catull. cum *junco*, apud Colum. cum *filice* jungitur; Georg. III. 231. *acuta* appellatur; videtur itaque *junci* genus esse commune.

23 *Si nescis*, h. ut hoc scias, ne hoc ignores. Ovid. Epist. XX. 150. 25. *Cantando tu illum?* vicisse te ais? cf. Theocr. V. 5. 26. *in triviis—miserum* addita intellige, ut efficiat, ea esse quam vilissima; uti *disperdere* invidiose pro canere. *in triviis*, multo minus in certamine.

28 *vicissim* h. l. per vices, alterne; ad amœbæum carmen referendum. cf. Ecl. V. 50. Damœtas vaccam in sponsione collocat. cf. Theocr. VIII. 11. sq. 30. ex Theocr. I. 25. 26. Est autem juvenca διδυματόκος· aliter quam apud Theocritum, in quo ἓ; δύο πάλλας positum est, ut tantum lactis ex uno mulctu proveniat, quantum ad duo mulctralia replenda satis sit. 31. *pignus* dictum pro sponsione. cf. Theocr. VIII. 14. sq.

34 *alter et hædos*, fetum pecoris h. maturum caprarum, numerat. 36. *Insanire* scil.

Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos edera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon; et, quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem;
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

mecum certando. *pocula ponam.* aut pluralis pro singulari positus aut sunt duo pocula; præferam tamen prius.

38 *Lenta quibus torno f.* h. l. agitur de pastoris opere, qui nec *torno* tornare poculum, nec *cælo* uti potuit, sed *scalpello*, quo et *excavavit* illud et *cælavit*, exsculpsit in poculi exteriore area *opus anaglyphum*. Est adeo *tornus* h. l. parum proprie dictus pro scalpro, seu cultro pastoritio ad scalpendum adhibito. Jam reliqua ita jungenda: *quibus*, h. cui poculo, *vitis lenta superaddita*, exsculpta, *torno facili*, ope scalpelli, quod *facili* h. e. docta et perita manu tractatur. *vestit corymbos diffusos hedera pallente*, explicat se supra hederam, cujus corymbi diffusi sunt, eamque adeo implicat suis racemulis. Scilicet anaglyphum erat ita factum, ut, collocatis in medio duorum hominum signis, oras ambiret vitis hederæ implicita. *Corymbi* sunt racemi hederæ in orbem circumacti, ut Plin. 16. 34. et acinis ac baccis, qui fructus hederæ, quas uvas vocant, graves. *Hedera* dicta *pallens*, quia genus ejus albo colore conspicitur; namque est alia nigro colore, et nigro aut croceo fructu. *Vitis* autem explicare se et serpere super *racemos diffusos hedera*, h. hederaceos, adeoque super hederam, putanda est, atque ita ambire duas cælatas imagines Cononis et Arati. Erat in his ante oculos Maroni locus Theocriti I. 29. sqq. quem h. l. illustratum dabo: Ibi in cissybii, quod majus vas erat pastoritium, superficie tres sunt areæ: quarum prima mulierem sedentem inter duo amatores cum ipsa amatorie expostulantes exhibet, in altera piscator rete trahit mari, in tertia vinea est cum puero custode. Totum poculum ambit acanthus flexibus suis: ad summam oram hedera et helichrysus sunt implicitæ inter se mutuis nexibus: ex his expressit illa Maro; Τῶ περὶ μὲν χείλη μαφόεται ὐφόθι κισσὸς, *ambit oram vasis hedera*, κισσὸς ἐλιχρύσῳ κεκονισμένος, flore helichryso (de quo quomodo dubitare possunt, qui Idyll. II. 78. legerant?) *vestita*, implicita. ἁ δὲ ἕλιξ ἀγαλλομένα καφπῷ κρεμάσντι εἰλεῖται κατ' αὐτὸν, hederæ autem racemuli, *corymbi diffusi hedera*, fructu croceo seu baccis ornati (cf. Bentl. ad Horat. Ep. I. 19. 10.) volvuntur circa illum (helichrysum), florem eum implicant. Ita fere ap. Nemesian. Ecl. III. 18. 19. *vitea serta plicantur corymbis.* Cf. sertum Theocr. III. 22. 23.

40 *In medio duo signa, Conon.* Fuit Conon celeberrimus mathematicus et astronomus, qui circa Ptolemæi Philadelphi tempora vixit, cujus Archimedes aliquoties, tamquam sibi amicissimi et doctissimi hominis, et Catullus *de coma Beren.* v. 7. ex Callimacho mentionem fecit. *quis fuit alter*—de celebri astronomo loqui eum necesse est, qui cæli plagas, ortus occasusque siderum, et anni tempora in agricolarum usum descripserit. Ad Aratum (male Ptolemæus interponitur, qui CL annis serius vixit), Eudoxum, Servius, alii ad Hesiodum, Anaximandrum, Archimedem, referunt. Jam Archimedem familiarem Cononis fuisse, et sphæram e vitro confecisse, constat vel ex Claudiano epigr. 86. verum, eum rem rusticam sua arte adjuvisse, memoriæ tradidit nemo; quod contra in Aratum cadit, qui astronomicas rationes ad usum agricolarum transtulit, cujusque *phænomena et prognostica*, propter utilitatem magis forte, quam propter poëtæ ingenium, celeberrima inter veteres fuere, et, cum fastorum et Kalendariorum usus non tantus nec tam frequens esset, utilissima esse debuere. Forte tamen *radius* melius tribuitur Eudoxo, quippe astronomo. Laudabat Schrader. locum Avieni: *Hic primus Cnidii radium ducis intulit astris Mortalemque loqui docuit convexa deorum.* *Radius* enim proprie geometrarum virga est, qua in pulvere formas delineabant; nec in aliam rationem intelligendum videtur, quando Uraniæ signis, aut, uti sollenni more fit (cf. Æn. VI. 851.), astronomis tribuitur, cum et figuris et numeris opus habeant. Cæterum certavit cum his Popius *Pastoral.* I. 35. sq. qui etiam minus ambitiose nonnulla dixisse videri potest. At v. 42. allusum esse videri potest ad Hesiodeum E. 384. Πληϊάδων—ἐπιτελλομενάων, Ἀρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ, δυσομενάων. 43. conversa ex Theocr. eod. l. v. 59. 60.

DAMŒTAS.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho;
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentis.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.

MENALCAS.

Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.
Audiat hæc tantum, vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam posthac, ne quemquam voce lacessas.

DAMŒTAS.

Quin age, siquid habes, in me mora non erit ulla;
Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palæmon,
Sensibus hæc imis, res est non parva, reponas.

PALÆMON.

Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba;
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvæ, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damœta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camœnae.

44 Invidia punctus hic duo pocula pro uno commemorat, verum ambo, ut apparet, eodem exemplo facta. Pro vite hederæ implicita nunc ambit ora acanthus; in media poculi area Orpheus cantans effictus. Est autem *Acanthus* apud Virgilium *et* plantæ Ægyptiacæ, ex acaciarum genere, v. Georg. II. 119. *et* herbæ silvestris hortensisque ac topiariæ genus, hic et Ecl. IV. 20. Georg. IV. 123. et 137. 45. *Mollis* ad artificis facilem et levem manum referri contendit Burm. nimis docte; nam *mollis* est proprium ex acanthi lubrica et flexuosa natura epitheton; vide modo laudatum locum Georg. IV. 137. et ap. Theocr. I. 55. unde hæc expressa, ὑγρὸς ἄκανθος. 48. *Si ad vitulam spectas*, h. si tamen poculum tuum ad juvencam exigis, cum ea comparas: non est quod illud vitula potius habeas; nec opus est, ut ego, etsi duo pocula et ipse habeo, alterum ex iis pro sponsione ponam.

49 *Numquam hodie effugies:* verba a Nævio mutuata esse ap. Macrob. VI. 1. asseritur p. 576. *veniam quocunque vocaris:* quod vulgo, descendere ad omnia, h. l. omni conditione proposita tecum certabo: modo arbiter certaminis adsit! 50. *Audiat hæc tantum*—volebat subjicere *aliquis*, vel nomen pastoris alicujus, cumque circumspicienti se offerret Palæmon, *vel hic Palæmon*, inquit, *audiat, qui ecce venit.* cf. Theocr. V. 62. VIII. 25. sqq.

52 *siquid habes.* Eadem formula Ecl. IX. 32. V. 11. 53. *Nec q. fugio* judicem recuso. 56. *et nunc o.* ex Bione Idyll. VI. 17. εἴαρι πάντα κύει, πάντ' εἴαρος ἁδέα βλαστεῖ. Cf. Popius *Pastor.* IV. 5. 58. Theocr. IX. 1. 2. 59. *Alternis*, δι' ἀμοιβαίων, Theocr. VIII. 61. *amant alterna Camœnæ;* notum Homeri Iliad. α, 604. Μουσάων θ', αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

DAMŒTAS.

Ab Jove principium Musæ: Jovis omnia plena.
Ille colit terras; illi mea carmina curæ.

MENALCAS.

Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, lauri, et suave rubens hyacinthus.

DAMŒTAS.

Malo me Galatea petit, lasciva puella;
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.

MENALCAS.

At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas;
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.

DAMŒTAS.

Parta meæ Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.

MENALCAS.

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.

60, 61 Esse versum 60. ex principio Phænomenorum Arati translatum, jam Servius monuit. quamquam colorem ex Theocr. V. 80—83. mutuatus esse, et quoad prima verba respexisse ad Idyll. XVII. 1. videri potest; et a laudibus Jovis carminum initium facere sollenne antiquioribus. v. Pindar. Nem. Od. 2. princ. Dixerat vero Aratus, *Jovis omnia plena esse*, ex Stoicorum mente, dum animam mundi intelligeret, quæ universum hoc permearet, cf. Georg. IV. 220.; audiverat enim Stoicos, Dionysium Heracleotam, et Persæum Citieum. Attamen in indocti pastoris ore videntur hæc nimis esse subtilia. Omnino illud πάντα Διὸς πλήρη εἶναι varia sententia dictum occurrit, saltem inter philosophos; ut difficile sit definire, quo sensu a poëta pastoris ore dictum sit. *Colere terras* idem dicitur h. curare, seu, cum Servio, amare, frequentare et sæpe in iis versari, ut Æn. I. 15. Nisi philosophicum illud in animo habuit poëta: Jupiter, s. mens et anima mundi, omnes terras penetrat; per eas diffusus est. cf. Æn. VI. 724. sqq. *Curæ* vero *illi carmina*. Novum hoc, si bene memini certe non vulgare Jovem carmina curare. Forte dictum respectu Musarum in Olympo canentium. Qui sit 63. *Hyacinthus*, v. ad Ecl. II. 18. *laurus* ib. ad 54.; utramque in dei gratiam et honorem colere sit.

64, 65 Ex Theocr. V. 88. sq. ubi λαῖος ἐπαυρῶν ex hoc ipso Virgilii loco defenditur; et VI. 6. sqq. ubi admodum suaviter expressum. 67. *Delia* nomen amicæ, quæ frequenter pastorem suum conveniebat, more antiquo; cf. Ecl. VII. 40. cui alter suam opponit, nominans eam *Venerem*. Versus 68. sq. ex Theocr. V. 96. sq. 69. *quo congesscre p.* Notandum absolute dictum pro vulgari *nidum congerere;* advocat Burm. Horat. Od. III. 4. 19. *collata myrtus*, at ibi ea tegitur puer dormiens.

71 *Aurea mala*, Theocritus III. 10. unde hæc petita, simpl. μᾶλα dicit, ut epitheton adeo tantum ornatus caussa adjectum, et *aurea* pulchra esse videri possint. De malis

DAMŒTAS.

O quoties, et quæ nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam venti divom referatis ad auris.

MENALCAS.

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?

DAMŒTAS.

Phyllida mitte mihi; meus est natalis, Iolla:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

MENALCAS.

Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit;
Et, Longum formose vale, vale, inquit, Iolla.

DAMŒTAS.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

MENALCAS.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

tamen Cydoniis (v. ad II. 51.) melle condiri solitis, accipi potest. Mala citrea, s. medica intelligi non possunt, quoniam, cum ea arbor Mediæ propria esse dicatur Georg. II. 126. nondum ea *silvestris* Italiæ *arbor* esse potuit. Ea, quæ Galli *Oranges* appellant, veteribus plane ignota. Martinus, *poma Punica*, seu *granata*, significari non temere contendit. 72. Certat cum Theocr. V. 132—135. 73. *Partem aliquam* n. eorum, quæ locuta est, *o venti*, etc. Vota irrita, et verba ac promissa, quæ ad nihilum recidunt, noto loquendi more ferre venti dicuntur. Jam pastor ex omnibus iis blande dictis ac promissis partem saltim ratam esse et eventum habere precatur: dum addit *divom referatis ad auris*. Variavit Theocriteum VII. 93. τά πυ καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα. Burm. ideo eum velle ait ad deorum aures promissa illa pervenire, ut puellæ perfidiam ulciscantur. 75. *ego retia servo;* ferebat mos, ut hoc esset obsequii genus. ut vero, uti nonnullos accipere video, pericula sibi cum eo communia esse velit, id ex nostrorum hominum elegantiis est. Scilicet hoc vult pastor, obsequium suum fructu carere, cum puer venationi intentus sit; non suo amori. Cæterum hæc a pastoris persona ne aliena sint, vereor.

76 Intelligenda est Phyllis fuisse sive serva sive amica Iolæ; quam Damœtas, quasi præsentem, ad sacrum natalitium venire jubeat: alter, Menalcas, ut ejus dictis obtrectet, se etiam amari ab ea dicit, quia se discedente fleverit, ac, tamquam ipsi comes adhæsura, Iolæ amatori valedixerit: *Longum vale, vale, o formose Iola.* Hac ipsa interpretatione sententia de h. l. nostra satis intelligitur. Ea certe ratio unice ferri potest. 77. *Cum faciam vitula pro frugibus.* Sacrum ambarvale. Georg. I. 345. *facere pro fr.* ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν Iliad. α, 444. 79. *Longum vale,* μακρὰ χαῖρε, Claud. Rap. Pros. 234. *Sis memor, o, longumque vale.*

80 Secundum Theocritea illa Idyll. VIII. 57. sqq. 82. *depulsis hædis*, h. a lacte remotis. Ecl. VII. 15. cf. ad I. 22. *arbutus*, in

DAMŒTAS.

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

MENALCAS.

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.

DAMŒTAS.

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mœvi;
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.

Italia valde frequens et obvia arbor, fructum habens fragis similem, ut tenuiorum victus esse possit. Frondes ejus ac folia grata capellis, vid. Georg. III. 300. Horat. Carm. I. 17. 5. quæ iisdem a lactis materni desiderio levantur. Calpurn. Ecl. II. 47. *novas ut carpere frondes Condiscant—Ne depulsa vagos quærat fetura parentes.* 83. *Salix* vid. Ecl. I. 79.

84 *Pollio* gratia apud Augustum, amicitia M. Antonii, ingenio, tragœdiis, studiisque suis in Virgilium Horatiumque notissimus. cf. Horat. Od. II. 1. Ei alter, tamquam judici carminum suorum intelligenti et eleganti, vitulam, alter, tamquam poëtæ nobili, juvencum decernit. Non vero in alterutro horum munerum argutandum, sed res simpliciter ad amœbæi carminis naturam exigenda est, cum, quod primus posuisset, alteri amplificandum et augendum esset. Cum itaque ille judicem carminum et vitulam posuisset, hic poetam et juvencum commemorat simpliciter, ut hoc et judicii et ingenii præmium esse debeat. Quod vero *lectorem* carminum memoravit, parum acite fecisse et personam in hoc pastoris male sustinuisse videri debet Maro; Pastor canit carmina et auditur ejus cantus: non vero scribit carmina et legitur. 86. *nova carmina*, h. præclara, qualia nunquam ante facta, ut Horat. Od. I. 26. 10. *fides novas* dixit. Pollionis autem laudem ex tragicis studiis tenemus ex Horat. Carm. II. 1. 9. 10. Serm. I. 10. 42. *Pollio regum facta canit pede ter percusso*, h. tragœdias scribit senariis.

88 *veniat, quo te quoque gaudet.* Quod primum occurrit, est, ut suppleas, *pervenisse*; utque ad felicitatem omnino referas, quam apprecetur ei, qui Pollioni faveat. Cum quo convenit v. 89. in quo adeo aurei sæculi felicitas exprimitur: v. Ecl. IV. 30. 25. Si tamen Menalcæ verba compares, et, quem expressit Maro, locum Theocrit. I. 20. *καὶ τᾶς βουκολικᾶς ἐπὶ τὸ πλέον ἵκεο Μούσας*, apparere arbitror, hoc, *quo te quoque gaudet* pervenisse, esse referendum ad cantus facultatem; illi, tam bonum poëtam contingat esse, quam Pollio est; ut contra, qui Bavium non odit, tam malus judex carminum esto, ut Mœvium probet. 89. Adumbratur ad ductum Theocr. V. 124. sq. *Amomum* fruticis genus indici, quod tamen quale fuerit parum constat. Salmas. ad Solin. p. 284. amomum fere de omni aromate sincero dictum docet. 90. Nihil his, quæ alter subjicit, cum Pollione commune esse, aut huic Bavium opponi, censendum est; sed, cum iste bonum poëtam laudasset, ipse malum memorat, ejusque studiosis mala maxima precatur, n. amare Mœvium, pejorem etiam poëtam etc. Creditur idem esse quem exagitat Horat. Epod. 10. 91. *jungat vulpes* ad arandum.

DAMŒTAS.

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

MENALCAS.

Parcite, oves, nimium procedere; non bene ripæ
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.

DAMŒTAS.

Tityre, pascentis a flumine réice capellas;
Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

MENALCAS.

Cogite ovis, pueri; si lac præceperit æstus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMŒTAS.

Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori, pecorisque magistro.

MENALCAS.

His certe neque amor caussa est; vix ossibus hærent.
Nescio quis, teneros oculus mihi fascinat agnos.

DAMŒTAS.

Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat cœli spatium non amplius ulnas.

93—95 *Frigidus anguis* dictus ex natura horum reptilium: sic et Ecl. VIII. 71. *Parcite*, cavete, nolite, *oves, nimium procedere*; o oves, ne procedite: ex Gr. φείδω πρoσλθεῖν. *non bene creditur*: Horat. II. Serm. 4. 21. fungis—*aliis male creditur*. Adumbrata autem hæc ex Theocr. V. 100. etc.

97 Ex Theocr. V. 146. 98. *Cogite* ad umbram et frigus captandum. *præcipit lac æstus* siccato ubere.

100 *Ervum* leguminis genus, bubus jam olim pastum dari solitum, ut ex Columella docent Intpp. Versus expressus ex Theocr. IV. 20. ut 102. ex IV. 15.

104, 105 Simpliciter intelligam cujuslibet loci puteum, in quem cum quis descenderit, tantum cæli prospicit spatium, quantum puteus patet, h. e. putei latitudo permiserit.

MENALCAS.

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores; et Phyllida solus habeto.

PALÆMON.

Non nostrum inter vos tantas conponere litis:
* Et vitula tu dignus, et hic: et quisquis amores *
* Aut metuet dulcis, aut experietur amaros. *
Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt.

106 Nota res de hyacintho, de quo sup. ad Ecl. II. 18. in cujus foliis passim litteras AI inscriptas, sive ut Αἴ, Αἴ, *heu! heu!* quæ Apollonis de Hyacintho lamenta adumbrarent, sive ut Αἴαντος s. Ajacis nomen expressum esset, veteres memorabant. Cf. Ovid. Metam. XIII. 398. *Reges* duces Græcorum voce Homerica. Apud Ciceronem Agamemnon *rex regum*. 107 *Phyllida*, quam uterque amicam sibi vindicarat. v. 76. sq.

108 *Non nostrum* scil. est. Servius tamen contendit interpungendum esse: *Non*: quasi interloquatur Judex, *non, non habebit Phyllida* etc. *nostrum est, arbitrium ferre*. Sed hoc durum: nec satis potest confirmari ex Theocr. V. 138. παύσασθαι κέλομαι τὸν ποιμένα.

109 *et quisquis amores*, etc. Ut hæc verba per se sensum satis obvium habeant, non tamen, quid ad reliquam sententiam faciant, ab ullo interprete monitum aut dictum est, neque unquam dici posse, existimo. Referre interpretum commenta nil attinet; frigere enim ea cum ipso carmine necesse est. Verum Palæmon ejusmodi arbitrium facit, ut utrumque parem esse dicat, ut adeo alter, Menalcas, *vitula*, ab Damœta in sponsione posita, Damœtas autem *poculo* fagino Menalcæ dignus videri debeat. Jam, quorsum reliqua hoc et seq. versu spectent, non facile dicas; neque quicquam ex Calpurnio Ecl. II. 99. divines, ubi hæc adumbrat: *Este pares et ab hoc concordes vivite; nam vos Et decor et cantus et amor sociavit et ætas.* Melius Theocr. VI. extr. Νίκη μὰν οὐδ' ἄλλος, *vicit neuter*, ἀνάσσατοι δ' ἐγένοντο. Meliorem quoque viam iniit Popius *Pastoral.* I. 92. sqq.

111 *Claudite jam rivos*. Exisse Palæmon intelligendus, ut servis suis imperaret, ut rivos seu canales ad irriganda prata aperirent; interea a Menalca et Damœta arbiter advocatus, nunc, finito certamine, ad servos suos iterum se convertit.

ECLOGA IV.

POLLIO*.

ARGUMENTUM.

In hac Ecloga interpretanda dici vix potest, quam inanem operam et olim Grammatici et hinc viri docti vana religione capti navaverint.

Carmen bucolicum ad Consulem, quem v. 11. *Pollionem* nominat, se exorsurum esse profitetur Maro: 1—3. Agi nunc ultimam ætatem a Sibylla memoratam: Inde melioris ætatis vitam humano generi redituram esse pronuntiat, idque eventurum esse puero aliquo nato, in Pollionis quidem Consulatu 4—14. Ille adscriptus erit heroibus, et orbis terrarum pacati erit regnator 15—17. Jam vero melior illa ætas, ætati aureæ ac Saturniæ similis, per gradus succedet, ita ut puero nato exordia, 18—25; incrementa vero sua habitura sit, quando ille adoleverit, 26—36; cumulata autem ut sit et perfecta ab omnibus partibus, ubi ille ad virilem ætatem pervenerit: 37—45. Reliqua sunt exultantis lætitia et vota facientis ac gratulantis poetæ: 46 ad fin.

Jam in his facile agnoscas primo poetam phantasmata ab aureæ ætatis narrationibus petiisse: tum vero, eum illa cumulasse in certo aliquo sui temporis eventu declarando, quem paulo obscurius designavit, quoniam in vaticinium rem mutavit, adeoque vaticinantis verbis et phantasmatibus sensa sua exposuit. Summa sententiarum hæc est, insequuturam esse temporum felicitatem magnam; eamque initium habituram esse a natalibus pueri, Pollione Cos. nati. Quinam ille puer fuerit, et quid poetam adduxerit, ut tantam rerum conversionem eo nato insequuturam polliceri possit hoc est quod quæritur.

Potest novi sæculi felicitas, ex pace Brundusiana ducta, simpliciter tanquam epochæ alligari natalibus pueri qui tum expectabantur. Fuit enim annus U. C. 714. Coss. C. Asinio Pollione et Cn. Domitio Calvino, ut ex v. 11. 12. patet. Eo itaque anno Mæcenatis et Pollionis opera Brundusii pax composita fuit, cujus quasi pignus Octavia, Octaviani soror, Antonio in matrimonium tradita est. Erat ea ex priore marito, Marcello, gravida, id quod disertis verbis Dio memorat, Lib. XLVIII. c. 31. infantem illum M. Marcellum, generum mox Augusti, de quo Æn. VI. locus nobilis est, fuisse putant.

Etiam Lowthius Summe Ven. Episc. Londin. Prælect. XXI. erudite de hac ecloga agit, eamque omnino expediri posse negat, nec multum abest quin sibi persuadeat non sine veri Dei afflatu eam scriptam esse: Contra quam sententiam disputatum est nuper singulari libello, a viro docto, *Sam. Henley*. Si quis tamen animo reputet, aliorum quoque populorum, præter Judæos, vates et vaticinia olim fuisse permagno numero; eorum porro vatum ingenia non minus incaluisse phantasmatibus et visis poeticis, seu poeticum ornatum admittentibus: quotiesque in eodem argumento seu calamitatum prædicendarum, seu felicitatis publicæ privatæque ostendendæ versarentur, necessario in eadem rerum phantasmata eos incidere debuisse: non adeo mirabitur, adumbratas esse in hoc carmine, ut in tot aliis rerum species ac formas ex ætate aurea iisque similes, quæ in Hebraicis vatibus occurrunt; ut illud taceam, in magno illo Sibyllinorum oraculorum numero, multa esse debuisse a Syris et Judæis hominibus propagata.

Sicelides Musæ, paullo majora canamus;
Non omnis arbusta juvant humilesque myricæ;
Si canimus silvas, silvæ sint Consule dignæ.

1 *Sicelides Musæ*, Pastoritii carminis præsides, Theocriteæ, omninoque bucolicæ. Σικελὸν μέλος Bion Idyll. VII. 1. Σικελικαὶ Μοῖσαι Moschus Idyll. III. Paullo altius se pro bucolico carmine aggredi argumentum bene præfatur. Idem genus bucolicum porro *arbustis*, *myricis*, et *silvis* exprimit. *Myrica* virgulti genus in Italiæ oris, quod ripas fluminum obsidere solet. *Tamariscum* esse docent post Julium Sabinum viri docti. 3. *silvæ sint consule dignæ*, sit carmen hoc bucolicum satis ex dignitate Pollionis Cos.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo; redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te Consule, inibit,
Pollio; et incipient magni procedere menses.

4, 5 Agitur jam ultima ætas carminis Sibyllini; iterum procedent sæcula, quæ fuerunt: 6. 7. Adeoque redit nunc primo loco sæculum Saturnium, et cum eo hominum genus, quale sæculo illo aureo fuit. Itaque v. 8. 9. subjicitur: puero nato ferream ætatem desinere, auream exoriri. Hæc sunt ipsa poëtæ phantasmata, si nihil aliunde adsciveris. Igitur carmen tum supererat, quod ad Sibyllam Cumanam referri solebat, in quo, ubi *ultima ætas* advenisset, quam de sua ætate interpretatur poëta, meliorum temporum ordo, per ἀποκατάστασιν aliquam, denuo procedere nuntiabatur; Nam, *Cumæum carmen* de *Hesiodeo*, a Dio ejus patre, Cumis oriundo secundum Valerium Probum, Grammaticum, intelligere non licet. Nihil enim in illo de revolventibus se ac redituris ætatibus melioribus occurrit. Quot ætates Sibylla constituerit, ex h. l. non constat. Etiam in retracto ætatum cursu mox tantum memoratur melior seu aurea ætas, sua exordia, incrementa, et ἀκμὴν habens. Si quem vero illud male habet, quod, cum Cumanæ Sibyllæ libri in Capitolio servarentur, nihil ex iis a poëta sciri aut vulgari potuerit: tenendum est, auctoritate Senatus, qua quidem talia agi fas erat, multa passim ex libris Sibyllinis vulgata, et præterea magnum effatorum Sibyllinorum numerum, undecunque acceptum et ex cunctis gentibus apportatum, vulgo inter homines jactatum fuisse. v. Argumentum. 6. *Virgo*, Δίκη, Justitia, ut Hesiod. Ἔργ. 256. Nota res vel ex Ovid. Met. I. 149. et Ge. II. 414. Hesiod. Ἔργ. 200. *Saturnia regna* ut Romanus poëta laudat: Græci tamen et auream ætatem ἐπὶ Κρόνου memorant: Hesiod. l. l. 109. seq. Attigit noster eandem Georg. I. 125. sq. II. 536. sq. 7. *nova progenies*, novum hominum genus, nova successio, nascitur, νέα πλησὶς ἀνδρῶν, h. meliores et justiores, ut in novo rerum ordine et aurea ætate. Eadem mox vs. 9. *gens aurea*. Hesiod. O. et D. 109. χρύσεον γένος; μερόπων ἀνθρώπων. Non igitur ad puerum referri hoc potest; qui ab ea discernitur. *demitti cœlo* simpliciter esse nasci statuas ex v. 8. 9. *surget*, procedet, ortum et initium habebit hoc puero nato.

10 *tuus jam regnat Apollo.* "Ultimum sæculum ostendit, quod Sibylla Solis esse memoravit." *Serv.* Fabricius Bibl. Gr. I. 30. § 14. multa quidem docte contra disputat, ipse tamen multo molestiorem rationem proponit, ut et omnes cæteri interpretes. Si subsequentibus temporibus scriptum esset carmen, ferrem sane *Apollinem* pro *Cæsare* dici; namque deus erat Cæsarum tutelaris; habitabat Augustus in Palatio ab 718. inde. et Apollinis filius existimatus fuit. Occurrit quoque Apollo et Sol in numis. Verum eo tempore, quo hæc Ecloga scripta est, honores illi in Cæsarem nondum erant cumulati.

11 *decus hoc ævi*, præclara hæc ætas. *inibit:* simplicissima esset ratio, ut *inibit* sit pro, cursum inibit, incipiet; eamque Servius et vulgo interpretes sequuntur. *Inire* quidem absolute ita positum non occurrere, bene monet Burmannus; participium tamen nunquam non ita dicitur: *ineunte anno, mense; ineuns ætas:* quidni etiam *annus ineat?* et eodem modo dictum *ingredi* pro incipere, ut Ge. I. 42. *ingredere.* Burmannus, ut ita jungamus, auctor est: *Apollo*, hoc est, Augustus (hunc fere intelligunt interpretes), *inibit decus hoc ævi, te, Pollio, Consule.* Melius subjectum esset sic ipse *puer nascens* (qui idem ex nostra ratione *Apollo* est), qui hanc præclaram vitam, hoc ævum, inibit. Videri aliis possunt verba, v. 12. *et magni incipient procedere menses*, quæ ad *novam progeniem* spectant, postulare, ut et illa *decus hoc ævi inire* putetur. 12. *magni menses*, illustres, insignes, memorabiles, ut v. 5. utpote sæculi aurei. Nimirum *magnus annus* est, utique hinc et *magni menses.* Quis, nisi apud Ju-

Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri
Inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam adcipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantis ederas passim cum baccare, tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

lium Sabinum e pleniore Servio legeretur, crederet, jam Asconium Pedianum libro secundo de prætura urbana putare potuisse, Virgilium intellexisse de Julio et Augusto, qui menses nomina tum de D. Julio et Augusto Cæsare acceperant.

13 *Te duce:* auspice, a tuo inde consulatu; expiabitur primo omne scelus, quo contaminatum est hoc hominum genus: scilicet ut sanctior et castior ætas succedere possit. *sceleris vestigia nostri:* belli civilis reliquias spectari, manifestum est. Nam perpetuum hoc, ut de bello civili ἄγος, *scelus*, prædicetur; Notum: *Cui dabit partes scelus expiandi. Quo, quo, scelesti, ruitis.* Nunc inprimis de illo tempore agitur, cum post Brundusinam pacem Sext. Pompeius adhuc maria Italiæ infestaret, et commeatu Romam intercluderet. Pax quidem etiam cum hoc paullo post apud Puteolos inita; verum, quod Rumus post hanc pacem Eclogam nostram scriptam arbitratur, unde scilicet tanto major aurei sæculi spes affulsisse videri posset, id propterea commode dici non potest, quia pax illa sequenti demum anno composita fuit; partus vero ille pueri adhuc eodem anno expectabatur, ut v. 11. et 61. Mox ornatus v. 14. pro eluentur, tollentur. 14. *Inrita*, abolita. *formido* est propter τὸ ἄγος et reatum ex scelere conceptum.

15, 16 *Ille deum vitam a.* aget vitam deorum, et inter deos heroesque. Adumbratum ex iis, quæ prædicantur de aurea ætate ὅς τε θεοὶ ἔζων, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες; Νόσφιν ἀπὸ τε πόνων etc. cf. Hesiod. Ἔργ. v. 112. sqq. Erat enim hoc inter aurei sæculi bona, ut dii præsentes inviserent homines. Ovid. Fast. I. 251. et passim. 16. *et ipse videbitur illis*, scil. permixtus iis, h. e. admixtus erit. ἀνεμίξ ἰκάθητο, Aratus Phænom. 104. quem ante oculos habuit. 17. *Pacatum orbem reget:* etiam hoc ex aurea ætate, quod in ea pacata omnia sunt: obscurius est, quod addit, *patriis virtutibus*, omnino, majorum: et ad hoc, tanquam ad scopulum offendit quælibet opinio de puero nascituro. Marcellorum quidem nomen in annalibus Romanis clarissimum: hactenus puer qui ex Octavia, Octaviani sorore, Marcello nupta, nunc autem Antonio desponsa, patriis virtutibus ornatus esse poterat: at quæ spes esse potuit ut ille *orbem regeret?* Non magis in puero ex Octaviano et Scribonia id locum habebat. Multo minus hæc cadunt in Pollionis, viri consularis, prolem. *Regit* orbem terrarum *populus* Romanus, regit postea *princeps*, at nec Senatus nec magistratus.

18 Felicitatis *aureæ* hujus *ætatis*, ex versibus forte Hesiodeis l. l. 130. sqq. suborto commento, *initia* cum pueritia procedere facit, *incrementa* vero cum adolescentia, cum virili tandem et perfecta ætate *vitam perfectissimam. nullo cultu*, uti omnia in sæculo aureo nascebantur, Hesiod. l. l. v. 118. καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον hic tamen, utpote in infantia ejus pueri, herbas tantum et flores sua sponte terra editos memorat; at fruges cum adolescentia v. 28. cum virili tandem ætate omne genus proventus terræ sponte nascetur v. 39. Ovidius adeo, *sine semine*, addit Met. I. 108. 19. *Baccar;* Plin. XXI. 6. s. 16. *Bacchar quoque radicis tantum odoratæ est; a quibusdam nardum rusticum appellatum.—Odor est ei cinnamomo proximus.* Formam Dioscorides satis accurate descripsit, sed, qualis illa sit, inter recentiores nondum constat. Fascinum depellere creditum esse, discimus inf. Ecl. VII. 27. 20. *Colocasium* s. *colocasia*, planta palustris Ægyptia, latissimis foliis, caule spectabili, quo quidem non minus ac radicis bulbo vesci solent; fabas esu gratas pro fructu habet: Circa hæc demum tempora in Italia seri cœpisse, ex Plinio colligere licet; non tamen post victam demum ab Augusto Ægyptum. Notissima etiam nunc hæc planta est inter Ægyptios nomine *Culcas. Acanthus* h. l. est Ægyptia arbor, Acaciæ genus. Cf. ad Ecl. III. 45. *ridens* est florens, pulcher; notissimo usu vocis *ridere*, γελᾶν, γάνος, γανᾶσθαι et similium, etiam in vernaculo sermone.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera; nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
At, simul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus;
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva;
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

21—25 *Ipsæ*, sponte, nullo ducente, ut satis notum. Sic *αὐταὶ* pro *αὐτόματοι* Theocr. Idyll. XI. 12. et mox v. 23. *ipsa cunabula.* quod ex his flores sponte nascuntur, ductum est ex iis, quæ de deorum præsentia et *ἐπιφανείᾳ* passim narrantur: tellurem sub eorum gressu et obtutu virescere ac florescere. 24. *herba veneni*, Græco more pro venenata; eadem *fallax*, ut Georg. II. 152. *nec miseros fallunt aconita legentes. Occidet*, verum ut *herba moritur*. 25. *Assyrium—amomum:* quod genus fruticis aromatici est. v. ad Ecl. III. 89. *Assyrium* vero, cum Armeniæ et Mediæ ea planta esset.

26, 27 Ubi adoleveris. Hoc splendide enuntiatum. *heroum laudes* sunt facta laude digna, ut *κλέα ἀνδρῶν ἡρώων* apud Homer. Iliad. χ, 520. *Parens*, cujus *facta* legere poterit, aut ipse Octavianus est, si de Scriboniæ puero agitur; aut si, de Octaviæ partu, C. Marcellus; cujus tamen virtus cum parum nobilis et celebrata sit, arripienda foret conjectura, a Martino ad v. 15. proposita, ut forte infans ille ab Octaviano adoptatus, aut certe in pacis conditionibus aliqua ratione ei insigniter prospectum fuerit. Cum tamen et hujus rei fides laboret, altera lectio: *facta parentum* h. majorum, tamquam tutior amplectenda erit. 27. *quæ—sit virtus*, pro, virtutem cognoscere: frequenti poëtarum, inprimis Homerico, usu. Nimis argute ad philosophiæ disciplinam trahunt.

28—30 Ubi puer adoleverit, major jam terræ cultus et felicitas erit (conf. ad 18.); nascentur sponte fruges, uvæ, mel. Quod *sponte* hæc fiunt, ex omni consilio poëtæ manifestum: etsi non satis diserte expressum est. Disertius Horat. Epod. 16. 43. *Reddit ubi Cererem tellus* inarata *quotannis, Et* imputata *floret usque vinea; Germinat et nunquam fallentis termes olivæ*, etc. Hæc ornate extulit. *Mollis arista* quo sensu dicta sit, ambigitur: communi usu et ratione erit, quæ adhuc est in herba, gramen tritici, herba. Sic Seneca Epist. 124. *cum folliculo se exserit spica mollis.* Ita *arista* improprie dicta. Atque ita poëtam sensisse nullus dubito: nova segete sponte enata paullatim ager efflorescet. Si vero *aristam* proprie dictam contendas, ut sit spica frugis jam adulta et firmata, quandoquidem *flavescet* adjectum est, tum in epitheto *mollis* hærebis; et aut accipiendum erit, ut sit lævis: cum nunc grana tenuibus quibusdam et acutis acubus, tamquam vallis, obsita sint, novo miraculo aristæ tum erunt glabræ; aut *molles* erunt teneræ, quod aristarum epitheton Æn. VII. 809. habetur: *nec teneras cursu læsisset aristas.* Ita *molles* h. e. teneræ *aristæ*, ut *mollis acanthus, mollis juncus, molle siler.* 30. *sudabunt*, stillabunt, eliquabunt. Videntur antiqui hoc ætatis aureæ bonum dupliciter extulisse, ut aut mel, quod in quercubus apes faciunt, tam copiosum esset, ut in terram deflueret; aut ut folia ilignea mel eliquarent et sudarent pro glutine, quod nunc illa folia certis temporibus obsidet. Sic Ovid. Met. I. 112. Georg. I. 131. *mellaque decussit foliis*, de Jovis ætate; et hunc in sensum dictum h. l. quare et *roscida mella* accipio, quæ roris more per folia guttatim se colligebant. Ejusmodi mel ex certis arboribus, v. c. palma, in Media, Arabia, variisque Asiæ locis legi memoratur. Esse id *ἄγριον* illud *μέλι*, quo Joannes usus est, putant nonnulli, et sub *Mannæ* nomine ex Suida complexus est Salmas. in Diss. sua de Manna. Apud Constantinum l. l. *Σκληρῶν δὴ πεύκης λαγόνων μέλιτος ῥέε νᾶμα* ex priore ratione exponitur: *Duris ex picearum truncis mellis latex fluxit.* Transtulere poëtæ hoc idem naturæ miraculum ad prodigia et miracula, quæ in Bacchicis initiis jactabantur, ut dei præsentia mella passim defluerent arborum truncis. Horat. II. Carm. 19. 11.

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet et ipse mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.

31—36 *Pauca tamen.* Heroum erit hæc ætas, nondum illa Saturnia: ad quam per istam exactam rerum orbis redibit. Enarrat adeo poëta illa, quæ ab heroica vita non abfuere. *vestigia fraudis*, sceleris, πρωτέρας ὄτης, ut 13. *sceleris vestigia nostri*, h. mala et vitia nonnulla, ex serioribus ætatibus inolita, quæ cum Saturniorum temporum simplicitate et innocentia non satis conveniunt; ut navigatio, urbium munitio, aratio; quæ omnia cum adulta pueri ætate cessabunt v. 37. Cum in vate versemur, interpreti subsistendum in hoc phantasmate poëtico; nec quærendus eventus, qui respondeat. Magis argute itaque quam vere ad res ejus anni referas, quod post Brundusinam pacem metus de Sexti Pompeii classibus adhuc supererat, quem annus sequens pace Puteolana sublatum vidit. 34. Indulget sibi poëta, ea, quæ heroicis ætatibus evenisse narrantur, commemorando; Argonautarum scilicet navigationem, et Achivorum ad Trojam expeditionem.

37—45 Cum virili ætate perfectum ab omni parte redibit sæculum Saturnium, aurea ætas. Ab hac itaque aberunt omnes pestes et mala vitæ, quæ per cupiditates hominum inferuntur. Contra omnium rerum ubique per terrarum orbem copia erit summa, *omnis feret omnia tellus*, ut navigatione externa bona ne petere quidem necesse sit. Nulla adeo erit navigatio v. 38. 39.; erit contra frugum omniumque e terra nascentium proventus sine cultu 40. sqq. quæ est perpetua laus ætatis aureæ, ex antiquo sermone petita. Quid? quod adeo loquendi mos invaluit, ut etiam populi, qui justitiam colit, vita eodem modo redhibeatur ab Hesiodo Op. 232. sq. 236. 237. Ad v. 38—40. nulla opera humana indigebit ager. Genus operæ in vitium cura est amputatio, v. ad I. 57. II. 70.

42—45 Novum ac mirum phantasma in vaticinio! pecudis color nativus erit purpureus, croceus, ac roseus. Hoc ita declaravit, ut tingendi necessitatem abfore dicat. *Mentiri lana* dicitur, dum fucum imbibit, alieno colore tingitur. Ad Etruscam disciplinam referre hoc vult cum Servio Grammaticus ap. Macrob. III. 7.; ex ea enim: *purpureo aureove colore ovis ariesve si aspergatur:* principi generis claritatem significari. Potest hoc ita se habere; potuit tamen nec minus poëtæ satis esse, ut lanæ pulchritudinem in gregibus inter fausta et læta adspectu aureæ ætatatis numeraret. 44. *mutabit vellera luto*, permutabit, adeoque tinget, inficiet, naturalem velleris colorem *ipse*, sponte, naturæ beneficio, non opera hominum, purpura et luto, ut naturalis color jam purpureus sit et aureus. *Luteum* seu *lutum*, ac *lutea*, herbæ genus, qua tincta lana flavo et croceo colore inficitur. *Sandycem* v. 45. a Virgilio pro herbæ genere habitam esse, post Plinium XXXV. 6. credunt Interpretes; de natura tamen coloris nihil dixit poëta; coloris tantum genus indicare voluit, quo vellus ovillum splendeat: ut sandyx sit color sandycis, et ornate dixit, quod erat; habebunt agni vellus rubrum nemine tingente. Est vero coloris seu pigmenti ge-

Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
Adgredere o magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara deum suboles, magnum Jovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum;
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum;
Adspice, venturo lætantur ut omnia sæclo.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adsit:

nus ex metallo; interdum etiam factitium, ex sandaracha tosta et rubrica æqua parte admixta: ut ibid. Plin. quo rubeus color efficitur. Constantini Interpres l. l. c. 20. *purpuream Sandycem* appellat: Σάνδυκι πορφυρέη λάχνην φυπόεσσαν ἀμείβειν.

46, 47 Dixerunt Parcæ suis fusis: *O talia sæcla, currite!* pro vulgari: o fila. Pro filo ex colo deducto fata sunt, seu sæcla: hæc neri dicuntur; ut apud Homerum toties ἐπικλώθειν fata alicui destinare, nendo scil. Ἀλλ' οὔ μοι τοιοῦτον ἐπέκλωσαν θεοὶ ὄλβον. Habuit autem, quod jam Macrob. VI. 1. vidit, Maro ante oculos Catull. LX. 320. sqq. ubi est *Currite fusi. Sed vos, quæ fata sequuntur, Currite ducentes subtemina, currite, fusi.* Tum 47. *Concordes stabili fatorum numine Parcæ. fata* sunt *stabilia*, immutabilia, iisque *numen* h. vis et potestas æque ac voluntas divina tribuitur. *Parcæ concordes fatis*, h. in fatis hominum rerumque definiendis et constituendis. Solent autem poëtæ modo in nuptiis modo in natalibus Parcas, Μοίρας, adhibere fata canentes.

48—52 Dicere hæc ἐνθουσιῶν de puero, jam ad virilem illam ætatem adulto, existimandus est poëta, impatienter ferens moram, et jam animo providens præsagia ac prodigia, quæ magnam rerum mutationem portendunt. 49. *magnum Jovis incrementum*, alumnus et nutricius, θρέμμα Διός, διοτρεφὴς, ut: Jove natus. cf. Cerda. 50. Eorum, quæ sequuntur, ambigua est et structura et sententia: Potest prior versus: *Adspice convexo nutantem pondere mundum* per se accipi tanquam phantasma propheticum seu visum prodigii, quod instantem rerum inversionem portendit: universi terrarum orbis motus ac tremor. *mundus nutans convexo pondere* ornate dictus pro: mundus convexus, cælum convexum, nutans: bene tribuitur cælo moles, pondus, inprimis in motu. *Nutat* autem et concutitur orbis terrarum, tamquam adventu et apparitione numinis, quod in ἐπιφανείαις deorum fieri sollenne est. Quæ sequuntur, cum antecedente jungere licet, *ut et ipsa terra, mare, cœlum, nutent;* utque subjiciatur sic ad declarandam caussam: *adspice ut omnia lætantur venturo sæclo*, instante magna illa rerum inversione. Ita *nutatio mundi* futuri lætum ac faustum signum habendum. Quemadmodum in dei præsentia terra moveri ac contremiscere et quasi exultare ac tripudiare solet: quod adeo ad deum agrestem Horatius retulit, III. Carm. 18. 14. *Spargit agrestes tibi silva frondes*, haud dubie nutantibus cacuminibus. Alter modus jungendi verba est, ut unicum prædicatum sit: *Adspice, ut lætantur omnia:* et ut in enumeratione partium mundus ornetur: *convexo nutantem pondere mundum*, h. e. simpliciter libratum mole sua æqualiter. Est vero sic Græca structura: *Adspice mundum, terras* etc. *ut lætantur*, pro: aspice, ut mundus etc. omnia lætantur. Et vastæ utique cuivis moli ac ponderi tribui hoc potest, ut *nutare* cum vi et δυνάμει dicatur, ut de ruina tamen aut dissolutione nihil significetur. Sic *rami pondere nutant* apud Ovid. Art. II. 263. Nec aliter acceperat Constantini Interpres. Quo minus hanc interpretationem præferam, movet me, quod ita *mundus* et *cœlum* 50. 51. non bene discerni possunt.

53—59 *O mihi tam;* adumbratum ad Hesiodi ductum l. l. 174. sqq. Sit mihi tam longa vita, cumque ejus non nisi extrema pars ea tempora attingere possit, pro eo dixit: *longæ pars ultima vitæ*. 54. *Spiritus*, ingenii vis vigorque poëticus: et mihi sit tantus, quantum ejus spiritus sat erit ad facta tua dicenda. 55. *Non me c.* Tanta erunt tua facta; tanta erit, tamque magnifica ac divina materia tuæ laudis, ut ingenium meum ab ea excitatum, inflammatum et diviniore spiritu

Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem;
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer; cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

actum, supra omnes excellere, et ipsos deos canendo vincere possit. 56. *adsit*, uti invocati dii adsunt, opem ferunt, favent poëtis.

60—63 *Incipe, p. p. risu cognoscere matrem*, vulgari ratione esset: nascere, puer! nam decimus jam mensis agitur, justumque adeo matri utero ferenti tempus expletum. Omnia hæc ornavit, ut poëta: cum decem menses memorat, *fastidia* addit, cum temporis hujus decursu satis jam magna oneris sui tædia ei sint. Exprimit porro rem a signo valde jucundo, a voluptate et lætitia matris, cum qua recens natum infantem intuetur; ut eo risu se quasi matrem probare videri possit. Vix dici potest, quantum h. l. trepident interpretes, qui ab antiquissimis inde temporibus (verum tamen Julius Sabinus vidit) ad risum pueri matri arridentis hæc retulerunt. At hoc non admittunt seqq. *cui non risere parentes:* Scilicet poëta volebat: incipe in dias auras prodire, et oculos in matrem conjicere, eamque quasi ex hoc, quod tibi ea arridet, agnoscere. Poëticum sensum ad talia afferre necesse est. 62. *cui non risere parentes, Nec.* Exprimit id, quod jam dicendum erat: risum hunc matris ad puellum natum lætitiam matris arguere, eumque expectandum esse ei puero nato, qui matri gratissimus sit, quippe qui aliquando inter heroes et deos locum sit habiturus: a contrario; quæ conversio rationi poëticæ valde consentanea est. Quem infantem recens natum tali cum risu non excepere ulnis suis parentes, adeoque de nato puero non lætati sunt, est is ingratus et invenustus homo, adeoque ad deorum vitam et consortium admitti non potest, quod puero promiserat vs. 15. Conveniret adeo in eum, quod Pindarus ait Pyth. β, 80. *γόνον οὔτ' ἐν ἀνδράσι γερασφόρον, οὔτ' ἐν θεῶν νόμοις*, de Centauro Ixionis f. aut quod apud Homerum est, *θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε* Odyss. γ, 28. Designari autem recepti inter deos herois vita duabus rebus solet, convictu cum Jove et deæ alicujus conjugio. Sic de Hercule Horat. Od. IV. 8. 30. *Jovis interest optatis epulis*, idemque Heben conjugio accipit. cf. Virg. Georg. I. 31. Hæc interpretatio uti simplicissima, ita verissima est. Ad Vulcanum hactenus respici potest, quod, cum ejus deformiter nati aspectu Juno parum delectata fuisset, ita ut eum de cælo præcipitaret Hymn. in Apoll. 316. sqq. exclusus ille est (ad tempus certe, nam aliis locis in consilio Jovis nominatur) deorum consessu et convivio, et a dea Minerva spretus, cujus ille conjugium appetierat.

ECLOGA V.

DAPHNIS.

ARGUMENTUM.

Convenerant Mopsus et Menalcas, pastores, ille fistula, hic cantu excellens, et se ad canendum mutuo invitant 1—19. Postquam sub antrum concesserant, prior Mopsus 20—44. Daphnidis mortem luget; inde Menalcas succedens 56—80. ejusdem Daphnidis tamquam diis adscripti laudes persequitur. Mutuis hinc sibi muneribus datis discedunt. Carminis argumentum sunt *Daphnidis laudes*, nobile haud dubie in vetustis carminibus pastoritiis argumentum, ut ex nonnullis Theocriti inprimis Idyll. I. et VII. locis apparet. Fuit ille in herois loco inter pastores habitus; cantu ille nobilis et a Nympha amatus; hique ejus amores, fata, et mors pastoritiis carminibus celebrata et multis modis variata. Daphnis a Pane amatus Epigr. ap. Brunck. Tom. I. p. 15. Noster vero poëta argumentum pastoritium heroico generi propius admovit, idque ita tractavit, ornavit, et amplificavit, ut generosum poëtæ epici spiritum facile in eo agnoscas, quamquam singulæ rerum imagines et characteres ex antiquissimorum carminum indole et colore ducti sunt. Locus, in quo se conveniunt pastores, statim ab initio magna suavitate describitur: successerant antro agrestis vitis palmitibus obducto. Carmen ad annum 712. referri solet. Imitatione sequutus est hanc Eclogam Popius *Pastor.* IV. quem *nascentes poëtæ* cum ea contendent.

MENALCAS. MOPSUS.

MENALCAS.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
Hic corulis mixtas inter considimus ulmos?

MOPSUS.

Tu major; tibi me est æquum parere, Menalca:
Sive sub incertas Zephyris mutantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

1 *boni—inflare—dicere.* ἀγαθοὶ, ἰσθλοὶ, συρίζειν, ἀείδειν. Theocr. Idyll. VIII. 3. Ἀμφὼ συρίσδειν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδειν. *Convenimus* in unum locum. *Calamos leves*, ita junge ut sit fistula e tenui arundine facta. In vss. 3. 6. 12. color ductus ex Theocr. Idyll. I. 12. sqq.

4 *major* natu. Sic *maximus* absolute Æn. VII. 532. Quanto hæc jucundiora sunt Eclogæ tertiæ principio! Ἀλλὰ πίθεσθ'. ἄμφω δὲ νωϊτέρω ἐς τὸν ἐμεῖο Iliad. *a*, 259. 5. *mutantibus* (eas) *Zephyris* reddit rationem τῇ *incertas*, quod non pro vituperio umbræ haberi debebat, cum sit longe elegantissima rerum imago. Sic *umbræ tremulæ* apud Calpurn. Ecl. V. 101. 7. *labrusca* vitis silves-

MENALCAS.

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

MOPSUS.

Quid, si idem certet Phœbum superare canendo?

MENALCAS.

Incipe, Mopse, prior: siquos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.
Incipe; pascentis servabit Tityrus hædos.

MOPSUS.

Immo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi, et modulans alterna notavi
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas.

MENALCAS.

Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:

tris, ἀγχιάμπλων. Vitibus obductæ speluncæ, utpote quæ amœnitate se commendant, passim laudantur. Habent scilicet poëtæ ex Homeri splendida descriptione antri Calypsus Odyss. ε, 68. cf. 63. *raris* autem hic non urgendum; alias in vitio hoc esset, quod, rari sunt racemi; sed simpliciter notat naturam racemorum, sive uvarum, passim e palmitibus per antri ostium serpentibus pendentium, ut adeo per intervalla dies intret. Ita et Ecl. VII. 46. *Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra.*

9 *Quid, si idem certet.* Aut dictum hoc cum sensu modestiæ, ut Amyntam unum omnes superare dicat; aut est invidiose dictum: ut pungat pastorem laus æmuli, eamque adeo ille elevet, ut ex audacia potius, quam artis confidentia, certare eum cum melioribus significet. *Hoc eum audere, ut se mihi æquiparet, mecum certet, nihil mirum, cum idem ille satis temerarius sit, ut vel cum diis congrediatur.* Firmes hoc ex v. 15. *tu deinde jubeto certet Amyntas.* Apud Theocritum dictum est sine obtrectatione et invidia IV. 8. φαντί νιν Ἡρακλῆι βίαν ἢ κάρτος ἐλέσθαι.

10 Ex Theocr. I. 19. sq. Nil nisi nota aliqua pastoritiorum carminum argumenta h. l. memorari et vulgaria pastorum nomina recitari puta. Male hic aut Phyllis a Demophoonte amata, aut Codrus, Athenarum rex, nominaretur. De Codro pastore infra quoque VII. 22. 26. 11. *jurgia Codri*, carmen respiciunt, quo is cum alio pastore cantu contenderat. Ita Ecl. III. inscribi posset: Jurgia Damœtæ et Menalcæ.

14 *alterna notavi*, per alterna, alternatim canens versiculum, et eundem mox incidens in corticem. Etsi non levis opera esse debuit, totum hoc, quod sequitur a v. 20. carmen incidere cortici. 15. Vid. Theocrit. V. 92—95. 17. *saliunca* herba ignota, forte *nardus Celtica*. vid. Martin. Julio Sabino genus virgulti asperi est.

Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

MOPSUS.

Sed tu desine plura, puer; successimus antro.
Exstinctum Nymphæ crudeli funere Daphnin
Flebant: vos coruli testes et flumina Nymphis:
Quum, complexa sui corpus miserabile gnati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis adtigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum montesque feri silvæque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subjungere tigris
Instituit; Daphnis thiasos inducere Bacchi,

20 Luctus super Daphnidis, antiqui istius pastoris Siculi morte, quem poëta nunc carminis argumentum facit, satis declarat lusum ingenii, non verum affectum et sensum ex funere vero. Itaque luctus declaratur phantasmatibus antiquorum poëtarum: sentire eum et armenta et feras 25—29. et ipsos agros ac pratra 35—39. Mater ejus fuit Nympha, a Mercurio oppressa. *crudeli funere*, simplic. acerba morte. 23. *astra vocat crudelia:* h. invocat, inclamat, deos et astra incusat. Jejunum est, quod vulgo aiunt: dicit astra esse crudelia.

24 Non pastores præ luctu armenta ad pascendum, et post pastum ad flumina egerunt. Adeoque ea fuere impasta per eos dies. 26. *graminis herbam* puta hic et Ovid. Met. X. 87. Liv. I. 24. dictam esse, ut *cytisi, loti,* herbam, nempe cum de virenti germine fruticis cujuscunque agitur; nisi noto poëtarum more pro herba graminea dictum malis, cum *gramen ipsum inter herbas vulgatissimum sit:* Plin. XXIV. 19.

28 *Montesque feri silvæque loquuntur.* Montibus et silvis vocem dari, satis notum est; et si *ingemuisse montes silvasque* dixisset, aut *queri*, aut *loqui*, eodem, cum isto, sensu, nihil offenderet: solet enim rebus inanimatis sensus adeoque et vox tribui: sic inf. 62. *Ipsi lætitia voces ad sidera jactant Intonsi montes; ipsæ jam carmina rupes, Ipsa sonant arbusta.* cf. X. 14. 15. Sed hic est: *montes et silvæ memorant, narrant, leones ingemuisse.* Nam pro *resonare* accipi *loqui* non potest, cum præteriti temporis rem *ingemuisse* indicet. Itaque dicendus est poëta paullo durius expressisse idem illud, quod ante dixerat *coruli testes et flumina Nymphis:* si sunt testes, si meminerunt, nunc etiam narrant audita. *Leones Afros* pastorem in Sicilia extinctum deflere vix poëta credi voluit; sed est epitheton ornans; ut mox *Armeniæ tigres* et supra *Cydonia mala, Sithonia nix;* et quod multo magis mireris Ecl. X. 59. *libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula.* Circumspectius hunc colorem servasse videas Moschum in epicedio Bionis, quod ante oculos habebat Virgilius, quum Daphnidem scriberet; uti Virgilium Nemesianus Ecl. I. 72—74. Sunt tamen leones sequentibus tigribus adjungendi, ut et ipsi a Bacchi leonum domitoris fabulis petiti et hic memorati sint.

29 Hæc et sqq. paullo abruptius posita, simpliciter eo interpretanda sunt, ut, ad augendas ejus laudes et amplificandam dignitatem, Daphnidem suum unum ex Bacchi commilitonibus et sociis fuisse fingat, qui sacra Bacchi instituerit inter pastores, atque adeo cærimonias in Liberalibus sollennes exhibuerit, inter quas Bacchi res gestæ inprimisque ad Indos expeditio repræsentari solebat. Quam convenienter hæc de Daphnide pastore narrentur, non dicam. Bacchum autem curru tigribus juncto vehi, innumeris monumentis constat. 30. *thiasos inducere Bacchi* accipio pro simplici *ducere* choros bacchantium, quales sæpe in anaglyphis et gemmis.

Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis; postquam te fata tulerunt:
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

MENALCAS.

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine; quale, per æstum

32 Ex Theocr. VII. 79. 34. Ornavit hunc luctum Moschus Idyll. III. 66. 34. *fata tulerunt*, abstulerunt. σὲ δ' ὠλομέναι κῆρες ἕλοντο Apollon. IV. 1485. Hom. Iliad. β. 302. οὓς μὴ κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι. 35. *Pales et Apollo* Nomius *agros reliquerunt*, deliciis suis, Daphnide inquam, sibi ereptis et ablatis, ut solitudinem agrorum fugerent. Summo cum affectu hæc ad jacturæ magnitudinem dolorisque gravitatem, dicta sunt. Cum ea tamen morte eorumdemque deorum discessu, agros summa sterilitas occupare debuit; itaque versuum sequentium sententia inde exoritur. 36. 37. In iis sulcis, quibus *hordea*, quod hic omnino pro quovis frumenti genere dictum, serebamus, *infelix lolium* (infecundum, ut contra *felix seges)*, et *avenæ*, vani culmi vitiosi frumenti nascuntur. 38. vid. Theocr. I. 132. sq. *purpureus narcissus*, a purpureo calyce. 39. *paliurus* fruticis spinei et rubi seu rhamni genus.

40 *Spargite humum foliis*, si proprie accipias, hoc non nisi de florum ac frondium sparsione per humum exponi potest. Horat. Od. III. 18. 14: *Spargit agrestes tibi* (Faune) *silva frondes*. Fieri hoc putandum est in honorem Daphnidis. *inducite fontibus umbras*, multo magis vagum et indefinitum est: sive sic accipias, ut arbores ponantur circa fontes, sive ut rami frondentes. An vero hoc circa omnes fontes fieri debet, et quorsum? Aiunt ritum funebrem esse: sed quis eum usquam memoravit? Circa tumulum arbores seri mos fuit (v. c. Iliad. ζ. 419.), non vero circa fontes. Si porro de arboribus ponendis ac serendis accipias, accommodatum erit, ut priore quoque loco *spargere humum foliis* de satione florum accipiamus. Firmat hanc rationem locus Eclogæ IX. 19. *quis humum florentibus herbis spargeret, aut viridi fontes induceret umbra?* Neutrum tamen inter honores mortuis habitos memorari usquam vidi; quamquam ad fontes et in viretis olim sepulcra facta esse, et, *frondes ferre*, inter honores et munera mortuorum habitum esse, non ignoro. Nihil quod ad rem faciat, afferunt interpretes, neque locus Horatii Carm. III. 13. 2. O fons Bandusiæ—*Dulci digne mero nec sine floribus*; recte huc refertur. Videtur mihi res sic expedienda, ut tumulum juxta fontem factum intelligamus. Sic in honorem defuncti pastoris, noto more, humus floribus et frondibus spargitur ac circa tumulum arbores seruntur. Incusandus tamen vel sic poëta, quod ad sensum animi et oculi non satis diserte rem exposuit. Popius, expressurus hæc, ad alia delabitur *Pastor*. IV. 21. sq. 43. Theocr. I. 120. 121. Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος, ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων, Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων, quos versus, cum multo majorem simplicitatem habeant, mireris Virgilianis posthaberi. 43. *hinc usque ad sidera notus*, epicum est, nec in pastoritio carmine satis placere potest.

45—56 Vid. Theocr. I. 1. et 7. etc. VIII. 78—83. Compara Popium *Pastor*. IV. 1—4.

Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum æquiparas, sed voce, magistrum;
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus; Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

MOPSUS.

An quidquam nobis tali sit munere majus?
Et puer ipse fuit cantari dignus; et ista
Jam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.

MENALCAS.

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes; ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phœbo;

aquæ rivo poëtis perpetuum: 48. *sed* etiam *voce*, cantu, magistro par es. 49. cf. Theocrit. I. 3. 4. 5. 51. *tollemus ad astra*, potest esse in cœlum et inter divos sublatum canam: Est tamen verius ex usu loquendi et simplicius: celebrabimus, ut IX. 29. *Vare, tuum nomen—Cantantes sublime ferent ad sidera cygni*; et sup. 43. *hinc usque ad sidera notus*. 56. Jam Daphnis deus factus celebratur, atque adeo ei, tamquam novo numini agresti, ea omnia tribuuntur, quæ sive deorum olim in terris præsentiæ tribuebantur, sive deorum honoribus institui solebant; summa scilicet lætitia etiam ferarum et rerum inanimatarum 58—64. Inde sacrum annuum ei instituendum narrat 65—80. *Candidus*, splendens, micans, ut sidus. Locus dulcissimus. 58. *alacris* ratio poëtica cum *voluptas* jungi docet. 61. Non scilicet illa silvarum et agrorum lætitia esse poterat sine securitate: quam per otia declarat. Et vs. 62. omnium adeo rerum naturæ ea lætitia communis esse ponitur. Ductum autem ex Theocr. XXIV. 84. 85. videtur, ubi, Hercule inter deos recepto, lupus non amplius insidiatur hinnulo. 63. *Intonsi montes* sunt silvosi, incædui, ut *Serv.* Paulo aliter *tonsæ valles* Georg. IV. 277. sunt quas pecudes tondent, depascunt. *tonsa humus* Ovid. Rem. 192. desecto gramine vel fœno. Non uno itaque modo hoc dicitur. Quibus ipsis concidit dubitatio Martini, qui non nisi *a pecude depastos* intelligi posse putabat. 64. O Menalca, ipsa arbusta resonant: Deus, deus ille!

65 Nunc sacrum ei annuum decernit. Primo eum invocat: *sis bonus o f. felix* est propitius, ut Æn. I. 330. Mox sacrum ejus cum alio sacro Phœbi conjungit: quod observatu dignum est: heroi igitur cum deo: forte tamquam cantus præside. Porro novum hoc,

Pocula bina novo spumantia lacte quot annis
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi.
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas et Lyctius Ægon;
Saltantis Satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, et quum sollemnia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quot annis
Agricolæ facient; damnabis tu quoque votis.

quod non utrique una ara fit, ut σύμβωμοι sint; sed quod utrique sua ara, et quidem utrique *duæ aræ*, adeoque *quatuor* ponuntur. 66. *duas altaria Phœbo*, duas aras Phœbo, quæ sint altaria; ut, quod discrimen inter utrumque faciunt grammatici, poëta sequatur, Phœboque adeo, tamquam ex superis diis, altare, Daphnidi, heroi, aram dedicet. Non tamen placet in poëta ista grammatici subtilitas. Observandum autem, Daphnidi ut heroi sacrum fieri lacte, oleo, vino, adeoque λοιβῇ, σπονδῇ· non victima cæsa. Idem Nymphis et Pani fit apud Theocr. V. 53. 54. et 58. 59. undehæc expressa sunt. 67. *novo lacte*, ut Ecl. II. 22. *Lac mihi non æstate novum non frigore defit.* 69—73. Ex multo suaviore loco Theocr. VII. 63. sqq. adumbrata. Ambiguitas est in sqq. sintne omnia revocanda ad festos dies in Daphnidis honorem habendos, an ad honorem et memoriam ejus recolendam in quibusvis sollennibus, ut ei tamquam heroi seu deo libatio fiat; etsi nonnulla interponuntur, quæ sacrum in ejus honorem instituendum arguant. Videtur itaque sic statuendum esse, ut v. 69. sq. de ceteris sollennibus ac festis diebus memoret, quibus inter epulas festas Daphnidi quoque libatio fiat: hoc est vs. 71. *fundam*. 70. *Ante focum, si frigus erit:* quod sane et ipsum oblectationem facit; unde poëtæ et hoc memorant. cf. ad Tibull. II. 1. 29. 71. *Vina Ariusia* ex promontorio et tractu Ariusio in insula Chio. Etiam horum mentio a pastore facta reprehensione digna visa Klotzio Opusc. p. 287.; defendi tamen potest, cum inter Chium et Siciliam commercia satis multa fuerint, cumque in carmine majoris spiritus versetur poëta. *novum nectar;* fuit scilicet vinum dulce. *Calathus* h. l. vasis et calicis genus. 73. *Saltantis Satyros imitabitur:* simpliciter pro saltabit: scil. Satyrorum more, incondite.

74, 75 Ea quæ antea omnibus diebus festis se facturum esse dixerat, nunc ad duo sollennia insigniora revocat: alterum Nympharum, alterum lustrationis agrorum. *Lustratio agrorum*, sive ambarvalia, moribus quidem Romanis fiebant sub casum hiemis, jam vere sereno. v. Georg. I. 340. Fatendum igitur est, ad Siculos hæc potius ritus accommodata haberi debere: itaque cogitandum simpliciter de festo Nympharum, et altero festo agrorum lustrandorum.

76—78 Fastiditum nunc hoc, quod delectare debuit novum dictum in poeta, h. l. ut temporis duratio per ejusmodi inductiones declaretur. *dum rore cicadæ;* antiqua opinio. 79. 80. Referetur ergo Daphnis in deorum agrestium numerum. *damnabis tu quoque votis*, h. eo, quod homines earum rerum, quas a te precati erant, compotes facis, obligabis eos ad vota, quæ ea quasi sub conditione fecerant, solvenda. Res sæpe obvia. sic *voti reus* Æn. V. 237. Formula sollennis: *damnatus voti*, sed et *voto*. Spectat autem hoc ad numen declarandum, ut non modo sacra, verum ut etiam preces et vota ad eum, qui inter deos relatus est, fiant, utque vota, re impetrata, ei persolvantur. Simili modo numen declaratur per jusjurandum: *Jurandasque tuum per numen ponimus aras.*

MOPSUS.

Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona!
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MENALCAS.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta;
Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexin:
Hæc eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?

MOPSUS.

At tu sume pedum, quod, me quum sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari,
Formosum paribus nodis atque ære, Menalca.

82 *veniens auster* est oriens, flare incipiens. 83. Certavit cum Theocr. I. 7. 8. 86. 87. Exordia carminum ad ea declaranda posita ut sup. v. 10. Ex vss. 86. 87. haud temere suspicio nata, voluisse Maronem sub Menalcæ persona agnosci: cum sua carmina memoret: Ecl. II. et III.

88 Cf. Theocr. VII. 43. 44.

ECLOGA VI.

SILENUS.

ARGUMENTUM.

Exordio præmisso poëta se, parum feliciter tentato carmine epico, redire ait ad carmen bucolicum; Vari tamen laudibus celebrandis et hoc haud impar fore 1—12. Inde narrat, duo Satyros cum Nympha Ægle Silenum jacentem aggressos adegisse, ut sibi carmen caneret—30. Exponit inde summatim poëta 31—63, carminis argumentum, quod mythicum est; attigerat Silenus fabulas primo e cosmogonia 31—40; inde alias, promiscue memoratas, inter quas copiosius exponit Pasiphaës infaustum amorem tauri 45—60. Repente inde ad Gallum carmen deducitur, et ad ejus laudem poëticam et carmina inchoata 64—73. Tum iterum ad fabulas redit 84. Vespere ingruente facit Silenus finem canendi 85. 86.

Felix in hujus Eclogæ argumento et ejus tractatione fuit poëta. Jucundissimis enim, dulcissimis, ac pulcherrimis rerum imaginibus omnis hæc narratio distincta est, qua Silenus ex antiquissimorum poëtarum ac philosophorum rationibus originem rerum canit, atque inde per fabulas ornatum poëticum maxime admittentes vagatur.

PRIMA Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.
Quum canerem reges et prœlia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pinguis
Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.
Nunc ego; namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella;
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.

1 *Syracosio—versu*, Theocriteo. v. Ecl. IV. 1. *Prima* intelligunt vulgo: e Romanis; e quibus se primum ad tenue hoc carminis genus descendisse significet: ut Ge. II. 175. Ita accipiebat quoque Popius *Pastoral.* I. pr. Melius de ætate accipias, quod in adolescentia iis carminibus se dederat, non epicis, vs. 3. a quibus revocabat eum Apollo. 2. *silvas habitare*, ad genus bucolicum refertur. v. ad Ecl. IV. pr. *Thalia* omnino pro Musa dicta videri potest; etsi ea proprie hic memorata, quia bucolicum carmen ejus fidei ac præsidio creditum habebatur. 3. Voluit igitur Maro adolescens aggredi statim epos: *reges et prœlia. aurem vellit*; notus admonendi mos, qui adeo in gemmis expressus. 5. *deductum carmen*, ex ipsa sententia apparet esse tenue, ut pastoritium; oppositum grandiori epico. Ita tamen adjectum expectes: tenui filo, ut ap. Horat. II. Ep. I. 225. *tenui deducta poëmata filo*. Est enim petitum hoc a lana in filum deducta. Ausus igitur est poëta *deductum* absolute pro tenui ponere.

6 *qui dicere laudes tuas cupiant*; qui carmen epicum condant. Magna vero cum venustate rem ad Vari laudes trahit: ac si hoc epici carminis argumentum constitutum habuisset. Varum autem res bello gessisse necesse est ut ejus *bella condi*, carmen de iis componi posset.

Non injussa cano. Si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget: te nostræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet; nec Phœbo gratior ulla est,
Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho;
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant;
Et gravis adtrita pendebat cantharus ansa.

9 *Non injussa cano*, sed ab Apolline jussa; *jussis carmina cœpta tuis* Ecl. VIII. 11.; tenui ea *quidem* carmine; si *tamen* non infeliciter a me elaborata erunt, ut sint, quibus placeant: hæc ipsa quoque laudes tuas ornabunt. 10. *myricæ—nemus* pro rure et pastoribus, qui carmen repetunt. conf. ad v. 2. et Ecl. IV. 2. 12. *pagina* nunc primum a poëta pro carmine dicta, ut *chartæ* Horatio, hoc tamen Ennii exemplo. Vox a pastoris persona aliena adhiberi h. l. in bucolico carmine potuit, quum e poetæ persona hæc dicta sunt.

13 *Chromis et Mnasylos.* Faunorum vel Satyrorum nomina esse necesse est. Rem poëta hic adornavit in artis quoque antiquæ operibus obviam.

16 *Serta procul tantum c.* Hoc in loco me adhuc hærere fateor, nec, *procul tantum* quomodo bene jungi possit, video. *tantum delapsa* jungunt, et *tantummodo* exponunt Turnebus et Cerda; ita vero quomodo *procul* jacet, si *tantummodo* delapsa sunt? Dicas *procul* relative dici, nec semper remotum ac longinquum significare; definiri quoque ac circumscribi per τὸ *tantum:* ut sit, *procul*, nempe a *capite tantum delapsa*, prope caput. Ita Servius accipiebat Æn. X. 835. *Arboris acclinis trunco, procul ærea ramis Dependet galea.* Ita *serta procul jacebant;* cum restrictione tamen, quam vocant, ut essent *capiti tantum delapsa.* Verum etiam hæc jejuna sunt, et quovis bono poëta indigna; quod sensus quemque suus docebit. Quanto melius de Andromache Iliad. χ, 468. Ἤριπε δ' ἐξοπίσω—Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα, Ἄμπυκα etc. et Hymn. in Dionys. 13. τὸν δ' οὐκ ἴσχανε δεσμὰ, λύγοι δ' ἄπο τηλόσ' ἔπιπτον χειρῶν ἠδὲ ποδῶν. *longe lapsum temone* quoque dixit noster Æn. XII. 470. et IX. 771. *Cum galea longe jacuit caput;* et Catullianum, de pinu: *Illa procul radicitus exturbata Prona cadit:* Epith. 107. Nec minus coacta sunt, si interpungas: *Serta procul. Tantum c.* aut si ita jungantur verba: *videre jacentem, inflatum. Tantum serta capiti delapsa procul jacebant;* ut Ecl. II. 3. *Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos assidue veniebat;* ut supprimantur reliqua, scilicet eos illi soli, neminem comitem, nullum Faunum vel Satyrum, habenti, supervenisse, ut adeo vincire sertis potuerint. Tantum serta a capite pendentia et cantharus cum eo erant. Si ad Græcam rationem refingere velis, aut esset πόῤῥωθεν ὅσον, ut ap. Theocr. I. 45. Τυτθὸν δ' ὅσσον ἄπωθεν (pro τόσον ἄπωθεν, ὅσον τυτθὸν), et 25. 37. ἀπὸ χθονὸς ὅσσον ἀείρων; tantum, quantum a terra, h. paullum; aut τῆλε τόσον, τῆλε τοῖον, ut sit δεικτικῶς dictum, cum gestu, ut sæpe Homericum τοῖον vel τόσον, v. c. Od. ο, 404. 450. h. e. tantillum, non adeo longe, paullulum. Homerico itaque more efferres: κρατὸς ἄπο τόσσον πολυάνθεμα ςέμματ' ἔκειτο. Hoc saltem tolerabile; etsi vel sic poëta hic paullo jejunior est. Similitudinem habet, nihil tamen interpretationem juvat, locus Catulli Epith. 66. de Ariadne: *Prospicit—Non flavo retinens subtilem vertice mitram* etc. *Omnia quæ toto delapsa e corpore passim—Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.* Apud Statium Theb. VII. de Baccho turbato v. 149. *Non crines, non serta loco; dextramque reliquit Thyrsus, et intactæ ceciderunt cornibus uvæ.* Et Prudent. Psychom. 687. *Scissa procul palla, structum et serpente flagellum Multiplici, media camporum in strage jacebant.* *capiti* esse a capite, nemo dubitet, Græce dictum: Silius XVI. 468. *veluti delapsa corona Victoris capiti foret.* 17. *Gravis cantharus*, vas magnum et capax. Nam *pendebat* sc. semisupinus, tantum non eversus. *adtrita*, frequenti usu. Variavit rem auctor Epithal. Auspicii. *Ecce pater pando recubans Silenus asello; Cui lacer a summo pendebat cantharus armo.*

Adgressi, nam sæpe senex spe carminis ambos
Luserat, injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit, Ægle;
Ægle, Naiadum pulcherrima; jamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.
Carmina, quæ vultis, cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnasia rupes;
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animæque marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum, et discludere Nerea ponto
Cœperit, et rerum paullatim sumere formas;
Jamque novum terræ stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant submotis nubibus imbres;

21 *jamque videnti*, expergefacto. 22. Causam pingendi afferunt sive jocum ac petulantiam, sive honorem, quod antiquissimo more, qui deinceps in diis agrestibus perstitisse videtur, deorum simulacra minio pingerentur. Notum, Jovem miniari solitum ap. Plin. XXXV. 45. etsi alia de causa ne lignum ab imbribus putresceret. Præferendum prius. 24. *satis est potuisse videri*, ut videamini me vincire potuisse. Petitum autem hoc, ut vincire vellent Silenum, quo ad canendum, quod vellent, eum cogerent, ab eo, quod de vatibus memorari solet, qui repugnabant, nolebant κάτοχοι fieri, deo impleri; Notum de Pythia. Furor enim ille, qui mentem occupat, spasmos haud mediocres afferre corporibus debuit. cf. Æn. VI. 47. sqq. Inde etiam in diis vaticinantibus hoc idem locum habuit; itaque Proteus vinculis constrictus apud Homer. Odyss. δ, 414. sq. et Ge. IV. 396. 439. Et Silenus ad Midam vinctus adductus diu renuit ac repugnat. 26. *Huic aliud mercedis erit*; secundum illa: *vis haud ingrata puellis*. 27. *in numerum*, ad rhythmum saltare, ut σαλίζειν. *Faunis saltantibus* adjungit *feras saltantes*, et subjicit *quercus moventes cacumina*, aut omnino, aut moventes in numerum. Tanta scilicet e cantu audito est voluptas; tanta carminis dulcedo.

32 *Semina* sunt elementa, non atomi Epicurei, ad quos ea revocant grammatici, inducti per voc. *inane*; sed sunt elementa per chaos sparsa; itaque *coacta* dixit semina, quæ passim per vacuum ferebantur, nunc ad quatuor rerum genera redacta. *magnum inane*, et *anima* pro aëre, et *liquidus* ignis, Lucretiana oratio. 34. *tener orbis*, ut *tenera res* Ge. II. 343. *Chaos enixum terras* dixit Manil. II. 13. *Orbemque sub illo Infantem; primum titubantia sidera corpus*.

35 *Tum durare solum, et d.* Cecinit tum, *ut* terra cœperit indurescere et solidari, adeoque aquas discretas et a superficie intra certos fines et littora depulsas mari includere et paullatim herbis arboribusque vestiri. Eæ enim sunt *formæ rerum*, quæ, exclusis aquis, in superficie telluris apparuere. cf. Lucret. V. 781. 37, 38, 39. *stupeant—cadant—Inci-*

Incipiant silvæ quum primum surgere, quumque
Rara per ignotos errent animalia montis.
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret;
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore juvenci.
Ah, virgo infelix, quæ te dementia cepit!
Prœtides inplerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et sæpe in levi quæsisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras;
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas;
Aut aliquam in magno sequitur grege! Claudite, Nymphæ,

piant. Tempus præsens pro præterito: canebat, *ut* stupuerint, ceciderint etc. sed valet hoc ad vividiorem orationem. Dicta vero hæc ornate pro, ut sol et cælum factum sit; levatis a terra, quam obsidebant, vaporibus et nebulis, collectus aër facit atmosphæram; unde mox iterum pluviæ in terras descenderent. 39. *Incipiant s. q.* cum primum silvæ inciperent enasci cum animantibus. 40. *montis ignotos*, in quibus tum primum feræ vagabantur.

41 Hominum originem jam exponere debebat; sed, et poëticam rationem et vetustissimorum philosophorum morem sequutus, fabulis eam involutam exponit; quas qui singulas vult cognoscere adeat Nasonem aliosve mythologos, etiam Apollodorum. Delectare porro narratione pueros et puellam Æglen instituerat. *Saturni regnum* ad diversum mythorum genus diversumque mythorum ordinem spectat, ut et subductus a Prometheo et hominibus impertitus ignis; suntque hæc diluvio Deucalionis anteriora: sed in tali enumeratione ordinem temporum servare non necesse erat.

43 Ex insignioribus antiquitatis mythis sunt Argonautica et res Herculis; ex his unus laudatur Hylas, Argo ad Mysiam appulsa, a Nymphis raptus et frustra ab Hercule quæsitus. v. Apollon. II. 1207. sq. Ad antiquiores mythos referendi Cretenses, inque his Europæ genus, Minos, cui nupta fuit Pasiphae. Ejus amor tauri inter phantasmata est, quæ poëtica copia ornari possunt: itaque arripuit poëta et in eo moratur. 46. *solatur amore juvenci*; elegantissima conversio, pro eo, quod simpliciter erat, *Pasiphaës amores canit*, quæ fabula magna cum arte ad rerum præsentissimas imagines revocata apponitur. Sic poëtæ dicuntur *conqueri* eos, quorum fata canunt, nunc *solari*. 47. *virgo* h. l. ut puella, omnino pro femina; nam nupta illa erat Minoi.

48—51 *falsis mugitibus.* Prœti filiæ insania correptæ videbantur sibi in vaccas mutatæ esse, mugiebant, et aratro jungi se putabant. Est hic inter antiquiores mythos historici generis: primumque exemplum morbi hysterici; a quo liberatæ sunt Prœtides alvo purgata Melampodis opera.

52 *erras*, vagaris per montes, tauri amati insequendi caussa. At ille spreto tuo amore, tamquam superbus aliquis puer, *inter herbas ac flores* recubans etc. 54. *pallentis—herbas*, χλωρὰς, virides; jam Ecl. II. 47. III. 39. V. 16. *ilex* vero *nigra* a nigricante virore.

55—60 *Claudite, Nymphæ.* Ut concitatior et acrior reddatur narratio, ingeniosa orationis conversione Pasiphaë exclamans inducitur. Observare jubet silvæ exitus, ne taurus, quem illa quærit, elabatur; forte illum

Dictææ Nymphæ, nemorum jam claudite saltus;
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia; forsitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquæ stabula ad Gortynia vaccæ.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum;
Utque viro Phœbi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus hæc illi, divino carmine pastor,
Floribus atque apio crinis ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musæ,

vaccam sequendo aberrare ad stabulum alienum. 56. *Dictææ* a monte Cretæ, Dicte. *nemorum saltus* sunt hic aditus ad silvas, angusti fere, asperi et confragosi, quæ loca proprie *saltus* dicuntur. Æn. XI. 904. 905. *Æneas saltus ingressus opacos—silvaque evadit opaca.* 58. *Errabunda bovis vestigia*, h. gressus bovis errantis; πλανοδία; βοῦς; dixit Auctor hymni Homerici in Merc. 75. 60. *Gortynia stabula* a Gortyne, Gortyna, Cretæ urbe, ut sic, spreta Pasiphaë, aliam amicam sequutus, ad stabulum vaccæ perducatur, cum ille e Gnossicis armentis esset. Vix tamen cogit poëtica ratio *Gortynia* tam anguste accipere; est enim omnino ornatus caussa appositum, quia res in Creta agitur, et intelligenda stabula vaccæ nota ac consueta.

61 Atalantam canit, Schœnei f. Potest poëta *Hesperidum mala* omnino dixisse pro aureis; potest etiam sequutus esse veterem poëtam, qui vere ex Hesperidum pomis fuisse illa Hippomenis poma aurea inter decursum projecta aut fixerat aut crediderat. Idem tradit alter ex grammaticis ad Theocr. III. 40. et Maronem sequitur auctor Elegiæ ad Messalam in Catal. XI. 25. Vulgatius est, a Venere fuisse apportata illa poma.

62. 63 *musco circumdat*, h. canit, quemadmodem Phaëthontis sorores muscoso cortice circumdatæ et in alnos mutatæ fuerint. Dicunt enim poëtæ ea *fieri*, quæ *facta* narrare volebant; et tribuitur poëtæ ac vati tamquam auctori id, quod contigisse carmine suo exponit. Cæterum Phaëthontis sorores mutatas esse in *larices*, communior fabula fert, populos noster ipse substituit Æn. X. 190. ubi v. Not. Piceas appellat circa fontem Padi sitas, Pades Gallis dictas. De electro, quod exsudare dictæ sunt, multis modis statui potest: quod satis constet non habemus.

64—73 Intertexit his mythis Gallum suum ad Musarum chorum deductum et a Lino fistula Hesiodea donatum: an loco satis commodo, recte dubites: dum antiquissimis rebus immisceatur homo ævi Virgiliani. Per se quidem præclarum est poëtæ commentum ad Galli laudem ab ingenio et poëtica facultate. Ut poëticis studiis eum teneri significaret, ait eum errasse in Musarum recessibus. *Permessus* fl. Bœotiæ ex Helicone monte descendens; declaratur hic mons per *Aonas montis* ab Aonibus, primis Bœotiæ incolis. v. Strabo IX. p. 615. Finxit autem poëta hæc ad exemplum Hesiodi in Helicone oves pascentis et in Musas incidentis Theog. 22. sqq. add. Nicand. Ther. 11. 12. εἰ ἐτεόν ποτε Ἀσκραῖος, μυχάτοιο μελισσόεντος ἐν ὄχθαις, Ἡσίοδος κατέλεξε παρ' ἴδματι Πιερικοῖο. 66. Quod *omnes Musas Gallo adsurrexisse* ait, honoris testificatio est, non tam ex suæ ætatis elegantia a poëta illata, quam ævo jam heroico frequentata. Sic Jovi venienti assurgunt dii Iliad. α. 533. 534. 535. 67. *Ut Linus.* Duplici modo hæc jungi possunt: aut, ut *divino carmine pastor* sit Linus, pro vulgari, pastor divini carminis seu cantus; seu ut *dixerit* hæc *divino carmine:* quod preferam. *Linum*, supra IV. 56. cum Orpheo junctum, memorat, nomen inter vetustissimæ memoriæ vates clarum, servatum illud partim fama ac mythis, partim carminibus, quæ ejus esse ferebantur. Nunc ille cum Musis versari narratur et earum jussu fistulam Hesiodi Gallo dare. Cur apio coronatum dixerit, caussa non constat.

Ascræo quos ante seni; quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis?
Aut, ut mutatos Terei narraverit artus;
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?

70. *Ascræus senex* Hesiodus a vico Bœotiæ Ascra. Novum vero hoc, quod nunc Hesiodo tribuitur, id quod de Orpheo sollenne est, silvas ejus cantum esse sequutas.

72—76 *Grynium* seu *Grynia* oppidum Æolidis in Asia minore, fano et oraculo Apollinis, quod in luco amœnissimo situm erat, nobile. In magnas difficultates impegit interpretes, quamquam ipsi satis sensisse non videntur, Serviana aliqua lacinia ad h. v. *Hoc autem* (quod de Gryneo nemore narratum fuerat) *Euphorionis continent carmina, quæ Gallus transtulit in sermonem Latinum, unde est illud in fine Ecl. X.* 50. *Ilo, et Chalcidico quæ sunt mihi condita versu Carmina.* Si tamen, interpretum nulla ratione habita, verba ipsa sequi in animum induxeris, nihil aliud dici videas, quam, Linum fistulam Hesiodi Gallo dedisse, quo Gryneum nemus cantaret. Quo nihil aliud significari potest, quam, Gallum aut carmine tractasse fabulam ab Hesiodo in parte aliqua τῶν ἀείδων memoratam, aut ad Hesiodi imitationem seu scripsisse seu molitum esse opus, quo oraculi Grynei aut Apollinis Grynei fabulæ seu historiæ exponerentur. Præbuisse autem eas satis materiæ ad carmen condendum, discere licet ex iis, quæ in Servianis ad v. 72. exposita sunt de Gryno Eurypyli f. de Pergamo Neoptolemi et Andromaches filio, de Calchante et Mopso. conf. Not. ad Apollod. p. 655. 73. *Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo;* quod simplicius Callimach. in Del. 269. ὐδέ τίς ἄλλη Γαιάων τοσσόνδε θεῷ περιλήσεται ἄλλῳ. 74. *Quid loquar.* Pergit commemorare Silenii carminis argumentum, non Galli versuum; brevitatis autem studio strictim tantum fabulas percenset. Quid loquar, ut narraverit Scyllam, aut ut Tereum mutatum narraverit, h. fabulas de Scylla et Tereo. Scyllam nunc facit poëta Nisi filiam, quæ aliis poëtis alia ac diversa est, Phorci quidem filia. De Ulyssis, dum præterveherentur, sociis a Scylla devoratis nota fabula. vid. Odyss. μ, 265. *quam fama secuta est.* simpl. quam ferunt, μυθεῦται. Expressit voc. φάτις, φήμη, pro μῦθος, fabula. Versum 75. et formam monstrosam Scyllæ illustrant numi, gemmæ, et alia monumenta. 76. *vexasse*, vocabulum paullo majoris atrocitatis apud veteres. Videtur poëtæ animo insedisse Homericum βλάπτειν.

80 Pendet a superioribus: *ut narraverit, quas dapes pararit—petiverit—volitaverit.* Nota vel ex Ovid. Met. VI. extr. fabula. Poëta, puto, eos sequitur, qui Philomelam in hirundinem mutatam esse memorarunt, ut multi fecere. Appositis autem epulis, ex Ityis filii membris paratis *(dapes—dona)*, illa cum sorore statim profugit, insequente cum ferro Tereo; hinc illud: *quo cursu deserta petiverit.* Mox, Tereo instante, sorores in aves mutantur; tum Philomela hirundo facta sedes suas circumvolat, quasi pristinæ sedis desiderio: Stat. III. Silv. 5. 98. *Non sic Philomela penates Circuit amplectens animamque in pignora transfert;* et de altera Scylla in avem mutata Ciris 51. *ut tenui conscendens sidera penna Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis.* Similiter de Callisto in ursam mutata Ovid. II. Met. 490. *Ah quoties, sola non ausa quiescere silva, Ante domum quondamque suis erravit in agris. Quo cursu* et *quibus alis* dicta eleganter pro quomodo; Sic Æn. I. 750. *Nunc quibus Auroræ venisset filius armis, Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles,* pro: multa rogans super Memnone, Diomede, et Achille; tum *tecta ante sua* jungenda sunt, quod jam alii monuere, ut in Ovidii loco: *quondamque suis in agris,* etsi parum suaviter adjectum sentio.

Omnia, quæ, Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit; pulsæ referunt ad sidera valles:
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Jussit, et invito processit Vesper Olympo.

ECLOGA VII.

MELIBŒUS.

ARGUMENTUM.

Meliboeus pastor narrat, se, cum aberrantem caprum quærebat, in Corydonem et Thyrsidem incidisse, qui, assidente Daphnidè, cantu erant decertaturi; obtemperasse se Daphnidis hortatibus, ut ipse assideret et cantantes audiret—20. Inde Corydon primas, Thyrsis secundas, partes carmine amœbæo ita sustinent, ut, quemadmodum Ecl. III. distichis, sic nunc tetrastichis, seu quaternis versibus, comprehensa carmina decantent, sena uterque, Corydon diversi quæque argumenti exorsus, Thyrsis, aut similia ac paria aut contraria afferendo: Habet adeo carmen non nihil ex dramatico genere, quo ipso majorem delectationem facit. Locus, in quo consederant, est sub umbrosa quercu a favonio leviter agitata, inter apum susurros, in vicinia Mincii fluvii, et quidem ea parte, qua armenta potum ducebantur. Etiam in hoc carmine putidum esset referre allegorias, quas commenti sunt interpretes, cum haud dubie nihil aliud spectarit poëta, quam ut ad Theocritei Idyllii VI. imitationem illud carminis amœbæi genus exprimeret, quod narratione alicujus pastoris, qui interfuerat certamini, continetur. Nec omnino magnam inventi laudem Maro habet in hoc carmine. Nova arte ac varietate expressit Eclogam Gesnerus in *Lyca et Milone*.

MELIBŒUS. CORYDON. THYRSIS.

MELIBŒUS.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Conpulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum;
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas;

Cursus, *quo deserta petivit*, videri possit esse bacchatio, qua illa, mariti scelere comperto, ad locum prosiluit, quo soror occlusa latebat: Ovid. l. c. 590. 594. sq. Ne tamen sic statuas, poëta ipse intercedit; nam post paratas jam epulas et appositum filium, cursum in deserta commemorat.

82 Amavit Hyacinthum, Œbali filium, Spartanum, Phœbus. vid. Ovid. Met. X. 162. sqq.; ad Eurotæ itaque, qui Laconicæ fl. est, ripas sæpe lyra cecinit; quæ ille cecinerat, nunc repetit Silenus. *meditante* v. ad Ecl. I. 1. 84. *pulsæ* sc. vocibus, sonis, ut resonarent. 85. Silenus usque ad noctem canit. Sed quam poëtice hoc expressum! *numerum referre*. cf. Ecl. III. 34. 86. *Vesper* est Hesperus, Veneris stella. *invito Olympo*, quod cælum ægre ferebat, nocte ingruente carmen finiri. Contendi possunt Popiana *Pastor*. III. 97.

ECLOGA VII.

1 *arguta ilice*, levi cum susurro ac murmure, seu sibilo venti, agitata. Sic Græcis arbor ᾄδει, συρίζεται, μελίζεται, ψιθυρίζει.

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat; atque ego Daphnin
Adspicio; ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,
Huc ades, o Melibœe; caper tibi salvus, et hædi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra;
Huc ipsi potum venient per prata juvenci;
Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida, habebam,
Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos;
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cœpere: alternos Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

Expressum vero hoc initium carminis ex Theocr. Idyll. VI. 1. sq. et VIII. 1. sqq. Ipsa Melibœi narratio habet summam et ἀφέλειαν et suavitatem. *Iilicem* in agro Mantuano non nasci, ut nec pinum, nec juniperum v. 24. 53. notat Castelvetrius. Sed Rayi et Matthioli auctoritate eum refellit Martinus. Saltem poëtæ patrius ager notior esse debuit, quam ut in hoc peccaret. Male autem hic *Daphnis* confunditur cum altero illo, mythico, Ecl. V. 4. *florentes ætatibus*, ut poëta dixit, ambó florente ætate. 5. *Et cantare pares*, h. pares cantando, et uterque amœbæo carmine præstans; hoc expressit *paratus* ad *respondendum*, quod in eo genere difficillimum est. Nemes. Ecl. II. 16. *ambo ævo cantuque pares*. Similes adeo ii, qui nunc Italis *Improvisatori* dicuntur. Quod vero *Arcades* ambo sunt, id per se otiosum non esset, cum is populus musica maxime delectaretur; ipsa etiam legum disciplina, ad molliendos hominum nullis urbibus habitantium mores, ea arte erudiebantur pueri; Erant itaque inter eos plures, qui in ea excellerent; Est tamen altera ex parte, quod parum convenire videtur, cum in agro Mantuano v. 12. 13. illi greges pascere dicantur. Alterutrum igitur ne memoraret, poëta cavere debebat.

6 *defendo a frigore*, vindico, tegendo eas stramine, sarmentis etc. ne frigore urantur. Sed hic ea difficultas jam antiquis animadversa oritur, quod æstivo tempore tota hujus eclogæ res agi videatur, in quo, inprimis clementi Italiæ cælo, a frigore nullus metus esse potest. Descenderunt adeo viri docti ad emendationem. Enimvero agi hic *de verno tempore*, ut statuamus, et *umbra quercus* et *arundinis teneræ* mentio, et *apum susurrus* permittit, *depulsi* vero a lacte *agni* et *distentæ lacte capellæ* etiam jubent; exitu enim auctumnali oves in Italia parere notum est. Adderem versus 46. 47. sed vid. ad 53. Ineunte autem vere non raro uri arbores nocturno frigore videmus, et *myrtos* frigoris impatientes esse docet Martinus; et regio ista ultra Padum frigidior. 7. *Vir gregis ipse caper*; habet a Theocrit. VIII. 49.; *ipse caper* deerraverat, adeoque et hædi totusque grex; hinc versu 9. *caper tibi salvus, et hædi*. Animadverterat eos et in tutum locum compulerat Daphnis v. 9. Sed idem Melibœus armenta pascebat; quibus adjunctum capellarum et ovium gregem habebat. cf. v. 11. et 15. 12. Mincius enim non longe a Mantua lacum efficit et palustres ripas habet. cf. Ecl. I. 49. 52. et Notas. Ge. III. 13—15. Ea facie a nostris quoque hominibus describitur. Cf. Æn. X. 205. *sacra quercus* cf. Ge. II. 16.; ornamenta sunt petita ex Theocriti I. 106. 107. conf. Ecl. I. 54. sqq. Mox *certamen* pro certantibus.

15 *Depulsos a lacte agnos*, h. a matribus. v. Ecl. I. 22. III. 82. atque adeo infirmos et curæ diligentioris egentes. 19. *alternos Musæ meminisse volebant*. Si hæc vera lectio

CORYDON.

Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phœbi
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

THYRSIS.

Pastores, edera crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CORYDON.

Sætosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

est, in hunc modum exponenda forte sit: Musæ, *quæ amant alterna*, Ecl. III. 59. hanc legem carminis dicebant, ut alternos versus meminissent, seu recitarent; h. e. ut versibus alternis canerent.

21 Quæ sequuntur, parva sunt carmina quaternorum versuum (*Quatrains* dixeris), sui ac diversi singula argumenti. *Libethrus* fons est cum antro in Helicone. v. Strabo IX. p. 629. A. τὸ τῶν Λιβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον, alius, isque antiquior, in Pieria. Videri possunt Musæ h. l. inter Nymphas referri: ut vulgo statuunt. Possunt tamen deæ loci, Nymphæ, non minus a pastore h. l. invocari quam Arethusa Ecl. X. pr. 22. *Codrus* nomen pastoris, quem jam supra memoravit cantu certantem Ecl. V. 11. 23. *aut, si non p. o.*; versus facere proximos (ita exp. τὰ *proxima*, neutrum absolute positum) ejus versibus; pro, si eum æquare carmine non licet. *proximus* h. l. dignitate et præstantia, 24. *sacra* v. ad v. 13. Ovid. Met. X. 103. 104.

25 *crescentem poëtam*. De se loqui Thyrsin puta. Obtrectat scilicet laudibus Codri. 27. *ultra placitum*, si plus quam ipsi placet, h. videtur, laudamur ab eo; si Codrus nos immodice et præter veritatem laudat. Est autem fascini genus notum, ut immodica laude efferantur ea, quibus quis invideat. v. Cerda. De *baccare* vid. ad Ecl. IV. 19.

30 Mirantur, quod de alieno pastore agat Corydon, non de se. Verum sunt hæc, ut diximus, parva carmina promiscue cumulata. Nunc id, quod sequitur, est epigrammatis genus seu votum a pastore Micone Dianæ factum, cui similia sunt in Anthologia Græca. Supplendum vero, " Micon tibi dicat, quod, te propitia, feliciter venatus fuerit." 31. *si proprium hoc* ac perpetuum *fuerit*, si tam felici venatu perpetuo uti contigerit etc. Hoc sensu Æn. VI. 872. *propria hæc si dona fuissent*. Ut reddas: si quidem habitus iste tibi proprius est: fieri vix potest; nam et fligeret hoc, et deberet ita esse *est*, non *fuerit*. Alii apud Servium *proprium hoc* ad gregem, quem pascebat (ita responderet vs. 36.), alii ad id, quod v. 21. sq. petierat, ut carmen sibi, quale Codro, contingeret, referunt. Volunt scilicet hæc ex Corydonis persona dicta esse, ut comparationem instituere dicatur Corydon: Micon tibi hæc capita cervi et apri dicavit, o Diana; at ego statuam marmoream, quod majus est, tibi ponam, si proprius ac perpetuus grex hic fuerit. Enimvero sic impedita hujus versus manet ratio; et adversatur hoc, quod mox alterum epigramma, etiam ex alterius pastoris persona subjicitur. De *protomis* ferarum Dianæ consecratis et ex arbore suspensis nota res, et notus locus Spanhemii ad Callimach. in Dian. cf. Æn. IX. 407. 408.

32 Antiquo more in statuis etiam marmoreis vestitus coloribus pingi solitus; ita h. l.

THYRSIS.

Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quot annis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

CORYDON.

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cycnis, edera formosior alba;
Quum primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

THYRSIS.

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, projecta vilior alga;
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.

pedum indumentum. In Epigr. in Æneidem: *Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis In morem picta stabit Amor pharetra. Cothurno,* quod calceamentum venatorium est, Diana fere conspicua insignis et gemmis. *evincta* potest esse, a pede ad suras usque; nisi est simpliciter vincta, ut Æn. I. 337. Livius Andronicus in Inone apud Terentian. Maur. de Metris: *Jam nunc purpureo suras include cothurno* (forte ad Inonem nutrix, ut Dianam illa imitetur). *stabis* vox sollennis: tibi statua ponetur: Expressit locum hunc Statius II. Theb. 725. sqq.

33—36 Etiam hoc, ut dixi, epigramma est, Priapi signo affixum, ut innumera alia; idque votum ei factum. Signum ejus est ex marmore (sane a pastore ligneum expectabas), ad quod sacra quotannis fiunt pastoritia: ponet ex voto auream statuam, si deus propitius fuerit. 34. Idem color in Tib. I. 1. 19. sq. Sat est tibi hæc a me quotannis offerri. 35. *pro tempore,* ut tempus et res ferebat, ἐκ τῶν παρόντων, ἐνόντων, ὑπαρχόντων. 36. h. si bona ovium fetura fuerit.

37 *Nerine Galatea.* Nerei et Doridis filia fuit, Nympha illa marina a Polyphemo adamata, quam tamen hic Corydon tamquam suam amicam, ut vesperi ad se veniat, appellat. Scilicet poëta tantum in hoc elaboravit, ut Theocriteum carmen experimeret Idyl. XI. 19. sq. uti etiam fecit Ecl. IX. 39. sq. Sic sup. v. 26. *Arcades* pastor memorat, qui inter Mantuanos vivebat. Quamquam hoc ipso minor carminis suavitas esse debet, quod in vera vita istæ fabulæ minus jucundæ sunt. De *Hybla* conf. Ecl. I. 55. 38. *edera alba* vid. ad Ecl. III. 39.

41 Thyrsis suam et ipse amicam invitat, ut vesperi ad se veniat; desideriique sui impatientiam declarat. Per *Sardoas herbas,* batrachii s. ranunculi, genus intellige, cujus magnus in Sardinia erat proventus; vis ejus caustica, ut, si cruda folia cuti imponantur, pustulas, ut ignis, faciat, Plin. XXV. 13.; succus autem potus insanire facit, et inter alias membrorum contractiones eos oris spasmos efficit, ut ridere videantur. hinc de risu Sardonio res notissima. cf. Tzetz. ad Hesiod. p. 26. ed. Heins. quem male in ipsum Homerum intulerunt Od. *v.* 302. *amarior,* nam δριμύτατον appellat Dioscorides; et hinc amaror *mellis Sardoi.* 42. *Ruscus* virgultum breve, acutis foliis et pungentibus. Iterum memoratur Ge. II. 413. *alga* herba marina vario genere, quæ tempestate in littus ejici solet. vid. ibid. 43. Quanta venustas in illo Theocr. XII. 2. οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι. 44. *si quis pudor,* increpat boves, quasi dicat, pudeat vos pastos tam tarde domum procedere, et me ab amicæ amplexu distinere.

CORYDON.

Muscosi fontes, et somno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite; jam venit æstas
Torrida, jam læto turgent in palmite gemmæ.

THYRSIS.

Hic focus, et tædæ pingues, hic plurimus ignis
Semper, et adsidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

CORYDON.

Stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ;
Strata jacent passim sua quaque sub arbore poma;
Omnia nunc rident: at, si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS.

Aret ager; vitio moriens sitit aëris herba;
Liber pampineas invidit collibus umbras:

45 Felicior fuit poëta in hoc et altero tetrasticho: alter frigus et umbram per æstivum tempus laudat, alter focum hiberno tempore. *somno mollior herba*, ex Theocrit. expressum Idyll. V. 50. ἔιρια ὕπνω μαλακώτερα. τάπητες ὕπνω μαλακώτεροι XV. 125. *mollis somnus* sollenni epith. Ge. II. 470. non minus ac *mollis herba*; hinc comparatio ducta. Ceterum v. 45—60. cum Theocrito certavit Idyll. VIII. 33. sqq. 46. *arbutus*, v. ad Ecl. III. 82. *rara* vero *umbra*, aut ut ad naturam arboris humilis nec admodum patentis respiciatur, aut pro anni tempore, verno, necdum adulto; aut quod præstat, ut *rara* non urgendum sit, ut Ecl. V. 7. Dictum vero pro: *et o arbute, quæ tegis eos* etc. h. et o arbuti, quæ *tegitis* fontes cum herba.

47 *Solstitium pecori defendite*, h. calorem ac vim solis in solstitio constituti, s. simpliciter, æstivi, a pecore prohibete. Horat. Od I. 17. 3. *Faunus igneam defendit æstatem capellis* etc. Cic. Cat. maj. 53. *uva vestita pampinis nec modico tepore caret, et nimios solis defendit ardores.* Sic ἀρκεῖν, ἐπαρκεῖν, ἀμύνειν, ἀλέξειν, ἀλάλκειν. Mox v. 48. *turgere* ὀργᾶν.

49 *tædæ*, ligna, e picea, seu pinu. Versus ex Theocr. XI. 51. 50. *postes fuligine nigri*, utpote in paupere tugurio sine καπνοδόκῃ. 51. Ex Theocr. IX. 12. 13. et 19. 20. 52. *numerum lupus*, ut numerato pecori parcat.

53—56. Corydon hoc eloqui vult: esse quidem ejus loci ac montis jucundissimam naturam, cum sit arboribus consitus iisque frugum plenis; at Alexidis absentia omnem istam rerum suavitatem obscurari: *Stant* simpl. est sunt. Expressa sunt Theocritea VIII. 41—49. conf. sup. Ecl. V. 32. sq. Jam satis monitum, in his carminibus, quæ per alterna eduntur, singulis tetrastichis singulas easque inter se diversas sententias memorari; neque adeo illæ ex cantantis persona dictæ sunt: Alioqui non posset post æstatem et hiemem 45. 49. nunc de auctumno agi, aut ab eodem pastore Galateæ, Alexidis, Phyllidis, amores jactari. Nec tamen aut ingenii multum aut delectationis in his est. Majore cum arte et suavitate Popius *Pastor.* I. 68. sqq. *castaneæ hirsutæ* exteriori cortice, seu echino. 54. v. Theocr. VII. 144.

57—60. *vitio aëris*, int. æstum et nimium

Phyllidis adventu nostræ nemus omne virebit;
Juppiter et læto descendet plurimus imbri.

CORYDON.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo:
Phyllis amat corulos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corulos, nec laurea Phœbi.

THYRSIS.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Sæpius at si me, Lycida formose, revisas:
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

MELIBŒUS.

Hæc memini, et victum frustra contendere Thyrsin.
* Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis*.

calorem. 58. *Liber p.* docte dixit, ut poëta: "aret vinea; exsiccatæ sunt nimio æstu vites et folia amiserunt." *Serv.* 60. *Juppiter*, de aëre, ut Georg. II. 326. ubi vide (hinc διϊπετὴς ex aëre veniens, ut de fluviis sæpe: διϊπετεῖς οἰωνοὶ Hymn. in Ven. 4. *aërius volucres*): ex veteris philosophiæ involucris fabulosis; quod et ipsum vereor, ut pastoris ingenio accommodatum sit.

65—68. *pinus in hortis*, pinus sativa, seu domestica, et hortensis, Ovidio Art. III. 692. *pinus culta* πίτυς ἥμερος, arbor semper virens, et apibus grata. 67. Præferam te fraxino et pino.

69 Operose docent viri docti per totam eclogam, quantopere in singulis versibus superior Thyrsi sit Corydon, iis tamen fere argumentis, ut, si poëta Thyrsin victorem pronuntiasset, iidem hujus judicii caussas et probationes ab iisdem locis ducturi fuisse videantur. Hoc facile perspicio, Thyrsin esse perpetuum Corydonis obtrectatorem; id quod ipsa lex carminis amœbæi postulat; hujus tamen versus qua tandem in re Thyrsidos numeris præstent, qui tardus meus sensus est, equidem non percipio.

70 *Ex illo C.*; accipiendum: ex eo tempore animo meo Corydon nobilis ille et præter omnes excellens cantu pastor habetur. Sed indignus Marone est versus. Quantum præstat Theocriteum, Idyll. VIII. 92. Κἀκ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο.

ECLOGA VIII.

PHARMACEUTRIA.

ARGUMENTUM.

Duorum pastorum carmina, alterum ex Theocriti Idyll. III. alterum ex Idyll. II. expressa, recitantur a poëta, tamquam qui ea audierit v. 1—5. 62. 63. In Damonis carmine 17—61. gravis dolor et ægritudo alicujus pastoris, cui Nisa, amata puella, Mopsum rivalem prætulerat, præclare exponitur; in Alphesiboei carmine 64. ad fin. mulier Daphnin, amantem suum, a quo se desertam esse putabat, incantationibus magicis ad se revocat. Putandi enim hi sunt esse lusus utriusque pastoris; qui amores aliorum commemorant, non suos. Utrumque carmen per se sibi constat, nec vinculo ullo ea tenentur, nisi quod a binis pastoribus recitantur, qui inter se certasse videntur, si proprie dixit poëta v. 62. *respondent*. Artem et spiritum poëtæ in neutro desideres. Nam ipsa incantationis magicæ descriptio non abhorrens ab hoc poëtices genere argumentum videri debet; recte enim et ex natura nostra, quandoquidem agrorum et silvarum solitudine mire affici animi nostri et ad religionem componi solent, pastoribus proclivius paullo et pronius in superstitiones et magicas rationes ingeniuin tribuitur. Inscripta vero est Ecloga Asinio Pollioni v. 6—13. qui tum in Illyricum exercitum ducebat, et jam sive pedestri itinere Istriam emensus erat, sive maris Illyrici oram legebat, ut ad Parthinos perveniret, qui versus Macedonicos fines non longe a Dyrrhachio sedes habuere. Cæterum comparari velim cum hoc carmine Popii *Pastor*. III.

DAMON. ALPHESIBŒUS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Inmemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantis, quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus;
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris; en erit umquam

1—5 Mansit hoc ex priscorum hominum sermone in pastoritii carminis simplicitate, ut cantus præstantiam ita declararent poëtæ, ut pecudes, feras, et inanimata eo moveri aut delectari dicerent. 4. Flumina requierunt *mutata suos cursus*, Græce pro: mutato suo cursu, h. l. inhibito. Quamquam, *requiescere* cum casu quarto nonnumquam jungi, docuit jam Servius. Ciris 233. *Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus*. Calpurn. Ecl. II. 15. ita expressit: *Et tenuere suos properantia flumina cursus*. *Lyncas* vero nolis in tali carmine memoratas, quod ad Siciliam pertinet. Certat cum Virgilio Popius *Pastor*. II. 5. sq.

6—13 Asinio Pollioni, a quo jussus erat carmen bucolicum condere, Eclogam hanc inscribit: pollicitus aliquando carmen majus, quo ejus laudes comprehendat: quæ duplicis generis sunt, et rerum gestarum v. 8. et ingenii operumque poëticorum 9. 10. Quod nomen Pollionis adscriptum non est, forte sic excuses, quod in fronte voluminis illud adscriptum erat. Interpungebam olim cum

Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi desinet; adcipe jussis
Carmina cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices ederam tibi serpere lauros.
Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba;
Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ:

DAMON.

Nascere, præque diem veniens age, Lucifer, almum;
Conjugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.

aliis *Tu mihi*, et accipiebam dictum, ac si voluisset subjungere: *ades;* sed desideravi æstu esse alio abreptum. Quod tamen non necesse, quandoquidem *mihi* sæpe sic otiose interponitur. Cæterum poëta inceptum sermonem deserit, et interponit ἐνθυμίαν illa: *en erit umquam—tibi desinet.* Jungenda adeo: *Tu mihi—adcipe jussis carmina cœpta tuis. Timavus* in ora Adriæ, non longe ab Aquileia fluvius ex terra novem fontibus seu capitibus progressus, brevi cursu, in unum alveum collectus, lato altoque flumine in mare exit. cf. Æn. I. 244. Pollio exercitum seu terra per Istriam, Illyricum, Dalmatas, versus Parthinos duxisse, seu mari Adriatico oram Illyrici præternavigasse, putandus est. Si prius illud: montes erant trajiciendi, in quibus Timavi fontes sunt. 7. *en erit umquam.* cf. ad Ecl. I. 68. 10. *Sola Sophocleo*—tragœdias tuas Sophocle dignas, sive Sophocleam gravitatem ac majestatem exprimentes, ut IX. 35. *Varo et Cinna digna dicere.* Asinium Pollionem tragœdias composuisse, supra vidimus Ecl. III. 84. sq. et Horat. Od. II. 1. Eas tamen illo tempore nondum in vulgus exiisse, ex his verbis intelligas; etsi non satis commode Maro Pollionis carmina, si tam præclara sunt, *suis* tamen laudibus in notitiam hominum adducere vult. 11. *tibi desinet*, ex τῷ *dicere*, *ferre*, carmen, in te desinet; laudes tuæ perpetuum meorum carminum argumentum erunt; ita simpliciter exponere malim, etsi dura oratio est. cf. Theocr. XVII. 1. 12. Permitte, ut inter laudes tuas bellicas etiam hic ex poëtico encomio honos tibi accedat, nec Musam meam dedignare. Hæc vero quam eleganter expressit poëta! Pulcre imitatus Popius *Pastoral.* II. 9. 10. *Accept, o Garth, the Muse's early lays, That adds this wreath of ivy to thy bays.*

16 *Incumbens—olivæ;* Wartonus *against an olive's trunk reclin'd;* hunc enim mœrentis hominis statum esse. Recte vero, modo usus loquendi ferret, arboris trunco acclinis aliquis stat vel recumbit; et alienum tum epitheton *tereti.* Sed nec alterum absonum; ut stet pastor nixus baculo; et baculus oleagineus ex more. sic in parte librorum Ovidii Met. II. 680. *Illud erat tempus, quo te pastoria pellis Texit, onusque fuit dextræ silvestris oliva, Alterius, dispar septenis fistula cannis;* etsi Heins. ibi ex aliis libris reposuit *baculum silvestre sinistræ*, quum vulgo legeretur, *baculus silvestris olivæ.*

17 *præque d.* præveniens diem age s. adduc. Æn. II. 802. *Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ, Ducebatque* diem. *Serv.* Vigilarat vero noctem miser amator. 18. *Conjugis* simpl. amicæ. cf. infr. 66. Ecl. VI. 52. Æn. IV. 536. *indigno amore*, h. perfido, quo ejus fides digna non erat; adeoque pro puellæ perfidia. 19. *testibus illis*, ab amica, Nisa, sæpe amori testando aut jurejurando vocatis. 20. *adloquor* incusandi eos causa: ἤδη γὰρ φράσθαι πάντ', ἄλλον ἄμμι διδύξειν: Theocr. I. 102. quæ hinc illustres, *queror deos et alloquor* jungunt alii.

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mænalus argutumque nemus pinosque loquentis
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis; ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Œtam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
O digno conjuncta viro! dum despicis omnis,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellæ,

21 Versus intercalaris ad imitationem Theocr. I. 64. II. 17. etc. factus: in eo interponendo non certum versuum numerum servat Maro. *Mænalios*, intell. Arcadicos, pastoritios, quales a pastoribus cani soliti in monte Arcadiæ, Mænalo; unde sqq. versus 22—24. subjicit, nam in Mænalo inter pineta pastorum carmina ipsiusque Panis assiduo audiuntur.

22 *pinosque loquentis*, idem quod *argutæ*, vento sonoræ, cf. Ecl. VII. 1. aut, quod cum Servio melius statuas, resonantes cantu. 24. *non passus inertis* esse, sed canoros; quod Ecl. II. 32. *Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit.* Color idem Ge. I. 124.

26 *quid non speremus amantes* sc. fieri posse? nihil non nunc expectare licet. *Omnia nunc fient, fieri quæ posse negaram.* *sperare* generali notione, ut ἐλπίσθαι pro εἶναι. Dicta haec cum indignatione et dolore videri possunt, ut illa v. 30. etiam cum sarcasmo.

27 *Jungentur* amore. Color ductus ex Theocr. I. 132. sqq. *Gryphes* poëta novo exemplo induxit; fabulosum monstrum ex hieroglypho ductum, quod ad Apollinem spectabat. *ævo sequenti*, simpl. in posterum. 28. *ad pocula*, ad potum.

29 *novas incide faces*, incisis lignis para taedas, ad novam nuptam domum ducendam. Epithetum *novas* ornat simpliciter. 30. *Sparge, marite, nuces*, qui antiquus in nuptiis Romanorum mos erat: eumque adeo poëta ad pastorum vitam traduxit. Spargebantur autem nuces nupta jam in domum et thalamum deducta, adeoque nocte jam orta: quam sponsi in gratiam solito citius oriri ait; hoc enim est: *tibi deserit Hesperus Œtam.* Itaque in votis novae nuptae ac sponsi tam frequens est Hesperi mentio. Est autem hoc, quod ab Œta Hesperus oriri dicitur, ab aliquo poëta Graeco ductum, qui aut in locis Œtaeis montibus subjectis vixit, aut rem in iis locis gestam, si recte conjicio, Pelei et Thetidis nuptias, narravit; inde hoc in sollennem poëtarum usum versum est, et quidem promiscue modo in ortu modo in occasu solis ac diei: cum uterque ab Hespero et a Lucifero designari soleat, ut sidus illud ab Œta in conspectum venire dicatur. Maroni autem proxime praeiverat Catull. LIX. 7. *Œtaeos ostendit noctifer ignes.* Porrigitur illud montium jugum ab oriente versus occidentem. In iis itaque, qui illum tractum habitabant, fuere, quibus Veneris seu Hesperi stella, quoties post solis occasum in conspectum veniebat, ab Œtaeis montibus oriri videri potuit heliace. Sic et Cul. 202. *Et piger aurato procedit Vesper ab Œta.* Vulgari enim more loquendi, quem poëtae sequuntur, astrum *oriri* dicitur, quod in conspectum venit; pro, *oriri*, autem sollenne est *surgere, procedere, venire* de astris, ut X extr. Astrum in numis Locrorum de Hespero interpretantur viri docti: Firmat conjecturam locus Strabonis IX. pag. 638. qui Ozolas publico sigillo inscriptum habuisse Hesperum testatur. Visitur autem illud non modo in numis Locrorum Ozolarum seu Hesperiorum ad occidentem habitantium, verum etiam in numis Opuntiorum. Luciferum ab Ida oriri Trojanis dixit noster Æn. II. 801.

32 *O digno c.* cum contemtu irrisio; nam non minus rusticum et multo se deformiorem esse eum innuit, cujus tamen illa causa perjura fieri sustinuerat: hoc v. 35. a causa exprimit. cf. Theocr. XI. 31.

Hirsutumque supercilium, promissaque barba;
Nec curare deum credis mortalia quemquam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sæpibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem;
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus;
Jam fragilis poteram a terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor: duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum nec sanguinis, edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sævus Amor docuit gnatorum sanguine matrem
Conmaculare manus: crudelis tu quoque, mater;
Crudelis mater magis, an puer inprobus ille?
Inprobus ille puer: crudelis tu quoque, mater.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et ovis ultro fugiat lupus; aurea duræ
Mala ferant quercus; narcisso floreat alnus;
Pinguia corticibus sudent electra myricæ;

37 *roscida mala*, rore matutino adspersa, δροσόεντα. *Sæpibus in n.*, h. in horto prope sepem; adumbrata suavissima hæc in toto hoc genere ῥῆσις ex Theocr. XI. 25—29, ubi pro pomis erant ἰοκόδεα φύλλα, flores. 39. *Alter ab u.*; h. duodecimus, ut Ecl. V. 49. *alter ab illo*, secundus. *me ceperat.* Uti *anni accedere, addi*, aut nos *ad annos pervenire, annos attingere*, dicimur, ita h. l. *annus capit, accipit* eum, qui annum duodecimum ingreditur. 41. *Ut vidi, ut perii*, ex Theocr. II. 82. III. 42.; cum vidi, tum statim amore exarsi ὡς—ὡς pro ὡς—ὅτως; seu ὥς: ut—ita. *ex quo,—confestim. error* vero pro insania, et hinc pro amore.

43 *Nunc scio*, sero scil. Ex Theocr. hæc Idyll. III. 15. sq., sed multo is modestius et ex imperiti pastoris persona decentius; quamquam sagacissimus Popius Virgilii rationem sequi maluit. *cotes* pro cautibus. 44. *Tmaros* Epiri mons, sub quo Dodona, Strabo VII. p. 505. *Rhodopen* Thraciæ nemo ignorat; at *Garamantes*, extremas, ut veteres credebant, Africæ supra Gætuliam partes incolentem populum, a pastore jactari quis queso ferat? conf. Æn. IV. 365. sqq. 45. *edunt*, pro ediderunt, genuerunt, ut in prosa oratione dicendum fuisset.

47 Haud dubie Medeam suos filios ex Jasone perfido marito mactantem respicit; cujus dum immane facinus ad Amorem refert, refugit simplicis pastoris animus horrore ad memoriam tanti sceleris; itaque ad corrigendum id, quod dixerat, subjicit; *crudelis tu quoque mater*. Etsi enim ad ultima mala impellere infelix amor possit; at tale tamen scelus nemo, nisi ipse immani ingenio sit, suscipiat. Cum tamen semel contra Amorem causam suscepisset, neque omnem propterea ab eo culpam removeri vellet, in dubitationem incidit, ita tamen, ut tandem culpam utrique communem esse decernat. Uti hæc recte, ut feci, defendere me posse arbitror, tamen ut præclare dicta extollere nolim. Inest enim jejuni et inepti lusus nescio quid; nec tollitur illud, si mater Venus sit. 49. *Inprobus* vero nil aliud, quam *crudelis, sævus*, Æn. II. 80. X. 727, unde fere permutatur cum *impius*.

52—56 Ex Theocr. I. 132—136. 54.

Certent et cycnis ululæ; sit Tityrus Orpheus;
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare. Vivite, silvæ;
Præceps aërii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
Desine, Mænalios jam desine, tibia, versus.
Hæc Damon: vos, quæ responderit Alphesibœus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

ALPHESIBŒUS.

Effer aquam, et molli cinge hæc altaria vitta;
Verbenasque adole pinguis et mascula tura:
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.

myricæ v. ad Ecl. IV. 2. 52. *aurea mala* v. ad III. 71. 56. *Orpheus in s.*, h. Tityrus, rudis cantu, nunc inter reliqua, quæ contra rerum naturam fiunt, erit alter Orpheus et Arion. Poëtica exornatione adjecit utrique determinationem ab externa aliqua ratione: Orpheus inter feras, Arion inter belluas marinas. Ita adjecta erant: *Fraxinus* in silvis,—*pinus* in hortis: Ecl. VII. 68.

58 *medium mare. medium* interdum non ita definite sed paullo pinguius dici, dudum docuere viri docti. *Vivite*, valete etc.; ducta hæc ex Theocr. I. 115—118. 59. Nimis subtile est, quod respicere volunt pastorem ad scopulos Leucatæ, promontorii, Sapphus jactu nobiles. *Specula* pro cacumine, ex σκοπιά. Expressit autem Theocr. Idyll. III. 25. 60. *hoc munus*, int. carmen, quod cecinit: non mortem: quæ non posit esse *munus morientis*. Etsi per se amicæ aliquis spiritum ac vitam pro munere offerre velle posset. Respexit ad Theocr. III. 24. 25. et XXIII. 20. 21. et sup. Ecl. II. 7. *mori me denique coges.*

63 *non omnia p. o.* Alphesibœi carmen, tamquam doctius, recitandum ad Musas refert. Causam per proverbium reddit: se ei recitando non æque ac superiori carmini parem esse: quia *non omnia possumus omnes.* Ductum esse ex Lucilio testatur Macrob. VI. 1. p. 575. *major erat natu: non omnia possumus omnes.* Multo tamen ingeniosior ratio illa Popiana est *Pastor.* III. 56. *Next Ægon sung, while Windsor groves admir'd. Rehearse, ye Muses, what yourselves inspir'd.* Est autem hoc, quod sequitur, carmen ex Theocrit. Pharmaceutria Idyll. II. adumbratum. Mulier aliqua venefica inducitur amatorem suum, a se abalienatum, et ex agro in urbem profectum, magicis sacris ad se revocans. Loquitur vero cum Amaryllide sacrorum horum administra.

64 Apparatum sacri magici curare jubet venefica: Stat ara, affertur aqua lustralis, coronatur ara, verbena in ara accenditur, cum ture. *vitta molli*, quia lanea Theocrit. Idyll. II. 2. εἰὸς; ἁπαλῷ. 65. *Verbena* modo de omni herba e sacro loco petita, modo de genere aliquo dici videtur. *Masculum tus* vocabant veteres optimum ac præstantissimum: idem *stagonias* appellatum, in guttæ speciem rotundum. Jam *adolere*, quod proprie fuit augere, cumulare, translatum est ad genus augendi, inprimis in sacris, *augere flammam, ignes*; unde usu deductum est eo, ut sit simpliciter cremare. 66. *sanos avertere—sensus.* Recte Serv. a sanitate mutare, pervertere; παραστρέπτειν. Est pro vulgari: in amoris insaniam vertere, insanum amore reddere. Puellæ mentio nulla fit, a cujus amore eum avertere et avocare possit. Apud Theocritum est, sacro magico facto incantare καταδύσασθαι l. l. v. 3. Ὦ; τὸν ἐμὸν βαρὺν εὖντα φίλον καταδύσομαι ἄνδρα. *sana* vero ornandi caussa adjectum: quia ad insaniam et amorem vertebat. *Conjux* simpl. amator, ut sup. 18. et sic Gr. ἀνὴρ, ut Theocrit. 67. *carmina* de magica formula accipe.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam;
Carminibus Circe socios mutavit Ulixi;
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Dúcite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnín.
Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco; numero deus inpare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo; et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit
Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragilis incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.

69 De his teratologiis magicarum artium v. ad Horat. Epod. V. et XVII. Interea ad superstitionum caussas attendere velim animum, ut intelligas, esse fere eas aut a rebus insolitis et præter naturæ morem fieri creditis aut ab aliqua similitudine, modo tropica, modo allegorica, petitas; rebus physicis plerumque ad animorum sensus traductis. 71. *cantando* pro incantando, fascinando. *Frigidus* ex natura anguium dictum, ut supra III. 93. et male alio trahitur. *rumpitur*, disrumpitur. Gesnerus Thes. h. v. malit *a nocendo cohibetur* exponere, quia fere *rumpi* dicuntur, qui defatigantur, conficiuntur. Scilicet insederat viro exquisitæ doctrinæ hoc, quod sisti fere serpens, ac detineri carmine aut torpere, solvi ac rigere, dicitur. δολιχὴν ἀναλύετ' ἄκανθαν Γηγενέος σπείρης, μήκυνε δὲ μυρία κύκλα Apollon. IV. 150. Sed et alterum memorari solitum fuisse, nunc uno Ovidii loco docebimus Am. II. 1. 25. *Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues*; in quem sensum *rumpi* ut accipiamus, suadet sermonis ratio et usus.

73 Dum hæc loquitur maga imagunculam Daphnidis tenere eamque tribus filis, diversi quoque coloris, circumdare et circa aram portare putanda est. 75. *deus* universe, cum proprie sit Hecate, cui magica sacra fiunt. 77. tum illa jubet ancillam *ternos colores tribus nodis*, h. e. tria fila diversi coloris unumquodque suo nodo, nectere verba præfatam: Veneris hoc vinculum se esse velle.

80 Duas Daphnidis imagines, alteram e limo, e cera alteram, igni admoveri puta. Cerea etiam ap. Theocrit. II. 28. est; minus bene Servius alteram ex limo ipsius veneficæ esse vult: nam sequitur; *sic nostro Daphnis amore*, scil. liquescat molliaturque in amorem mei, obdurescat vero et obfirmetur animo ad constantiam amoris.

82 Aliud venefica nunc aggreditur; laurum incendit ut Daphnis eodem modo amore incendatur. *molam*, far et salem, ut etiam Theocr. v. 18. et 21. *fragilis* Lucretii VI. 111. auctoritate a sono ex fragore explicant, *crepitantes in flamma*, quod ominis loco in hac arbore observabatur. Mox 83. *in Daphnide*, ἐπὶ Δάφνιδι, in Daphnidem, quod in Daphnidem vertat, ut is eodem modo flamma amoris consumatur. Theocr. l. l. v. 23. Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν· ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν Αἴθω etc. Horat. Epod. V. 81. Scilicet magicæ hæ rationes fere symbolicæ sunt, quarum congruentiam et similitudinem physicum aliquem effectum habere stultitia hominum aut credidit, aut aliis persuadere voluit.

Talis amor Daphnin, qualis, quum fessa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva,
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti,
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui: quæ nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando; debent hæc pignora Daphnin.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto:
His ego sæpe lupum fieri, et se condere silvis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulcris,
Atque satas alio vidi traducere messis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput jace; nec respexeris: his ego Daphnin
Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Adspice: conripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est; et Hylax in limine latrat.

87 *Propter aquæ rivum*; ex usu poetarum, Horatii, Tibulli præeunte Lucretio. cf. Ecl. V. 47. 88. *nec seræ—decedere nocti*, elegantius ad poëticam rationem, quam *sera nocte*; quod aliis verbis dixit Statius Theb. VI. 191. *Tunc piget ire domum, mœstoque novissima campo Exit et oppositas impasta avertitur herbas.* Locus omnino pulcherrimus; in quo Varium expressit noster, docente Macrob. Sat. VI. c. 2. Dixerat ille de cane cervæ vestigiis insistente: *Non amnes illam medii, non ardua tardant, Perdita nec seræ meminit decedere nocti.* Est Homericum πεδώμεσθα νυκτί, ut Odyss. μ, 291.

93 *debent hæc pignora D.* expectat hoc a defossis sub limine vestibus, ut ad eas Daphnis vel invitus retrahatur et redire cogatur. Variavit Theocriteam rationem l. l. 53. 54. 59. 60. *Liminis* autem sollennis mentio in poëtica oratione, cum aut admittuntur aut admitti cupiunt, aut excluduntur amantes.

95 Lecta in Ponto venena commendantur, quia Medea iis usa erat. Magica quæ sequuntur miracula nimis nota sunt, quam ut aliquis in iis hæreat.

101 Novum et fortissimum præter cætera incantationis genus adgredi videtur, ut cineres ex ara in aquam fluentem, et pone caput jaciat; quod partim cum expiationis, fluminis aqua viva fieri solitæ, ritu, partim cum eo more conjunctum esse puto, quo diis inferis aliquid devovetur. conf. Theocr. XXIV. 92. 94. 103. *nihil ille deos*, deos, qui inter incantandum vocati fuerant. Quandoquidem omni magico ritu nihil adhuc effeci, experiar novissimum. Et ecce v. 105. hoc effectum habet.

105 Non necesse hæc ex alia quam ex veneficæ persona dici. Ipsa illa simul cum ministra admovere cineri manus poterat. *cinis conripuit tremulis flammis*, h. flammæ ex

Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina, Daphnis.

ECLOGA IX.

MŒRIS.

ARGUMENTUM.

Ad urbem Mantuam hædulos deportanti Mœri, villico, (qui homines et ipsi servi erant, v. Ecl. I. 28. Cic. Verr. III. 50.) adjungit se in itinere Lycidas, ætate florente pastor et carminum studio flagrans; a quo viæ caussam rogatus Mœris calamitates suas, dominique, Menalcæ, injurias ac pericula inter eundum, id quod aliquantum jucunditatis habet, commemorat; cumque sermo ad Menalcæ carmina deductus esset, recitat uterque nonnulla ex iis fragmenta ac locos, qui fere ex Theocrito conversi sunt, uti tota carminis forma ex ejus Idyllio septimo ducta est. Totum carmen ad certum poëtæ consilium compositum, ejusque, sub Menalcæ nomine, fortunam ac temporum calamitatem in eo adumbratam esse, manifestum fit. Ex ipso carmine hæc saltem confirmantur: scriptum id esse eo anno, quo agri Cremonenses ac Mantuani inter Veteranos divisi essent, U. C. 713. adeoque paullo post primam eclogam; Virgilii fortunam sub Menalcæ persona adumbrari; hunc quidem caussam habuisse in largitione ista agraria agros suos sibi relictum iri ut crederet; atque ita vulgo creditum fuisse; ejus rei spem ac fidem carminum gratiam fecisse v. 6—10; fuisse tamen illum possessionibus suis ejectum, neque id sine magno periculo, v. 15. et 16. Carmina ipsa, quæ intexta sunt, numero quatuor, sunt partim e Theocrito versa, partim ad temporum conditionem accommodata v. 46. sq. Lycidæ pueri studium et cupiditas audiendi delectat 56. sqq. Omnino carmen spiritum Maronis et dignitatem epicam prodit; etsi in summa argumenti equidem non multum ingenii agnoscam.

LYCIDAS. MŒRIS.

LYCIDAS.

Quo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

MŒRIS.

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
Quod numquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Hæc mea sunt: veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.

cinere moto corripuere aram; h. e. exarserunt, in ara; res ominosa, ut notum. 106. *cinis ipse*, αὐτὸς, sponte. 107. *Nescio quid* est certe aliquid; evenit, quod veneficio efficere volui.

ECLOGA X.

1 Forma ducta ex Theocrit. VII. 21. sqq. ἃ πόδες ἄγουν, Theocr. XIV. 42. 2. *vivi pervenimus*, scil. eo, *ut possessor advena agelli diceret*. 5. *victi* oppressi, afflicti, quibus id, quod victis evenire solet, contingit, ut fundos amittant. 6. *quod nec b. v.* "quæ res in ejus perniciem vertatur." Serv. quod male ei sit, cum imprecatione novi heri, cui hædi ex agro in urbem apportandi sunt.

LYCIDAS.

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam, et veteres, jam fracta cacumina, fagos,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.

MŒRIS.

Audieras; et fama fuit; sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi me quacumque novas incidere litis
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix:
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas.

LYCIDAS.

Heu! cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
Pæne simul tecum solatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontis induceret umbra?
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Quum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?

7 Situm agri Virgiliani puta fuisse hunc, ut ille inde a collium clivo usque ad Mincium fl. et fagos ibi satas pertingeret. conf. Ecl. I. 52. Not. *subducere* se colles dicuntur, qui ex alto in planum deducuntur, decrescunt. cf. Burm.; iidem colles *demittunt jugum molli clivo*, cum dorsum collis molliter declive lenem ad planitiem et fl. Mincium descensum præbeat. 9. *Fagos* fractas puta seu vi hostili seu procella et vetustate, quod præstat. In priore agnoscas imitationem Dirarum Valerii Probi 26. *Tu nemus, et multum nostris cantata libellis Optima silvarum—Non fundes virides umbras—Militis impia cum succidet dextera ferro.*

13 *aquila veniente*, irruente, hostili et infesto animo. In animo habuit poëta Lucret. III. 751. *tremeretque per auras Aëris accipiter fugiens veniente columba. Chaoniæ* vero *columbæ* sollenni epitheto a Dodonæo luco et oraculo per columbas s. palumbes edito. Erat autem Dodona urbs Epiri, vetustissimis temporibus a Chaonibus habitatæ. 14—17 Nisi augurio monitus fuissem, ut *quacunque* via ac ratione, jurgia cum veteranis in agros immissis præciderem; capitis periculum una cum hero Menalca adiissem.

18 *solatia*, carmina erepta.

20 *spargeret—induceret*, dicta poëtico acumine, quod Ecl. VI. 62. 63. vidimus, h. caneret, ut sparguntur—ut inducuntur; aut ut sparsa floribus sit terra, utque fontes arboribus umbrosis consiti sint. Respicit autem Eclogam quintam, inprimis v. 20. et 40. *Spargite humum foliis; inducite fontibus umbras.* Utrumque vero dici, et, *fontibus inducere umbras*, et *fontes inducere umbris*, docet Burm. ad h. l.

21 *Vel quæ* sc. quis caneret, quis cecinisset vel ea, quæ nuper, te non sentiente, cum caneres, ex te didici, quando ad Amaryllidem te conferebas. Tum subjicitur vss. 23—25. breve carmen ex Theocrit. III. 3—5. ad verbum conversum. 22. *Amaryllida, delicias*

Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas;
Et potum pastas age, Tityre; et inter agendum
Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

MŒRIS.

Immo hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebat.
Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ!)
Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.

LYCIDAS.

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos;
Sic cytiso pastæ distendant ubera vaccæ:
Incipe, si quid habes. Et me fecere poëtam
Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

nostras: aut communem utriusque amicam dicere voluit, aut pro, meam amicam. Neutrum placet; hoc tamen magis consentaneum, quandoquidem Mœris jam senio fractus est v. 51.

27—29 Aliud breve carmen. Aut quis hæc caneret, quæ etc. *Vare, tuum nomen cantantes s.—superet modo*—Nexus sententiarum esse videtur hic: Si modo Mantua ab interitu servata fuerit: nomen tuum per totum agrum Mantuanum celebrabitur. Poëtico, si non pastoritio, phantasmate, quo omnis natura sensu rerum jucundarum et molestarum imbuitur, ad olorum cantum id revocavit: quandoquidem cantus tribui iis solet: ipsi cygni tuum nomen celebrabunt. Commemorat hos quia Mincius iis abundat Ge. II. 198. 199. *Et qualem infelix amisit Mantua campum, Pascentem niveos herboso flumine cycnos.* Ut *cycni* poëtæ sint etsi illud aliis locis occurrit v. ad Horat. IV. Carm. 2. 25. vix video, quomodo commode fiat. Ita esset: poëtæ Mantuani Varum celebrabunt; saltem dictum erit de uno Marone. Cygnorum cantum, saltem silvestrium, nostra quoque ætate rerum experimento vindicarunt plures viri docti, in his Abb. *Mingez. superet modo M.;* h. incolumis et salva sit, agris redditis; quo facto, ipsi Virgilio suæ possessiones conservabantur. 28. *væ miseræ n.* Scilicet, cum Cremonensium, qui Cassii et Bruti partes sequuti fuerant, agri militum numero, cui assignati fuerant, non sufficerent, proximi agri Mantuani additi sunt, licet ea urbs in Augusti partibus fuisset.

30 *Sic* nota obtestandi formula: cf. Ecl. X. 4. 32. *Incipe* canere, *si quid habes*, quod canas, aut potius, quod memineris ex Menalca auditum: sic apibus et gregibus tuis bene eveniat. *Cyrneas taxos*, Corsicanas, ex Κύρνος. Taxus omnino mellificio exitiosa: Ge. IV. 47. *Neu propius tectis taxum sine. Cyrneas* ergo non aliter accipies, quam ut a notiore ac famosiore genere epithetón taxis dederit. *Mel amarum* in ea insula confectum, satis notum post tot de Corsica virorum doctorum commentationes. 33—36. ex Theocrit. VII. 37—41. 92. sqq. De v. 34. docta est Macphersoni disputatio in *Critical Diss.* p. 205. qua efficere vult, vocabulum *Vatis* Virgilium a Gallis suis Cisalpinis petiisse; fuit enim inter Celtas Vatum seu Eubatum, Euhagum, ordo, Bardos etiam dignitate antecellens. conf. Strab. IV. pag. 302. Ammian. XV. f. Enimvero concidit omnis haec subtilitas, si memineris, Virgilium Latine reddidisse Theocritea, in quibus ἀοιδὸς est, nec diversum esse vatem a poëta.

35 *Varius* nobilis *Thyestæ* auctor. *Cinna*

MŒRIS.

Id quidem ago, et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
Hic ver purpureum; varios hic flumina circum
Fundit humus flores; hic candida populus antro
Inminet, et lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades: insani feriant sine litora fluctus.

LYCIDAS.

Quid, quæ te pura solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.

MŒRIS.

Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum;
Astrum, quo segetes gauderent frugibus; et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoque; sæpe ego longos

Smyrnam scripserat, carmen, quod decem annis elimaverat. Ruæus parum validis rationibus ad Cornelium Cinnam magnum Pompeii ex filia nepotem refert. Poëtas esse hic intelligendos, versus sequens arguit: *inter olores*. 36. *Anserem* aliquem ejus temporis poëtam, de quo Ovid. Trist. II. 435. et ad quem Cic. Phil. XIII. 5. respicere putatur, hic tacite vellicari, docet Servius. Sed anserem ex opposito olorum natum esse et expressisse nostrum Theocritea, probabile fit Idyll. VII. 47. Odio mihi sunt Musarum alites, Μοισᾶν ὄρνιχες (ut ap. Horat. *Mæonii carminis aliti* Vario), qui cum Homero contendunt, ὅσοι, ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν Ἀντία κοκκύζοντες, ἐτώσια μοχθίζουσι. *arguti* sunt canori.

39. Ex Theocr. XI. 42—49. 63. sq. cf. V. 45. sq. ductum, sed oratione variata: nobile vero bucolici generis argumentum Cyclopis amor et Galateæ in eum asperitas. Quis non ex Theocrito meminerit Idyll. XI. 40. *ver purpureum* pro pulchro, a splendore purpuræ petitum; non a colore; ut notum. 41. *candida populus*, ἡ λεύκη. 42. Frondes vitium memorat, utpote in vere.

44 *pura sub nocte*, serena.

46—50 Persuasione vulgi, quæ tum erat, stellam crinitam, quæ inter ludos D. Julio ab Augusto habitos apparuerat, U. C. 711. animam Cæsaris in cælum recepti esse ingeniose poëta ita utitur, ut eum inter deos ruris relatum esse fingat. conf. Ge. I. 26. 27. Cæterum istam stellam in numis gemmisque conspici, notum est. 47. *Dionæi*, quod Cæsar genus ab Iulo, adeoque Anchisa et Venere, ducere credebatur; mater autem Veneris *Dione*. *Julium sidus* Horat. Od. I. 12. 47. *processit*, orta est stella. Ecl. VI. 86. *invito processit Vesper Olympo*. Alio modo *menses procedunt* Ecl. IV. 12. Laudant Homer. Iliad. κ, 252. ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε, verum hic alio modo dictum est et petitum a motu et progressu siderum ad occasum vergentium ad oculorum sensum notato. Ejus vero stellæ ortus bonum frugum proventum ominari et maturare fingitur. 50. *Insere*, seu proprie, seu omnino: planta.

51 *Omnia fert ætas, animum quoque*. Memoria deficiente Mœrin subito obticuisse, nec, quod cœperat implere potuisse, puta;

Cantando puerum memini me condere soles:
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Mœrin
Jam fugit ipsa: lupi Mœrin videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi sæpe Menalcas.

LYCIDAS.

Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet æquor; et omnes,
Adspice, ventosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulcrum
Incipit adparere Bianoris: hic, ubi densas
Agricolæ stringunt frondes, hic, Mœri, canamus;
Hic hædos depone; tamen veniemus in urbem.
Aut, si, nox pluviam ne conligat ante, veremur,
Cantantes licet usque (minus via lædat) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.

addit itaque cum dolore: Omnia aufert, eripit, atterit ætas, etiam animi vires, memoriam. Atqui sæpe ego me, dum puer essem, memini, totos dies æstivos cantando exigere; nunc tot carminum oblitus sum, ipsa etiam vox me deficit. 52. *condere soles*, ut Horat. IV. Carm. 5. 29. *Condit quisque diem collibus in suis*; pro vulgari, videt diem condi. Quod fit in tempore, tribuitur alteri tamquam actio: exigit diem, peragit, fugat, finit, adeoque quoque, condit. Præiverat Callimach. in Epigram. 2. 3. ἐμνήσθην δ' ὁσσάκις ἀμφότεροι Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν. Sic et; *noctem, lucernam, producere.* 54. *lupi Mœrin videre priores*; in prosa extulisses: Obticui (subito destituente me memoria), quasi lupus me primus vidisset; ex opinione ac proverbio vulgari, cui ratio a metus subiti contactu subesse potuit. Habet et hoc a Theocr. XIV. 22.

56 *Caussando n.*; caussas et excusationes afferendo differs meum desiderium, canentem te audiendi: Lucret. I. 399. *Quapropter, quamvis caussando multa moreris, Esse in rebus Inane, tamen fateare necesse est.* 57. *æquor*, int. lacum, in quem non longe a Mantua fl. Mincius diffunditur. *Sterni* et ϛορεῖσθαι, καταϛορεῖσθαι, de tranquillitate maris sollenne, ut Theocr. VII. 57. ut et *silere* de ventis cessantibus, ut Theocr. II. 38. Ἡνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἄῆται. 58. *vento i ceciderunt murmuris aurae* in soluta oratione: murmur auræ cecidit, et hoc pro ipsa aura: aura, ventus cecidit. Scilicet, *aura murmuris* dictum est pro aura murmurans, sollenni poëtarum Græcorum et Romanorum, atque etiam Orientis, more, adjectivum vel participium in substantivum mutandi; unde existit *aura murmuris*. Diversa est ratio, qua ætheria aura, luminis aura, et sic alia dicuntur: de quo v. ad Georg. II. 47. Epitheton proprie ad auram spectabat: *ventosa aura*, ut Ovid. Medic. fac. 57. *Hæc ubi ventosas fuerint siccata per auras.* Ante oculos habebat Maro Theocriti suavissimum versum: τὰ δέ νιν καλὰ κύματα φαίνει Ἄσυχα καχλάζοντα Idyll. VI. 11. 12. conf. II. 38. 60. *Bianoris* eundem cum Ocno et conditorem Mantuæ facit Servius hic et ad Æn. X. 198—200. Destituitur tamen totum hoc assertum idonea auctoritate, nec aliis quam aliquis ex illustribus viris vel ex heroibus Mantuanorum fuisse videtur ille Bianor. Vestigia autem pressit Theocrit. VII. 10. 12. 61. *stringere* simpl. int. decerpere, amputare. cf. ad Ecl. I. 57. Georg. II. 368. 62. *tamen veniemus*, "etiamsi paullulum quiescentes dederimus operam cantilenæ." Serv. 63. *nox pluviam ne conligat ante*, ne cum vespera nubes in pluviam colligantur. 64. Pressit et hic vestigia Theocriti VII. 35. 36. 65. *hoc fasce*; hædorum,

MŒRIS.

Desine plura, puer; et, quod nunc instat, agamus.
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

ECLOGA X.

GALLUS

ARGUMENTUM.

C. Cornelius Gallus amicam Lycoridem habuit, quam etiam elegis celebravit. Is a perfida amica desertus, magno dolore oppressus, in hoc carmine tamquam pastor aliquis in Arcadiæ montibus ac silvis, sub antro aliquo projectus, amores suos deflere fingitur. Objurgat poëta Naidas, quod solæ non adfuerint Gallo amoris curis confecto 8—12.: cum tamen amoris et miserationis affectum testatæ ei sint ipsæ inanimatæ res, arbores et saxa, 13—15.; tum greges cum pastoribus 16—20. Miserandi et consolandi causa accessere ipsi dii: Apollo 21—23.; Silvanus 24. 25.; Pan 26—30. Tum Gallus, in lamenta et questus erumpens, suam sortem et infaustum amorem conqueritur; malle se pastoris vitam agere 31—43. Nunc in castris versari amicam in Gallias profectam 44—49. Videtur tamen vel sic sibi repente in rus migrasse et aliis curis amoris tormenta levare 50—61.; sed amoris mox impatientia victus nulla inde solatia expectat 62—69. Præmittitur exordium poëtæ, cum epilogo quo singularem Galli amorem testatum facit. Habet hoc carmen miram artem ac suavitatem; primum in eo, quod omnia ad majorem Galli dignitatem, non modo ad vitam pastoritiam, sed ad tempora heroica, in quibus permisti mortalibus dii viverent, relata et ex sensibus et opinionibus istorum sæculorum adumbrata sunt; quare etiam ferre debemus, si quæ paullo altiore ac graviore spiritu hic dicta reperiamus; deinde vero quonism impotentis et spreti amoris æstus ille ac furor, in omnes partes animum rapiens, ipsum legentis animum commovere videtur; quamquam hac in parte Theocriti vestigiis institit Idyll. I. unde, quæ de Daphnide dicta erant, in Gallum transtulit, ut multa tantum Latinis verbis reddiderit, in aliis autem cum eo certaverit; universe vero a simplicitate et venustate pastoritii carminis et Theocritea suavitate in plerisque recesserit.

Jam de *Lycoride* addunt Interpretes Servio duce: fuisse ejus verum nomen *Cytheridem*, et esse eam eamdem cum Antonii amica illa, mima, ex Ciceronis Philipp. II. 24. 25. infami, cujus nomen verum fuit *Volumnia*, quoniam Volumnii Eutrapeli liberta esset.

EXTREMUM hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed, quæ legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,

quos portat, onere. 66. *desine plura* dicere. 67. *ipse*, Menalcas.

ECLOGA X.

1 *Arethusam*, Nympham Siciliæ, ut in carmine bucolico, pro Musa, invocat. cf. Eclog. VII. 21. 2. *sed, quæ legat ipsa L.* scil. ut et erubescat de levitate sua ac perfidia, et, tam bonum ac constantem amatorem indigne deseruisse, ut pœniteat. 4. *fluctus s.*

Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera adtondent simæ virgulta capellæ.
Non canimus surdis: respondent omnia silvæ.
Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere, puellæ
Naïdes, indigno quum Gallus amore periret?
Nam neque Parnasi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricæ;
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Mænalus, et gelidi fleverunt saxa Lycæi.
Stant et oves circum; (nostri nec pœnitet illas;
Nec te pœniteat pecoris, divine poeta:
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis)
Venit et upilio; tardi venere bubulci;
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.

Sicanos, maris Siculi, Ionii; unde *Doris amara* pro aqua salsa ac marina. Videtur hoc primus aliquis ex Alexandrinis poëtis novasse, ut Nerei conjugem hanc et Nereidum matrem (Met. II. 268. 269.) pro mari diceret. Nota est vel ex Moschi frag. VII. de fonte hoc Siciliæ et ejus cum Alpheo, flumine Elidis, intercursu fabula, v. Ovid. Met. V. 513. sqq. conf. Æn. III. 694. 6. *sollicitos amores*, qui animum sollicitum reddunt, cruciant, πολυκηδὴς, πολυμόχθους. Theocr. X. 20. ὦ Ἔρωτος Ἔρως. 8. *respondent*, resonant, per echo. cf. *Pope Pastor.* II. 13. sqq.

9 sqq. Solæ Naïdes non adfuistis Gallo mœrenti. Ex Theocr. Idyll. I. 66. sqq. *Pope* ibid. v. 23. *Milton* in Monodia, Lycida: *where were ye, Nymphs*, etc. 10. *indigno—amore*, quo dignus non erat; cum meliore flamma, ut Horat. Od. I. 27. dignus esset tam obnoxius, tam constans amator, non ut a perfida et levi puella sperneretur. Naïdes fontium et amnium deæ sunt, itaque Parnassus et Pindus respectu fontium memorantur; ut in Helicone *Aganippe* est. Aonas olim Bœotiam incoluisse obvia res est. 14. 15. Si montes Arcadiæ, *Mænalus* et *Lycæus* (τὸ Λύκαιον), Gallum defleruntt: necesse est, in Arcadia nunc fingi Gallum sola sub rupe jacentem; Arcadiæ etiam accommodata sunt reliqua.

16 *nostri nec pœnitet illas.* Omnino hanc sententiam afferre voluisse videtur: etiam ipsi ovium greges, pascuorum immemores, tuum dolorem miserari visi sunt; hoc ex Theocr. l. l. v. 74. 75. quod cum nude ponere poëtam dedeceret, adjunxit alterum, quod commendati eo nomine greges esse, adeoque nec petitum ab iis carminis argumentum Gallo displicere debeat: ut sup. Eclog. VI. 2. *nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.* Scilicet *nostri nec pœnitet illas* proprie est, contentæ sunt nobis pastoribus; sed cum vi dictum, pro: gaudent nobis; cantibus nostris delectantur, et nunc etiam nobiscum lugere sortem nostram non dedignantur; nec tu itaque aut curam eorum te indignam judica, nec in meo carmine sub pastoris persona exhiberi dedignare. Etiam Adonis pastoris munus ac nomen non detrectavit. 18. Est hæc de *Adonide pastore* paullo reconditior fabula; sed est a Theocr. I. 109.

19 In repetito *venit* colorem orationis similem Homericæ Odyss. Υ, 322. agnoscebat Ernesti ad e. l. *Venit et upilio.* Ad consolandum Gallum accessere etiam pastores; et primum quidem venere ovium custodes, tum bubulci, *tardi* a lento et tardo ingressu boum, quos pascunt. 20. *Uvidus h.* Venit etiam subulcus Menalcas; de quo, id quod maxime in subulcum conveniret, addit hoc: eum modo de nocte in silvis glandibus ad pastum gregis hibernum legendis vacasse.

Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit, tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore
Florentes ferulas et grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiae venit: quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.
Tristis at ille, Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus haec vestris; soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae!
Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,

Hinc uvidus a rore matutino. *hiberna glande:* In hiemem a poëtis Italis referri solet glandium colligendarum tempus. Georg. I. 305. genialis hiems:—*Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus.* Sic arbutorum Georg. II. 520. ubi de hieme agitur. Lucret. V. 938. *quae nunc hiberno tempore cernis Arbuta.* Hic vero Maronis ingenium desidero. Nam, si hiberno tempore Menalcas e silvis redux h. l. fuit, reliquorum, quae memorantur, ratio parum constat. Ut poëtam ex his inquis expedias, esto glans in hibernum usum parata; cui sic iterum haerere poteris in florentibus ferulis et liliis v. 25.

21 *unde amor iste*, h. a qua puella: quam puellam amas? τίνος ὦ 'γαθὲ [illegible] [illegible]; v. 78. 22. cf. v. 47. 24. *agresti capitis Silvanus honore*, ornatus serto e ferulis et liliis. Ita scilicet et a poëtis et in priscis monumentis Silvanus exhibetur, ut coronam ex frondibus arboreis, aut grandibus floribus et arundinibus gerat, [illegible] cf. Georg. I. 20. [illegible] aut aliam arboris [illegible] [illegible]. Lucret. IV. 591. quem exprimere h. l. noster videtur: *Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans.* add. Ovid. Fast. I. 411. III. 84. Eximia cum venustate hoc idem [illegible] Columella X. 43. *Sed* [illegible], [illegible] *sua tempore pomis*, et Hymenaeum [illegible] *cantes capite quassare coronas* ap. Claudian.

XXXI. 96. Caeterum in his versibus color ductus esse videtur ab Odyss. α, 56. sqq. *Ferula* autem frutex, foliis foeniculo, specie et usu arundinibus, quibus pro baculis utimur, similis; Graecorum νάρθηξ. Nihil autem novi, coronas ex arundinibus, frondibus arboreis, esse factas.

27 *rubentem*, cf. sup. ad VI. 22. *Ebulum* herbae genus, baccas rubras, in similitudinem sambuci, proferens. 29. *Nec lacrimis crud. Amor.* Amor h. l. de deo accipiendum, si [illegible] sententiam [illegible] [illegible]. Amor χαλεπός; non modo dolorem et cruciatum miserorum amantium nil curat, sed etiam ridet, [illegible], ut Moschus Idyll. I. 11. [illegible]; nec lacrimis amantium crudelis ejus animus unquam satiari neque expleri, aut ad misericordiam verti: cf. v. 64. 65; id quod deinde poetica rerum animatione ornat.

31 *Tamen cantabitis, A.*; et si Amor talia nil curat, neque querela quicquam proficit contra ejus saevitiam [illegible], tamen ad solatium dolorem meum et levandum facit, si [illegible] haec [illegible] quae sequuntur, [illegible] fortunam meam, [illegible], ut subjicit ipse v. 34: erunt alias inter argumenta pastoralis carminis, Galli infelices amores. 35. Ductum ex Theocr. VII. 86.

Seu quicumque furor, (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite jaceret;
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes; hic mollia prata, Lycori;
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer ævo.
Nunc insanus amor duri te Martis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostis.
Tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum!)
Alpinas, ah dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah te ne frigora lædant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et, Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelæa ferarum
Malle pati tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ; crescetis, amores.
Interea mixtis lustrabo Mænala Nymphis;

38 *Seu quicumque furor.* Quamcumque sive puellam sive puerum amarem, eum amplexibus tenerem sub vite; nec in amorem perfidæ Lycoridis incidissem. Characterem autem miseri amantis hic expressum meminisse debemus, qui, cum ipsis querelis suis in imaginem rei gratæ et animi affectum illudentis incidisset, in ea sibi placet, ei inhæret, eam prosequitur. Mox tamen v. 42. iterum ad Lycoridem redit. 39. conf. Ecl. II. 16. 19. ex Theocr. X. 28. sed ibi venustius et opportuniore loco. 43. *ævo*, senectute, quod Tibull. III. 3. 8. *inque tuo caderet nostra senecta sinu:* pro vulgari: tecum senectam consumerem.

44 Ad Lycoridem hæc spectant in castris cum amatore versantem: *Amor te detinet.* Antea erat *me.* Ita vero versabatur eodem tempore Gallus in aliqua expeditione; nisi sub Augusto ad Pompeianas classes ab Italiæ littoribus arcendas eum in armis fuisse dixeris. Atqui omnia hæc aliena sunt ab eo, qui in Arcadia inter pastores desidere fingitur v. 14. Servius *me*, meum animum, interpretatur; mente et animo cum Lycoride esse.

46 *nec sit mihi credere*, h. utinam liceat mihi non credere! εἴη μοι μὴ πεῖσθαι, ne cogar credere. *tantum*, tantam, tam atroeem rem. Cæterum in Servianis ad h. l. *Hi omnes versus Galli sunt, de ipsius translati carminibus.* Nec improbabile hoc fit, e Galli carmine Maronem nonnulla expressisse. Qui tamen aut quot versus Gallo debeantur, nemo dixerit. Fontaninus hist. litt. Aquilei. p. 35. novem usque ad vs. 54. Galli esse contendebat.

50 *Chalcidico versu* h. Euphorionis, sive Latine reddito, sive imitatione expresso (hoc quidem Probus firmat: "Euphorion—cujus in scribendo colorem sequutus videtur Gallus"), et quidem de Apolline Gryneo ejusque oraculo: v. sup. VI. 72. Respicit h. l. Quinct. X. 1. 56. qui, quod Chalcidico versu conditorum carminum mentionem facit Maro, inde colligit, Euphorionem ei fuisse probatum. Jam ea carmina fistula canere instituit. Egregie autem misere cruciati et in omnes partes rapti animi inconstantia exprimitur. Nunc enim in solitudinem sese abdere constituit; mox venari, nunc omnia ista aspernatur. 53. *pati*, amores: h. durare et vivere. Sic *pati* absolute positum. 54. *crescent illæ: crescetis, amores!* hoc vero, si quid aliud, Virgiliana elegantia dignum. Compara Ovid. Epist. V. 23. 24. *Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt. Crescite, et in titulos surgite recta meos!*

55 *mixtis—Nymphis* pro vulgari permix-

Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit, tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore
Florentes ferulas et grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.
Tristis at ille, Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus hæc vestris; soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ!
Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,

Hinc *avidus* a rore matutino. *hiberna glande:* In hiemem a poëtis Italis referri solet glandium colligendarum tempus. Georg. I. 305. *genialis hiems*:—*Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus.* Sic arbutorum Georg. II. 520. ubi de hieme agitur. Lucret. V. 938. *quæ nunc hiberno tempore cernis Arbuta.* Hic vero Maronis sagacitatem desideres. Nam, si hiberno tempore Menalcas e silvis redux h. l. fuit, reliquorum, quæ memorantur, ratio parum constat. Ut poëtam ex his laqueis expedias, esto glans in hibernum usum parata; etsi sic iterum hærere possis in florentibus ferulis et liliis v. 25.

21 *unde amor iste*, h. a qua puella; quam puellam amas? τίνος ὦ γᾶς τόσσον ἔρασσαι; v. 78. 23. cf. v. 47. 24. *agresti capitis Silvanus honore*, ornatus serto e ferulis et liliis. Ita scilicet et a poëtis et in priscis monumentis Silvanus exhibetur, ut coronam ex frondibus arboreis, aut grandibus floribus et arundinibus gerat, manu (cf. Georg. I. 20.) cupressum aut alium arboris truncum teneat. Lucret. IV. 591. quem expressisse h. l. noster videtur: *Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans.* add. Ovid. Fast. I. 412. III. 84. Eximia cum venustate hoc idem transtulit Columella X. 43. *Satur Auctumnus, quassans sua tempora pomis*, et Hymenæus *marcentes cupio quassare coronas* ap. Claudian. XXXI. 96. Cæterum in his versibus color ductus esse videtur ab Odyss. ω, 58. sqq. *Ferula* autem frutex, foliis fœniculo, specie et usu arundinibus, quibus pro baculis utimur, similis; Græcorum νάρθηξ. Nihil autem novi, coronas ex arundinibus, frondibus arboreis, esse factas.

27 *rubentem*, cf. sup. ad VI. 22. *Ebulum* herbæ genus, baccas rubras, in similitudinem sambuci, producens. 29. *Nec lacrimis crud. Amor.* Amor h. l. de deo accipiendum, si sanam sententiam conficere volumus. Amor χαιρέπαικος non modo dolorem et cruciatum miserorum amantium nil curat, sed etiam ridet, ἄγυια παίσδει, ut Moschus Idyll. I. 11. voluptatemque ex eo capit; nec lacrimis amantium crudelis ejus animus unquam satiatur atque expletur, aut ad miserationem vertitur; cf. v. 60. 61; id quod deinde pastoritia rerum assimulatione ornat.

31 *Tamen cantabitis, A.*; et si Amor talia nil curat, neque querelis quicquam præsidii contra ejus superbiam inest, tamen ad leniendum dolorem meum ac levandum faciet, si cantabitis hæc: s. quæ sequuntur, s. fortunam suam, amores suos, ut subjicit ipse v. 34.; erunt adeo inter argumenta pastoritii carminis, Galli infelices amores. 35. Ductum ex Theocr. VII. 86.

Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra;
Juniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbræ.
Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite, capellæ.

75 *gravis—umbra*, nociva; physicis de causis, ut rheumatismos arcessat nimio calore solutis membris. cf. Lucret. VI. 783. sqq. 76. *Juniperi* vero molestæ exhalationes, inprimis sub noctem. Inde ap. Apollon. IV. 156. ramus quo medicamenta sua soporifera draconis oculis inspergit Medea, juniperi est. *nocent et frugibus umbræ*. cf. Georg. I. 121. 156. 157. 77. *venit Hesperus*, in conspectum venit, sole occidente, cf. ad Ecl. VIII. 30. ut Hor. Carm. II. 9. 11. *Vespero surgente*, et minus definite *surgentibus astris* noster Ge. I. 440. *venit*: sic ἵησιν ap. Hom. Iliad. χ, 27. Ἀστέρα—ὃς ῥά τ' ὀπώρης ἴσκει.

...ntur in hoc opere praecepta de agricultura, quatuor libris. I De aratio... e plantatione. III. De pastione cultuque pecorum. IV. De apibus et mell... in eo genere secutus est Virgilius Hesiodum. vid: Ecl: 6. 70. Cujus libr... ...ptum ἔργα καὶ ἡμέραι, longe et copiâ et elegantia superavit. Captum e... anno circiter U. C. 717. Virgilii 32 aut 33, et septennio perpolitum

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON* ἀγεωργός, agricola.

LIBER PRIMUS.

AD C. CILNIUM MÆCENATEM.

ARGUMENTUM.

Georgica, seu de *re rustica* præcepta, arationem, arborum, inprimis vitium et olearum, culturam, pastionem, et mellificium, e Romanorum notione complectuntur. Ordinem dicendorum ducit *Propositio* et *argumentum* operis v. 1—5. Inde *Invocatio* numinum agrestium cum ipso Cæsare Augusto—42. Nunc de *prima* operis rustici parte, quæ est de *Aratione*: primo quidem *quando* illa incipienda sit—49. Ante omnia *cœli solique natura* est exploranda—63. unde *leges culturæ diversæ* proficiscuntur, inprimis *arationis*—99. et *sationis*—121. Cum in his multum laboris et ærumnæ tolerandum sit, *digreditur* ad *caussas* hujus rei *mythicas* inde a Saturni ætate—159. Inde de *instrumento rustico*—175. tum *de aliis ad opus rusticum faciendum curandis*, in his de area ad terenda grana paranda—186. Judicium de futuro anni proventu unde facere liceat—192. de semine medicando—196. de seminum dilectu faciendo—203. Sequitur locus *de temporibus operum rusticorum* diserte tractatus. Tempus sationis—230. *Digressio* de solis cursu annuo et quatuor anni tempestatibus—256. Quæ curanda sint tempore pluvio—267. diebus festis—275. Dierum lunarium, qui fausti vel infausti sint, observatio—286. nonnulla noctu melius tractanda—296. alia per calorem aëris—299. alia hieme—310. Parat sic sibi viam ad duas *anni tempestates* poëtica arte describendas, alteram *auctumni*, alteram *veris ineuntis*, utramque *procellosam*; observanda itaque esse earum tempora—337. et religionibus deos exorandos—350. Esse etiam certa tempestatum per vices succedentium *prognostica*. In his exponendis et ornandis copiosus est poëta—463. Multo ornatius est episodium, ad quod aditum sibi struxit, de *prodigiis* Julii Cæsaris nece facta bellum civile subsequutum portendentibus—497. Subjunguntur *vota* pro Augusto—ad fin.

QUID faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmisque adjungere vites

1 Primis quatuor versibus argumentum operis exponitur: *agricultura et rusticatio*, lib. I.; *vini et omnino arborum cultura*, lib. II.; *res pecuaria*, lib. III.; *res apiaria*, lib.

Conveniat; quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber, et alma Ceres; vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ,
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;

IV. Primo versu Hesiodei operis, etsi argumento valde diversi, titulum ἔργα καὶ ἡμέρας expressum esse, jam Servius monuit: quo opere et quibus temporibus ager colendus sit. Est autem ad verborum ornatum statim in primis versibus attendendum. Ait se agere velle primo loco de agri et vitium cultura. *Lætas segetes*, quod Hesiod. ἰνφερσα καρπὸν dixerat. Ἔργ. 775. epitheto proprio. *Vites* pro omni arborum generi ponit. In his: 2. *ulmusque adjungere vites; secundum Italiæ situm loquutus est, in qua vites altius elevantur.* Serv. 3. De re pecuaria agam: *qui cultus habendo sit pecori;* pro vulgari, quæ cura sit pecoris, quod quis habet, possidet, sive alit, servat. *habendo* ad ornatum adjectum pro epitheto. Sollenne vero in re pecuaria est *habere. cultus*, pro cura, ut Cic. de N. D. II. 159. *quæ quidem* (oves) *neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se, sine* cultu hominum et curatione *potuissent.* 4. *quanta*, quæ, *experientia apibus* sc. habendis, seu apum habendarum ad mellificium sit; pro *cura* subjunxit aliud, quod apum cultui accommodatum esset, *experientiam* et usum, quo mellificationis ratio exculta est. Ge. IV. 315. 316. *quis nobis extudit* artem? *Unde nova ingressus hominum* experientia *cepit?* Nam apum experientia, etsi iis aliqua tribui potest, v. inf. IV. 156. sq., huc vocari nequit. 5. *Hinc*, post bucolica aiunt. Omnino initium designat; ut alias *nunc*. Quæ sequitur ad vs. 45. invocatio, est haud dubie inter partes carminis ornatissimas ac splendidissimas.

5, 6 *labentem c. quæ ducitis annum;* h. quorum decursu tempora anni efficiuntur. *Sidera annum*, ejusque *tempora*, vicissitudines ac partes, ducere, tamquam regant et moderentur, sollenne est. Scilicet quoniam ortu illa et occasu suo vices istas temporum designant. *ducunt* autem *annum cœlo*, h. in cælo, in quo ipsa oriuntur et occidunt, et pro cursu anni, dixit *annum labentem*, procedentem; quod proprium de temporis fuga seu decursu est. In seqq. incerta est interpretatio: sintne *lumina—Liber et alma Ceres* per epexegesin dicta et juncta, an sint diversa. Est in utraque ratione quod juvet et quod premat. Si diversa sunt, ita ut *lumina labentem cœlo quæ ducitis annum*, sint Sol et Luna, utque subjungantur, tanquam diversa, *Liber et Ceres;* dura est oratio, quod nulla interposita est copula. Nisi forte sic oratio continuata sit: *Vos, o lumina—*, (et vos) *Liber et alma Ceres, et vos Fauni Dryadesque ferte pedem*, adeste. Ita communis usus, quem tenere fas est poetam, servatur. Etiam apud Varronem R. R. I. 1. 5. in XII diis rusticis ista numina inter se distinguuntur. Sin alterum sequi placet, quod ipse probo, ut *Sol et Luna*, mox per *Liberum et Cererem* declarentur: poetam h. l. philosophicam opinionem eorum, qui Solem et Lunam sub Liberi et Liberæ nomine coli contenderant, non popularem sequi dicendum est. Num vero doctrinæ copia, an poëtæ Græci imitatione, hæc posuerit, non definiam. Cæterum pro diversis culturæ generibus diversa numina invocare putandus est. Ad lib. I. spectat Ceres; ad lib. II. Bacchus, Fauni et Nymphæ, cum Silvano, Minerva autem propter oleæ culturam; ad lib. III. Neptunus, quippe cum de equorum cura agatur, tum Aristæus et Pan (Georg. III. pr. etiam Pales cum Apolline Nomio); tandem ad lib. IV. idem Aristæus mellificii auctor. 7. Quandoquidem vobis arationis ac vitium sationis inter homines initia debentur, *ferte pedem*, adeste vos mihi canenti. *Tellus* permutavit *glandem aristæ;* ut ei tribuatur, tamquam actio, ea res, cujus tantum causa et instrumentum fuit: pro glandibus vesci cœperunt homines frumentis. 8. *Chaoniam*, v. ad Ecl. IX. 13. *pingui*, ἀδρᾷ, granis tumenti, grandi. 9. Vestro beneficio homines vini usum invenerunt. Nam *miscere vinum*, sollenne pro bibere;

Et vos, agrestum præsentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellæ:
Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum, magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci;
Ipse, nemus linquens patrium saltusque Lycæi,
Pan, ovium custos, tua si tibi Mænala curæ,
Adsis, o Tegeæe, favens; oleæque Minerva
Inventrix; uncique puer monstrator aratri;
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum;
Dique deæque omnes, studium quibus arva tueri;
Quique novas alitis non ullo semine fruges;
Quique satis largum cœlo demittitis imbrem;

sic κεράσαι pro ἐγχέαι, κίρνη. *miscuit pocula tellus*, h. vitibus editis effecit, ut misceri possent. *Pocula Acheloia* pro aqua; at quam splendide! *Achelous*, Ætoliæ fluvium, pro quovis flumine et aqua quacunque, tamquam priscis carminibus celebratissimum, more antiquorum Græcorum, dixit. 10. *præsentia numina*, et potentia et propitia. v. Ecl. I. 42. 11. *Ferte simul pedem*, adeste, Fauni, Numphæque simul. *Dryades*, tamquam deæ silvarum et saltuum, in quibus greges pascuntur.

12 Sequuntur Neptunus, Aristæus, Pan, Minerva cum Silvano: v. ad v. 6. *Munera vestra*, ex anteced. frumenta, vitem, armenta, greges. *cui prima frementem Fudit equum*, cujus jussu primum e terra equus editus est. Nota fabula de Neptuni cum Pallade certamine, cum dii arbitrium tulissent, ut, uter rem mortalibus utilissimam produxisset, ejus nomine nova urbs (Athenæ) appellaretur. cf. Bentl. ad Horat. Carm. I. 7. 7. Neptunus inde ἵππιος. *Fundere* proprie de partu felici ac facili; hinc omnino, procreare. 13. *percussa tridenti*, sollenni deorum more, quoties aliquid e terra provenire volunt. 14. *Cultor nemorum* est Aristæus, Apollinis et Cyrenes filius, qui, Cycladibus magna siccitate et fame afflictis, cum, Ceam arcessitus, Sirium placare monstrasset, quo facto etesiæ aërem temperare cœperant, Jovis Aristæi et Apollinis Nomii nomine cultus fuit. Hic propter pascuorum et saltuum curam invocatur. *nemora* dicta sunt pro saltibus, in quibus pascua sunt. Etiam v. 15. *dumeta* pro saltibus, loco arbustis consito. *pinguia*, herbosa. 15. *tondent*, pascunt herbas inter arbusta natas. In seqq. ante oculos erant versus Theocriti Idyll. I. 123. 124. 17. *tua si tibi Mænala curæ*, quandoquidem Mænalus, Arcadiæ mons, pascuis egregius, tibi est longe gratissimus, tu mihi rem pecuariam tractanti propitius, precor, adsis. 18. *Tegeæus* Pan ab Tegea oppido Arcadiæ, in qua et montes Lycæus et Mænalus. *Si* in invocationibus et obtestationibus frequentissimum. 19. *uncique puer mon. aratri*, Triptolemus Eleusinius a Cerere arationem edoctus. In gemmis æque atque in aliis monumentis occurrit modo puer, modo bigis draconum vectus. Quod nomen non apposuit, fecit ut poëta; non quasi litem de aratri inventione suam facere noluerit. Cæterum observatu dignum, quod Triptolemus heros nunc inter deos invocatur.

20 *cupressum ab radice* h. truncum cupressi. 21—23. Dii agrorum, silvarum, et tempestatum, præsides. Nam hi sunt, *studium quibus arva tueri; quique—quique*,— Videtur sane deos Romanorum agrestes, miris nominibus ab omni re rustica petitis, declarare voluisse. 22. *fruges* latius pro plantis dixisse videtur. *non ullo semine*, nulla satione, sua sponte, provenientes. opp. v. sq. *sata*; sic et Ge. II. 10. 11. 14. *Namque aliæ*, arbores, *nullis hominum cogentibus, ipsæ Sponte sua veniunt—Pars autem posito surgunt de semine.* Ovid. Met. I.

Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum
Concilia, incertum est: urbisne invisere, Cæsar,
Terrarumque velis curam, et te maxumus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Adcipiat, cingens materna tempora myrto;
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens

166. de aurea ætate *Ver erat æternum, placidique tepentibus auris Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.*

24 Omnibus diis invocatis, adeo et tu, O Cæsar, adsis propitius, tamquam mox deus futurus, quamquam incertum est, cujus ordinis ac generis; quicunque tamen deus futurus es, v. 40. adsis. 25. *urbisne invisere, Cæsar, Terrarumque velis curam, et*— Multis modis hæc inter se et cum cæteris jungi possunt. Omnibus tamen tentatis, nulla est ratio tutior, quam ut *invisere urbes* proprie dictum accipiamus, tumque in altero membro substituamus ex voc. *invisere* generalem notionem, habere, suscipere, *terrarum curam*. Bene Cæsar inter deos urbium et terrarum tutelares referri potuit: uti dii sunt πολιοῦχοι. Notanda vero copia orationis, qua, splendore cum summo, idem toties effert; *velisne deus esse*. 26. *maxumus orbis*, seu cælum, seu, quod verius nunc esse arbitror, orbis terrarum. *maxumus* pro magnus. 28. *adcipiat*: habeat *auctorem*, moderatorem proventus agrorum et tempestatum, adeoque tutelam agricolationis; jam debebat sequi, *te cinctum materna tempora myrto;* nunc idem *orbis cingens m. tempora myrto* dictus, scilicet corona myrtea orto a Venere Augusto, novo deo, imposita. 27. *tempestatum*, non de procellis accipiendum, sed de cœli aerisque mutationibus et anni temporibus, quia cum frugibus illa jungi mos est. 29. *materna myrto*, Veneri sacra, ad quam et Anchisen Julios genus suum retulisse notum est. At, quorsum myrti hujus mentionem hic injectam dicemus? ut scilicet Augusto e divino sanguine orto locus inter deos tributus tanto minus admirationis habeat.

29 *venias*, futurus sis. Iterum tenui verbo substituit ornatius. 30. *Thulen* ad nostras insulas Shetlandicas a septentrione Britanniæ objectas referendas esse nunc satis constat. *Servire* ea dicitur deo marino, quatenus ejus potentia et majestas per omnia maria obtinet: declarantur maria per insulas, nunc que per ultimas terrarum. Scilicet *servire* dicuntur poëtæ ii, quibus imperatur. Est adeo idem ac, et an omnis maris imperium habiturus sis. *sola:* potentius voc. quam, præcipuum numen. 31. *Teque sibi generum Tethys emat* pro vulgari: et una ex Oceanitidibus tibi nubat. Eos, qui inter deos adscripti essent, deabus jungi fas erat; sic Hercules Hebæ. Itaque Augusto, maris deo, una Nympharum, filiarum Oceani et Tethyos, dabitur; sed pretio proposito et dote numerata. Sic Perseo Andromedam paciscuntur *Promittuntque super regnum dotale parentes:* Ovid. Met. IV. 704. Promiscue autem, ap. Homerum quoque, munera, ἕδνα, heroum ævo, et parentum nuptarumque sunt et sponsorum. Splendide adjectum: *omnibus undis!*

32 An novum sidus cælo accessurus sis. Annorum, mensium, ac dierum, mensuram siderum decursus facit; itaque *menses* memorat. *tardos* dixit poëtico more, tantum ut epitheto ornaret: Nam anni, dies, menses, modo longi, modo breves, tardi, celeres, pro consilio poëtæ appellari possunt ac solent. 33. *Qua locus*, h. inter signa, Virginem et Scorpium, qua nunc Libra est: quæ antiquitus ab omnibus astrologis inter signa non habebatur, locum vero ejus Chelæ seu Scorpionis brachia occupabant; quo respexit Ovid. Met. II. 195—197. *Est locus, in geminos uli brachia concavat arcus Scorpios, et cauda flexisque utrimque lacertis Porrigit in spatium signorum membra duorum.* Chelæ autem *sequentis*, vel quia Scorpius Virgini a tergo est, vel poëtico epitheto, ut hederæ flexiles dicuntur sequaces. 34. *ardens* Scorpius tamquam sidus; hoc simplicissimum.

Scorpios, et cœli justâ plus parte reliquit:
Quidquid eris; nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elysios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem;
Da facilem cursum, atque audacibus adnue cœptis,
Ignarosque viæ mecum miseratus agrestis,
Ingredere, et votis jam nunc adsuesce vocari.
 Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco adtritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit;

35. *justa plus parte* eleganter; ad signum majoris reverentiæ plus, quam justum ac necesse erat, de loco decessit.

36 Exquisita orationis conversione exprimit ultimum illud: an inferis diis adscribi velit. *Tartara* omnino pro locis inferis dixit, non proprie; substituit paullo post campos Elysios in inferorum parte sitos. 38. Etsi a Græcis poëtis multa præclara de campis Elysiis narrata sunt; *mirari* est celebrare, multis verbis ornare. 39. *Nec—curet*, nolit, noluerit. Nec Proserpina nunc, etiamsi a matre revocetur, redire inde velit: adeo amat nunc loca infera. 41. *mecum miseratus* junge interpretando: seu, *mecum ingredere*, incipe, h. l. dum mihi ades, faves. Ita *ingredi* v. c. II. 174. *tibi res antiquæ laudis et artis Ingredior*. 42. *jam nunc adsuesce*, utpote deus futurus.

43—46 Cum primo vere aratio instituenda est: ad ductum Hesiodi E. 458. sqq., cum nix liquescit, et terra, a frigore constricta, tepidæ auræ afflatu resolvitur. *putris—gleba*, emollita tepore, resoluta et tenera, v. ad II. 204. 45. sq. Quam ornate pro: jam tum arationis initium faciendum est! Lucret. V. 209. *vis humana—valido consueta bidenti Ingemere et terram pressis proscindere aratris.*

47. 49 *Illa seges—bis quæ solem, bis frigora sensit. seges* h. l. est terra, ager. Trepidant in h. l. Interpp. jam inde a Probo, ut componant hæc cum aratione tertia, qua vulgo constat seri solitum fuisse, ita ut vere ineunte ager proscinderetur, æstate iteraretur, auctumno tertiaretur, atque ita sementis fieret. At enim ii agricolæ, qui in terra rite subigenda summam culturæ ponebant, quater arabant, semel quidem jam sub finem auctumni, tum vere anni sequentis, mox æstate, tandem auctumno, cum sationis tempus instaret. *bis* vero, quia bis in hibernum, bis in æstivum (vere et æstate) tempus, aratio talis incidit. Etiam apud Theocr. Id. XXV. 25. ubi de Augiæ opibus: τριπόλοις σπόρον ἐν νειοῖσιν ἴσθ' ὅτε βάλλοντες καὶ τετραπόλοισιν ὁμοίως. Vulgarior tamen tertiationis usus, isque jam Hesiodi ætate, et νειὸν τρίπολον ipse Homerus memorat Iliad. σ, 541. 542. et Odyss. ε, 127. Plinii locus XVIII. 20. unica hujus versus interpretatio: *quarto seri sulco Virgilius existimatur voluisse, cum dixit, optimam esse segetem, quæ bis solem bis frigora sensisset;* cum scilicet vulgo trina aratione defungerentur aratores Itali, h. tertiatione. Quamquam idem Plinius innuere videtur, jam tum diversas de hoc loco sententias viguisse. *quarto sulco* vero pro quarta aratione dictum tum per se patet, tum ex eodem Plinii loco XVIII. 20. s. 49. n. 3. *Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono.* cf. Harduin. Mox tamen v. 64. sqq. poëta in communi more acquiescere videtur, cum pingue solum vere, tenue auctumno arare jubet, ut scilicet sub hiemem conseratur. Nec vero prorsus ignota fuit satio frumenti verna: *tremestrem*

Illius inmensæ ruperunt horrea messes.
At prius, ignotum ferro quam scindimus æquor,
Ventos et varium cœli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum;
Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ;
Arborei fetus alibi, atque injussa virescunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabæi;
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges æternaque fœdera certis

appellabant: *cum cogit necessitas*, addit Columella II. 9. 7. 49. *illius* seu segetis, seu agricolæ. Prius melius: *illa seges. ruperunt horrea*, replent: præclare ad magnam copiam significandam: conf. ad Æn. XII. 527. Tibull. II. 5. 84. *Distendet spicis horrea plena Ceres*, ubi vid. Not. Colum. X. 307. *Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha.*

50 *ignotum æquor*, agrum, cujus natura nobis ignota sit. 51. *cœli—morem*, aëris naturam, temperiem. *varium*, pro diversa regionum natura ac situ diversum. Columella lib. I. præf. 23. *Cœli et anni præsentis mores intuentur: neque enim eundem, velut ex præscripto, habitum gerunt* etc. Totus ille locus s. 22. sqq. pro commentario poëtæ est. 52. *habitus locorum*, h. naturam, genium agri, ex præcepto omnium, qui de re rustica tradidere. *patrios cultus*, colendi rationem usu majorum probatam. 53. Plin. XVIII. 47. extr. *In omni quidem parte culturæ—valet oraculum illud: quid quæque regio patiatur.* Jam in iis, quæ sequuntur, agnosce poëticam rationem, propositionem generalem per singula exempla declarandi et ornandi. 56. Per *gramina* declarari puta pascua. *injussa*, sponte, Colum. X. 16. natura soli, *quæ—injussi consternitur ubere mali. Nonne vides:* est inter formulas enumerationum: pro, præterea, porro, et habet ἐνάργειαν. οὐχ ὁρᾷς Arat. Dios. pr. *crocei odores* pro croco. *Tmolus* Lydiæ mons, vino generoso nobilis, v. II. 98. eum nucem, et castaneam, vitem, malum et mala Punica ferre asserit Theophr. H. P. IV. 6. at eundem a croco commendatum nunc videmus. Succinit Virgilio Collumella III. 8. 4. qui tamen Maronem sequi potuit. Contra in Cilicia crocus frequens proveniebat, inprimis ad Corycum promontorium. Potuit et Tmolus crocum ferre cum aliis terris apud Plinium XXI. 6. 17. memoratis et Virgilius Græcum aliquem poëtam exprimere. 57. *molles—Sabæi;* perpetuum epitheton populorum Asiaticorum, effeminatorum cœli indulgentia et soli bonitate. *Mitti* vero, h. e. exportari, sollenne de mercibus, ex eo loco petitis, ubi præcipuus earum mercatus est: est adeo idem ac provenire. 58. *Chalybes nudi*, utpote in ferro cudendo occupati, Æn. VIII. 425. *nudus membra Pyracmon.* 59. Porro *Castorcum*, h. castoris s. fibri testes. *virosa castorea*, tetri odoris, graveolentia; quo sensu potissimum *virus* et *virosum* dici solet. *Castoreum Ponticum* præstantissimum sui generis habebatur. *Eliadum palmas Epiros equarum.* Epirus mittit, alit, equos præstantissimos. Præstantia declaratur ab eo, quod antecellunt alios equos in certamine cursus. Posuit poëta certum certamen, Olympicum. *Palma*, ut *victoria*, pro victore dicitur. Sic Æn. V. 339. *tertia palma.* Sunt adeo equæ victrices inter equas Olympicis ludis decurrentes. *Epirus εὔιππος, εὔπωλος* et generosis equis nobilis Georg. III. 121. Etiam boves Epiri passim memorantur. Scilicet omnino bonis pascuis illa abundavit. *equas* noto more, quo sexus feminei animantia præstantiora habentur. *Eleus campus* inf. III. 202. *Eleo carcere missus equus* Tibull. I. 4. 32. alios vid. ad Gratium v. 504.

60 *Continuo.* Statim a rerum initio. *has leges*, ut cuique terræ suum ingenium, sua ratio colendi, sit, eas natura inposuit statim tum, cum primum etc. *fœdera* h. l. conditiones, leges, ut Æn. I. 66. et al.

Inposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri, glebasque jacentis
Pulverulenta coquat maturis solibus æstas.
At, si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
Alternis idem tonsas cessare novalis,
Et segnem patiere situ durescere campum.
Aut ibi flava seres, mutato sidere, farra,
Unde prius lætum siliquâ quassante legumen,
Aut tenuis fetus viciæ, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos silvamque sonantem.
Urit enim lini campum seges, urit avenæ;

63 *Ergo age, t.* refer ad vs. 43. *Vere novo. terræ solum, γῆς πίδον.* 66. *maturis solibus,* calore æstatis. *Sol maturus* adultæ æstatis, quo maturescunt fruges. *coquat* adeoque emolliat et rarefaciat, ut salibus ex aëre imbibendis solum idoneum sit. Vid. Ge. II. 259.

67 *si non f. t. fecunda,* h. si tenuis, si gracilis: Interpretatur locum Colum. II. 4. extr. *sub ipsum Arcturum:* Colum. XI. 2. 63. *Non. Septemb. Arcturus exoritur;* de matutino exortu agi puta. 68. *suspendere,* leviter proscindere, vomere non alte descendente. 69. *Illic,* in pingui solo. Nam *Humida majores herbas alit:* Georg. II. 251.

71—159 Recreatur ager et vires sumit variis modis et hominum studiis et primo ipsa cessatione cultus. *tonsas novalis. Novale* arvum, *novalis* ager, proprie est qui silvis excisis primum colitur, nunc terras *novales* dixit Maro de agro, qui alternis annis vacat et novatur: id quod perpetuum erat veteri Italiæ, quæ triticum serebat. Hinc nec stercorationis magnus usus; nam ipsa cessatio satis recreat agrum in his locis. *tonsæ* eæ terræ, h. demessæ. 72. *situs* prorsus, cessatione; unde epith. *segnem; durescere* pro requiescere. 73. *mutato sidere:* anno altero. *Sidus* pro sole, ut sæpe; *sol* pro anno et pro anni tempore. Igitur altero quoque anno legumina in agro serenda esse ait, et tertio iterum far. v. Colum. II. 10. 1. et 11. 74. 75. 76. ornate: unde prius messueris vicias et lupinos. *legumen siliqua quassante:* quod habet siliquam quassantem se: seu vento seu alio impetu agitatum, inprimis cum exaruit: Unde mox *silva sonans* de agro siliquis consito. Sic *quassa cinnama* apud Ovidium Met. XV. 399. recte se habent, nec alia illa sunt quam arida. 75. *tenuis vicia,* quia tenui semine, si cum faba compares: nam tenuem culmum cum cæteris communem haberet. *tristis lupini,* amari, ut sæpe; contristatur enim degustantis vultus; est genus leguminis, pauperum et Cynicorum victus, Σίφμος: non confundendum cum lupulo. 76. *fragiles calamos,* quia aridi ut Ecl. VIII. 82. et propter hoc, si moventur, sonantes. *silvam* poëtica ratione, qua etiam florum, herbarum, silva grata similitudine dicitur. Sic herbarum malarum silva inf. vs. 152. et IV. 273. de centaurio: *uno de cespite silva* culmorum. *sonantem,* quia calami aridi sunt, ut diximus. *Silvas cannalias* dixit Gratius Cyneg. 47. pro segete. 77. Poëtica suavitate pro: lino enim vel avena vel papavere seri nolim agrum interquiescentem; nam ea urunt h. exsiccant agrum. Hinc *linum* in agro humido seri solet; et Gratius Cyneg. 334. *Optima Cinyphiæ paludes lina dabunt.* cf. sqq.

Urunt Lethæo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola; neve
Effetos cinerem inmundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva.
Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam sterilis incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires et pabula terræ
Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor;
Seu pluris calor ille vias et cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quâ succus in herbas;
Seu durat magis, et venas adstringit hiantis:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertis,
Vimineasque trahit crates, juvat arva; neque illum

78. *perfusa somno papavera*, quæ habent vim soporificam; quæ natura nigri præcipue papaveris est.

79—83 Quæritur de junctura sententiarum: sintne ad superiora inde a vs. 73. referenda, an proxime ad solos vss. 77. 78. Si ad proxima refers, sensus est: possunt tamen etiam illa nimirum lina, et avenæ et papavera, alternis recte seri, modo satis stercoratione ager reficiatur. Et hic est sensus, quem naturalis verborum junctura suppeditat, et Columellæ locus II. 14. 3. firmat. Sin prius: dicendum est, sensum esse: attamen satis est, terram alternis vicibus cessare, dummodo ager bene stercoretur; etiamsi enim ager plane non cesset, aliis autem interea frugibus ferendis exerceatur, ut leguminibus v. 74. sqq. modo tamen stercorationi largiter indulgeas, ager vel sic requiescere aliquo modo videri potest; fimo enim novas vires, novos sales, recipit, atque interea etiam utilitatem aliquam ex agro percepisti. 79. *facilis labor*, s. ipsius agri, ut ei tribuatur labor, quemadmodum fatigari, defetiscere recreari ille dicitur; s. agricolæ in agro colendo, si alternis ille cessat.

84 Aliud præceptum de stipulæ incensæ ad agrum beneficio. *sterilis agros*, stipulas agri, ut v. sq. explicatur. 86. *Sive—sive*. Pro varia soli, vel macri vel uliginosi vel densi vel rari, natura, varias caussas subjicit. *pabula* sunt succi, qui nutriunt semina ac plantas: puta ex cinere crematarum stipularum et lixivio. 88. *inutilis humor*, noxia uligo. 89. *cæca spiramenta*, meatus occultos et latentes, nos *poros* dicimus; mox *venas*. *Vada latentia* apud Gratium Cyneg. 423. 91. *adstringit* sc. condensando molle et laxosum solum. 93. *Aurere* convenit proprie frigori tantum et æstui solis. Sed, sollenni figura, generalior inde notio *rũ nocere* elicienda et ad illud: *ne tenues pluviæ*, referenda est. *Penetrale frigus* jam Lucretius dixerat I. 495. *tenues* ex natura pluviæ petitum epitheton, quod hic nullam vim habere debet, ut sæpe epitheta ponuntur, utque *rapidus* sol, frigus *penetrabile* hoc ipso loco. Ipsa tenuitate humoris pluvia se in humum insinuat. Alioqui *pluviæ tenues* in vitio esse possunt, nimio solis æstu eas coquente: melliginem vocant. Enimvero in h. l. illud cadere nequit; nam vitium illud culmos lædit, qui ex humore a sole excandefacti corrumpuntur; nec solo durato averti potest rubigo, nec in solum illa penetrat.

94—99 Omnibus omnino modis terram frangendam, comminuendam, et a sole excoquendam esse omnes monent de R. R. auctores. *glebas inertis* dicit poëta, quæ, nisi comminuantur, nil generant. Agit autem

Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo;
Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
Humida solstitia atque hiemes orate serenas,
Agricolæ; hiberno lætissima pulvere farra,
Lætus ager; nullo tantum se Mysia cultu
Jactat, et ipsa suas mirantur Gargara messis.
Quid dicam, jacto qui semine comminus arva
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenæ?

seqq. vers. de occatione et pulveratione. conf. Plin. XVIII. 49. 3. (20.) etiam in vinea, Colum. XI. 2. 60. Varro I. 29. 95. *trahit crates.* Colum. II. 18. 4. *tum glebas sarculis resolvemus, et inducta crate coæquabimus* etc. Ex *vimine* autem factæ satis validæ sunt crates in solo raro ac pulverulento: alioqui sunt dentibus ferreis. 95. 96. Ex Callimacho suavissima imago expressa: Οὓς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσηαι, Κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν etc. H. in Dian. 129. et *flava Ceres*, ut ξανθὴ Δημήτηρ jam in Homero. *neque—nequidquam*, h. non sine fructu, ut Æn. VI. 117. *nec te nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis. spectat*, propitia est, respicit, ut Gratius, qui hunc locum ante oculos habuit Cyneg. 426. *nec non tamen illum— Respicit et facilis Pæan adjuvit in artes.* 97. Etiam ille multum juvat arva, qui etc. Frequentibus autem his sulcis perficitur tandem hoc, quod demum *recte subactum esse* aiunt *ut non intelligatur, utro vomer ierit.* 99. *Exercetque f.* tractat, versat. Colum. IV. 14. 2. de fossione vineæ: *nam utique frequenter solum exercendum est.* Inf. II. 356. *aut presso exercere solum sub vomere.* Post hæc illud, *atque imperat arvis* quamquam eleganter dictum, paullo otiosius positum videri potest. Sed habet τὸ *imperare* vim coërcitionis, acerbitatis et iniquitatis: Cogit quasi ille agrum, ut sit fecundus. Sic *imperant vitibus* ap. Colum. III. 3. 6. Sen. de Tranquill. an. c. 14. *Danda est remissio animis —Ut fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fecunditas.* Inf. II. 369. *tum denique dura exerce imperia.*

100 De tempestate monet, quæ sementem jactam excipit; pro natura tamen soli Italici. *Humida solstitia*, æstates, ut Ecl. VII. 47. *Solstitium* proprie de æstivo Latine dicitur; hiemale *bruma* vocatur. *humidum* tempus, ut pluviarum irrigatione fervidi caloris vis temperetur. Exagitat hunc nostri versum nobili loco Plin. XVII. 2. ubi tandem subjicit: *Hiberno quidem pulvere lætiores fieri messes, luxuriantis ingenii fertilitate dictum est.* Contra quæ tamen defendi poëta potest; inprimis ex antiquo carmine: *Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.* Scilicet omnia hæc pro regionum et agrorum situ, forte et temporum decursu, variant. Virgilius ad agrum Mantuanum respicere putandus. 101. 102. 103. *nullo tantum se Mysia cultu.* Simplicissima, et nulla prævia opinione occupato animo, ex grammatica ratione procedit sententia eaque cum poetæ consilio conjuncta: *nullo*, non ullo, *cultu Mysia*, cultissima regio, *tantum se jactat*, tam insignis est, quam tali cœli temperie: quæ in illis locis est. Sunt ea loca fertilitate nobilissima, partim cœli clementia, partim situs felicitate sub monte Ida, unde magna rivorum et copia eos agros fecundat. Si tamen ante gramaticum usum adhibitum attuleris acumen ingenii sententia hæc prodit: lætus ex tali temperie est ager, nec ager Mysiæ, etsi cultissimus cum eo est comparandus; hæc poetice ornasse videri potest Maro. Multum recedit tertia ratio ut sit *Mysia nullo cultu*, quæ non colitur; hæc frigent, cum otiose sunt adjecta.

104 *Quid dicam* de eo, *qui;* h. præclare haud dubie et is facit qui: transitus formula, etiam in pedestri oratione. In hac autem varianda Maro felicissimus. Alius hæc omnia præcipiendo extulisset: Faciendum est hoc et illud, et sic porro. *arva Insequitur*, sulcos factos in arvo prosequitur, alium post alium rastris frangendo, et cumulos seu nimium seu inutiliter pinguis, h. duri, soli, glebas tenaciores, contundit et evertit et omni parte æquat. Fit hoc alias sarritione. *insequi* idem atque urgere, instare et sine intermissione aut mora rem statim aggredi, aut prosequi. inf. 155. *insectari terram rastris.*

Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis?
Et, quum exustus ager morientibus æstuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit? illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenerâ depascit in herbâ,
Quum primum sulcos æquant sata? quique paludis
Conlectum humorem bibulâ deducit arenâ?
Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, et obducto late tenet omnia limo:
Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.
Nec tamen, hæc quum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti, nihil inprobus anser,
Strymoniæque grues, et amaris intuba fibris,

Hesiod. Ἔργ. 469. ὁ δὲ τυτθὸς ὄπισθεν Δμωὸς, ἔχων μακέλην, πόνον ὀρνίθεσσι τιθείη Σπέρματα κακκρύπτων. *arena* pro solo, terra omnino: IV. 291. *et viridem Ægyptum nigra fecundat arena* Nilus. Cæterum v. 106. sqq. noster Iliad. φ, 257. sqq. egregium locum ante oculos habuisse videtur. 106. *fluvium rivosque:* aquis obducat agrum ad supplendum pluviæ defectum, quæ post arationem in votis habetur: ut Nubes ap. Aristoph. 1116. promittunt Atheniensibus: ἢν νεῦν βούλησθ' ἐν ὥρᾳ τοὺς ἀγροὺς, Ὕσομεν πρῶτον. 107. Totus scilicet versus translatus ab animantium sensu: isque ornatissimus cum sqq. 108. *clivosi tramitis* pro montis molliter clivosi, in quo rivulis tramitem facit. *supercilium*, ut ὀφρὺς, pro superiore montis parte: nota res. Sic jam Iliad. υ, 151. 110. *scatebris* simplic. pro aqua, ut v. 106. *fluvius* et *rivi*.

111 Verba sunt Hesiodi Ἔργ. 473. Ὧδέ κεν ἀδροσύνῃ στάχυες νεύοιεν ἔραζε. 112. Pro interpretatione sit Plin. XVIII. 44. 2. *Inter vitia segetum et luxuria est, cum oneratæ fertilitate procumbunt*, et c. 45. *Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat; et depastæ quidem vel sæpius nullam in spica injuriam sentiunt.* Theophr. Hist. Plant. VIII. 7. Ἐν δὲ ταῖς ἀγαθαῖς χώραις, πρὸς τὸ μὴ φυλλομανεῖν, ἐπινέμουσι καὶ ἐπικείρουσι τὸν σῖτον; fit idem falce inter nos.

114 Spectat præceptum ad agros, in quibus aquarum colluvies facta locis cavis ac depressis. *paludis collectum humorem.* Collecta et stagnans lacunæ aqua, putris colluvies, deducitur sulcis aquariis factis. Hic vero ejus generis sulcus seu fossa exprimitur, qua aqua *arena*, h. e. per vel ad arenosum locum, deducitur, ubi in sabulum se insinuans tandem exarescit. Simile fossarum genus est in solo adhuc inculto ut cultui idoneum reddatur: eæ vel patentes sunt vel cæcæ. Solet quoque solo humido arena admixta humor subduci, qua de re cf. Dickson de agricolatione. 115. *incertis mensibus* veris et auctumni, quod anni tempus incertæ tempestatis est. Hic tamen de vernis potissimum agitur. 116. *exit*, evagatur ripas, ut Æn. II. 496. *aggeribus ruptis cum spumeus amnis Exiit.* Tum *obducto tenet* pro obducit. 117. pro vulgari: unde lacunæ existunt. *sudant humore tepido*, adeoque putrido et noxio. *sudant*, madent, loca, in quibus lacuna existit.

118 *Nec tamen nihil.* Vides transitum ad aliam rem: ea, quæ noceant segeti. Multum etiam officiunt, obsunt, anseres. 119. *inprobus*, insatiabilis, avidus, et hoc ipso noxius. Scilicet, ut post varias virorum doctorum disputationes semel moneatur; *probum* est id, quod verecunde fit, intra modum est, moderatum; adeoque justum, modicum, æquum. *Inprobum* autem, quod modum et mensuram excedit, adeoque immodicum, nimium; iniquum, injustum; nimis magnum, et omnino magnum, grande, vehemens: Sic ἀναιδής. Quod sequitur: *Strymoniæ grues*, a Græcis poetis profectum est. E Thraciæ finibus, cujus flumen *Strymon*, veniunt grues in Græciam, cum hieme ingruente migrant. 120. *intubum* e cichoreorum genere, erraticum, fibris seu radicum minutis filis late serpens; Theophr. Hist. Plant. VII. 11. τὸ κιχώριον—παραβλαστι-

Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda;
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Jovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant; ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos jussit, pontumque moveri;
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit:
Ut varias usus meditando extunderet artis
Paullatim, et sulcis frumenti quæreret herbam;
Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;

καὶ δὶ καὶ τῇ βζ καὶ ἄλλως μακρόβριζον διὸ καὶ δυσώλεθρον ὅταν γὰρ ἐκλαχαινίζωνται, πάλιν τὸ ὑπόλειπον ἀρχὴν λαμβάνει γενέσεως non modo hortense, quod nobis *endivien*, sed et silvestre genus est, πικρὶς dictum; idem prosequuntur anseres et aliæ aves domesticæ.

121 Jam principio rerum natura ita constitutum est, ut diu vendant sua bona labore. Non invitum lectorem ad digressionem hanc duci intelligis: redit ad propositum v. 150. 155. Tribuitur Jovis jussis, quod sub ejus imperio contigit: stimulando igitur hominum animos curis, *Movit agros*, h. fecit moveri, arari, necessitatem colendi imposuit. 124. *sua regna*, homines, quibus imperabat. *veterno* pro ignavia, inertia. Nemesian. Ecl. I. 60. *Nec segnem passus nobis marcere juventam* etc.

126 Expressit hæc Ovid. Met. I. 136. Am. III. 8. 42. *Nec fas erat*, h. sollenne, solitum, ut sæpe. 127. *in medium*; quicquid acquirebant, parabant, in commune parabant et afferebant. 128. *liberius*, quam nunc; aut omnino pro positivo libere, satu non coacta, sponte. Horat. III. Carm. 24. 12. *Liberus fruges—immetata ferunt jugera*. Expressum ex Hesiod. Ἔργ. 118. καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον. Lucret. V. 940. *Plurima tum tellus, etiam majora, ferebat. nullo poscente* h. arante. Supr. 99. *imperare arvis. nullo cogente* Ovid. Met. I. 103.

129 *Sub Jove* serpentes facti sunt venenati, lupi rapaces etc. *malum virus* indidit, noxium. *serpentium* aliqua genera sunt *atro colore. atras viperas* Horat. Carm. III. 4. 17. 130. Efferavit lupos, *pontumque moveri*, ventorum scilicet vi et procella, jussit. 131. Non jam, ut ante, folia rorem aliquem melleum eliquabant: detersum hoc mel est foliis; ut *silvis decussus honor* inf. II. 404. *Ignem removit* Jupiter, quem jam ante Saturnio ævo usibus hominum adfuisse necesse est statuere. Nunc eum Jupiter *removit*, ita ut ejus usus ignoraretur, utque adeo necesse esset mox eum iterum reperire et silicum attritu elicere: cum ab eo reperto omnium artium initia, omnisque vitæ cultura deducta sit. Hactenus ignis in venis silicum tamquam absconditus, abstrusus, latuit: Κρύψε δὲ πῦρ Hesiod. Ἔργ. 50. 132. *rivis currentia vina*: h. e. rivos vini fluentes. Sic copiam vini eloquebantur veteres, ad magnam copiam declarandam. 133. Omnia hæc Jupiter ita moderatus est, eo consilio, ut usu invenirentur artes, utque ingenium et industriam acuerent homines. *meditando*, exercendo, experiundo. 134. *frumenti herbam*, noto more poëtarum pro herba frumentacea, h. e. frumento, segete: cf. Ecl. V. 26. *quæreret sulcis*, aratione produceret. *usus*; ut usu arte pararentur frumenta.

136 Tum primum navigatio inventa. Multis modis variatum phantasma apud poëtas. *sensere* tamquam onus novum, ipsi adhuc in-

Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, et fallere visco,
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem;
Alta petens pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ,
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)
Tum variæ venere artes: labor omnia vicit
Improbus et duris urguens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
Instituit: quum jam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent silvæ, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus: ut mala culmos
Esset robigo, segnisque horreret in arvis
Carduus: intereunt segetes; subit aspera silva,
Lappæque tribulique; interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.

tacti: pro habuere. *alnum* vero nominat, quia palustribus et littoribus gaudet: Ge. II. 451. *Nec non et torrentem undam levis innatat alnus Missa Pado.* 137. Sidera locis suis et nominibus notari cœpere; 138. *Arctos*, ursa major, Helice, olim Callisto, *Lycaonis* filia. *clara* vero tamquam sidus: ut sup. v. 5. *clarissima mundi sidera.* Nisi forte Virgilius Græcum versum ante oculos habuit: Πλειάδας θ' Ὑάδας τε, κλυτήν τε Λυκάονος Ἄρκτον.

139 *Venatio* et *aucupium* inventum. Aves hic inter *feras* comprehensæ latent. 141. Inventa piscatio. *funda*, βόλος, Ovidio A. A. I. 765. *jaculum*, rete, in fluvium projectum: itaque *verberat amnem*, qui jacit; sed audet jam piscator *alta petens pelago*, in ipso mari, in altum evectus, everriculis piscari: ita audaciæ notio augetur ipsa voce, *alta* petens.

143 *ferri rigorem* poëta pro ipso ferro rigido dixit. Intelligitur tamen h. l. usus ferri ad instrumenta procudenda, securim inprimis, durati; adjicitur serra, ferro jam in laminas cudi cœpto. 145. *venere*, provenere, inventæ sunt. *labor improbus*, pervicax, qui nulla ærumna vinceretur. v. sup. ad v. 119.

147 Inventa aratio Cereris beneficio, cum ad homines in cœtus coactos glandium victus haud sufficeret. Cum cultura labores et ærumnæ natæ sunt. *ferro*, vomere ac ligone. 148. *Quum jam silvæ*, quæ poëtice *diis sacræ* dicuntur, *deficerent quoad glandes et arbuta*; et cum *quercus*, cujus generis nobilissimæ apud Dodonam silvæ, non amplius satis magnam glandium copiam suppeditarent.

150 Redit ad propositum v. 121. Mox etiam noxæ, mala et damna (*labor*, ut πόνος pro πῆμα, βλάβη) invasere frumenta, h. factum, ut segetes variis malis ac morbis laborarent; invasit eas *robigo mala*, exitiosa, quæ culmos exedit, *carduus*, qui et late serpere et semen quaquaversus disseminare solet; ex uno enim seminis grano viginti quatuor millia, primo, adeoque quinquies millies ducenties sexagies centena millia (526,000,000) [imo 576,000,000] granorum seminalium altero anno produci possunt. 151. *segnis carduus*, inutilis, infecundus. Nam segnis a motu ductum, ad motus effectus traducitur. Sic *segnes terræ* Ge. II. 37. quæ non moventur, coluntur, adeoque nec fruges ferunt. *horreret*, cum vi, pro cresceret: quatenus *horrere* poëtis dicuntur omnia, quæ erecta stant, aut eminent, ut pili in metuentis corpore, itaque et spinosa virgulta. 152. *Silvam* vocat lappas, lolia etc. ut v. 76. legumirum *silvam sonantem*, ea *sulsit*, succedit in segetis locum. 153. *lappæ* Plinius ἀπαξίνν ita reddidit. *tribuli*, spinæ genus, in Italia frequens. 154.

Quod nisi et adsiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius frustra spectabis acervum;
Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Dicendum et, quæ sint duris agrestibus arma,
Quis sine nec potuere seri, nec surgere, messes:
Vomis, et inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra,
Tribulaque, traheæque, et iniquo pondere rastri;
Virgea præterea Celei vilisque supellex,
Arbuteæ crates et mystica vannus Iacchi,
Omnia quæ multo ante memor provisa repones;
Si te digna manet divini gloria ruris.

lolium, lolium temulentum Lin. αἶρα. *infelix*, sterile, ut *felix* arbor pro frugifera. *avena* pro frumenti vitio olim habita, ut et hordeum in eam degenerare crederent, sed peculiarem herbam, sui seminis, esse docent recentiores. Respexit h. l. Plin. XVIII. 17. 2. *Nam lolium et tribulos et carduos lappasque non magis quam rubos inter frugum morbos potius, quam inter ipsius terræ pestes, numeraverim. Cœleste frugum vinearumque malum, nullo minus noxium est, robigo. Frequentissima hæc in roscido tractu convallibusque, ac perflatum non habentibus: e diverso carent ea ventosa et excelsa.*

155 *terram insectabere rastris*, assiduo instare glebis *sarratione*, nam de hac loquitur: quæ fit semente facta, ante occationem, sarculo: quod h. l. *rastrum*. *Quod*, ὃ, καθὸ, quamobrem, cum ita res se habeant, nisi etc. *insectabere* pro insectatus fueris; ut et reliqua. 157. *frondes arborum* umbram facientium amputandas esse dicit: *falce premitur* id, quod secatur. Nisi accipere malis *premere umbras* comprimere, coërcere. Verum et Horat. I. Carm. 31. 9. *premant Calena falce —vitem*. *rus opacum* h. arboribus consitus ager, adeoque pro arboribus. *votisque vocaveris imbrem*: suaviter, nisi votis obtinueris: pro vulgari: nisi tempestivæ pluviæ obtigerint. 158. 159. Messem parcam fore ominatur poëta ornate. Ex Hesiod. Ἔργ. 394. 395. ὥς τοι ἕκαστα Ὧρι' ἀέξηται· μή πως τὰ μεταξὺ χατίζων Πτώσσῃς ἀλλοτρίους οἴκους καὶ μηδὲν ἀνύσσῃς.

160—166 De *instrumentis* operis rustici agit: primum *vomer* s. *vomis*, et *aratrum robustum*; *robur aratri* ut τὸ μένος. tum *plaustra* bobus juncta; unde *volventia* se, *tarda*, pro tardum, tarde quæ volvuntur, tracta a bubus, et aguntur tarde; forte rotis parvis iisque solidis, sine radiis: tympana appellant: cujusmodi rotæ etiamnum passim visuntur, etiam in Lombardia. 163. *Cereri* sacra, quippe a qua omnino operis rustici ratio profecta (non vero, quod eorum usus in *pompa Eleusinia* præcipuus fuerit, ut inter instrumenta Orgica essent; in pompa enim Eleusinia Ceres in thensis, ἐπ' ὀχήματος, quadrigis candidis ducebatur). 164. *Tribulum* fit *e tabula lapidibus aut ferro asperata, quo* (quæ) *imposito auriga aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana*. Varro R. R. I. 52. 1. Usus ejus adhuc inter Turcos. *Trahea* s. traha vehiculi genus sine rotis. *rastri* admodum magno pondere; puta dentibus ferreis; item, pergit poëta, reliqua *supellex* quæ ex *viminibus et materia rustica*, ut Varro ait I. 22. 1. adeoque *vili* fit; *Celei* appellatur, Eleusinii, cujus filius, Triptolemus, a Cerere, hospitio excepta, sationem frugum acceperat. 166. Referuntur autem ad illam supellectilem: *crates* et *vannus*, cujus usus erat in *mysteriis* Eleusiniis; portabatur enim in pompa Iacchi, quæ certo Eleusiniorum die ex Ceramico Eleusinem ducebatur. Cæterum Hesiodi locum ante oculos habebat Virgilius ex Ἔργ. 493. sqq.

167 Ex Hesiod. Ἔργ. 457. τῶν πρόσθεν μελέτην ἐχέμεν, οἰκήϊα θέσθαι. *memor*, providus, ut ibid. v. 422. μεμνημένος, non

Continuo in silvis magnà vi flexa domatur
In burim, et curvi formam adcipit ulmus aratri;
Huic a stirpe pedes temo protentus in octo;
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus
Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos;
Et suspensa focis explorat robora fumus.
Possum multa tibi veterum præcepta referre;
Ni refugis, tenuisque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, et cretà solidanda tenaci:
Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat;
Tum variæ inludant pestes: sæpe exiguus mus

emittens et obliviscens. *provisa repones*, ornate pro, providebis. 168. Si satis magnam ex opere et re agresti laudem consequi cupis. *divini ruris*, ut θεῖος, δῖος, *præclarus*; ex more loquendi.

169—175 Principio (vid. ad v. 60.) ulmus in *burim* inflectenda est, quod statim in ipsis silvis fit, cum ulmus a rustico ita incurvatur, ut curva adolescat. 170. *curvum aratrum* est nunc pars aratri, buris. De *vomere* ipso nihil monet poëta. Sed *burim* accuratius descripsit. Jam esse *burim* partem aratri posticam, tignum illud incurvatum, cui et temo junctus est et vomer ipse, h. e. lignum seu ferrum rostratum, aduncum, glebas eruens, non dubitatur. 171. Fuit buris aliquando pro temonis tamquam basi ac fundo; postea ei inserta est et injuncta trabs seu pertica, quæ pro temone esset: Ita huic buri, *a stirpe*, in inferiore parte trunci, temo, ἱστοβοεὺς, pedum octo, tum aures *et* dentalia junguntur et aptantur. 172. *Aures* esse videntur prominentiæ duæ, sive affixi utrimque asserculi aut ferramenta, quibus sulcus latior efficitur, et lira seu porca altior. Hinc Palladius tit. I. 43. 1. *aratra aurita* memorat. *Aratra simplicia, vel, si plana regio permittit, aurita, quibus possint contra stationes humoris hiberni sata celsiore sulco attolli. Dentale* accipiebam cum aliis, duce Servio, de ligno, quod vomerem recipit, cui vomer includitur; sed quomodo aut *duplici dorso* aptari aut ipsum *duplici dorso* esse possit, difficile dictu erat. Nunc meliora edoctus lubens in eam sententiam concedo, ut sit ipse vomeris dens, qui solum infringit. *Duplex* autem ejus *dorsum* ad duo crura vomeris referemus. Mox *jugum* ac *stiva* s. manica conficienda esse dicitur, *quæ currus imos a tergo torqueat*, h. aratrum ipsum, rotis subnixum; quod Gallis peculiare. 175. *Robora* vero, h. materia, seu lignum, unde hæc conficiantur *fumo* durata esse debent. conf. Hesiod. Ἔργ. 45. 629. *explorat* videtur exprimere naturam fumi, dum lente per minutas particulas sese insinuat, ut *iter, vias, tenebras explorare* dicimur. Potest tamen etiam dictum esse, ut poëtis alias *probare*, ut de bonitate ligni inde constet; nisi enim firmum et probum sit, exarescens rimas aget.

176. 177 Nova transitionis formula. 178. De *area*, ἀλωᾷ, veterum cogitandum est: qui erat locus in ipso agro patens et editus, qua ventus perflare posset, solidus ac complanatus, quo frumentum ex agro congestum statim terebatur et ventilabatur: tum purgatum corbe in horrea deportabatur.

180—186 Observa, quanto cum ornatu et copia hæc dicta sint: alioqui mures, talpæ, bufones aliaque reptilia, item curculiones et formicæ, nocent frumento. *neu pulvere victa fatiscat*, h. neu æstu, quo terra in pulverem solvitur, dehiscat rimis, adeoque et in *rimis grana oblitescant, et recipiant* illæ *aquam, et ostia aperiant muribus atque formicis*, ut Varro I. 51. *Fatiscere* dicitur quicquid viribus fractis deficit, ita ut solvatur, dissolutum dilabatur, proruat. Inde Æn. I. 123. *naves rimis fatiscunt*, h. e. solvuntur, ita ut rimæ fiant. *victa* ornatus caussa adjectum. 181. *Tum variæ inludant pestes*, h. varia animalcula nociva invadant, clam subeant, quod eleganter *illudere* dicitur, quia clam, et quasi per fraudem et

Sub terris posuitque domos atque horrea fecit;
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ;
Inventusque cavis bufo, et quæ plurima terræ
Monstra ferunt; populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.
Contemplator item, quum se nux plurima silvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentis:
Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore;
At si luxuriâ foliorum exuberat umbra:
Nequidquam pinguis palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius et nigrâ perfundere amurcâ:
Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset;
Et, quamvis igni exiguo, properata maderent.
Vidi lecta diu, et multo spectata labore
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxuma quæque manu legeret; sic omnia fatis

insidias faciunt, hacque ratione eludunt operam et curam agricolæ. *exiguus mus* non de certo genere, sed est epitheton ornans. 182. *posuit*, ponere solet. 184. *quæ plurima*, qualia multa, οἷά τι πολλά. 185. *populat* i. *f. acervum* expressit Columella II. 20. ubi de amurca, qua aream conspergere solebant veteres, *nam ea res a populatione murium formicarumque frumenta defendit.*

187—192 Ornatus locus. Ut de futuro anni proventu judicari possit, observandum esse dicit, an nux *amygdala*, quæ primo vere floret, abundet multo flore; ita enim magnam fertilitatem anni fore; sin pro flore arbor folliis luxurietur, messem fore malignam. Æmulatur autem Maro Aratum qui in Prognost. 314. sqq. signa arationis faciendæ a lentisco et ilice (σχῖνος et πρῖνος;) petierat. Ab eodem formulam novam præcipiendi petiit: *contemplator*; φράζεο, σκέπτεο, τηρμαίεω. *nux induet se in florem*, ut Æn. VII. 20. *quos—Induerat Circe in vultus atque ora ferarum. nux plurima*, vel nux, quæ multa est in silvis, h. quibus silvæ abundant, vel ut sit, quando nux *plurimum*, h. cum maxime, se induit; Georg. II. 166. Italia *auro plurima fluvit*; atque hoc poëta dignius. 189. *Fetus* nunc flores sunt, mox in nuces, fetus arboris, abituri. Exquisite dicta sunt: si *superant*, si eorum major copia est: et pro altero, etiam frumenti major erit copia: *pariter frumenta sequentur*. 190. *Tritura*, nunc dicta est pro messe. 192. *Area teret culmos*, poëtica ratione non infrequente pro, culmi terentur in area, inf. 298. *umbra* est arbor ipsa umbrosa, frondosa. Reliqua sic jungere præstat: *Area nequidquam teret culmos*, utpote *pingues*, abundantes, *palea*, non granis.

193 *Semina* leguminum intellige, nam paullo post: *siliquis fallacibus*; quas, quod Hallerus censebat, pro gluma seu folliculo dici posse haud arbitror. Etsi verum est, in aliarum quoque frugum seminibus hoc idem tentatum esse. *Medicare* est inficere, macerare alienis succis. 196. Humectanda semina serenda ait, ut legumina aliquando eo faciliorem coctionem habeant, citius coquantur. *Siliquæ fallaces*, quia sæpe, folliculi cum inanes sunt, majores videntur. 197. *spectata*, dum leguntur, explorata. Sensus est; non satis esse, ut semel semina leguntur, sed quot annis id esse iterandum. 199. Grandissima semina legere nostri poëtæ auctoritate jubet Colum. II. 9. § 11. 12. cf. Varro I. 52. 1.

In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Hædorumque dies servandi et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis
Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem:
Exercete, viri, tauros; serite hordea campis
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem;
Nec non et lini segetem et Cereale papaver
Tempus humo tegere, et jamdudum incumbere aratris:
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres

Quæ seges grandissima atque optima fuerit, seorsum in aream secerni oportet spicas, ut semen optimum habeas. conf. Geopon. II. 16. *vis humana*, hominum opera, h. homines. 200. Æn. II. 169. *Ex illo fluere et retro sublapsa referri Res Danaum.* 203. *Atque* jam Gell. X. 29. et Serv. interpretati sunt, *statim.* Et est haud dubie ea antiqua loquendi ratio. Nisi tamen auctoritati parendum putes: ita facere necesse non duco, modo suppleas: *Non aliter, quam is retro sublapsus refertur*, qui navigium agit,—*atque illum in præceps prono rapit alveus amni.* Malo sequi simpliciora ap. antiquos interpretes.

204 Agricolis siderum ortus et occasus non minus sunt servandi quam navigantibus. Hoc ornat · iis, qui in Pontum et Hellespontum navigant. 207. *tentare* est adire. Georg. III. 8. *tentanda via est* etc. quamquam proprie ad iter ignotum et periculosum referri debuit. Maluit memorare redeuntes in patriam quam iter longinquum facientes: *in patriam vectis*, redeuntibus ex ponto Euxino per Hellespontum in mare Ægæum. *Abydus* ostreis nobilis. Ex sideribus vero poëtico more sigillatim aliquot septemtrionalia enumerat, quorum cum ortu procellæ ingruunt.

208 Ab æquinoctio auctumnali usque ad brumam hordei sationem esse ait. Pulchritudo loci, ex forma signi, *libræ*, petita, obvia, quam multi imitando assequi studuerunt. Horæ autem *pares*, quia dies tam æstivus quam hibernus duodecim horis, sed longioris modo, modo brevioris spatii, absolvebatur, adeoque horæ, uti etiamnum in Italia, pro dierum spatiis erant impares. *somnus* pro nocte. *Libra*, h. sol in libra *dividit orbem*, h. cælum, *medium luci atque umbris*, h. inter diem et noctem dividit, in linea æquinoctiali constitutus, dum nec versus arcticum neque ad antarcticum polum processit, neque adeo alterutri parti longiores dies noctesve ut attulit. 211. *bruma intractabilis*, dura, aspera, alias *indomita*, quæ vix vinci, superari, tolerari potest. Sic melius, quam ut sit, in qua propter frigoris rigorem nulla res tractari, agi, potest; ita Justinus XXIV. 4. 4. *loca frigore intractabilia* dixit. *extremum imbrem* noli urgere; est dictum pro, *usque ad brumam*; solstitium brumale. Extrema ea anni est pars, itaque adjectum epitheton *extrema bruma* hoc translatum ad *imbrem:* in quo cogitandum de cœlo Italiæ, in quo hiemale tempus magna sui parte pluvium est; adeoque pro, usque ad brumale frigus, dici potest usque ad brumales imbres. Ita non peccat Maro in præceptum agricolarum ap. Plin. XVIII. s. 56. *Inter omnes autem convenit circa brumam serendam non esse.* hinc messis nec minus maturior. 212. *papaver Cereale*, quia Cereris ornamentum symbolicum esse solet, in signis et apud poëtas. 213. *incumbere aratris:* omnino mature arandum esse præcipit, etsi etiam ad lini et papaveris sationem terra aratur. 214. *nubila pendent*, eleganter e natura rei, nubibus nondum in imbres solutis.

215—218 Veres eritur faba, s. legumina,

Adcipiunt sulci, et milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, et adverso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis aristis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ,
Debita quam sulcis conmittas semina, quamque
Invitæ properes anni spem credere terræ.

Medica et milium. *Medica*, herba a Medis advecta per bella Persarum Græcis illata, pabuli genus præstantissimi. Est idem ὠκύθοον τριπέτηλον ap. Callim. in Dian. 165. *Fabæ*, cujus diversum a nostra faba genus, et rotundum ac parvum legumen veteribus in usu erat. Sed quam varie, quam copiose, extulit singula hæc poëta! *putres sulci*, fractis et comminutis crebra aratione, stercoratione et frigoris penetrabili viglebis. 316. *Milium* non vere modo, sed et æstate et hieme serebatur. Vere tamen commodissima satio. *milio venit annua cura* poëtica copia dictum quidem pro, milium seritur; sed cum respectu Medicæ, quæ ex uno satu denis annis durat. 215. 217. *Vere—quum*. Ineunte vere, sole in Taurum ingresso. Ad tempora designanda poëtæ amant siderum motum commemorare, quoniam ea ratio poëticum ornatum admittit. 218. *Taurus* est signum verni temporis; eum Sol illo tempore adibat IV. Kal. Maias. *Candidus*, quatenus sidera fulgentia *candida* dicuntur, *auratis cornibus*, rutilantibus propter lucidissimas in fronte stellas, *aperit annum*, eum anni tempus id, quo tellus resoluta flores herbasque effundit, tum incipiat; sed quam suaviter! Emergere sidus Tauri et adscendere cælum tum videri potest; cornibus itaque et capite quasi nixus viam sibi facit, qua specie in asterismis et tabulis Orbis cælestis exhiberi solet, et multo magis olim exhibitus fuit. *Canis* vero, Sirius, tum occidit heliace, h. occultatur, conspici amplius non potest, sole nimium vicino; *cedit adverso astro* simplicissimum est accipere poëtica ratione de Cane occidente, eoque ipso fugienti simili imprimis cum retro cedere videatur occidendo: nam in sphæra sedet, adversam habens Tauri frontem. Ergo *cedit Tauro minaci, instanti cornibus:* casu tertio.

219—224 Tritici et farris satio non fit nisi post matutinum occasum cosmicum Pleiadum et post ortum heliacum Coronæ, h. mense Octobri. 219. *Triticum* veterum diversi a nostro generis fuisse inde colligit Martinus, quod v. 202. et ap. Varr. de R. R. I. 48. 1. *arista* h. acus tenuis a gluma prominens ei tribuitur. Verum sunt omnino plures, quas vocant species. *Far robustum*, sive cujus præstantia e pondere censetur, ut apud Colum. II. 6. 1. tritici genus *robur* dictum, *quoniam et pondere et nitore præstet*, sive, et hoc verius, quod aëris, ventorum, pluviarumque ac frigoris injuriam melius, quam alia frumenti genera, ferre possit: in quam sententiam apud Theophrast. de Caussis plant. IV. 6. toto capite πυρὸς ἢ κριθὴ inter τὰ ἰσχυρότατα referuntur. 220. *solis instabis aristis*, frumenti solius, tritici et farris, curam et rationem habebis. 221. Pleiades seu Vergiliæ, *Atlantis* filiæ, *absconduntur Eoæ*, matutinæ, h. occidunt matutino tempore, mane submerguntur in occidentali parte, dum sol interea ab oriente emergit. *Absconduntur autem*, ita laudatis verbis poëtæ nostri interpretationem subjungit Columella II. 8. 1. *altero et trigesimo die post auctumnale æquinoctium, quod fere conficitur nono Cal. Octobris: propter quod intelligi debet tritici satio dierum sex et quadraginta ab occasu Vergiliarum, qui fit a. d. IX. Calend. Novembr. ad brumæ tempora.* Columellæ sementem etiam c.tra Cal. Octobr. fieri placet. Sed v. loc. Idem lib. XI. 2. 77. *XIII. et XII. Cal. Novemb. solis exortu Vergiliæ incipiunt occidere; tempestatem significat—V. Cal. Novembr. Vergiliæ occidunt.* Plin. XVIII. 56. (24.) *Virgilius triticum et far a Vergiliarum occasu seri jubet: hordeum inter æquinoctium auctumni et brumam; viciam vero, faseolum et lentem, Boote occidente.* Sed idem diversa fere agricolarum hac in re esse instituta deinceps exponit. Omnino tenendum, Græcos a Pleiadum ortu, medio Maio, æstatem ac messem, ab occasu hiemem cum aratione ac semente duxisse. 222. *Gnosia stella Coronæ ardentis* est sidus Coronæ, novem stellarum, a corona Ariadnes, quam Bacchus cælo affixit, appella-

Multi ante occasum Maiæ cœpere: sed illos
Exspectata seges vanis elusit aristis.
Si vero viciamque seres vilemque faselum,
Nec Pelusiacæ curam adspernabere lentis:
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes;
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.
Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una corusco
Semper sole rubens, et torrida semper ab igni;
Quam circum extremæ dextrâ lævâque trahuntur,
Cæruleâ glacie concretæ atque imbribus atris.
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divom; via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.

tum; erat autem Ariadne Minois, regis Cretæ, filia, in qua *Gnosus* urbs. *Ardet stella*, dum lucet, fulget; *stella* Coronæ memoratur, aut quia inter cæteras hujus sideris stellas una est luculentissima omniumque prima conspicitur; aut *stella* h. l. pro sidere. Si *stella decedere* dicitur, id nihil aliud, quam occidere aut occultari, est. Ad hanc tamen anni partem, m. Octobrem, non occasum sideris hujus pertinere, sed ortum, docent astronomi, et qui inde sua petiere. Perpetuo usu loquendi sidus, quod oritur, *subire*, *succedere*, uti *ascendere*, *emergere*, dicitur: non vero *decedere*. Nullus dubito Virgilium in erroneum calculum incidisse, dum Democriteam rationem sequebatur, quam servavit Geoponicorum auctor ex Didymo lib. II. 14. Δημόκριτος δὲ φυσικήν τινα παρατήρησιν παραδιδοὺς, περὶ τὴν τῆς Στεφάνου μάλιστα δύσιν σπείρειν συμβουλεύει· — ἄρχεται δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἡ τῆς Στεφάνου δύσις ἐν τοῖς κατὰ Φοινίκην τόποις τῇ πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Δεκεμβρίων etc. 223. 224. Ornatissimi versus! *incitæ* terræ, quandoquidem aratione subigenda est.

225 *ante occasum Maiæ*, h. Pleiadum, e quibus una Maia est.

227—230 Viciæ, faseli, et lentis satio sub initium mensis Novembris usque ad multam hiemem. In his autem omnibus clementioris cæli nos memores esse fas est. *Faselus* est genus fabarum, quod nobis *Bona porcina* et *Turcica*, propter frequentiam *vilis* dicta. 228. *Lentis* magna præstantia et copia apud Ægyptios; igitur epitheto ab Ægypti urbe petito ornatur. 229. *Bootes*, qui et Arctophylax, cum stella Arcturo, occasu suo tempus serendæ viciæ *certum* indicat.

231 sqq. De zonis cæli et Zodiaco. Ut ad anni vices et siderum ortus et occasus operis rustici tempora definiri possint, solem certum per cælum cursum tenere ait, v. 231—256.

232 Ambiguum, fere, ut versu 6. in voce *cælo*, cui verbo τὸ *mundi* jungendum sit. Cæteris tamen modis ponderatis, præstat jungere, *Astra mundi* h. cæli, ut passim *sidera cæli*, ut inf. 335. *cæli menses et sidera*. Etsi post *dimensum certis partibus*, scil. spatiis, quæ eadem XII signa occupant, *orbem* h. cælum illud apponit. Cælum *regit Sol per duodecim signa*, quatenus cursu ejus per illa facto constituuntur ea, quæ in cælo sunt, siderum motus ac tempora. 233. *cælum* nunc proprie tellus est, cælo subjecta. 235. *extremæ* sunt in extrema parte positæ; et *trahuntur* est plenius pro *sunt*; nos vulgo, extendunt se. Ducuntur enim circuli paralleli. 236. *concretæ* proprie quidem tantum *glacie*; sed eadem tempestas *atros imbres*, ὄμβρους ζοφόεντας, affert, et recte adjuncta ad idem verbum referuntur. Eratosth. Αἱ δὲ κρυμαλίαι, αἱ δ' ὕδατι μογέουσαι, *laborantes*. 237. *ægris* cum dilectu h. l. positum epitheton pro miseris; δειλοὶ βροτοὶ Homeri.

238 Zodiaci descriptio; et mox poli arctici et antarctici. Quæ sequuntur, facile e sphæræ cælestis doctrina intelliguntur. *per ambas*, inter, ut v. 245. *per duas Arctos*.

Mundus ut ad Scythiam Rhipæasque arduus arcis
Consurgit: premitur Libyæ devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.
Maxumus hic flexu sinuoso elabitur Anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis æquore tingui
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox,
Semper et obtenta densantur nocte tenebræ:
Aut redit a nobis Aurora, diemque reducit;
Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
Illic sera rubens adcendit lumina Vesper.
Hinc tempestates dubio prædiscere cœlo
Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi;
Et quando infidum remis inpellere marmor

240. *Mundus* et hic pro cælo. *arces* poëtis omnino pro locis excelsis, adeoque et pro montium jugis, v. inf. IV. 461. et sæpe. 241. ita *premitur devexus* ornate pro vergit, ut *consurgit*, elevatur. 242. *Hic vertex*, polus arcticus, *nobis semper sublimis*, adeoque conspicuus. 243. Pulcerrime pro, polus antarcticus latet, ὑπ' ἐπίοπτος, non cernitur; ut ᾅδης. pro quo ponitur *Styx* et *Manes:* vident illi subter se polum antarcticum, ei insistunt. Præstat accipere, *illum* alterum *sub pedibus*, qui nobis sub pedibus est, *Styx videt:* inferi suspiciunt, ut nos cœlum. 245. Circumlabitur, circumflectitur Draco, Ursæ utrique implicitus. Tota sententia conversa ex Arato Phæn. 45—48. οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥὼξ etc. 246. Septemtrionalia illa sidera, interque ea Ursam majorem et minorem, Helicen et Cynosuram, numquam occidere, infra ὁρίζοντα seu finitorem non descendere, semper nobis conspici, notum. Fundus poëtici ornatus Homer. Iliad. σ, 489. et Odyss. ε, 273. sq. ubi conf. Intpp. et Tollium ad Apollonii Lexic. Exc. V. Iis intervolvitur Draco. *metuentis tingui*, qui nunquam tinguntur, occidunt: quasi ab hoc sibi caveant, quod numquam faciunt. Ἄρκτοι κυανέου πεφυλαγμέναι ὠκεανοῖο dixerat Aratus.

247—251 *Illic*, sub polo antarctico aut nox est perpetua, aut dies ibi est, dum nostro cælo nox exoritur, et vice versa. Parum subtiles erant veterum opiniones de terris australibus, et altero hemisphærio. Quam vero ornate *intempesta silet* (pro est) *nox—tenebræ*, ut profundam noctem, altas tenebras, esse significet! *Nox* autem (ut tenebræ) obtenditur, obducitur cælo et terræ. Homer. Odyss. λ, 19. Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι. 249. *redit aurora* scil. ad eos; adit eos. 250. *equis anhelantibus* tribuitur, *adflare* id, quod ante se habent; ut in cursus certamine eos, quos ante se decurrentes cursu attingunt. *Adflant equi Solis* eas terras, quas sol oriens illuminat. Jam poetica inversione dixit: *Sol oriens adflat nos equis;* ut et Æn. V. 739. *Et me sævus equis oriens adflavit anhelis.* 251. *Vesper*, Hesperus, sole occidente, in conspectum venit, oritur, *lumen suum profert.* Ita accepit quoque Silius, qui hunc versum expressit XI. 516. 517. *Invadunt campum et late fulgentibus armis Accendunt ultro lucem surgentis Eoi.*

252 *Hinc.* E solis hoc per Zodiacum decursu, a v. 231. atque adeo succedentibus sibi invicem anni partibus, instantem tempestatum mutationem discimus. *Tempestates* de quatuor anni partibus dici ex v. 258. patet, *Temporibusque p.;* conjunctam tamen mutati aëris ac cæli notionem esse, ex adjuncto patet. *Cœlum dubium*, scil. instantibus pluviis, procellis. Ad cætera compara Tibull. IV. 1. qui, eadem horum *limborum* ac *balteorum*, seu *zonarum*, enumeratione facta, cum in temperata substitisset, pergit v. 169. *Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus. Hinc et colla jugo didicit submittere taurus* etc. Ex eadem observatione antiquus de

Conveniat; quando armatas deducere classis;
Aut tempestivam silvis evertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber:
Multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno,
Maturare datur; durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem; cavat arbore lintres;
Aut pecori signum aut numeros inpressit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornis,
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubeâ texatur fiscina virga;
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo,
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas et jura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sæpem,

Æolo mythus natus. 255. *armatæ classes*, ὡπλισμέναι, simpl. instructæ naves. 256. *tempestivam silvis evertere pinum* h. ligna ac materiem tempestive cædere.

257—267 Habet etiam alias utilitates, si observes siderum ortus et occasus et vices anni temporum. 260. Si pluvium tempus *continet* h. e. domi tenet agricolam; multa interea parare et facere licet, quæ mox sereno cælo parum tempestive curanda essent. Potuit poeta verba simpliciter ponere pro vulgari: multa nunc facere licet, quæ mox essent facienda. 262. *Vomeris dentem*, aut proprie quod sup. 172. erat *dentale*, aut dixisse videtur omnino pro vomere. *lintres*. Si scaphas, et fluviatiles naviculas intelligas, possis agrum Mantuanum omninoque istam Italiæ oram Pado aliisque fluminibus perfusam cogitare. Convenientius tamen vitæ rusticæ esse videtur, ut vasa lignea concava et alveos interpreteris, qui inter rustica instrumenta sunt. Sic alveos, in quibus uvæ portantur in vindemia, *lintres* dixit Tibull. I. 5. 23. 263. *numeros inpressit acervis*. Aut cum Servio tesseræ et tabellæ intelligendæ, acervis impositæ, quibus frumenti numerus designatur, aut *acervi* sunt frumenta saccis seu vasis condita, quibus vasis inscribat paterfamilias, quot modios contineant. *inpressit*, ἐνέγραψεν, imprimit. 265. *Amerina salix* (erat Ameria, Umbriæ urbs, non longe a Tiberi) inter terna salicis genera memoratur Columellæ IV. 30. 4. ubi de pedaminum in vineis, jugorum ac viminum, prospiciendorum cura agit. *Vallos* esse palos, in promptu est. 266. *Rubi recisis aculeis alligant*. Plin. XVI. 69. *Cætera vincula, qualia sunt ex rubo, majorem operam, sed in egeno tamen necessariam, postulant*. Colum. IV. 31. 1. *Fiscina*, calathus seu aliud vas vimineum, ad usus rusticos, *facilis*, aut quæ facili opera struitur, quia ex viminibus facta, aut quia hæc vimina flecti et texi possunt, adeoque ipsa sunt *facilia*. *Mollem juncum* dixerat Ecl. II. 72. Notum antiquos aliquando tostis igne granis vesci solitos fuisse; sed hic de eo more agitur, cum vita jam ad meliorem cultum perducta far igni torrerent, ut facilius mola, et quidem manuaria, qua utebantur, frangi et glumis exui posset.

268—275 Non mirum est, rusticum aliqua facere debere per pluvias, cum sint quæ facere possit etiam festis diebus. *Quippe etiam:* nova transitus formula; ut *quid? quod.* 269. *Fas et jura*, h. divina humanaque jura, ut jam Servius monuit. 269. 270. *nulla religio*, h. nullus respectus deorum, nullus metus peccandi, *vetuit*, vetare solet, vetat, ut sæpe jam factum vidimus. *Quod autem ait* deducere, *nihil aliud est, quam detergere; nam festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos facere non licet.* Macrob. Sat. III. 3. *Rivum* tamen *deducit* ac *ducit* is, qui aquam ex rivo vel lacu per prata irriganda ducit. *Satis fluvium inducit*

Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis; lapidemque revertens
Incusum, aut atræ massam picis, urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum: quintam fuge; pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ; tum partu Terra nefando
Cœumque Iapetumque creat, sævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum:
Ter pater exstructos disjecit fulmine montis.

rivosque sequentes supra v. 106. dixerat. *Deducitur* tamen etiam rivus sive aqua, cum fossa exsiccatur: ut *collectus humor* supra v. 114. dum educitur et emittitur. Ut in sententiam Macrobii dictum sit, de aqua cogitandum, quæ ut per pratum deducatur, ne via præcludatur, sordibus purganda est. 270. *Quamquam Pontifices negent segetem feriis sepiri debere.* Columella l. I. 271. *Insidias avibus moliri;* ut reliquis consentaneum sit, de avibus prædantibus et nocivis intellige.

273—275 Hæc ex duriorum patruinfamilias ratione. *Vilia poma* dicuntur ad magnam copiam denotandam. Sic v. 227. *vilis faselus. Lapis incusus*, sive rudis, asper, sive cusus et incisus. De mola manuali fere accipitur post Servium. *pix* variis usibus agrestium inservit; ut mustis condiendis etc. Notetur et illa forma: *agitator aselli—onerat*, pro agricola; quem poma in urbem mittere dicturus, quoniam aselli opera in eo utitur, *agitatorem asini* poëta appellat; non enim de asinario agit. Cæterum ex v. 274. 275. patet, feriatis diebus etiam mercatus in urbibus habitos esse, unde ex venditorum pomorum pretio picem et lapidem parare agricola posset.

276—286 Etiam dies lunares observandos esse dicit; esse enim alios faustos, ad opus faciendum (hoc est, *felices operum*), alios infaustos. Plinius XVIII. 32. s. 75. *His quæ sunt necessaria adjicientur de luna ventisque et præsagiis—Natique Virgilius etiam in numeros* (tempora) *lunæ digerenda quædam putavit, Democriti sequutus ostentationem:* h. doctrinam variis a rationibus iisque vanissimis ductam, modo ab observatione eventi, modo a numero, modo ab auctoritate, fraude, aut stolida persuasione. Etsi autem mirari licet hæc a Virgilio in carmen recepta: est tamen laudanda prudentia, quod paucis ea tantum attigit, et observanda ars poëtæ, qua fabulis intexendis locum facit ac parat. *Luna dedit* pro dat: ut Æn. IX. 266. *quem dat Sidonia Dido.* Sententia autem est: sunt dies lunares alii f. 277—279. Recedunt fere hæc ab Hesiod. Ἔργ. 802—804. qui non *eo die* Orcum et Furias natas memorat, sed Furias perjuria hominum ultum ire: Ὅρκον τιτυσμένας, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις. Furiæ e Croni sanguine ortæ: Novavit hoc Maro nescio qua auctoritate, quod Orcum cum Furiis natum edidit. Cum plura astrologica carmina, Alexandrinarum superstitionum fetus, extarent, etiam sub Orphei et Melampodis nomine, si modo Marone antiquiora fuere, ex his hunc locum adumbrare ille potuit. Parum tamen tutum est, de his aliquid suspicari, multo minus pronuntiare. *Cœus* et *Iapetus* sunt e Titanibus, Cœli et Terræ soboles. E Terra et Tartaro *Typhœus. creat* pro creavit. 280. *fratres:* seu Gigantes, seu Aloidas nunc memorat, Otum et Ephialten, similia illis molitos: Æn. VI. 580. *Hic—Titania pubes—Hic et Aloidas—qui manibus magnum rescindere cœlum Aggressi superisque Jovem detrudere regnis.* Est autem *rescindere* pro exscindere, cum notione perrumpendi, quod bene observat Wakef. ad Lucret. II. 406. 281. Ex Odyss. λ, 314. fonte hujus fabulæ, quæ inde nata, quod motu terræ graviore Ossa ab Olympo revulsa atque convallis saxis rupibusque constrata fuerat. 282. *involvere* hic est sursum, in

Septuma post decumam felix, et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telæ
Addere; nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeo gelidâ melius se nocte dedere,
Aut quum sole novo terras inrorat Eous.
Nocte leves melius stipulæ, nocte arida prata
Tondentur; noctes lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto:
Interea, longum cantu solata laborem,
Arguto conjunx percurrit pectine telas;
Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem,
Et foliis undam trepidi despumat aheni.

altiorem locum volvere. *Scilicet* est δὴ poëtarum vel ῥὰ quibus vis dictorum augetur; etiam δή ῥα, unde factum δηλαδὴ ex δηραδή. 284. Non satis definitum, sitne dies XVII. intelligenda, an dies X. felix illa quidem, sed secundum eam multo magis VII. Decimam faustam esse, affirmat etiam Hesiod. Ἔργ. 794. et septimam vss. 770. 805. At quæ hic v. 285. enumerantur, ad diem ille XIV. refert v. 794—797. Quæri quoque potest, sitne *nona* vs. 286. post decimam, intelligenda, an mensis an cujusvis decadis. 285. *prensi boves*, qui libere, necdum jugo juncti, errabant. Hesiodus, quem respexit, v. 797. εἰλίποδας ἕλικας βοῦς—Πρηΰνειν, ἐπὶ χεῖρα διδούς. *Addere licia telæ*, est telam ordiri; ut adeo tela sit sive stamen et trama, sive ipsa machina textoria, cui illigatur jugum. 286. Nonus dies servis fugitivis faustus, furtum tentantibus infaustus. Quorsum hoc? Scilicet cautionem tanto majorem adhibebit eo die diligens patersfamilias, ut contra de furtis parum sollicito esse licet; est enim is dies furibus parum faustus.

287—296 Sunt etiam noctu vel summo mane nonnulla tractanda. *Dare se alii* dicitur is, qui ad ejus voluntatem se accommodat, gratificatur, concedit. *Res dant se*, ut sese offerunt, occurrunt. Sic et locus, occasio, tempus, se dare dicitur. *Dat se* et illud, quod impulsum inclinat se, flectitur, cedit. Itaque et h. l. *multa se dederunt*, h. dare solent, occurrunt agenda, perfici et peragi possunt. 288. *Eous* ἠῶος scil. ἀστὴρ, ἑωσφόρος pro Lucifero, atque adeo pro ortu lucis. *inrorat terras*, quam pulchre! quia aëris humor et in herbis ros tum sub sensum venit. *Solem novum* dicunt poëtæ pro oriente. Dictum igitur, *sole novo*, h. e. mane, cum rore arva rigata sunt, madent.

289 De fœno Plin. XVIII. 67. § 4. *Quidam pridie rigant, ubi sunt rigua. Noctibus roscidis secari melius*, quia sc. noctes sunt humidæ. Ergo *stipulæ* non ad frumentorum messem, sed ad legumina, *prata* ad fœnisecium erunt referenda? De stipulis tamen dubitare licet, an ita dicantur. Contra vero de frugibus sub diluculum metendis omnes auctores operis rustici præcipiunt; ita ut de iisdem accipiendæ sint stipulæ. Vir doct. Voss. operis rustici peritus, verba ad eum morem refert, quo post resectos messe facta culmos relictæ stipulæ serius secantur.

292 Eclog. VII. 29. *novas incidere faces. inspicare* novasse videtur poëta, ut sit in spicæ formam, adeoque in acutam cuspidem, concidere. 293. *solata laborem*: vid. ad Æn. I. 239. 294. *arguto* et cantui mulieris tribui potest, et *pectini*, ut sit, qui stridorem inter texendum edit. Hoc quidem melius fieri, docet ratio poëtica, ne alterum nomen nudum et sine epitheto sit, et poëtarum usus: ut quoque κερκὶς passim in poëtis μελπομένη, ἀοιδός. *pecten canorus*. Exempla dabit v. c. Brunck. ad Aristoph. Ran. 1316. *Tela* est trama, cujus filis inseritur subtemen ope pectinis, s. radii aut spathæ. Patet autem ex hoc versu in Italia quoque matresfamilias rusticorum telarum texturæ vacasse. 295. Ge. IV. 268. *igni pinguia multo Defruta*. Sedula in variis e musto defruti generibus conficiendis veterum fuit opera. *Dulce mustum* laudat Quint. Inst. VIII. 2. 10. inter

At rubicunda Ceres medio succiditur æstu;
Et medio tostas æstu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hiems ignava colono.
Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se læti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curasque resolvit:
Ceu, pressæ quum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus et læti nautæ inposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta;
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores; tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ;
Quum nix alta jacet, glaciem quum flumina trudunt.
Quid tempestates auctumni et sidera dicam?
Atque, ubi jam breviorque dies et mollior æstas,

epitheta, quæ id, quod rei proprium sit, exprimant. *humor musti* poëtica periphrasis. 296. *trepidum*, proprie mustum est trepidum, quia, quod ebullit, quasi tremere videtur: Æn. VII. 463. *undans ahenum*, hinc *undam* idem mustum dixit ebulliens et exundans. Fronde autem, forte pampinea, spumam auferunt, dum defrutum faciunt.

297 Messem ait esse secandam et terendam *medio æstu*. *Ceres rubicunda*, quæ alias *flava*, quia rubent, flavescunt, aristæ. Columella II. 21. 2. *æqualiter* flaventibus *jam* satis, *antequam ex toto grana indurescant*, cum rubicundum colorem traxerunt, *messis facienda est*. At de *medio æstu* dubitari potest: sitne *media æstate*, an *medio die æstivo*. Utrumque recte et vere diceretur. *Prius*, *medio æstu*, æstate dictum, ut Ecl. X. 65. *frigoribus mediis*, cum sqq. convenit, *Nudus ara*, *sere nudus*, cum mature, aëre adhuc tepente, arationem et sationem faciendam esse ait. Et de *messe mature facienda* monent alii quoque. Omnino hoc idem præcepit Hesiod. 571. seqq. ubi tantum abest, ut de opere per medium diem urgendo agat, ut etiam mane surgendum et metendum esse moneat. Et Theoc. X. 48—51. simili modo præcipit, *medio* autem *die* quiescendum esse dicit. Spectat quoque huc quod colligendæ sunt fruges sub dilu culum. *Posterius* si præferas, medio die, respiciet antecedentia 289. 290. Inf. IV. 401. *Ipsa ego te, medios cum sol accenderit æstus, Cum sitiunt herbæ* etc. ut *medio æstu* sit, medio die, interdiu; Sic inf. 111. 154. mediis fervoribus. 298. *Area terit fruges:* in qua teruntur. v. sup. ad v. 192.

299 Ex Hesiodo petita esse satis constat, Ἔργ. 391. 392. γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν etc. Monet autem, mature, atque adeo auctumno, arationem et sationem esse faciendam, cf. sup. 208. sq. II. 315. 316. cum tepor aëris satis magnus, ut arator veste non egeat. *Nudum* esse tantum tunica indutum, toga aut pœnula rejecta, satis notum. *Hiems ignava colono* esse dicitur, quæ colonum otiosum esse jubet, et ab opere sub dio faciendo avocat. 300. *plerumque*, maxima hiemis parte, Bion VI. 5. ἡ καὶ χεῖμα δύστεργον. 302. *genialis hiems;* conviviorum hilaritati, risibus jocisque apta, qua genio indulgetur. Grata poëtis dictio. 303. 304. Faustum reditum ad Lares naves declarabant coronata puppi: in qua tutela navis collocata erat. *pressæ carinæ* sunt mercibus oneratæ, seu onustæ naves.

305 Vid. ad Ecl. X. 20. 306. *cruenta myrta*, baccæ myrti nigræ succo rubicundo. 308. *Auritos lepores* Afranio debebat Maro. *figere* telo, transfigere. 309. *verbera fundæ* poëta pro funda dixit, e stupa facta, majore ornatu, quatenus ea verberat, ferit, emisso saxo, quod jacitur circumagendo, torquendo, fundam.

311—315 Tempestates subjungit, quæ duabus præcipue anni partibus frequentius ingruere solent, sub auctumni initium v. 311. 312. 313. inde a medio Augusto, et sub veris exitum v. 313. 314. 315. M. Aprili medio. Quam vero ornate hæc dixit, et quam pro-

Quæ vigilanda viris? vel quum ruit imbriferum ver,
Spicea jam campis quum messis inhorruit, et quum
Frumenta in viridi stipulâ lactentia turguent?
Sæpe ego, quum flavis messorem induceret arvis
Agricola, et fragili jam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prœlia vidi:
Quæ gravidam late sègetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent; ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantis.
Sæpe etiam inmensum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Conlectæ ex alto nubes; ruit arduus æther,
Et pluviâ ingenti sata læta boumque labores
Diluit; inplentur fossæ, et cava flumina crescunt
Cum sonitu; fervetque fretis spirantibus æquor.
Ipse Pater, mediâ nimborum in nocte, corusca

clivis hinc ad ornatissimam tempestatis æstivæ descriptionem via! *Sidera auctumni*, quia ad siderum ortus et occasus tempestatum tempora atque etiam causas referebant. cf. v. 335. Atque, quid dicam, *quæ vigilanda viris* sint, *uli jam tr.*; quæ curanda et providenda ab agricolis sub auctumnum. 312. *mollior æstas*, leniore calore, cum vehementior æstus jam remisit se. 313. *vel quum ruit imbr. ver:* M. Aprili, circa Vergiliarum exortum: videndum nunc, imbrium ingruentium vi ne anni spes a procellis profligetur, sementisque facta proluatur. 314. *Horrere* (vid. ad v. 151.) *agri* aut *segetes* et *sata* dicuntur fere, cum aristæ jam maturæ sunt; h. l. seges lactescens, in *stipula* h. culmo *viridi*. 315. *lactentia turgent* plenius etiam dictum quam lactent; amant vocem poëtæ. Ovid. Fast. I. 351. *sata teneris lactentia succis*; et sæpe. Habuit hunc locum ante oculos Gratius Cyneg. 290. *Inde uli pulentes calamos duraverit æstas, Lactentesque urens herbas siccaverit omnem Messibus humorem, culmisque armarit aristas* etc.

316 Quid? quod, id quod multo majus est, in ipsa messe procellæ aut imbres sæpe ingruunt. 317. *fragili hordea culmo* dicit poëta pro hordeis simpliciter, aut certe culmis fragilibus hordei; non de certo hordei genere; hos culmos *stringunt*, qui falce secant: dum falcem admovent, tangunt scilicet et stringunt. Ita v. c. lib. II. 368. coll. cum 365. *tum stringe comas*. Solent autem poëtæ id, quod agitur, a variis actionis momentis designare. 318. *ventorum prœlia concurrere* plenius quam ventos concurrere; ut acies ad pugnam faciendam. 319. *seges gravida* proprie ex *agro gravido*. Sed poëtæ omne id *gravidum* dixisse videntur, item *fecundum*, quod succo plenum ac tumidum esset, ut *gravidum uber* Georg. III. 317. *gravidæ fruges* II. 143. *gravidæ messes* Ovid. Metam. VIII. 781. 320. Venti segetem *eruunt*, et in aërem expellunt, extollunt; hoc ornatius effert, *sublime expulsam eruunt*, quia *sublimem, in sublime*, pro adverbio sublimiter ferunt. *turbine nigro* etc. Haud aliter hiems, gravis tempestas ea parte anni, qua procellosum tempus esse solet (auctumno et vere vs. 311—315.) orta *ferret*, diriperet, stipulas, quam nunc media æstate redicitus aristas fert.

322 *agmen aquarum* de imbre denso ingruente. *venit*, ruit; *venire* enim etiam hoc sensu satis grave verbum. *Veniunt hostes, barbari*, qui impetum faciunt etc. 324. *ex alto nubes conlectæ*. Simplicissimum est, *altum* de cælo intelligere; ex aëre descendunt contractæ nubes; itaque *ruit æther* h. nubes collectæ. Æn. V. 695. *ruit æthere toto turbidus imber aqua*. 326. *cava flumina*, quia in alveis cavatis fluebant. 327. *freta spirantia* sunt æstuantia. Æn. X. 291. *freta* autem ut, *vada*, poëtice simpl. aquæ, mare.

328 Præclarus locus de fulmine. *corusca*

Fulmina molitur dextrâ: quo maxuma motu
Terra tremit; fugere feræ; et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit; ingeminant austri et densissimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, cœli menses et sidera serva;
Frigida Saturni sese quo stella receptet;
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.
In primis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis,
Extremæ sub casum hiemis, jam vere sereno.
Tunc pingues agni, et tunc mollissima vina;
Tunc somni dulces densæque in montibus umbræ.

dextra. Notum illud Horatii Carm. I. 2. 2. *rubente Dextera.* Habet tamen nec minus rationem suam si *corusca fulmina* jungas. 329. *moliri fulmen* est jacere; nam de omni motu ac conatu aut opere *moliri*. *maxuma terra* est magna, γαῖα πολύφη. 330. *fugere* pro fugiunt; ut sæpissime. 331. *humilis pavor* poëtica venustate; partim quod reddit humiles, partim, quod *timere* pusillanimi et humilis animi est. 331. *stravit*, sternit, prosternit, pavor, animos, κατεπλήττει, percellit; unde etiam *consternare* ductum. 332. Montes fulmine ferit, dicebas; at quam sublime: *dejicit! flagranti telo*, Homeri et Hesiodi, φολόεντι κεραυνῷ. *Alta Ceraunia* ἀνεμοσκεπέα satis noti vel ex Horatii I. Carm. 3. Epiri montes, qui in mare procurrunt, ut *Athos* in mare Ægæum, Macedoniæ mons. 332. Versus ex Theocr. VII. 77. Ἡ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν, ἢ Καύκασον ἰσχατόωντα. 334. *plangunt* h. l. plangorem edunt, resonant.

335 Propter has tempestatum mutationes observanda sunt anni tempora. *Cœli menses* simpl. tempora intelligam, quia astrorum, quæ in cælo sunt, motu definiuntur: volebat subjungere solem et lunam: posuit pro iis sidera; *cœli sidera* erunt adeo de planetis accipienda, ut subjiciat duos alios planetas Saturnum et Mercurium. Esse porro verba depromta e Menandro, notat Nonius Marcellus in voce *servare*. 336. Observet, Saturni stella in quod signum se recipiat, cum quo sidere se conjungat. Saturni motum tardissimum esse, et vix binis annis sexque mensibus unum signum transire constat; ut adeo vix intelligas, quem usum observatio tam tardi sideris ad tempestatum prognostica habere possit. Ita tamen a veteribus judicatum est de stellis erraticis, ut pluviarum aliarumque aëris mutationum augurium ex iis caperent. Fuit in his inprimis Saturni transitus. 337. Observare monet Mercurii motum: hoc enim est *errare ignem Cyllenium, in orbes cœli.*

338 Ad procellarum subinde ingruentium clades avertendas religionum quoque auxilium adhibere monet. Agit autem poëta de *Ambarvalibus*, vid. Tibull. II. 1. et si Suovetaurilia ejusdem generis sunt Catonem de R. R. 339. *Sacra refer*, repete, et hinc simpliciter fer, celebra. *Operatus* pro operans. Est autem hoc voc. sacrorum. 340. Vel hic locus docere potest, quam parum subtilis interdum sit poëtica ratio: *Extremæ sub casum hiemis* putes esse primum veris initium; at subjiciuntur ea, quæ adultum satis significant; quamvis non immemor sim, clementioris cæli in nostro poëta rationem esse habendam. Similiter sup. 230. *ad medias pruinas;* quod sane severe exigi nequit. 341. Hesiod. Ἔργ. 585. ubi de æstatis initio; Τῆμος πιότατός τ' ἀΐγες καὶ οἶνος ἄριστος. *Vina mollia*, scilicet hiemis interjecta mora; *asperitate*, duritia, *carentia*, mitia, lenia. Ita et Græcis οἶνος σκληρὸς et μαλακός. *Durus Bacchi sapor* Ge. IV. 102. 342. *somni dulces* propter adjectas *umbras* nulli alii esse possunt quam in herba vel subarbore ad concentum avium, florum odores et

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hostia fruges;
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri tortâ redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, et carmina dicat.
Atque hæc ut certis possimus discere signis,
Æstusque, pluviasque, et agentis frigora ventos:
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret;
Quo signo caderent austri; quid sæpe videntes
Agricolæ propius stabulis armenta tenerent.
Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis
Montibus audiri fragor; aut resonantia longe
Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur.

sic porro. 343. Diis agrestibus libatur ex more, lacte, melle, vino. 345. Ducitur hostia, lustrandi agros causa, circa novam segetem. *felix hostia*, h. fecunda, quemadmodum *felix ager, arbor*. De his dubitat nemo; uti nec de hoc, hostiam sterilem sacris admoveri, nefas fuisse: sed usus perpetuus ita fert, ut accipiamus hostiam, qua litari potest, quia pura et sacrificio apta diisque grata est; quæque adeo est felicis ominis, et bonum frugum proventum portendit, aut ipsa felicis proventus caussa, placatis per eam diis, haberi potest. 346. *chorus et socii*, est chorus sociorum. Int. autem socios operum, vernas, ut II. 528. 347. *vocare in tecta*, ut adsit, invocare. Horat. Carm. I. 30. 3. *vocantis Ture te multo Glyceræ Transfer in ædem*. 350. De incondita saltatione, qua carmina messoria canuntur. *Quernam coronam* in memoriam victus prioris gestatam.

351 Hæc igitur omnia, has tempestatum cæli et aëris vices, de quibus adhuc egit, porro magnum calorem, pluviam et gelu, e lunæ phasibus et variis prognosticis, quæ experientia docuit, intelligunt agricolæ. 353. Ipse Jupiter *statuit*, h. fixum et constans esse jussit. Plerisque his prognosticis severiores physices rationes facile assignari possunt (vidimus id nuper factum a *W. Jones physiol. Disquisitions* p. 619. sqq.); pro nostra ætate eadem retractavit *Thomson* (*Seasons: Winter* 118. sqq.). *Monet* luna prognosticis, quæ ab ea petuntur, et *menstrua luna* præclare propter menstruas motus vices. 354. *Quo signo caderent austri*; quod indicium esset venti mox cessaturi. Ita enim *cadere* pro residere, *cadit fragor pelagi* Æn. I. 154. ut contra *surgere* v. 356.

356 *Continuo*: principio. vid. sup. 60. *ventis surgentibus*: mox vs. 365. *vento impendente*; vide modo ad v. 354. *freta ponti* poëtica periphrasi pro ponto, mari; nihil amplius. 357. *aridus fragor*, qualis asper et acutus lignorum aridorum, cum franguntur. Effert autem haud paullo ornatius Aratea l. l. 180. κορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι. 359. *Litora misceri*; miscetur ac perturbatur mare littora et saxa alluens, quibus alliduntur fluctus; et *resonantia miscentur* pro simplici *resonant*. Aratus ib. v. 178. 179. μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες, Ἀκταί τ' εἰνάλιοι, ὁπότ' εὐδίοι ἠχήεσσαι. De *nemorum murmure* seu mugitu conf. Æn. X. 97—99.

Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis:
Quum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora; quumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ; notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.
Sæpe etiam stellas, vento inpendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus;
Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summâ nantis in aquâ conludere plumas.
At Boreæ de parte trucis quum fulminat, et quum
Eurique Zephyrique tonat domus: omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Numquam inprudentibus imber
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues; aut bucula cœlum
Suspiciens patulis captavit naribus auras;

360 Jam tum satis gravis tempestas in alto, ut navis vix resistat satis fluctibus, increbrescente procellæ vi, cum etc. 361. Expressa hæc ex Arato, nec tamen cum fide ac diligenter, sed permutatis avium nominibus forte quod communis earum hac in re est natura. 364. Quod itaque de *ardea* ἐρωδιῷ, dixerat Aratus v. 182. Diosem. καὶ δ' ἂν ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον Ἐξ ἁλὸς ὀρχηταὶ φωνῇ περὶ πολλὰ λεληκώς, ad *mergos* transtulit Virgilius: *Quum medio celeres revolant ex æquore mergi, Clamoremque ferunt ad litora.* At Cicero, qui Arateos versus vertit de Div. I. 8. *fulicem* seu fulicam nominavit, Callimachus δύπτην in fragm. CLXVII. ex Etymol. Aratus *mergos* (τὰς αἰθυίας) *in littore* (χερσαῖα, h. κατὰ τὰ χ., ἐν χέρσῳ, ut ἐν ξηρῷ Virgilius in sicco, in littore, ut et Æn. X. 301.) *alis plangere* memoraverat. Tandem v. 364. cum Arato convenit noster: Κινυμένου τε θάλασσαν ὑπερφορέοντ' ἀνέμοιο *ardea: et moto vento supervolat mare;* hoc exornavit: *notasque paludes Deserit atque altam supra volat nubem.* Etiam: *Quodque ausa volare Ardea sublimis pennæ confisa natanti* Lucan. V. 553 554.

366 Lucret. II. 143. *Nocturnasque faces cœli sublime volantes Nonne vides longos flammarum ducere tractus,* quem locum Macrob. VI. 1. p. 574. Maroni præluxisse ait. 367. *albescere* elegantius quam existere, esse.

370 Jam præsagia pluviarum enarrantur. Primum est fulminum ex omnibus cæli partibus concursus. Omnino, pergit, 373, pluviæ venturæ observatio in promtu est; tam manifesta ejus signa sunt, quæ inde subjicit, ut neminem facile, non ante provisa et animadversa, pluvia opprimere possit.

370—372 *Domus Euri* suaviter dixit de parte cæli, unde spirat. *Rura natant,* inundantur.

373 *Numquam inprudentibus imber Obfuit,* obesse potest vel solet. Ornate extulit id, quod in tenui oratione esset: agricolis non facile imber *supervenire* potest imprudentibus, h. non ante providentibus, improviso, ut nec moniti sint præsagio aliquo. Non debebat hic hærere doctorum virorum acumen. Sententia est eadem inf. 425. *Nunquam te crastiua fallet Hora neque insidiis noctis capiere serenæ.* 374. Ante oculos poëtæ fuere Aratea 299. e quibus et Aristot. H. A. IX. 10. patet solere grues, ubi in altum evolaverint, *in aërem,* ἠέριαι, animadversa tempestate, statim se demittere et imbrem fugere; *vallibus imis,* grues imbrem fugiunt *vallibus imis,* recipientes se in vallem; ita convenit Aristot. ἐὰν ἴδωσι νέφη καὶ χειμέρια, καταπτᾶσαι ἡσυχάζουσι, puta arborum frondibus tectæ. 375. 376. *Captavit,* captare solet, captat, *auras,* h. ducit,

Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo;
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter; et bibit ingens
Arcus; et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat inproba voce,

olfacit, ὠσφρήσαντο. 377. Versus totus est ex Varrone Atacino una cum v. 376. et 379. *arguta* ad vocem refertur. 378. *Veterem querelam* ad fabulam transformationis ranarum (v. Ovid. Met. VI. 376. sqq.) referunt; sed verbis simpliciter inest notio clamoris continui semperque ejusdem. Poetis enim querelam de quacunque animalium voce dici notum est.

379 *Tecta penetralia* ut *adytum penetrale* Æn. II. 267. *templa penetralia cæli* Lucr. I. 1098. ut in nonnullis legitur. 380. *angustum iter* κοίλης ὀχῆς, foraminis: si modo Aratum reddere voluit: sin omnino naturam formicarum exprimere maluit, *angusto* calle incedentium ut Æn. IV. 405. rectius *iter* de tramite isto quo eunt redeuntque intelliges.

381 *Arcus*, iris, *bibere*, h. haurire, attrahere, aquas suis cornibus, pluvio tempore, etiam a nostris hominibus creditur. Alias *nubes* dicuntur *bibere*. Sic in Anthol. Lat. lib. V. 113. de Oceano: *Te potant nubes* (sic leg.) *ut reddant frugibus imbres*. Statius Theb. IX. 405. *At pater arcano residens Ismenos in antro, Unde auræ nubesque bibunt atque imbrifer arcus Pascitur, et Tyrios melior venit annus in agros*. Arat. ib. v. 208. *duplicem arcum* habet: διδύμη Ἶρις, ex repercussa luce in nubibus.

381, 382 Arat. v. 231—237. *increpuit densis alis* debebat exprimere τιναξάμενοι πτερὰ πυκνά· in hoc vero πυκνὰ (pro πυκνῶς) positum esse putes pro *crebro*. Etiam in epigrammate. Αἰετὲ τὸν χαρίεντα, ποτὶ πτερὰ πυκνὰ τινάξας, Πῶς ἔφερες; At Virgilius πυκνὸς *densus* transtulit et (nam *dense increpare* nihil esset) πτερὰ πυκνὰ, *alas densas* interpretatus est, sive ut alarum naturam exprimat epitheton, sive ut ad multitudinem corvorum referat. Jungenda vero: *increpuit alis densis*; non vero: *exercitus densis alis*. Cæterum ad hoc præsagium referenda Horatii verba Carm. III. 27. 9. *antequam stantes repetat paludes Imbrium divina avis imminentum*.

383—385 Ex avibus marinis et cygnis præsagia pluviarum memorat. *Jam videas varias volucres—infundere* etc. Cygni hic dicuntur *in stagnis Caystri* (in stagnis, quæ Cayster fl. egressus ripas, inundando vicina, facit) *rimari prata Asia circumcirca*: pro vulgari, versari in iis. *rimari* autem de cygnis, pabulum et herbas quærentibus. Georg. II. 199. dixit Mincium *Pascentem niveos herboso flumine cycnos*: *stagna* recte *dulcia*, utpote vivi et perennis fluvii, non situ putrescentis aquæ. *Asiam paludem* dixit Æn. VII. 701. At Homerus Ἄσιον λειμῶνα. Est autem *Asia* angustus tractus paluster Lydiæ ad Caystrum, non longe a Tmolo, satis notus ex Homer. Iliad. β, 461. ἢ κύκνων δυλιχοδείρων Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα· quem expressit Virgil. vss. 383. 384. Reliqua partim a Varrone Atacino sumsit, cujus fragm. in Catalectis vet. poëtarum; *Tum liceat volucres pelagi tardæque paludis Cernere inexpleto studio* (ἄπληστον; hoc est, quod noster *incassum* dixit) *certare lavandi, Et velut insolitum pennis infundere rorem*: partim ab Arato Diosem. 210. 211. Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰνάλιαι ὄρνιθες Ἄπληστον κλύζονται ἐνιέμεναι ὑδάτεσσιν; h. *caput objectant fretis*, s. aquis immersant. Quæ omnia si inter se compares, poëticam in nostro, quamquam novissimus post illos venit, copiam non desideres. 388. *cornix inproba*, sive infausti ominis, sive *inproba vocat*, pro improbe, clamore improbo, nimio, continua

Et sola in siccâ secum spatiatur arenâ.
Ne nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hiemem: testâ quum ardente viderent
Scintillare oleum, et putris concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena
Prospicere et certis poteris cognoscere signis.
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur;
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna;
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri;
Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt
Dilectæ Thetidi alcyones; non ore solutos
Inmundi meminere sues jactare maniplos;
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt;
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequidquam seros exercet noctua cantus.

crocitatione eaque odiosa: vid. sup. ad v. 145. *plena voce*, e pleno gutture, Gallis *gras*: παχέα κράζουσα. Eam *vocare pluviam*, quam denuntiat, jam Lucret. dixerat V. 1084. 1085. 389. *sola secum spatiari* dicitur, sola, non gregatim, ἢ πολλὴ στρέφεται παρ' ὕδωρ; ut; secum esse, habitare.

390—392 Ornate. Etiam puellæ lanam ducentes tempestatem seu pluviam ingruentem ex scintillatione lucernæ et fungi, qui ex stuppa in fungi speciem excrescit, concretione divinare norunt. *Oleum scintillat*, h. flamma oleo nutrita. *testa* est lucerna fictilis. Vides, quemadmodum rem vilem non ignobili oratione expresserit.

393—414 Sequuntur præsagia serenitatis: et primo quidem ea declarata sunt per absentiam eorum, quæ impendentes pluvias significabant: tum vs. 401. ea apposita sunt quæ nunc fiunt. *Serena*, ut *serenum*, absolute dictum, ut alia simili modo, h. serenum cælum, quod *apertum* vocari potest, nullis nubibus obductum: καθαρὸν φάος ἀμβλύνεσθαι dixerat Arat. Prognost. 281. et φάτνην καθαιρομένην πάσης ὑπένερθεν ὁμίχλης v. 265. ubi ad unam stellam hoc præsagium retulit; cum Virgilius omnino stellarum obtusam et obscuratam lucem memoret. 396. Aratus tempestatis ingruentis signum apponit: quando repente stellarum lux obtunditur, offuscatur, *nulla apparente causa*, nec nubibus obductis, nec caligine aliâ, nec *luna suborta, quæ nimirum luce sua eas offuscet, iis officiat*. Ergo Maronis verba, qui, e contrario, abesse tempestatis præsagia declarare vult, naturali vi et sensu posita sunt: nec videtur acies stellarum obtusa, nec *surgere*, surgit, oritur, *Luna radiis fratris obnoxia*, lucem suam a sole mutuari solita, mutuata, scil. non oritur, prodit, *ut luce sua stellas obscurare possit*. Ergo abesse poeta ait id, quod tempestatis instantis signum esse posset cum cælum repente, nulla de causa apparente tanquam aëre densato, obscuratur. 397. Ex Arato ibid. v. 206. 207. *vellera lanæ*, sunt nubes per cœlum sparsæ mox in densiorem et obscuram nubem coituræ: Plin. XVIII. 35. s. 82. *Si nubes, ut vellera lanæ, spargentur multæ ab oriente, aquam in triduum præsagient*. 399. Theocr. VII. 59. *Nereidibus dilectas* dixerat. Ἀλκυόνες, γλαυκαῖς Νηρηΐσι τάι τε μάλιστα Ὀρνίχων ἐφίλαθεν ὅσαις τέ περ ἐξ ἁλὸς ἄγρα. Iis incubantibus mare tranquillum esse, unde dies Halcyonii dicti sunt, nota res est. Aliena tamen hæc ab h. l. sunt, quo præsagia ingruentis tempestatis memorantur: *alcyones raro* in conspectum veniunt, *nec nisi Vergiliarum occasu et circa solstitia brumæ*: v. Arist. H. A. V. 9. tunc ergo præsagientes aëris mutationem pennis expansis esse solent. 400. *maniplos* non modo messæ frugis, sed herbarum, graminis, straminis etc. eos *jactant solutos*, h. ita ut solvantur jactando.

401 Noctua observans solis occasum, atque adeo noctem, sedens in arboris cacumine, canit assidue, sed frustra: Avis enim quamvis ominosa, tempestatisque alias nun-

Adparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo;
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus: qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant; et sæpe cubilibus altis,
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se foliis strepitant; juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcisque revisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verum, ubi tempestas et cœli mobilis humor
Mutavere vias, et Juppiter uvidus austris
Denset, erant quæ rara modo, et, quæ densa, relaxat;
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.

tia, nunc tamen, quo minus serenitas redeat, non impedit. Plin. XVIII. 87. *Sic noctua in imbre garrula* (præsagit serenitatem), *at sereno, tempestatem.*

404 De Scylla, quæ patrem Nisum Minoi prodiderat, in avem una cum patre mutata, ipsa in cirin, pater in haliæetum; qui eam nunc pertinaci odio persequitur, si conspexerit. conf. sup. ad Ecl. VI. 74. *liquidus* aëris naturam mobilem denotat. 407 *inimicus, atrox;* potest ita accipi, ut alterum pro adverbio sit: atrox Nisus inimice insequitur: quandoquidem docent viri docti, non bene duo epitheta jungi; niai alterum participium sit. vid. Georg. III. 149. IV. 19. Æn. III. 70. Ubi tamen orationi διυότης aliqua inest, non male tum duo epitheta jungi putem ad augendam rei gravitatem, sive adjectivum sive participium sit; ut in illo, quod infra lib. III. 149. *Asper, acerba sonans.* Idem etiam tum locum habet, cum res per plura attributa, adjuncta, aut alia, quæ rei propria sunt, declaranda ac describenda est: uti Æn. VI. 283. *Ulmus opaca, ingens, quam* etc. Ita si statuas, causas ex ipsa rei natura petitas teneas.

410 *Presso gutture*, coarctato, acuto cantu, clangore, λιγαιταμίνοισιν ὁμοῖα. *voces liquidæ* oppon. rauçis: quibus corvus imbres alias denuntiat. 412. Χαίρειν κέ τις αὔοντα ibid. 274. *dulcedine læti* h. voluptate, gaudio. conf. inf. IV. 55. *imbribus actis*, abactis, pulsis.

415 Non hoc eos propterea facere videri ait, quia illis *divinitus sit ingenium*, h. e. ex Pythagoreorum, Platonicorum, ac Stoicorum placitis *pars divinæ mentis et haustus ætherii*, ut IV. 219. 220. *aut rerum prudentia major fato*, h. quam fatum, hactenus scilicet, ut, quid futurum sit fato, ipsi prævideant et præsentiant: Scilicet solet iis, qui divinandi facultatem habent, potestas aliqua et imperium in fatum poëtica ratione tribui. Nec tamen habeo, quod alteram rationem reprehendam, quia rerum prudentia major (quam in hominibus esse solet) iis sit *fato*, ut ante, *divinitus*, a fato data.

417—423 Verum, ubi cœlum et aër mutatur, et aër humidus modo densatur, modo rarefit et tenuatur, naturæ harum avium mutationem aliquam subeunt, et motus diversos a prioribus sentiunt. *Juppiter—denset.* Tri-

Si vero solem ad rapidum lunasque, sequentis
Ordine, respicies: numquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenæ.
Luna, revertentes quum primum conligit ignis,
Si nigrum obscuro conprenderit aëra cornu:
Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber.
At, si virgineum suffuderit ore ruborem:
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,
Pura, neque obtusis per cœlum cornibus ibit:
Totus et ille dies, et, qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt;
Votaque servati solvent in litore nautæ
Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ.
Sol quoque et exoriens, et quum se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur,
Et quæ mane refert, et quæ surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum,
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe:
Suspecti tibi sint imbres; namque urguet ab alto
Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.

buitur Jovi, quod nos de Natura pronuntiamus. Is aërem rarum densat, densum ac gravem rarefacit. 420. *Vertuntur species animorum*; paullo aliter ap. Homer. Odyss. σ, 135. 136. nobilissimis versibus: tales hominum mentes, ita homines animo affecti, adeoque læti ac tristes, uti sors cujusque diei rerumque externarum conditio ferat: Ita enim interpretandi versus: Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε; at in Marone animorum habitus mutatur ex tristitia ad lætitiam versus. 423. *avantes gutture* h. cantu, lætam vocem edentes.

424—437 Ad præsagia e lunæ phasibus, *lunas* dixit, et iis, quæ in solis specie apparent, progreditur. Iis enim observatis, sequentis diei tempestatem ac cœlum facile prædisci posse, etiamsi noctis serenitas aliud promittere videatur. 426. Sic Æn. V. 851. *cœli toties deceptus fraude sereni.*

427—437 Luna renascens si obscura fuerit, est præsagium pluviæ; si rubicunda, venti. Quarta dies a nova luna si puro nitore fulserit, serenitatem per totum mensem portendit. 429. *agricolis pelagoque*, pro nautis. Ne hæreas, cur pelago imber minetur. 431. *vento* h. l. cum ventus futurus est. 432. *auctor*, qui pollicetur, vaticinatur, h. l. præsagit. 436. 437. Secunda erit navigatio. Jam 437. Parthenii versum esse, ex Gell. XIII. 26. et Macrob. V. 17. novimus: Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ καὶ Ἰνοῖ Μελικέρτῃ. Panope vel *Panopeia* (Πανόπη, Πανόπεια) est inter Nereides: Æn. V. 240. *Melicertam* autem esse Palæmonem inter deos receptum, Inus f., satis constat.

438—440 Jam de prognosticis ex sole agit, quæ ille et sub ortum et sub occasum dat, affert. Sol oriens si maculosus (cf. v. 452.) nubibus obductus, ab exteriore tantum sui parte conspicuus et quasi concavus est, imber portenditur. 442. *medio orbe refugere* simpliciter accipi posset, abdi, e conspectu subduci; nam poëtis *medium* parum accurate dicitur; sed vetat Aratus Diosem. 96. ὁπόταν κοῖλος ἐειδόμενος περιτέλλῃ. Et Plinius: *concavus oriens pluvias prædicit.* 443. *ab alto*, seu mari seu ex æthere. v. ad v. 324.

Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu, male tum mitis defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso quum jam decedet Olympo,
Profuerit meminisse magis: nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores;
Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni:
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere: non illâ quisquam me nocte per altum
Ire, neque a terrâ moneat convellere funem.
At si, quum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit: frustra terrebere nimbis,
Et claro silvas cernes aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit: Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque et operta tumescere bella.

445 Si sub ortum Sol medio orbe obscurato radios quaqua versus exterius sparserit. 447. Cum lux oriens erit pallida grando ingruet. Versus Homericus Od. ε, 1. In v. 448. 449. ipsa structuræ conversione orationem exquisitam factam vides; et ornate *crepitans salit* pro, cadit: conf. Æn. V. 458. 459.

450 Si solis orbi prætexuntur nubes variæ, nigræ denuntiant imbres, rutilæ ventum. 452. *Errare* doctius quam esse. 454. *Sin maculæ:* sin permixtæ inter se erunt et nigræ et rutilæ. Mox 456. *Fervere* elegantius quam, impleri. In illis autem: *non illa quisquam me nocte* etc. suavis orationis, inprimis tenuioris, variandæ color: similis illis: Georg. II. 315. *Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor Tellurem—movere.* III. 436. *Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos, Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbam.* Sublectus tamen et is Arato in Phæn. 287. Quid! quod similis forma in Homero occurrit Odyss. μ, 106. de Charybdi: μὰ σύγε κεῖθι τύχοις, ὅτε βοιβήσειεν. Mox *moneat*, hortator, auctor sit.

458—460 Si mane et vesperi sol purus erit ac serenus, certum id serenitatis pignus puta; flante aquilone, qui serenat cælum.

461—463 Verbo, ex sole præsagia omnino petimus certissima, quæ circa vesperam cæli facies, serena an nubila, futura sit; a qua cæli parte ventus dispellens nubes an adducens pluvias venturus sit. 462. *quid cogitet Auster*, præclare, vento in personam mutato: ut ap. Horat. *quodcunque minabitur Eurus.* Expressit tamen et ars ventos: inque his Austrum, facie truculenta, minaci, superciliosa. 463. Hinc color ductus Manil. II. 134. 135. *Quod Fortuna ratum faciat, quis dicere falsum Audeat, et tantæ suffragia vincere sortis!* Noster *falsum* pro fallenti dixit.

464 Ingeniosus transitus ad emblema carminis, seu episodium, non inelegans, quamquam, ad nostra tempora minus accommodatum; quo poëta et illud effecit, ut varietate aliqua distingueretur argumenti tenor, et esset, ubi ingenium poëtæ se jactare posset. *Cæcos tumultus* dixit bellicos ex occulto natos; eosdem mox *fraudes* et insidias conjurantium, et *operta bella* explicat. Nostrum ante oculos habuit Manil. I. 893. *Quin et bella canunt ignes subitosque tumultus, Et clan-*

Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam:
Quum caput obscurâ nitidum ferrugine texit,
Inpiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque, et æquora ponti,
Obscenique canes, importunæque volucres,
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum totô Germania cœlo
Audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis
Ingens; et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis; pecudesque loquutæ;
Infandum! sistunt amnes, terræque dehiscunt;
Et mæstum inlacrimat templis ebur, æraque sudant.
Proluit insano contorquens vertice silvas
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnis
Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem

destinis surgentia fraudibus arma. 465. *tumescere* vero elegantius quam oriri, surgere; trahuntur enim attributa maris ac procellarum ad bellorum motus. Sic *fluctus, æstus.* Sic et οἰδᾶν. Ruhnkenius ad Vellei. II. 15. p. 115. ab arborum et plantarum gemmis ducere mavult.

466 Prodigia post Julii Cæsaris cædem, quæ eadem pro præsagiis belli civilis subsequentis habebantur, etiam historicis satis sunt celebrata, a poëtis inprimis tractata. 467. *ferrugo* poëtica oratione pro caligine. 468. *inpia sæcula* homines istius ævi, quo *impium* facinus in Cæsarem commissum erat. *sæcula* Lucretiano more dixit, ubi *sæcla ferarum* et alia. Præclare solem obscuratum per *caput velatum* præ mœrore propter instantes calamitates declarat.

470 *Obsceni* canes, ominosi, mala portendentes, ut *importunæ volucres*, odiosæ, molestæ, mali ominis cantu. 471. Igitur aliquoties Ætna illo anno ignibus arserat. Esset hactenus reperta causa caliginis totius anni. Æstuantis Ætnæ explosi ignes verbis a tempestate maris petitis describuntur. Omnino *undæ* flammis tribuuntur. 473. *liquefacta saxa*, quia massa tum liquescens mox lapidescit. Est quæ vulgo *Lava* appellatur.

474 Arma in cælo visa sæpe narrata sunt, nunc a Rheno. Videtur ei superstitioni *aurora borealis* originem dedisse. 475. Alpes sæpe tremuisse Plinius notavit lib. II. sect. 82.; mirum, hoc prodigium nunc raro nuntiari: sæpius de Apenninis. An forte veteres glaciei perennis ruinas et percussum inde solum et aërem pro terræ motu habuere?

477 *simulacra* mirum in modum *pallentia* e Lucret. I. 124. sunt defunctorum umbræ. Mentibus hominum magno imminentis calamitatis metu percussis spectra objecta esse in locis solis, non insolens res est. Mox 478. intell. *boves vocales.* vid. Tibull. II. 5. 78. 479. Tum *sistunt amnes* se, consistunt. Ad rem refer Horat. Carm. I. 2. 13. sqq. *Vidimus flavum T.*; inde miraculo aucto ad fontem recurrunt amnes; caussa adjecta est in *terræ dehiscunt*, scil. motu ac ruina soli, qua obseptus fluvii cursus est. 480. *ebur æraque*, sunt signa ex ebore et ære; ea *illacrimari* credebantur, forte dum tepido sudabant humore per tempus pluvium collecto. Adeo in re alioqui satis obvia occæcati metu animi trepidabant.

481 Ut ira, rabies, sic furor, et *insania* incitato flumini tribuitur. Locum ante oculos habuit Lucan. I. 408. seqq. Padi autem

Tristibus aut extis fibræ adparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit; et altæ
Per noctem resonare, lupis ululantibus, urbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura; nec diri toties arsere cometæ.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi;
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Hæmi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, quum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabrâ robigine pila,
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis,

eluvies incredibiles sæpe agrorum hominumque strages fecisse narrata est. 487. *Sereno tonuit.* Huc refer Horat. Carm. I. 2. 3. 4.

489 Hæc prodigia insequutum esse ait bellum civile, prælio ad Philippos, Macedoniæ adjectæ, olim Thraciæ, urbem commisso, et Bruti Cassiique nece nobilitatum. Poëtica ratione Philippos dicit vidisse Romanas acies *concurrere*, et quidem *iterum concurrere*, Romanos alterum prælium, post illud in priore bello civili ad Pharsalum habitum, inter se fecisse. 491. *Nec diis fuit*, visum est, *indignum*, iniquum, pro, iis placuit, in eodem Macedoniæ regno, latius accepto, bis stragem Romanorum fieri. *Emathia* Macedoniæ est pars, ad quam proprie nec Pharsalus nec Philippi referri possunt; sed poëtæ latius eo nomine etiam pro Thessalia utuntur. *Hæmus* mons est Thraciæ, cui poëtica ratione urbs Philippi subjacere dici potest. Lucan. I. 675. *latosque Hæmi sub rupe Philippos.* IX. 271. *Emathios Philippos* dixit. Magna pars Thraciæ olim Macedonibus paruit. In Virgilio nemo hærebit, qui interpretationem recte instituerit. Manilius, qui hunc locum in extrema libri primi parte ante oculos habuit, eandem poëticam rationem amplexus paullo licentius extulit: *Civiles etiam motus cognataque bella Significant* (cometæ sive alia meteora), *nec plura alias incendia mundus Sustinuit, quam cum ducibus jurata cruentis Arma Philippeos implerunt agmine campos. Vix etiam sicca miles Romanus arena Ossa virum lacerosque prius superadstitit artus.* Licuit poëtæ, quamquam paullo crassius, in eodem loco prælium factum dicere, quod in illis regionibus, in eo regno aut plaga, factum. Ut adeo ne tum quidem vitiose dictum videri debeat, si Philippis ipsis dicat iterum concurrisse Romanas acies. Quid? quod contendi potest, veteres, cum hæc Virgiliana carmina legerent, sententias non aliter constituisse? Ex imitatione Ovidii judices. Is Met. XV. 823. 824. de Cæsaris ultione: *Pharsalia sentiet illum, Emathiaque* iterum *madefacti cæde Philippi.* Et Lucanus, qui lib. VII. sub f. totum hunc locum expressit. *Thessalia infelix!* v. 853. *Ante novæ venient acies, sceleríque secundo Præstabis nondum siccos hoc sanguine campos.* Et tandem Petronius cap. 121. (de Bello Civ. 110.) *Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos.* Noli tamen propterea cum viris doctis existimare, veteres Pharsaliam cum Philippis confudisse. Latius *Emathiam*, *Thessaliam*, *Hæmum*, *Philippos*, et *Pharsalum* in poëtis, qui de his prœliis agunt, dici, ac si ad eandem regionem omnia illa referenda sint, ex comparatione dictorum obvia res est. 489. *paribus telis*, cum utrinque a Romanis pugnaretur. Hinc Lucan. I. 7. *infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.* Et Valer. Fl. VI. 404. *Romanas veluti sævissima cum legiones Tisiphone regesque movet: quorum agmina pilis, Quorum aquilis utrinque micant.* 491. 492. Decrevere dii, fatale fuit, bis cædes Romanorum in finibus Macedoniæ fieri.

493 Natum phantasma ex vulgari: ossibus cæsorum Romanorum agros constratos esse. 494. A Lucret. V. 932. *ferro molirier arva.* 496. *inanis* non otiosum galearum

Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.
Di patrii Indigetes, et Romule, Vestaque mater,
Quæ Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo
Ne prohibete! Satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.
Jam pridem nobis cœli te regia, Cæsar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos:
Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,

epitheton: cum *pulsabit* adjunctum sit; alias cavas et ab effectu *sonantes* dicunt. 497. *Grandia ossa* ad communem de vastis priscorum hominum et heroum corporibus opinionem præclare dixit. cf. Æn. XII. 899. 900. Cum in istis prœliis fortissimi homines cecidissent, posteritas, quæ corrupto huic et decrepito sæculo successura est, eodem modo horum ossa mirabitur, ut nos priscorum hominum. Debuit autem hoc, jam Maronis temporibus, sæpe contingere, ut terra eruta aratores in magna ossa fossilia inciderent: quæ, cum belluarum ex priscis telluris ruinis essent, ad priscos tamen homines ac gigantes referrentur. Debuere quoque, post tanta Italiæ bella, sæpe agris motis in loca pugnarum factarum incidere homines et ossa cum armis permixta reperire.

498 *Di patrii* et *Indigetes* ab aliis pro iisdem, ab aliis pro diversis habentur. *Di indigetes* sunt ἐγχώριοι. Ex iis Æneas erat: v. Liv. I. 2. extr. Idem Æneas *deos patrios* seu *Penates* a Troja in Latium advexerat. 500. *juvenem*, ut Ecl. I. 43. Romani sermonis noto usu appellat Octavianum Cæsarem, tum circa XXVII. annum agentem. *Sæclo* (ut v. 468.) *everso* dixit, quod in prosa, *rebus perditis succurrere*; ut *eversum imperium* pro labefactato, ad interitum ruente. Cæterum nonnulla in sequentibus sunt, quæ forte Romanis magis probari potuerunt, a nobis excusari forte satis est; etsi declarare videntur, jam tum poëtæ animo insedisse Æneidis argumentum, ut a Trojanis rebus fata Romanorum apta et nexa faceret. 502. *Laomedontis* certe *perjuria* nimis longe petita videri possunt; nec sententiarum admodum commodus et naturalis ordo et junctura esse. Verum de Romanorum sensu quærendum erat, non de nostro. Scilicet magna aliqua calamitas non nisi deorum iris immitti potest: exarsere illæ magno aliquo scelere ac piaculo commisso. Ita bella civilia referuntur ad majorum magnum aliquod ἄγος: ab Horatio ad parricidium Romuli Epod. VII. 17. a Virgilio ad Trojanorum, qui gentis Romanæ auctores fuere, facinora. Jam porro: bellorum civilium scelera novum sunt ἄγος, novum piaculum, quo obstricti homines deorum iras in se provocant; inde calamitates easdem iras et novas portendunt prodigia: quæ procuranda sunt et τὸ ἄγος expiandum. Verum reatus ille solvi nequit nisi certis ritibus et sacris piacularibus, non nisi ab homine puro ac sancto aut a deo aliquo curandis: hic erat Octavianus Cæsar, qui idem remp. unus restituere poterat. Hoc idem persequutus est Horat. I. Carm. 2. Jam his notionibus imbutum animum si habueris, facile expedies singula: Permitte, dii, ut Cæsar remp. restituat et belli civilis scelera expiet. Satis malorum experti sumus: 501. 502. Ne nobis eum eripite, tamquam unum illum, qui culpam nostram expiare potest: etsi ævi hujus tantæ sunt e bellis civilibus corruptelæ, ut dei alicujus præsentiam vix ferant. Hæc omnia splendide ornavit et amplificavit.

502 De Laomedonte nota narratio, qui Apollinem ac Neptunum mercede pro muris Trojæ exstruendis pacta fraudaverat. cf. Horat. III. Carm. 3. 21. Potest tamen ac debet *Laomedontea* Troja simpliciter pro epitheto haberi, et *perjuria Trojæ* latius ad omnia ἄγη et facinora Trojanorum, eoque ipso ad fata ac mala inde nata, referri, quæ in Romanos, eorum posteros, redundarunt. Adeo insederat hominum animis illud judicium: numinis iras non nisi pœnis scelerum placari posse, et, si scelerum auctores eas effugerint, expeti has a nepotibus. 503. Retrahendum est ad v. 500.: unus est Cæsar, qui remp. labefactam restituere et mala tollere, deorum iras placare potest: at hic, ipse diis par et mox deus futurus, verendum est, ne ab hac scelerum contage subductus nobis eripiatur: Fere ut Horat. I. Carm. 2. 45. qui totus locus inde a v. 25. pro æmulatione hujus loci Maroniani haberi potest.

505—511 Ad annum ab U. C. 717. M.

Tam multæ scelerum facies; non ullus aratro
Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem;
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt; sævit toto Mars inpius orbe:
Ut, quum carceribus sese effudere, quadrigæ
Addunt in spatia, et, frustra retinacula tendens,
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Agrippa et L. Gallo Coss. hæc spectant; aut, quod melius fiet, ad apparatum pugnæ Actiacæ per sequentes annos sunt referenda. cf. Vita Virgilii ad hos annos. Anno illo 717. multis prodigiis turbati erant animi, dum inter Triumviros parum firma fides, et paullo post graves inimicitiæ; inter Cæsarem et Sext. Pompeium bellum recrudescebat; Antonius exercitu adversus Parthos jam dudum Syriæ infestos ibat; ab Agrippa, qui Rhenum transierat, in Galliis bellum modo confectum erat. Hæc omnia in unum conferre potuit poëta, ut gravior esset sententia. Si de apparatu belli Actiaci hac Georgicorum parte agi cum Martino existimare malis: v. 509. latiori sensu erit accipiendus de extremis imperii finibus, unde copiæ contrahebantur ab Antonio et Cæsare.

505 *ubi* h. l. apud quos. fas nefasque *versum*, confusum. 506. *Novum scelerum proventum* dixit Lucan. II. 60. 507. *Dignus honos*, satis magnus. 510. De dissidiis civilibus accipe. *ruptis legibus*, pactionibus mutuis. Æn. VIII. 540, *poscant acies* et fœdera *rumpant*. adeoque pace rupta.

512 A Circo sumta comparatio tumultuantis orbis: semel emissi currus cum tanto impetu ruunt, ut ab auriga retineri nequeant. 513. *Spatia* hic de septem spatiis seu gyris accipiunt, quibus in circo decursus finiebatur. Nec tamen hoc necesse. *Spatia* pro spatio h. ipso loco, quo decurritur, et de decursu æque bene dicuntur, ut Ge. II. penult. III. 203. Æn. V. 316. *Addunt* quadrigæ *in spatia*: subintelligitur a doctissimis interpretibus *cursum*, h. intendunt, in ipsis spatiis currendi sumunt vires; in quo tamen durum omitti cursum. Accipiebam *addere* pro addere se; h. concitare se concitato cursu ferri. *Dare se in fugam* etiam in pedestri oratione frequentamus; similia vid. Georg. IV. 528. Æn. XII. 633. *addere se* pro simplici dare se, immittere se, ruere in decursum, cum impetu ferri *in spatia*, in decursum, nullo septem spatiorum respectu. Scilicet *addere se* vulgari usu est, adjungere se, accedere. Ut Ecl. VI. *Addit se sociam timidisque supervenit Ægle.* Æn. IX. 149. *Addunt se protinus omnes Etrusci socios.* Inde, si idem fit cum impetu, irruere, instare ἐπείγειν ut Od. τ, 71. *Addere* pro mittere, immittere, injicere dictum esse etiam b. Gesnero probari video ad Quinctil. VIII. 3. 78. et confirmari a Burm. ad e. l. *Teucris addita Juno*, pro infesta, in eos concitata et exasperata Æn. VI. 90. hinc illustrari potest. Ita *addunt*, instant. Expressit nostrum Silius XVI. 372. *Jamque fere medium evecti certamine campum In spatia addebant.* Gratius Cyneg. 227: *incumbere spatiis* (προστείνεσθαι τῷ δρόμῳ) eo sensu dixisse videtur; et Homer. Iliad. Ψ, 375. Ἵπποις τάδε δρόμος. Post omnia hæc fateor tamen, ad Virgilianam facilitatem nondum orationem videri esse adductam. 514. Nota figura *currum*, h. equos, *non audire habenas* dicit, qui regi non possunt. Horat. Ep. I. 15. 13. *equi frenato est auris in ore.* Pindarus ἅρματα πεισιχάλινα dixit Pyth. II. 21.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Propositio cum invocatione Bacchi 1—8. De *arborum* inprimisque vitium et olearum *cultura* acturus, primo loco varios arborum proventus, alios a natura alios ab arte profectos, exponit. Aliæ itaque arbores sponte nascuntur—21. aliæ arte parantur: et quidem avulsione—23. infossione 24. 25. propagine 26. 27. surculo 28. 29. concisione 30. 31. insitione 32. 33. 34. Nunc edocturus, studium esse adhibendum et suam cuique arbori pro generis et soli natura culturam: Mæcenatis propitiam voluntatem implorat—46. Arbores, quæ sponte proveniunt, cultu emendari possunt—56. quæ satu nascuntur, feliciora habent incrementa transplantatione, et aliis artificialis culturæ generibus—72. inprimis inoculatione et insitione proprie dicta—82. Deligendæ quoque arborum ejusdem generis species præstantiores—108. Cælum quoque cujusque arboris naturæ idoneum est circumspiciendum; nam magna in hoc est varietas—135. et sic aditum sibi parat ad laudes Italiæ, omnium rerum proventu felicissimæ—176. tandem soli natura est exploranda, cui proventus generi illa conveniat—225. subjiciuntur criteria soli cognoscendi et judicandi—258. et viæ ac rationes soli tractandi et naturæ ejus emendandæ, adeoque ipsa cultura cum omnino arborum, tum inprimis vitium. Scilicet primo docentur quæ in plantatione observanda sint—314. etiam de tempore plantationis faciendæ—345. de cura post illam adhibenda, inque hac de putatione (362—370.) et de avertendis iis, quæ nocere possunt novellis arboribus (371—379.); cumque in his caper sit, excurrit in morem mactandi hirci in Bacchi sacro—396. In vitibus tamen inprimis adsidua est cura per totum annum adhibenda—419. Minus operosa est olearum cultura—425. et pomorum—428. exigua aut omnino nulla sativarum arborum—457. Inde excursus in laudes vitæ rusticæ, pars carminis felicissima—ad fin.

HACTENUS arvorum cultus et sidera cœli;
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
Virgulta, et prolem tarde crescentis olivæ.

1 Respicit ad lib. I. v. 1. 3. Nunc arborum curam exponam. Arbores memorat, ut poëta, *vites*, *virgulta*, h. e. arbores silvestres, et *oleas*. 2. *Silvestria* dubito an ex vulgari usu dictum sit. *silva* poëtis omnino pro arboribus dicitur: ut sæpe hoc libro, v. c. 181. *silva vivacis olivæ*: videtur adeo *silvestris* epitheton ornans esse, et *Virgulta silvestria* nil

Huc, pater o Lenæe; tuis hic omnia plena
Muneribus; tibi pampineo gravidus auctumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris;
Huc, pater o Lenæe, veni; nudataque musto
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis:
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte suâ veniunt, camposque et flumina late
Curva tenent: ut molle siler, lentæque genestæ,
Populus, et glaucâ canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine: ut altæ
Castaneæ, nemorumque Jovi quæ maxuma frondet

nisi silvæ, h. arbores omnis generis. 3. Oleæ e semine nascituræ tardissimâ esse incrementa, jam olim Hesiodo auctore creditum. δυσαυξὲς dicta Theophrasto; hinc propagare eas, quam serere, maluit ætas posterior: cf. 31.; eadem tamen propter hoc ipsum e naturæ lege firma ac *vivax*, cf. inf. 181.

4 Splendida invocatio!—*hic*, in iis, quæ dicentur a me, in argumento carminis mei. 5. *tibi*, pro per te, Græcorum poëtarum usu; beneficio tuo. 6. *florere* est hic, lætum esse, plenum esse. *auctumnus pampineus* est proventus auctumni e vinea, vindemialis, ὀπώρα. Eadem tandem notione paullo post *vindemia*. *labra*, (Tibullo I. 1. 10. *lacus*,) sunt vasa ad recipiendum mustum apta. 7. Suavissima imago Bacchi uvas calcantis una cum poëta, dum auxilium sibi a deo ferendum in carmine de vinearum cultura expetit. conf. elegans Mæcii Epigr. in Analect. Brunck. tom. ii. pag. 239. xi. 8. *Cothurnatus* exhibitus fere olim Bacchus: quod etiam e signis aliisque monumentis constat. Calcare pedibus uvas etiamnum in Italia solenne.

9—21 Arbores procreantur aut natura aut arte. *Arboribus creandis*, h. e. arborum creandarum, *natura*, ratio, *est varia*: et quidem naturalis ratio triplex, *aut* ut sponte *veniant*, h. proveniant (sup. I. 54.) *aut* semine, *aut* ab radice. Cæterum in iis, quæ sequuntur, ornandis quanta poëtæ ars sit, facile sentiri potest, si ad nudam pedestris orationis narrationem ea redigeris.

11 *Sponte sua*. Parum subtiliter veteres ea, *quæ sponte nascuntur*, αὐτομάτους, distinxere ab iis, *quæ semine nascuntur*: cum tamen nec ista sine semine proveniant. Voluere scilicet declarare id genus et plantarum et arborum, quod primigenium dixeris, quod in loco, quem occupat colonus, jam natum repererat: quemadmodum vulgus herbas malas et inutiles sponte solo nasci dicit: semen, unde illæ gignuntur, vento et aere allatum ac projectum humique conditum, non in oculos incurrit, adeoque sine semine nasci illæ putantur. Jam sup. Georg. I. 22. *novas non ullo semine fruges* dixerat. 12. 13. *Siler* salicis forte genus; nec enim satis notus frutex est. vid. ad Plin. XVI. s. 35. *Genista* fruticis viminei genus; hinc *lenta*, flexilis, ut *lenta vitis*, Ge. I. 265. *Salicta* pro salice, cujus natura pulchre expressa: γλαυκόχροα.

14 Uti illæ arbores *nullo*, debebant dicere cæco et occulto, semine nascuntur, sic nunc alterum genus, etsi et ipsum sine hominum opera, *semine* tamen quod de arbore in terram fluxit et insinuavit se solo, nascitur. *surgunt* nascuntur, *posito de semine*, h. ex semine proveniunt, quod decidit: ut castanea et ilex, si nux, glans, deciderit et ab humo recepta fuerit. Plin. XVII. 10. *Ac pleraque ex his ipsa natura docuit, et inprimis semen serere, quum decidens exceptumque terra vivesceret. Sed quædam non aliter proveniunt; ut castaneæ, juglandes.* Ex iis, quæ dicta sunt, intelliges alienas esse a poetæ mente argutias, ut *sponte venire* dicantur arbores semine non projecto sed temere cadente; *posito de semine*, opera et industria hominum in terram sparso aut defixo. Scilicet h. l. naturales modi nunc enarrantur; de satione artificiali mox agetur. Iterum poëta sponte natas et ex semine quod deciderat

Æsculus, atque habitæ Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva:
Ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbrâ.
Hos Natura modos primum dedit; his genus omne
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse viâ sibi reperit usus.
Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum
Deposuit sulcis; hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos;
Silvarumque aliæ pressos propaginis arcus
Exspectant, et viva suâ plantaria terrâ;
Nil radicis egent aliæ; summumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.

(seminibus jactis) distinguit inf. 47. 57. Cæterum *semina* si apud poëtam, etiam apud alios, audieris, latius illa, nec modo de granis, verum et de nucibus, nucleis, baccis, interdum de radicibus, plantis, stolonibus, et quovis propagandi genere, interdum de omni principio, unde aliquid gignitur cogitandum est. Ita *castanearum semina* sunt nuces. Simili modo *serere* de omni procreandi modo adhibetur. Sane hæc loquendi improprietas interdum obscuritatem facit. De *castaneis* v. Collumel. IV. cap. extr. 16. *Æsculus*, arbos glandifera e quercuum genere, admodum procera, cf. inf. v. 291—297. Jovi sacra. Dicta ea *maxuma arborum:* Accipe pro: in nemoribus. Sic Græci casu secundo uti solent: ὑψηλοτάτῃ ἀλσέων pro ἐν ἄλσεσι dicerent. *quercus habitæ oracula*, h. pro sede oraculi Dodonæi. v. Homer. Odyss. ξ, 327. 328. quamquam modus edendæ sortis diverse traditus est.

17 *Viviradices* vocant; quamquam id nomen latius patet, et stolones ac truncos etiam designat, quos transferas in aliam terram. 19. *Subjicit se*, adolescit, crescit. Sup. Ecl. X. 74. *Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.* Docte autem variata oratio pro: aliæ ἀπὸ παρασπάδος, radice infixa solo, gignuntur, ut cerasus, ulmus, et laurus. 20. 21. Hi sunt modi naturales.

22—34 Sunt alii modi arborum creandarum artificiales, h. quos usus ipse sibi reperit, *via* id est arte, ratione, industria et experientia, ut centies *via* apud nostrum et alios. Colum. X. 338. *salutis Ipse novas artes varia experientia rerum et labor ostendit miseris ususque magister Tradidit agricolis.* Conf. inf. IV. 315. 316. I. 133. et præclarus Lucretii locus, qui Maroni præluxit lib. V. 1360. sqq. Sunt autem modi hi: *avulsione, infossione, propagatione, surculo, concisione, insitione.* Ad rem tenendum hoc, pluribus modis eandem arborem gigni posse; ne putes singulis arboribus unum tandem modum convenire; est tamen alia alii ratio utilior.

23 Alius avellens *stolones* e radice (vid. v. 17.) fossis (sic *sulcis* inf. 289.) seu scrobibus mandat. v. Plin. XVII. 10. s. 13. Idem: *Omnia, inquit, celerius adolescunt stolonibus ablatis, unamque in stirpem redactis alimentis*, ibid. 13. s. 20. Ita *avulsione* arbores proveniunt.

24 Alius modus est, quo quis *truncos* seu vastiores ramos ac taleas in pali modum, aut quadripartito fissas, cum radicibus, *in terram infodit.*

26. 27 Tertius modus fit *propagine.* Ut aliæ, inquit, arbores proveniant, incurvatas in terram scrobe facto demittere necesse est, et *in sua terra*, h. ea, in qua mater crevit, plantare.

28. 29 Est hoc sationis genus, cum ex summa arbore rescissa virga seu talea, tamquam *surculus*, scrobe facto in humum defigitur. 29. *referens*, quia jam ante illinc enatum fuerat. Nisi omnino ornate dictum putandum *referens mandat* pro simplici *mandat.* Nam fert, defert, *refert* illud *cacumen*, taleam, in illum locum.

Quin et caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur e sicco radix oleagina ligno.
Et sæpe alterius ramos inpune videmus
Vertere in alterius; mutatamque insita mala
Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite o, proprios generatim discite cultus,
Agricolæ, fructusque feros mollite colendo;
Neu segnes jaceant terræ. Juvat Ismara Baccho
Conserere, atque oleâ magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque unà decurre laborem,
O decus, o famæ merito pars maxuma nostræ,
Mæcenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto;
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox; ades, et primi lege litoris oram.
In manibus terræ; non hic te carmine ficto,
Atque per ambages et longa exorsa, tenebo.

30. 31 Nonnullæ arbores, et inter has inprimis olea, ita procreantur, *ut caudex* seu stipes, resecta radice et abscissis ramis, idemque dissectus ac fissus, *terræ infodiatur.* Ita ex ipso stipite radix truditur, quæ terræ se affigat. *Caudex sectus*, per se simpliciter esse posset, resectus et abscissus; sed obtemperandum est viris peritis, caudicem seu truncum scindi in plures partes, diffindi ac concidi, ita ut ex medulla nova arbor procreetur. *e sicco ligno*, quia truncus rescissus est. Plin. XVII. s. 9. inter genera sationis arborum: et *consecto arboris trunco.* Ab illo altero modo sup. 24. 25. memorato hic ita differt: ut infossio fiat truncis cum radicibus quintus hic modus, resectis radicibus.

32. 33 34 De *insitione* agit. Tamquam poëta, mala et corna memorat, fructus pro arbore. Quod structuram verborum attinet, ambiguum est, pirusne ex insitione ferat mala et prunus corna, an inverse cornus pruna. Cum recte monitum sit, corna Æn. III. 649. *victum infelicem dare* dici, posterius videtur amplectendum esse. Ex insitione cornus fert pruna rubentia, ut pirus mala.

35 Discite, qui per singula genera, cuique generi, cultus proprius sit. 36. E Lucret. V. 1367. *Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli Tentabant, fructusque feros mansuescere terra Cernebant indulgendo blandeque colendo.* 37. *Ismarus* mons Thraciæ, vitibus, et *Taburnus*, mons Samnii, olivis nobilis, quamquam uterque alioquin asper et horridus. *Ismarum* urbem Homerus memoravit et vinum a Marone Ulyssi datum: Odyss. ι, 197. Inde urbs in propinquo Maronea et vinum Maroneum clarum habent nomen. Pertinent autem hi versus adhuc ad adhortationem agricolarum, ut arboribus idoneis in locis colendis operam dent.

39—46 Proposito quasi argumento libri ad ejus pertractationem Mæcenatem invocat; commodiore loco, quam si paullo ante v. 5—9 Baccho subjunxisset privatum hominem. Nam Cæsarem recte ultimo post deos loco ponebat Georg. I. 24 sqq. *Decurrere* recte quidem ad stadium aut circum refertur sed propter v. 41. a cursu navigationis pe tum videri debet. 40. Maximam suæ fam et gloriæ partem eo contineri ait, quod M cenatis amicitia utatur. 41. Tractatio materiæ plerumque navigationis formuli primunt poëtæ. Jam ab Hostio poëta expressa erant Homerica: cujus vers Macrobium Sat. VI. 3. sunt; Nor *linguæ Centum atque ora sient tot cesque liquatæ.* 44. Summa tant capita se leviter perstricturum esse ea scilicet, quæ tractari poëtic possunt. Hoc dicit *litus leger terræ in manibus*, h. prope si χερσὶν simili sensu. Apollon.

Sponte suâ quæ se tollunt in luminis oras,
Infecunda quidem, sed læta et fortia surgunt.
Quippe solo natura subest. Tamen hæc quoque, si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum; cultuque frequenti
In quascumque voces artis haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis, quæ stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:
Nunc altæ frondes et rami matris opacant,
Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem.
Jam, quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram;
Pomaque degenerant succos oblita priores;
Et turpis avibus prædam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor inpendendus; et omnes

47 Jam ad culturam arborum progreditur. Et primum quidem v. 47—60. de emendatione arborum silvestrium agit, cum respectu ad naturales modos, quibus arbores nascuntur 9—21. Nunc primo loco primum modum attingit (v. 9—13.), quæ sponte enasci solent in agro inculto, insitione aliisque modis mitiorem naturam consequi possunt. *in luminis oras*, in lucem, adeoque in ætherem. 49. *Quippe solo natura subest.* Lucret. III. 274. *Nam penitus prorsum latet hæc natura subestque.* Quinctil. Inst. Orat. X. 2. 11. *Namque iis, quæ in exemplum assumimus, subest natura et vera vis: contra omnis imitatio ficta est.* Itaque *solo natura subest*, h. inest ea naturalis vis ac virtus (v. c. sales, calor, humor, temperies), quæ ad procreandas illas arbores necessaria est ac propria. 49. 50. *Tamen hæc quoque, si quis* &c. Formula eadem sup. Ecl. VI. 9. Silvestres arbores fecundarum naturam induunt, si iis arbores aliæ mites (Nam *omnis surculus omni arbori inseri potest, si non est ei, cui inseritur, cortice dissimilis:* Colum. V. 11. 1.) inserantur, aut si eæ transferantur. Simplicissimum est *mutata* accipere loco mutato, ex suo loco transposita et in scrobe plantata: nam sola transpositione arborum silvestrium natura mitescit, solo, cælo, cultu: qua de re v. agentem Theophrast. de Causs. plant. III. 23. *scrobes subacti*, ut, terra subacta, quæ loditur. Mox *animus* eleganter pro natura, ingenio arborum. 52. Suaviter! quascumque artes ad majorem earum cultum adhibeas, feliciter tibi succedere videbis.

53—56 Alius modus silvestribus arboribus mitem naturam induendi est, si stolones ab radice pullulantes (v. 17—19.) in campum vacuum et in solem transferentur, cum ipsis nunc umbra matris noceat, ut adulti aut nullos fructus ferant, aut maligne. Quæ eadem res docuit plantaria et seminaria instituere: cf. Plin. XVII. 10. s. 12. 13. et c. 13. s. 21. 56. *fetus*, arborum fructus, sæpe ut supra I. 55. infr. 429. *urere* vero perquam accommodate de subducto succo.

57—62 Sequitur altera ratio naturalis procreandarum arborum (supra v. 14—16.), ex semine in solum delato, una cum modis eam arte emendandi et adjuvandi. 57. *seminibus jactis*, seu temere, cadentibus iis in solum, seu manu jactis: utrumque enim nunc complectitur propter parem eventum. 58. Ut Ecl. IX. 50. *Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes.* 59. *oblita:* de iis, quæ aliam naturam induunt; suaviter; haustum ex perenni illo fonte poëticorum phantasmatum: cum transferuntur ad res inanimatas ea, quæ animantium sunt. Conf. Ern. ad Callim. in Del. 34. ubi de insulis: ἠπείροιο λάθωνται. 60. *turpes racemi* præclare, deficiente cultu, squalidi, rugosi; ut contra *uvæ cultæ, nitentes, pulchræ.* *Uva* h. l. pro vite, quæ nostris quidem in terris ex acinulis non procreatur; at in insulis Americæ adhuc id fieri narratur.

61. 62 Artificiales modi arborum e semine procreatarum incrementa accelerandi; qui non minus locum habent in reliquis arboribus, sive sponte, sive ex viviradice natis;

Cogendæ in sulcum, ac multâ mercede domandæ.
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus;
Plantis et duræ coruli nascuntur, et ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbrosa coronæ,
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et fetu nucis arbutus horrida;
Et steriles platani malos gessere valentis;
Castaneæ fagus, ornusque incanuit albo
Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos inponere simplex.
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc alienâ ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.

itaque rem generalius proponit; nec tamen ut poetam decebat eundem ac vss. 22. seq. ordinem anxie servat. Arbores, inquit, silvestres omnes transferendæ sunt in alium agrum et in scrobibus (hi sunt *sulci*, vide v. 24.) defigendæ, et *multa mercede*, multi laboris impendio, colendæ.

63—68 Est tamen cuique arbori suum culturæ genus accommodatissimum. *Oleæ melius respondent*, votis, consilio, felicius proveniunt, e *truncis*, h. caudicibus sectis (vide v. 30.) sive taleis oleaginis, in terram defixis; *vites*, *propaginibus* in humum demissis (v. 26.); *myrti* autem, Veneri sacræ, *solido de robore*, h. trunco seu stipite aut vastiore ramo ad pali modum in terram infosso. vide v. 24. 25. et Plin. XVII. 17. s. 27. At *surculorum plantatione*, optime proveniunt *corulus*, *fraxinus*, *populus*, Herculi sacra (supra Ecl. VII. 61.), et *quercus*, Jovi Dodonæo consecrata; *palma* etiam et *alnus*, ædificandis navibus apta, ἐλάτη ναυπηγήσιμος, ut Theophrast. H. Plant. V. 8. *semine* subintelligi quidam vellet. Hoc tamen fieri nequit, et perperam dubitatur de illo veterum usu, quo illas arbores plantis seu surculis procrearunt.

69—72 *Insitio* restabat ex v. 32. sq. Optime inseritur *arbuto* in arbuto, in arbutum, (*horrida* ea dicitur a cortice hispido et aspero) nux, *platano* malus, *fago* castanea, *orno* pirus, et *ulmo* quercus. Traduntur hic insitionis genera, quæ a nostris hominibus, qui in hac re aliquid se videre putant, negantur fieri posse: non enim inseri posse arborem arbori, nisi sui generis. Negat idem auctor præstantissimus Millerus: Negat etiam du Hamel, cum tamen alii orno se insevisse pirum, castaneam quercui, testentur. Verum et Columella lib. V. 11. § 12. antiquos contendit male idem negasse, *et quandam quasi legem sanxisse, eos tantum surculos posse coalescere, qui sint cortice ac libro ac fructu consimiles iis arboribus, quibus inseruntur.* Cujus ille opinionis errorem discutiendum tradendamque posteris rationem existimabat, *qua possit omne genus surculi omni generi arboris inseri.* Quod ad verba attinet, tenendum, vulgari quidem ratione: *arbuto nucem inseri*, dici, at nec minus tamen rariore modo: *arbutum inseri nuce* ut h. l. *nucis fetu*, quod non tertio, sed sexto casu accipiendum. *Nux* autem generale vocabulum, ut sit nux juglans, nux avellana, nux amygdala, pinea, et al. 71. *fagus flore castaneæ et ornus alio piri flore incanuit:* h. e. castanea inseritur in fago, et pirus in orno. *Ornus* enim fraxini silvestris genus.

73—77 Plures inserendi modos vid. ap. Colum. V. 11. de Arbor. 26. Ex his inserendi modis, qui sunt varii (*nec modus simplex* est h. sunt varii ut III. 482. *nec vis mortis erat simplex*) non nisi duos insigniores commemorat poëta, *inoculationem* et *insitionem* proprie dictam. *Inoculatio* fit, dum in ea parte, qua *gemmæ*, h. nova germina seu

Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte
Finditur in solidum cuneis via; deinde feraces
Plantæ inmittuntur: nec longum tempus, et ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondis et non sua poma.
Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici, lotoque, neque Idæis cyparissis.
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ,
Orchades, et radii, et amarâ pausia baccâ:
Pomaque, et Alcinoi silvæ; nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris, gravibusque volemis,
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos;
Sunt Thasiæ vites; sunt et Mareotides albæ;
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ;
Et passo Psithia utilior; tenuisque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam;
Purpureæ, preciæque; et quo te carmine dicam,
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.

oculi, *se trudunt*, erumpunt ex cortice, *ruptis tuniculis*, h. libro, interiore cortice, vulnus fit; *sive angustus sinus*, h. cavitas, avulsa gemma et cortice in modum scutuli, cujus loco *includitur novum germen*, ut *coalescat* cum vetere *libro*.

78—82 Jam de *insitione proprie dicta*. *rami felices* sunt arboris feracis, cujus *plantæ* h. surculi silvestri arbori inseruntur. *resecantur*, fit incisio seu fissura in trunci cortice, qua parte nullus nodus est.

80. 81. 82 Pulcherrima descriptio; quis non videat? Calpurn. Ecl. II. 40. 41. *Non mimus arte mea mutabilis induit arbos, Ignotas frondes et non gentilia poma.*

83—108 Ad culturam, in qua poëta versatur, spectat dilectus cum generis præstantioris, tum cæli ac soli idonei: de hoc altero a vs. 109. sq. 117. sq. Itaque varias arborum familias seu species ejusdem generis esse, exemplis, ut poëta, docet. Ornatissimus locus adjunctorum copia ac varietate.

84 *Lotus* modo herbæ pratensis genus est, jucundum pecudis pabulum, modo herba palustris ex uymphæarum genere, Nilo frequens; hoc vero loco est genus arboris, *Italiæ familiaris*, dulcissimo fructu. In *Ida*, Cretæ monte, *cyparissi* s. cupressi sponte proveniunt. 86. Ex infinitis olearum generibus tria tantum, observante etiam Plinio XV. 2. enumerat poëta, *orchadas*, oblongi generis, *radios*, longioris, et *pausias*, quæ, dum adhuc virides et acerbæ sunt (habent autem tum amarum succum, hinc *amara bacca*), leguntur ac tunduntur. 87. *Alcinoi silvæ* sunt ipsa *poma*, ut sæpe apud poëtas. De ejus hortis Odyss. η, 112. sqq. 88. *volema pira* grandia, quæ volam facile impleant.

89 Italas vites diversas esse ab aliis ait. *Vindemia* proventus vitium, uvæ. *pendet arboribus* vel quia iis vites maritantur in Italia, vel ut arbores pro vitibus dictæ sint; ut alibi apud Virgilium et Horatium; et hoc præstat. 91. *Mareoticum vinum* notum vel ex Horat. Carm. I. 37. 14. a locis circa lacum Mareoticum super Alexandriam: nunc deterius illud, quoniam Arabum latrocinia maturitatem uvarum intercipiunt. 93. *Vinum passum* ex uvis passis, a pandendo, h. in sole coctis, ut exarescerent. *Psithia* vitis, *lagea*, quæ facile inebriat, *olim*, quum aliquando vinum ex ea expressum fuerit. Plin. XIV. 6. s. 8. 5. *In*

Sunt et Aminææ vites, firmissima vina;
Tmolus et adsurgit quibus et rex ipse Phanæus;
Argitisque minor, cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, dis et mensis adcepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.
Sed neque, quam multæ species, nec, nomina quæ sint,
Est numerus, neque enim numero conprendere refert:
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ;
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices; crassisque paludibus alni
Nascuntur; steriles saxosis montibus orni;
Litora myrtetis lætissima; denique apertos
Bacchus amat collis, aquilonem et frigora taxi.
Adspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.

Veronensi Rhætica vina Falernis, tantum posthabita a Virgilio. 96. Variatione nova dicta hæc pro vulgari: tametsi inferius sit vinum Rhæticum Falerno.

97. 98 *Vinum Aminæum*, cujus, ut vinonum celebritas parum constans ac diuturna esse solet, cultu enim deficiente vites optimæ facile degenerant, nulla alia memoria, præter nominis, nobis restat, Græcæ originis et Italici cultus, cum in aliis tum in Falernis agris maturuisse videtur. cf. Intpp. ad h. l. Multis utique in locis illud memoratur, maxime tamen in solo Campaniæ Macrob. Sat. 11. 16. *Nam Aminæi fuerunt, ubi nunc Falernum est.* Ad colles Leucogæos, supra Neapolim versus Puteolos, refert et Aminæos colles, et Falernos Martorellus. Atque ejus tantam ex diuturna inprimis bonitate præstantiam perhibet poëta, ut ei adeo vinum *Tmolium*, a Lydiæ monte vineis nobilissimo (sup. Ge. I. 56.) et *Phanæum* (fuere Phanæ, Φάναι, portus et promontorium Chii insulæ, quæ allas vino *Ariusio* nobilis est, in eo templum Apollinis Phanæi), *adsurgere*, cedere, v. Ecl. VI. 66. dicat. 99. Cum illis: *Sunt et Amineæ vites* junge *Argitisque minor*. Est etiam Argitis vitis, uva. Ἀργῖτις ab ἀργὸς, quod vinum candidum reddit. Est autem *minor* et *major*. 100. Ea vitis, vino inprimis abundans, πολύοινος, est, eoque firmo ac durabili.

101 Vinum *Rhodium*, cujus in mensis secundis usus erat; cumque de eo ante omnia Diis libaretur, hinc vitis *Rhodia dis adcepta*, grata *et mensis secundis*, fere ut apud Horatium III. 11. 7. lyra *Divitum mensis et amica templis*. 102. Plin. XIV. 1. s. 3. *Tument mammarum modo bumasti*, βουμαστοί.

103—108 Locus ornatissimus. Respicit eum Plin. XIV. 2. s. 4. pr. 104. *neque est numerus*, enumerandi facultas cuiquam suppetit. 104. *neque enim* positum pro, neque etiam, nec vero, numerum tenere necesse est; non numeratu opus est.

109—135 Uti diversa sunt arborum genera, ita etiam diversum solum, quo aut nascuntur arbores quæque aut felicius proveniunt. 112. *Litora myrtetis lætissima* exquisitiore forma pro vulgari, *myrti solent esse lætissimæ in littoribus*; quod si fit, *littora* haud dubie et ipsa *læta* videri possunt, Ge. II. 124. *et amantes littora myrtos*. Mox *apertos collis* itidem doctius dixit quam *apricos*, qui forte alicui in mentem venire possint.

114. 115 Exemplo etiam esse possunt arbores exoticæ; pro his memorantur ipsæ in extremo terrarum orbe sitæ regiones, ut

Divisæ arboribus patriæ: sola India nigrum
Fert ebenum; solis est turea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum, molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis: ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ?
Et gens illa quidem sumtis non tarda pharetris.

Arabum et Gelonorum. Sunt autem *Geloni* e Sarmaticis populis, qui ultra *Borysthenem* vagabantur. *picti* appellantur, ut Æn. IV. 146. *Agathyrsi*. Scilicet communi plerique barbari et feri populi more corpora pingunt, sive quod in membrorum nuditate id unum vanitatis genus restat; sive quod obducta pigmentis et coloribus corpora culices, quorum infinita examina incultæ et paludosæ terræ alunt, nec non sentes, etiam frigus, minus sentiunt; sive quod horribili adspectu terrorem hostibus incutere volunt. Colorem autem aut cuti acu punctæ inungunt, aut inurunt. Hinc modo *pictum* corpus memoratur, modo *stigmatibus notatum*. Claudian. in Ruf. I. 314. *Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.* Illa autem, *extremis domitum cultoribus orbem*, ex poëtica copia dixit pro *extremis terris*. Cum argumenti natura conjunctum erat, ut eas a cultu designaret, et pro *orbem extremum domitum* h. subactum, cultum ab agricolis, *a cultoribus*, poëtica inversione, *extremos cultores* memorat.

116, 117 Sunt arborum genera certis terris domestica et propria. *India* et de India proprie dicta accipi potest, nam et ibi nasci *ebenum*, narrant multi e veteribus, et, quod malim, de Æthiopia, cui ebenus propria arbor. Solet enim India latissime dici, ut satis notum. cf. inf. Georg. IV. 293. *Tus Sabæorum* jam Georg. I. 57.

118 *Opobalsamum* Judææ, vallis inprimis Hierichuntinæ, et Arabiæ. Verba ipsa vulgari oratione sic efferrentur: ne memorem *ligna seu arbores odoratas sudantes balsamo*. Pro arboribus dixit *ligna*. Alias *exsudat*, *desudat*, balsamum. 119. *Acanthus* h. l. non herbæ, (ut Ecl. III. 45. et al.) sed arboris, genus, nec tamen satis comperto, habetur. Spina est seu Ægyptia seu Arabica, nam et hæ inter se diversæ; communius *acantha*, vulgare nomen *acacia*, unde gummi Arabicum colligi solet. Habet quidem ea arbor siliquas, non *baccas*; sed bacca latiorem significatum habet. Arboris hujus usus etiam in sculptilibus fuit. Cæsaris triumphus Ponticus apparatum ex acantho habuit: Vellei. 11. 56. 2. De agrifolio cogitare non licet; laudantur enim plantæ peregrinæ.

120 Plin. XIX. 1. s. 2. n. 3. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui* gossypion *vocant, plures* xylon, *et ideo lina inde facta* xylina. Parata ex ea byssus.

121 Vulgaris olim usque ad Imp. Justiniani tempora, quibus primum vermiculi, quos nos *bombyces* vocamus, Constantinopolin adlati sunt, opinio fuit, Seres, Indicam gentem, Sericum ita parare, ut textam a bombycibus lanuginem ex certarum arborum foliis depecterent. Plinius VI. 17. s. 20. *Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem.*

122—125 Plin. VII. 2. *Arbores quidem* (in India) *tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant.* Plurima vastarum et immanium arborum genera in India nasci, fidem faciunt recentiores rerum Indicarum auctores. 123. *Extremi sinus orbis*, interior, adeoque remotior terra, extremæ orbis partis: cujus veram et explicitam notitiam non habuisse veteres, et pro temporum successu diversas et erroneas notiones alias aliis successisse, nunc inter notas res est. *aër summus arboris* pro cacumine dictus. Statius Theb. V. 564. *nemorumque per aëra densi Dissultant nexus serpentis.* Fere ut: *aura auri refulsit*, et sic alia. 124. *potuere* ex aoristo pro possunt. 125. *non tarda* ea gens, malim strenuam interpretari, quam non tardi ingenii, h. callentem, peritam.

Media fert tristes succos tardumque saporem
Felicis mali; quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
* Miscueruntque herbas et non innoxia verba,*
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro;
Et, si non alium late jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis;
Flos ad prima tenax: animas et olentia Medi
Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum, silvæ ditissima, terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent; non Bactra, neque Indi,
Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis inmanis dentibus hydri;

126—135 *Malum Medicam* seu Assyriam, item Persicam. Ad citrorum genus, s. ad *citria*, eam esse referendam dubitari nequit. Quam autem familiam Maro respexerit, non satis liquet. Convenit locus maxime cum Theophrast. H. Plant. IV. 4. extr. et cum Plin. XII. 3. 7. adeoque aurantiæ genus aliquod poetæ ante oculos fuisse verosimile fit. Ita *tristes succi*, aut erunt acidi aut amari (ut Ge. I. 75. et al.), sive propter corticis ac granorum amaritudinem, sive succo, qui cultu deinceps assiduo mitigari cæpit. *tardus sapor*, h. diu palato immanens, quia acerbus, pungens, est. 127. *Felix*, de arbore si dicitur, ad fecunditatem proprie respicit. Et sane citri fetus perpetua successione succrescunt. Nunc tamen ad salubritatem potius epitheton spectare videtur, ut contra infelix, infaustum, est, quod nocet. Pro veneni antidoto habitum esse pomum Medicum constat; nec forte injuria in certis saltem venenorum generibus. 128. *novercæ*. Sollene hoc antiquis, novercalia odia, fraudes, insidias, venena memorare. v. c. Hor. III. 24. 18. 129. *verba non innoxia*, h. noxia, incantationes; et eodem sensu *herbæ non innoxiæ*, venenatæ. 130. *agit* est exigit, expellit. 134. *Ad prima*, ut *in primis*, *cum primis*, *apprime* inter alias arbores: non enim decidunt flores cito. 135. *fovent* h. curant, θεραπεύουσι; cum mox substituatur, *medicantur*. Est enim genus curæ, calefacere, reficere modico calore, quod proprie est *fovere*; hinc latius etiam de aliis.

136—137 Sequitur signatissimus locus, digressio in laudes Italiæ. Neque Media, malis suis felix, nec India proprie dicta, ad Gangem, aut Lydia, cujus est aurifer fluvius Hermus, e Phrygia descendens, et mox cum Pactolo eodem alveo profluens, nec Bactriana, neque Æthiopia, aut si mavis, reliqua India, neque Arabia cum Italia comparari potest; multo minus Colchis, monstris infamis v. 140.

136 Patet *silvæ ditissima*, jungendum esse: Medorum terra, ditissima silvæ, h. e. silvarum, pro, malorum, quas ante dixerat. 137. *auro turbidus Hermus* per oxymori speciem pro aurifer. 138. *Bactra*; Bactrianam, tamquam splendidum nomen memorare videtur; etsi et illa terra inter felicissimas est; etiam Oxus in ea aurum vehere dictus. 139. *Panchaia*, Arabiæ regio, seu Arabia nunc est; proprie insula fabulosa Euemeri, Arabiæ ab Oriente objecta, quam ex Ennii Euemero norat Virgilius. *pinguis*, aut propter tus pingue, quod resinæ naturam habet, aut fertilis, *turiferis arenis*, solo arenoso, cui frutex turis innascitur, h. pro ture. In prosa diceres; habens solum, quod fert pingue tus.

140—143 Nota fabula de dentibus draconis ab Jasone ad expugnandum vellus Colchicum profecto satis, et viris armatis hinc enascentibus, qui Sparti dicti. *horruit* (pro horret, ut reliqua pro præsenti) pulchrius quam extitit, exiit, nata est. Versus 140. translatus ex Lucret. V. 29. *Et Diomedis*

Nec galeis densisque virum seges horruit hastis:
Sed gravidæ fruges et Bacchi Massicus humor
Inplevere; tenent oleæ armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges, et maxuma taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
Hic ver adsiduum, atque alienis mensibus æstas;
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidæ tigres absunt, et sæva leonum
Semina; nec miseros fallunt aconita legentis;
Nec rapit inmensos orbis per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se conligit anguis.
Adde tot egregias urbis, operumque laborem,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxume, teque

translatus ex Lucret. V. 29. *Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.* 143. *fruges gravidæ*, læta, v. ad Ge. I. 319. Mons *Massicus*, Campaniæ, ad Sinuessam, vitibus consitus.

145—147 Ornatissimi versus pro: in Italia equi et boves præstantes nascuntur. *Clitumnus*, Umbriæ Cisapenninæ fluvius, ubi juxta urbem Mevaniam Tiniæ se miscuit, cum eo ad Tiberim descendit. Campi adjacentes etiamnum armentis opulenti. *albi greges*, quia fluminis aquis ea vis inesse putabatur, ut armenta *candido* colore essent. Simile quid creditum de Galæso in agro Tarentino; et Scamandrum opinio fuit rutilas reddere ovium lanas. *Taurus* ab his arvis adductus candidus *victima* in triumpho immolari solita. Sed ii tauri cum ante triumphantis currum ducerentur, hinc ipsi *ducere triumphos ad templa* dicuntur.

149 *alienis mensibus æstas*, hibernis. Ex Lucret. I. 182. *Quod si de nihilo fierent, subito exorerentur Incerto spatio atque alienis partibus anni.* 150. Oves et arbores biferæ. Nota Italiæ laus. *utilis* pro fertilis, ab effecta. infr. 323. *ver utile silvis.*

151—154 Ornate: Caret Italia ferarum monstris, venenatis plantis et reptilibus. *sæva leonum semina, ýíru*, sævi leones, ex Lucretiano III. 741. *triste leonum Seminium. tanto*, tam longo, quam alibi.

155 *Operum laborem*, h. opera, fabricas, ædificia. Mox *congesta manu* simpl. exstructa in rupibus. Fuere autem multa per Italiam oppida, inprimis antiquiora, in editis ac præruptis locis sita; inque his ipsa Roma. 157. *Fluminaque ant. subterlabentia muros* esse possunt sive medias urbes permeantia, sive muros alluentia. Præfero nunc haud timide alterum hoc; *subter* est pro præter. Talis enim situs multarum fuit per Italiam urbium, ut ad amnem sitæ essent: idque nunc eo pertinet, ut Italiam multis fluviis rigari significet. Nimis angustum est, quod ad aquæductus, Cloacam, et Capitolium, hos versus revocant; at poeta *tot urbes, tot oppida*, memorat, et *antiquos muros*. Etsi aquæductibus præsidium parare possis ex Rutil. I. 101. ubi de iisdem egerat: *Intercepta tuis conduntur flumina muris.* Esset adeo intra urbem.

158 *Mare superum* et *inferum*, Adriaticum ac Tyrrhenum, miræ opportunitatis Italiæ ad rerum hominumque commercia. 159. *Lacus Larius maximus*, h. permagnus, sub Alpibus (nunc *Lago di Como*), in agro Mediolanensi, *Lacus Benacus* in Veronensi (*Lago di Garda*), propter magnitudinem ventis ac procellis obnoxius non aliter ac mare.

Fluctibus et fremitu adsurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Julia quâ ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis inmittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos ærisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum Marsos, pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos,
Extulit; hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te, maxume Cæsar,

Idem Mincium amnem medio alveo transmittens. conf. Æn. X. 205. *adsurgens*, tumescens.

161—164 M. Vipsanio Agrippa, L. Canidio Gallo Coss. U. C. 717. cum contra Sext. Pompeium male rem gessisset Octavianus Cæsar, ut reficiendis classibus locum tutum haberet, Agrippæ consilio portum Bajanum in sinu Puteolano (inter Baias et Puteolos) commodiorem et tutiorem ita reddidit, aut verius novum portum aperuit, ut lacum Lucrinum, interjecto aggere a mari seclusum, cum lacu Averno, qui isti adjacebat, conjungeret, aggerem autem modo dictum, qui V stadiorum erat, latitudine vix quadrigis recipiendis par, postquam eo perfuso aditum navibus in portum fecerat, ita muniret, ut a fluctibus superari nequiret, navibusque tutus intra eum esset receptus. Hic *Portus Julius* vocatus. Vid. Sueton. Aug. 16. Excisæ tum silvæ, quæ loca vicina occupabant. Prælatus tamen sequenti tempore portus Misenus. Memorat itaque poëta portum Julium; quem sic ornavit: *portus Lucrinoque addita claustra*, h. aggerem illum non tum primum factum, sed novis operibus adstructum, quo ipso portus effectus est. Eodem modo accipiendum est illud Plinii, ex nostro adumbratum, XXXVI. 15. s. 24. 12. *mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum*, nimirum, ostio tantum portus relicto. *æquor* autem *indignabatur*, ea parte, *qua unda Julia sonat ponto longe refuso*, h. qua portus Julius immisso mari erat effectus; *refusus*, ut sæpe fieri solet, non contrariam aut iteratam actionem notat, sed simplicis vim habet. Possit quidem et ita accipi, ut pontus a mole aggeris in mare projecti refundi, reprimi videatur, ut ap. Lucan. II. 617. *violentos insula Coros Excipere saxis lapsasque refundere undas* dicitur: sed alter versus ad eamdem sententiam exprimendam valet: *Tyrrhenus æstus*, h. mare æstuans, immittitur, per os portus, *fretis Avernis*, h. lacui Averno, qui pro intimo portus recessu erat; et ad quem e Lucrino fossa ducta erat. Lucan. II. 616. *Nec tamen hoc artis immissum faucibus æquor Portus erat.* Immutavere locorum faciem longa ætas, terrarum ruinæ, et subterranei ignes, inprimis Monte Novo exorto, ita, ut nunc adeo de situ et vestigiis hujus portus inter viros doctos disputetur.

165. 166 In eadem argenti, æris, aurique metalla. Copiam exprimit per *argenti rivos* (ex Lucret. V. 1255.) et *auro plurima fluxit*, poëtica ratione, pro, plurimum auri in ea est; tametsi hoc ad Padum referri possit, nam apud Plin. XXXIII. 4. s. 21. in Pado *segmenta auri reperiri* traduntur. Ad montes ac silvas aliquando incensas, ut metalla excocta fluerent, referebat Jul. Sabinus. *æris metalla Ostendit venis*, quod in vulgari oratione fuisset, *venas æris ostendit. æris metalla* h. æs o. in *venis*. *Ostendit* autem non otiosum; quia certis tantum vestigiis res credebatur, metalla autem Italiæ exercere Senatus consulto vetitum erat.

167—170 *Marsi*, bellicosi, cum *Sabinis*, severa disciplina nutritis, primo loco memorari solent inter Italiæ populos. *adsuetum malo* pro malis, ærumnis, laboribus, *saxosa Sola* (cf. Æn. IX. 604. sqq.), *Ligurem*; colit enim agrum exilem et saxosum. *Inculta Alpium postrema possident*, ait Servius (cf. *Addison's Remarks on several Parts of Italy* p. 6.). *Volsci* autem *veruti*, h. hastæ genere, *veru* (*veru Sabellum* Æn. VII. 665. dixit), seu telo veruto, armati. Apparet autem, quod usu communi simplicissa verutum voca-

Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virrum, tibi res antiquæ laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontis,
Ascræumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique,
Quis color, et quæ sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terræ, collesque maligni,
Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis,
Palladiâ gaudent silvâ vivacis olivæ.

tur, esse proprie verutum telum vel jaculum, veru instructum ac munitum. *Scipiadas duros bello* h. induratos ad bellum.

170—173 Ut horum versuum sententiæ fides constet, cum Ruæo et Catroeo Burmannus eos altera recognitione insertos esse credit, U. C. 734. quo Augustus in Asia signa a Parthis recepit et Medis pacem dedit. Est adeo vir doctus, qui vss. 171. 172. tollendos esse censeat, cum nec a. 724. nec 734. satis conveniant. Cogitandum tamen erat, nos in poëta, non in historico versari; versusque esse tam præclaros, ut vix ab aliquo interpolatore eos profectos esse arbitreris. Quod autem ad eam opinionem attinet, qua seriore manu ab ipso poëta inserti esse putantur: equidem in bono poeta vix hoc probandum putabo, si diversi temporis in eodem carmine vestigia reliquerit. At nec tali suspicioni locus est, spectantque et hi versus ad eosdem annos, quos in aliis Georgicorum locis subinnuerat, 724 725. ab U. C., modo poëtam, ut alibi facit, v. c. Georg. III. pr., magnifice efferre et ornare cogites id, quod vere nihil aliud erat, quam quod Cæsar ex Ægypto, quo paullo post pugnam Actiacam Brundusio trajecerat, per Syriam in Asiam iter fecit, et hieme ad Euphratem exacta Asiæ res constituit. Itaque *extremis victor in oris Asiæ*, usque ad Euphratem progressus, et *Indum avertit*, dum præsidiis fines, h. urbes in finibus, firmat. *Indum inbellem*, ut Ge. I. 57. *molles Sabæi* et omnes Asiæ ad Austrum versæ populi. Novum esset *inbellem* accipere, nulla jam amplius bella tentantem, scilicet, quod arma tua reveretur. *Arces* de finibus scil. quatenus ii arcibus et præsidiis muniri solent.

173—176 Tamquam deam appellat Italiam. *tibi* in tuum honorem, aut tui gratia, *ingredior*, adgredior, dicere instituo, *res antiquæ laudis et artis*, rem rusticam apud majores in honore habitam. *sanctos ausus recludere fontis*, quia primus inter Romanos hoc argumentum versibus tractat. *sanctos*, quos accedere metuebant, reverentia quasi numinis alicujus: adeoque novos. *Ascræum carmen* omnino pro georgico, quia Hesiodus, ex Ascra, Bœotiæ vico, oriundus, opus de opere rustico condidit: non vero, quod vulgo putatur, ex Hesiodo adumbratum aut expressum.

177 Nunc locum *de varia ac diversa soli et agrorum indole et natura*, et a v. 226—258. *de notis ac criteriis cujuscumque soli* tractat; et quidem universe, ut non modo arborum culturam respiciat, sed et frumentorum ac pascuorum curam habeat. Nunc locus, inquit, est opportunus ac proprius doctrinæ de arvorum ingeniis tradendæ, *quæ robora*, h. quæ præcipua vis ac virtus cujusque soli sit, qua potissimum valet (Claudianus XVII. 178. *Nosse soli vires); quis color*, quale ex adspectu judicium fieri possit, et quam naturam seu naturalem vim ad res ferendas habeat.

179—183 Solum argillaceum et calculosum ait esse idoneum oleis. *terræ difficiles* parum feraces, quasi morosæ, parcæ, ut contra *faciles*, fertiles, quasi liberales, munificæ. *frugum facilis terra* Claudian. XXIX. 54. Junguntur etiam *colles maligni* eodem sensu et respectu ad liberalitatem soli ac fertilitatem: sic quoque *solum benignum*. Virgilius de regionibus Transpadanis cogitabat, aquarum eluviei obnoxiis. 180. Ager λεπτὸς, λεπτόγαιος, solo seu argilloso seu saxoso. *Tenuis argilla* Servio *sine humore, quia est* (ex opposito, puta) *et pinguis*. Scilicet est exilis, jejuna, adeoque sine succo, sterilis. 181. *vivacis olivæ*. Plin. XVI. 44. s. 90. *Firmissimæ ergo ad vivendum oleæ, ut quas du-*

Indicio est, tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, et strati baccis silvestribus agri.
At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus;
Qualem sæpe cavâ montis convalle solemus
Dispicere; huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum: quique editus austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris;
Hic tibi prævalidas olim multoque fluentis
Sufficiet Baccho vitis; hic fertilis uvæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium vitulosque tueri,
Aut fetus ovium, aut urentis culta capellas:
Saltus, et saturi petito longinqua Tarenti,

rare annis CC inter auctores convenial. 182. *Oleaster*, diversus ab eo, quem nos eo nomine appellamus. *Plurimus:* ut Georg. I. 187. *Cum se nux plurima silvis Induet in florem.* ubi oleastri frequentes nascuntur.

184—191 Solum pingue vitibus colendis idoneum est. *At humus, quæ pinguis* et uliginosa *est, et campus, qui editus austro,* versus austrum, *est, et—hic tibi sufficiet olim vites prævalidas,* vitibus colendis idoneus est. Pinguedinem et *uber* h. ubertatem soli colendis convenire vitibus, docet poëta: consentiunt rei rusticæ scriptores: ut copiose ostendit Cerda. Vide inprimis Colum. III. 11. 8. Scilicet referendum et hoc ad diversa vitium genera et diversam cæli solique naturam. *pinguis:* opp. tenui argillæ.

187 *Dispicere* pro vulgari, prospicere, videre. *huc s. liquuntur,—quique e. austro:* in vulgari oratione fuisset, *quo—liquuntur et limum trahunt; aut qualem eum campum videmus, qui editus Austro,* h. versus Austrum, adeoque ei expositus est. *felix limus,* ad fertilitatem faciens, fecundans. 188. 189. Magnus auctorum, qui de vitibus colendis scripsere, in hoc dissensus, cum alii austris infestari vineas tradant. Scilicet poëtam de vineis, in solo humili, pingui, et uliginoso satis, alios de collibus loqui, tenendum est. 189. Plin. XVII. 4. s. 3. *Virgilius et quæ filicem ferat, non improbat vitilus. invisa uratris* propter implexas inter se et late serpentes radices, easdemque exstirpatu difficiles, πολύῤῥιζος.

190—194 Valde ornate effert illud: præstantissimum vinum in tali solo nasci. *pateris et auro* notum est, ad quam figuram soleat referri. Mihi tamen id Grammaticorum commentum valde jejunum videtur. Scilicet poëta *aurum* simpliciter pro *patera aurea* dicere potest; sæpe hoc uno contentus est; interdum, ut h. l., hoc ipsum explicative adponit, cum generaliorem vocem primum posuisset. Similiter res sese habet in aliis exemplis. 193. Tibicinem Etruscum sacrificiis adhibitum fuisse, vel ex Livio notum est. *pinguis* in ludibrium gentis dictum esse videtur. Catull. XXXVII. 11. *Aut pastus Umber aut obesus Etruscus.* Nam ad buccas inflatas referre nolim. Habitum corporis ex adsiduis sacrificiorum epulis, quibus adhibebantur tibicines, exprimi, non male Servius censebat. *ebur* est tibia ex ebore. *reddimus,* damus, diis offerimus. Sacrorum vocabulum esse etiam Servius notat. Æn. XII. 215. *viscera vivis Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.*

195—202 Observetur præceptorum in his formis variatio et orationis copia. Agros saltuosos et irriguos pascuis idoneos esse monet. Exempla nunc in ipsum præceptum convertit. *tueri,* ut servare, eo sensu, quo est nutrire, alere, itaque et pascere. *urentes culta capellas,* lædentes seu serrato dente seu saliva, ut exarescant. Ita *urere* dictum erat

Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos;
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt;
Et, quantum longis carpent armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra ferè et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando)
Optuma frumentis: non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra juvencis:
Aut, unde iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis;
At rudis enituit impulso vomere campus.
Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humilis apibus casias roremque ministrat;

Georg. I. 77. et inf. 378. 379. *saturum Tarentum* propter insignem agrorum ubertatem (vid. Horat. Carm. II. 6. 10. sqq.); a consequenti; ut *pinguis*, et 224. *dives Capua. longinqua*, longinquos agros. 198. Notum ex Ecl. I. argumento, et Ecl. IX. 27. 28. 199. Vid. Ecl. VII. 11. 12. 13. *herboso fl.*; Mincius enim arundine et alga obsitus est. 201. 202. per noctem succrescit. *ros*, tamquam caussa fertilitatis: unde Θῆλυς ὑέτιος. Poëtica quidem amplificatione dicta, nec tamen a vero plane abhorrentia. cf. Plin. XVII. 4. extr.

203—211 Tandem humus pulla seu nigra, pinguis, et *putris*, h. resoluta, tenera, adeoque solibus et imbribus penetrabilis, (v. Ge. I. 44. et inf. 262. 263.; γῆ μανὴ, κούφη, λεπτὴ, εὔυδρος, εὐδίοδος) agrum frumentis serendis idoneum præbet. Arationis concilium est hoc ipsum, ut, quæ terra talis non sit, glebis fractis ac comminutis putri similis efficiatur. Colum. diserte h. l. interpretatus est X. 7. *Pinguis ager, putres glebas, resolutaque terga Qui gerit, et fossus gracileis imitatur arenas.* *tardis* et naturæ boum et oneris notionem, adeoque plaustri, quo frumentum ex agro devehitur magnitudinem suggerit. 207—211. Alterum genus agri frumentosi, est novalis, cæsa vetere silva: 207. sqq. Versuum pulchritudinem vel me non monente sentis. *iratus* suaviter, quod silvæ inutiles bonum solum occupabant. *deserit* poëtice; vulgari ratione id, quod antecedit, poneretur, excidit, exstirpavit. cf. v. 408. Ad v. 209. omnes laudant locum Lucret. I. 19. *Frondiferasque domos avium.* Tum subjectus est 211. versus pulcerrimus. *inpulso vomere*, adacto, ut v. 203. *presso*, I. 45. *depresso aratro. rudis campus*, nunc primum proscissus. *rudibus qua luceat orbita sulcis* dixit Nemesian. Cyneg. 14. *enituit* autem, enitescit, magna cum vi: est enim bona terra *post vomerem nitescens*, ut Plinius ait XVI. 5. s. 3. Et omnino *nitent*, quæ culta sunt, ut Ge. I. 153. Æn. VI. 677. Totam vero structuram in pedestri oratione sic instituere: *antiquas domos avium eruit, quæ altum petunt, dum interea campus enitescit* etc.

212—216 Notetur nova orationis connectendæ variatio, dum *ad notas mali agri* transit. At *solum glareosum* satis est, si herbas apibus idoneas suppeditat. *jejuna glarea*, infecunda; λυπρά. Diversum solum ab vs. 180. ubi etiam *tenue*, sed argillaceum et calculosum; nunc sabulosum. *rorem*, quem apes e floribus et herbis sugunt; nunc que flores ipsi, quibus ille inesse solet. Alienus a pastu apum humor, quo noctu irrigantur prata. *Ros marinus* quidem, frutex, a Servio intelligitur, quem alii sequuntur. Sed nondum locum vidi, in quo ille simpliciter *ros* appellaretur. *casia*, herba coronaria.

Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris
Creta, negant alios æque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum et curvas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucris;
Et bibit humorem, et quum vult, ex se ipsa remittit;
Quæque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie et salsâ lædit robigine ferrum:
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos;
Illa ferax oleo est; illam experiere colendo
Et facilem pecori, et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo
Ora jugo, et vacuis Clanius non æquus Acerris.
Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit, an supra morem si densa, requiras:
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho;
Densa magis Cereri, rarissima quæque Lyæo:
Ante locum capies oculis, altèque jubebis
In solido puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, et pedibus summas æquabis arenas.

214—216 Sententia est: Terra tophacea et cretosa serpentibus omnium est aptissima. Hoc ita extulisse videri debet: *tophus et creta negant alios agros æque ferre serpentibus cibum*, scilicet, ac ipsi, tophus et creta, ferunt. Sollenni poëtarum more sic solet rebus vita carentibus, uti mens et consilium, ita loquela, tribui. Notum illud Catulli: *Phaselus ille—ait fuisse navium celerrima.* Ita etiam *nego*. Nec aliter Græci. Paullo post v. 234. *sin in sua posse negabunt Ire loca.* Item 268. et al. Ita *nolle, recusare*, pro, non posse; et *novit*, pro potest. *exesa* cavernosa, ut Æn. VIII. 418. *exesa caminis antra Ætnæa:* non vero quasi serpentes terram exederint. 216. *curvas latebras* pro cavis. Sic et Ge. III. 544.

217—225 Post terras singulis culturæ generibus aptas memorat agri genus optimum vinetis, olivetis, frumentis, et pascuis æqualiter idoneum. 217. Plin. XVII. 4. s. 3. *terra optima—quæ tenues exhalat nebulas.* 223. *facilem*, liberalem, uberem, copiosum pabulum præbentem. conf. ad v. 179. Mox 224. *vicina Vesevo:* antequam Vesuvii incendiis tractus ille erat vastatus; quod Titi Imp. tempore evenit: etsi etiamnum ea regio agros habet feracissimos, quotquot calamitatem experti nondum sunt. Utuntur hoc loco viri docti ad docendum, ante cladem illam anni C. N. 79. nullam contigisse aliam. Intelligitur tamen ex Strabonis aliorumque locis, ante omnem hominum memoriam, antiquissimis temporibus, incendio aliquo montem conflagrasse. 225. *Clanius* arat, h. e. Clanii accolæ, qui fluvius est Campaniæ, juxta Linternum in mare se immittens, vicinis agris, et inter hos Acerranis, exundatione exitiosus; ita ut Acerræ infrequentes essent. Dicas pro exemplo felicitatis parum commode agrum circa talem urbem laudari: potest tamen solum fluvio obnoxium, et tamen præclarum esse. Enimvero non agri Acerrani, quibus illa calamitas interdum accidit, sed ager ad Clanium, qui per multum agrorum tractum decurrit, donec Acerras attingit, laudatur; Duxit ex h. l. Silius VIII. 537. *Clanio contemtæ semper Acerræ.*

226—258 Terra quomodo sit probanda (δοκιμασία γῆς), quibusque notis ejus natura densa, rara, salsa, pinguis, humida, gravis, levis, nigra, frigida cognoscenda.

227 *Si requiras*, terra rara sit an densa: *locum* capies antea oculis—230. Locum soli solidi eliges, in quo *puteum*, altam foveam, scrobem (βόθρον) facias, fodi jubeas etc.; at

Si deerunt, rarum, pecorique et vitibus almis
Aptius, uber erit: sin in sua posse negabunt
Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis:
Spissus ager; glebas cunctantis crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde juvencis.
Salsa autem tellus, et quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat),
Tale dabit specimen: tu spisso vimine qualos,
Colaque prælorum fumosis deripe tectis;
Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undæ,
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttæ;
At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud umquam manibus jactata fatiscit,

exquisitius, *demitti*. Porro τὸ *solidum* pro loco solido. 233—237. *Si deerunt*, scil. arenæ, terra, ad scrobem replendum,—*sin ea negabunt posse ire in sua loca*, foveæ spatiis recipi, si non poterunt reponi (v. ad v. 215.), ut adeo supersit terræ egestæ aliquantum etc. 234. *uber*, ubertas, uber et fecundum solum. vid. v. 185.; h. l. simpliciter, humus, solum; subjicitur ei quod vs. 230. erat, *uber* rarum fore (cui opp. spissus, crassus ager; v. Colum. III. 12. 2.) et pascuis ac vineis aptum. *vites almæ*, v. 233. quia præbent, quo alas te; et in boni seu muneris parte sunt. *terga* agri, v. 236. de superficie, in qua sulci fiunt.

238—247 Salsum et amarum solum sapore exploratur, aqua colo eliquata. conf. Colum. II. 2. 20. et de Arb. 3. 6. *quæ perhibetur amara*, quam vulgo amaram appellant. Nisi est pro simpl. *est*. *infelix*, infecunda. 240. Vinum generosissimum et poma optima in tali terra degenerant. *genus* et *nomina*, eleganter Burm. notat, ut in hominibus, ita hic, nobilitatem designare. *specimen*, documentum, δεῖγμα, probatio, ἀπόδειξις.

241—247 Qualos vimineos, seu calathos, ac *cola prælorum*, h. supponi prælis uvarum et olivarum solita, ut novum mustum aut oleum in iis exceptum percoletur ac liquetur, *deripe tectis fumosis*, pro, sume. Ornatus inde petitus, quod ista vasa, ne humore corrumpantur, ad fumum reponi solent. 243. *Ager*, particula terræ ex eo agro; τῆς γῆς τι. *Huc—calcentur*, exquisitius quam *hic*; infert enim alterum, huc infundantur, et calcentur, subigantur. 244. *Ad plenum*, plene, ut colum plenum sit. Horat. Od. I. 17. 15. *Hic tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu. eluctabitur* pulchrius ac effluet. 246. *sapor* aquæ expressæ. *manifestus*; in pedestri oratione vel manifesto, vel indicium manifestum. *Amaror torquebit sensu ora tentantum*, h. gustantium, ex Lucret. II. 401. *At contra tetra Absinthi natura ferique Centaurei fœdo pertorquent ora sapore*. Jam hic sensus haud dubie proprie *tristis* appellandus; quod de amaris rebus dici, supra v. c. I. 75. vidimus; et obvium erat poëtæ jungere, *sensu* seu sapore *tristi*; at magis exquisitum, transferre epitheta ad adjuncta; hinc *tristia ora*.

248—250 Pingue et glutinosum (idemque dulce) solum tactu cognoscitur. *manibus jactata*, versata, trita, *fatiscit*, atteritur, ut abeat in arenulas, solvatur in pulverem arida facta. v. Ge. I. 180. *ad digitos lentescit*, lenta adhæret digitis, *habendo*, dum manibus habetur; ut Æn. XII. 88. *aptat habendo Ensem*: ut haberi possit ab eo; ut

Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida majores herbas alit, ipsaque justo
Lætior, ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se prævalidam primis ostendat aristis!
Quæ gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quæque levis. Promtum est oculis prædiscere nigram,
Et quis cui color. At sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceæ tantum taxique nocentes
Interdum, aut ederæ pandunt vestigia nigræ.
His animadversis, terram multò antè memento
Excoquere, et magnos scrobibus concidere montis,
Antè supinatas aquiloni ostendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus; optuma putri
Arva solo: id venti curant, gelidæque pruinæ,

capiatur manu. *habendo* passive ut Lucret. I. 313. *Annulus in digito subtertenuatur habendo*, dum habetur, tractatur.

251. 252. 253 Humidum solum prodit se herbis nimium luxuriantibus. *ah nimium ne.* Egregia variatio ejus, quod simpliciter efferrent nostri homines: *quod terræ genus nemo sibi optet.* Similis inversio Georg. I. 456. *Non illa quisquam me nocte per altum Ire jubeat. primis aristis*, pro, herbis surgentibus.

254. 255. 256 Solum grave an leve, nigrum an alio colore, ipso oculorum usu cognoscitur. *tacitam se prodit*; poëtica ratione; vulgo diceres, *tacite*; at, pro adverbio *tacita* prodit se terra, argutius *taci'am se.*

256—258 Frigida terra ad cognoscendum difficilis est. *sceleratum* pro noxio, ut venenum. Ita *impius*; adeoque detestabilis, execrandus. Ita sæpe ipse Maro. Æn. III. 60. *scelerata terra.* VII. 146. *sc. insania belli.* add. II. 231. XII. 949. Subest sane notio reatus ex scelere, cæde et sic porro: verum, ubi de poëta et de epitheto quæritur, in etymo non licet hærere, ita ut sit solum, quod enecat. *Taxi* aut certum genus intelligendum, aut alio sub cælo magis noxia ejus natura esse solet. *pandunt vestigia*, indicia præbent frigoris. nisi ad radices referas, quibus solo sunt affixæ, ut adeo dictum sit pro simplici: ibi crescunt. *Vestigia* pro pedibus, plantis, radicibus, figuntur, extenduntur, panduntur. Verum poetæ consilium sententiæ tenor, et similia, quæ antecesserant vs. 241. firmant priorem interpretationem.

259—262 Transit ad *vinearum sationem*, de quibus copiose agit ad v. 419. etsi multa interposita sunt, quæ vitibus communia sunt cum aliis arboribus: et primum quidem *de faciendis scrobibus*; sed quam pulchre et ornate hoc præceptum tribus his versibus 259—261. proposuit! Serendarum vitium tres sunt modi: aut in pastinato (agro in totum fosso, quo mox ferramento bifurco, pastinum dicitur, defigitur surculus) aut in sulco aut in scrobe. *Excoquere πέπτειν, πεπαίνειν*, macerare, adeoque excoquendum dare, sole, gelu, pruinis: ut ap. Colum. XI. 3. 13. Jam *concidimus terram scrobibus*, dum scrobes crebros facimus, incidimus in terra. Cum autem vineæ in collibus fere plantentur, *montes* memorat poëta. Facit tamen mirationem epitheton *magnos*. Alia ratio videtur iniri ab aliis, ut *montes* sint egesti e fossa colliculi soli: ac si esset, excidere. *glebæ supinatæ*, terra ligonibus inversa. *aquiloni ostendere*, exponere, ut flanti perviæ sint. Hesiod. Ἔργ. 612, τότε πάντας ἀνόδρεπε οἶκαδε βότρυς. Δείξαι δ' ἠελίῳ δίκα τ' ἤματα καὶ δίκα νύκτας. Nemes. Cyneg. 208. *tepidoque ostendere soli*; et Stat. Theb. VI. 90. *lucos ostendere Phœbo.* Caussam coquendi soli apponi puta vss. 262. 263. Nam optimus vineis serendis ager *putris* seu resolutus et tener est; vid. ad v. 204.; *putris* autem fit ventis, pruina, et opere. 264. *jugera labefacta* pulchre pro terra vineæ, quæ pastinatur, seu foditur: fodiendo enim movetur, concutitur, mollitur.

Et labefacta movens robustus jugera fossor.
At, si quos haud ulla viros vigilantia fugit:
Antè locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo mox digesta feratur;
Mutatam ignorent subito ne semina matrem,
Quin etiam cœli regionem in cortice signant:
Ut, quo quæque modo steterit, quâ parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Restituant; adeò in teneris consuescere multum est.
Collibus, an plano melius sit ponere vitem,
Quære prius. Si pinguis agros metabere campi:
Densa sere; in denso non segnior ubere Bacchus.
Sin tumulis adclive solum collisque supinos:
Indulge ordinibus. Nec secius omnis in unguem

265—268 Diligentiores patresfamilias in seminario (plantarium ac vitiarium etiam vocant) educant vites, quas deinde in vineam transferant. 266. 267. *Arbores* h. l. pro vitibus; ut ex tota oratione patet: etsi cæteroquin etiam aliarum arborum seminaria sunt. Curant illi, ut locus, *ubi prima paretur* vitibus *seges*, h. seminarium vitium, simili ingenio ac natura sit, quam *locus, quo mox digesta feratur*, nota loquendi forma ut alterum in participium mutetur. ut v. c. inf. 318. h. in quem transferatur et digeratur, sive vitiarium. In sermone pedestri diceres: locum similem ei, quo mox feratur. *Seges* quia *semina* dicit et *serere* communi vocabulo, quo et scriptores rei rusticæ de vineis plantandis utuntur; sic et σπείρειν, et σπόριμα; adeoque *seges* est surculorum. Eadem ab agri cultura petita ratione paullo ante, *arva, glebas, jugera*, de vineis dixit, ut a vulgari sermone recederet poëtica oratio. *Satumis autem duo genera, malleoli vel viviradicis* Columella III. 14. 2. hæc sunt *semina*. 268. *Mutatam subito matrem*, novam, ignotam, terram. *ne ignorent*, adeoque nec adsuescant, nec in ea proficiant, nihil ferant.

269—272 Provident quoque, qui vites plantant, ut restituant unamquamque eodem situ, cardinum cœli ratione habita, quo in seminario steterat. *quæque* paullo altius ad *arbores* v. 267. referendum. *ari*, polo septemtrionali; vi oppositi. Signatur in planta meridiana cæli pars in cortice, ut translata vitis eadem parte austrum spectet, adeoque a tergo septentrionem habeat.

273. 274 Ut vulgo hæc accipiuntur, sitne melius vineam in colle, an in campo facere? hiat oratio: nec enim locus esse videtur huic quæstioni: et utrumque et recte fit, et fieri potest, et quamquam *campi largius vinum, colles nobilius ferunt*, Pallad. I. 6. 7. quod tamen hic subjicitur, nihil ad hoc facit. Sed dilectus ratio, pro cœli, regionum et tractuum diversa natura, variare, et ea dubitatio existere potest, sub hoc vel illo cælo, in tali vineæ situ, aut in certo genere vitium, quod habeas, utrum potissimum facere conveniat, campestrine an collino solo vineam serere. Colum. III. 1. 5. *Exploratum tamen habebit prudens agricola genus vitis habile campo, quod nebulas pruinamque sine noxa perfert; colli, quod siccitatem ventosque patitur.*

274—277 Jam, si in plano vineam facis, densas, sin in colle, raras plantato vites. In præcepto hoc variant scriptores. *Metari agros*, finiendo, h. l. de eo, quod consequitur, intellige, nempe vineam instituere, facere. 275. Hæc aut sic accipi possunt: *in denso ubere* (v. 234.) *non segnior Bacchus* est; h. in solo denso, (cf. 229.) vini non minus lætus proventus, etiamsi nimirum *densa* h. dense plantes: aut, *in denso*, h. e. cum, minoribus spatiis relictis, densæ ponuntur vites, *Bacchus non segnior ubere*, h. ubertate est, scil. si in pingui solo vineam facis. Alterum hoc verius habendum. *segnis*, de proventu. v. Not. in Ge. I. 151. 276. *Sin* metabere *solum adclive tumulis*, quia in tumulo situm est, ad tumulum adsurgit. 277. *Indulget ordinibus* et is, qui simpliciter facit ordines, et is, qui

Arboribus positis secto via limite quadret.
Ut sæpe, ingenti bello quum longa cohortis
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, nec dum horrida miscent
Prœlia, sed dubius mediis Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;
Non animum modo uti pascat prospectus inanem;
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Ut orsitan et, scrobibus quæ sint fastigia, quæras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco:
Altior ac penitus terræ defigitur arbos;
Æsculus in primis: quæ quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt; inmota manet, multosque nepotes,
Multa virum volvens durando sæcula, vincit;

laxiores ac rariores facit, magnis spatiis relictis, ut delectari quasi iisdem videatur. Bene Servius "*ordines effice largiores.*" 277. 278. *Nec secius*, h. item, porro, etiam, *arboribus positis* (h. vitibus; nisi de arboribus cogites, quibus maritantur vites), *omnis via quadret in unguem*, ad unguem (quod proprie de superficie lævi dicitur), viæ, h. e. ordines, exacte conveniant, congruant (pro simplici, parentur), *limite secto*, linea ducta, quæ ordines facit. Scilicet posteriora hæc poëtica copia accedunt. *Limitem* ad transversam viam refert Martinus, nimis subtiliter. Idem non quincuncem, sed quadratum ordinem respici monet.

279—283 Jubet ordines vitium esse pares. Splendida comparatio, quacum cf. loca Homerica Odyss. ξ, 267. sq. Il. τ, 362. sq. *longa*, eo ipso, quod se explicat. *late tellus fluctuat ære*, pro eo, quod æs in tellure, h. arma, armorum fulgor, fluctuat, coruscat, dum moventur passim arma et convertuntur. Sic *undantes segetes*, *flamma*, *fumus*. *mediis in armis*, inter duo exercitus. *Mars errat dubius*, egregie, cum incertum adhuc est, ab utra parte et quando pugna initium habitura sit. Nam de eventu pugnæ dubio hic non quæritur. 284—286. *paribus numeris*, Colum. *ordinetur vinea paribus intervallis*. Jubet igitur Maro ordines vitium serere pares, non modo delectationis caussa, quam animus ex prospectu capiat, *animus inanis*, pro animo ejus, qui inanem voluptatem e prospectu capit; qui probat rem, quæ tantum ad voluptatem facit, nullam utilitatem habet, quæ patrifamilias proposita esse solet. 287. In tenui oratione tamen poëticæ indoles elucescit. Nam in prosa fuisset: *sed ut terra det* etc. *vires dabit æquas*, pro, æque suppeditabit alimenta, succum; tandem addito, *in vacuum*, in aërem.

288 De altitudine scrobium in plantandis vineis et arbustis. Sintne scrobes in profundum agendi, quæritur. 19. *fastigium* pro profunditate e re rustica petitum. Rationem habet eam, qua profunda *alta* dicuntur. 289. *sulcus* pro scrobe. Mensuram ipsam suppeditant Plin. XVII. 16. s. 35. 7. Colum. III. 13. et 15. Est autem vitis ἐκ τῶν ἐπιπολαιοῤῥίζων.

290 At arbores, quibus vites jungantur, altius in terram et penitus defigendæ sunt; agitur enim de opera vinitoria; non de natura arborum. 291—297. Ornatum poëta ex æsculi descriptione quærit. Illa: *quæ, quantum—in Tartara tendit*, iterum leguntur Æn. IV. 445. 446. de quercu. 294. Optime ita junges: *multos nepotes durando vin-*

Tum fortis late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem;
Neve inter vites corulum sere: Neve flagella
Summa pete, aut summâ destringe ex arbore plantas;
Tantus amor terræ; Neu ferro læde retuso
Semina; Neve oleæ silvestris insere truncos:
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui, furtim pingui primum sub cortice tectus,
Robora conprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem cœlo sonitum dedit, inde sequutus
Per ramos victor perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad cœlum piceâ crassus caligine nubem:
Præsertim si tempestas a vertice silvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.

cit, h. vita superat, *multa virorum sæcula volvens*, exigens. 297. *sustinet* pro vulgari *efficit*, *reddit*; sed ornate, nam simul ramorum magnitudinem declarat poëta, oneris notione adjecta. Sunt igitur duo, quæ radicum altitudine efficiuntur, primo, quod arbor firma et diuturna est, secundo, *tum*, quod ita truncum habet satis validum ad ramos latissimos sustinendos.

298 De situ vinearum; de quo dissensus fuit inter veteres. Colum. III. 12. 5. *cæli—cujus regionem quam spectare debeant vineæ, vetus est dissensio—Virgilio de industria occasum sic repudiante.*

299 De arbusto, h. vitibus arboribus jugatis. Plin. XVII. 24. s. 37. *Necant invicem inter sese, umbra vel densitate, atque alimenti rapina—vitis—odit et corylum; ni procul absint, tristis et ægra.*

299. 300 *flagella* sunt vitium minorum sarmentorum capita, in quibus uva nascitur; majora capita sunt palmæ seu palmites. Aut utrumque, *flagella summa petere, et plantas summa ex arbore destringere*, unum idemque est, aut sunt duo diversa. Si utrumque præceptum eandem rem declarat: surculos, quos defigere velis, non ex superiore vitis parte petendos esse ait: melius enim proveniunt surculi, ex inferioribus vitis partibus sumti: *Tantus amor terræ*, adeo magna, notabili aliqua consuetudine telluris tenentur illæ inferiores partes, ut lætiorem ubertatem ab iis, quam ex summis partibus, expectare possis. At alii ad duo præcepta locum redigunt: alterum, quod posteriore loco memoratur, surculos ex summa vitis parte non esse petendos: *aut* (nunc erit pro *nec*) *summa destringe ex arbore plantas*: alterum: ipsorum surculorum summam partem esse aspernandam: *ne flagella summa pete*, h. summam eorum partem, summa cacumina; quæ communi vinitorum usu solent recidi et rejici, tanquam parum firma, et dum spongiosa corticis mollitudine humorem nimis facile admittunt, luxuriosa. Cf. Colum. III. 10. 1—4. et sqq.

301. 302 *Semina*, surculi; sarmenta, quæ modo *plantæ*. 302—314. Nec *insere*, s. intersere oleastros inter vites; quia tamquam spissa et pinguis arbor facile ignem concipit, et incendio late sparso totam vineam vastat. Male hic de insitione olearum cogitabat Victor. ad Varon. I. 40. 4. Ceterum locus ex ornatissimis est. 305. *Robora*, h. truncum oleæ. 306. *cœlo*, ad cælum, ut 309. *sequutus*, progressus, gliscens. 308. *ruit*, agit, emittit, ejectat. *nemus* pro vineto. Loci pulchritudinem unusquisque facile sentit. 310. *a vertice* poëtica copia et ornatu adjectum, h. desuper, de cælo, ὑψόθεν, ut εἰ δέ κε νηῒ Ὑψόθεν ἐμπλήξῃ δεινὴ ἀνέμοιο θύελλα. Arat. Phænom. v. 423. Sic fere Æn. I. 118. *ingens a vertice pontus In puppim ferit*, ex Homer. Od. ε, 313. ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης. *ab alto*, Ge. I. 324. et al. et sic *descendunt* venti. Hæc sunt simplicissima, eaque tenenda. *silvis* haud

v. 319. Ante tibi rubeant quam prata coloribus. Scor. 4. 306.

Hoc ubi; non a stirpe valent, cæsæque reverti
Possunt, atque imâ similes revirescere terrâ:
Infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor,
Tellurem Boreâ rigidam spirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems; nec semine jacto
Concretam patitur radicem adfigere terræ.
Optuma vinetis satio, quum vere rubenti ×
Candida venit avis, longis invisa colubris;
Prima vel auctumni sub frigora, quum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, jam præterit æstas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis;
Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther

dubie de vinea oleastris consita intelligendum.

312 Quod si acciderit, vites quidem revirescere nequeunt, dum interea oleastri novas frondes agunt, adeoque soli totam tandem vineam obtinent. In verbis copia est, nec tamen otiosa: *non valent a stirpe:* h. e. ægrotant et corruptæ sunt radicitus et penitus. *cæsæ*, præcisæ, stipite seu trunco combusto, acciso, reciso. *superat*, superest incendii calamitati, revirescit. *infelix*, infecundus.

315—345 De tempore serendarum vitium v. Colum. III. 14. et XI. 2. 22. 26. 79. Primo non esse sationem faciendam flante Borea. Plin. XVII. 22. 5. 33. 8. *quiescere ventos sationis die utilissimum: plerique austros optant, Cato abdicat.* Tum vere non hieme vitisationem esse faciendam præcipit noster: et inter hæc in locum de vere excurrit. Nova variatione præceptum orditur: *ne tibi quisquam persuadeat;* cf. sup. ad I. 456.; quod addit, id orationi vulgaris formæ fastidium abstergit, *auctor tam prudens*, qui enim suadet, is est auctor; et tellurem borea spirante rigidam *movere*, pro, ut moveas. *Movetur tellus* aratro, rastris, ligone, sarculo; h. l. dum scrobes in superficie sua refodiuntur; nam 258. precesserat: *terram multo ante memento—scrobibus concidere.* 318. *Concretam*, poëtica copia voci *affigere* appositum; ita ut cum terra concrescat, dum adfigitur. Claudian. XXVIII. 77. *Hinc tibi concreta radice tenacius hæsit Et penitus totis inolevit Roma medullis.* Ex vulgari ratione accipitur sic, ut ad frigus glaciemque referatur, quasi radix *concreta gelu* esset; tum vero *concretæ terræ* legendum esset. *Semine jacto*, surculis positis, ut 268. cf. ad v. 267. Sic statim v. 319. *satio.* Porro *et semine jacto* non *patitur* hiems, h. e. gelu, *adfigere radicem terræ;* quæritur subjectum; debebat hoc peti ex *semine jacto:* atqui hoc vix Latine fieret. sequor ergo alterum, ut *affigere* pro affigere se dictum sit more poetico non infrequenti.

319 *vere rubenti*, ut alias poëtis *purpureum*, φοινικόπεπλον, pulchrum. cf. Ge. IV. 306. 320. De ciconia intelligendum. 322. Supra Ge. I. 312. *ubi jam breviorque dies et mollior æstas. hiemem*, signa hiemalia.

323 Ver, non modo vitibus, sed omnibus omnino arboribus serendis idoneum ac commodum tempus. 324. Ἡ ὥρα γονιμωτάτη Theophr. Causs. Plant. III. 4. Pulcherrimus versus, ut totus locus. *Terræ tument*, ὀργῶσι, quod et ipsum a pubertate, cum pectus et mammæ turgent, cum ad tellurem, tum ad fruges novas lacte ac succo turgentes transfertur. *poscunt semina*, h. sationis tempus adest. *genitalia*, quibus procreantur fruges.

325 Ætheris connubium cum Terra, imbre fecundante agros. Servatum hoc ex antiquo sermone, quo poëtæ physicas res exponebant et ornabant, unde dehinc magna mythices pars fluxit. Æther h. l. cum Terra conjuge memoratur; alias plerumque Jovis nomine insigniebatur: interdum ut superior, Juno inferior, regio esset, interdum ut Jupiter omnino omnem aërem, adeoque atmosphæram designaret, ut h. l. Hinc natum

Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
Magnus alit, magno conmixtus corpore, fetus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager; Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor;
Inque novos soles audent se germina tuto
Credere; nec metuit surgentis pampinus Austros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, et frondis explicat omnis.
Non alios primâ crescentis origine mundi
Inluxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat; ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:
Quum primæ lucem pecudes hausere, virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Inmissæque feræ silvis, et sidera cœlo.

antiquissimum phantasma, ut Amor, Conjugium, Concubitus, Naturæ, Ætheris, et Terræ, Jovis cum Junone, commemoraretur, quoties de fecundatione terræ, quæ fit vere aut imbre agrum recreante, agitur. Nobilis priscorum poëtarum mythus hinc ductus ἱερὸς γάμος Junonis. Ipse Homerus hinc Junonis suæ cum Jove congressum effinxit Iliad. ξ, 346. sqq. Expressit vero noster proxime Lucret. I. 251. sq. *magnum corpus* Terræ intelligendum, ut Æn. VI. 727. de hoc universo. Expressi ex h. l. veteris poëtæ versus in Pervigilio Veneris: *In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis, Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.*

331 Terra admodum est humida. *Superat humor* abundat, cum respectu ad lac matris. *laxant arva sinus*, quæ frigore adstricta erant. Lucret. V. 804. *Multus enim calor atque humor superabat in arvis: Hinc ubi quæque loci regio opportuna dabatur, Crescebant uteri terra radicibus apti.* 332. Germina communi ratione loquendi *se credunt soli.* Lucret. V. 780. *novo fetu quid primum in luminis oras Tollere et incertis tentarit credere ventis.* Sed totum locum in animo habuit noster, si utrumque compares. *Credunt* autem *se*, dum *in novum solem prodeunt*, hinc *credunt se in solem* nove dixit. exemplo tamen Lucretii VI. 1070. Transtulit hanc formam Seneca Here. fur. 147. de luscinia exoriente die: *Pennasque novo tradere soli Gestit.* 334. *magnis Aquilonibus*, vehementibus, procellosis. Lucretius V. 817. *At novitas mundi nec frigora dura ciebat, Nec nimios æstus, nec magnis viribus austros.* Vides, unde noster hauserit.

336 Quanto cum ornatu exposuit hoc: mundi natales in vernum tempus incidisse! An ante Maronem aliquis ita statuerit, nescio; potuit poëta in illud phantasma incidere, dum versus Lucretianos recognoscebat V. 778. seqq. Quod poëtæ fingere licuit: hoc alii disputationis theologicæ caput facere ausi sunt, num vere an auctumno mundus exordium habuerit. *crescentis mundi*, pro vulgari, nascentis. 337. *tenorem* pro tempestate dixit, cum proprie, si ad tempus referatur, sit continuatio aliqua temporis, eaque æquabilis. Non aliam rerum conditionem, aliud tum anni tempus, fuisse putem, cum mundus creabatur. 338. *Orbis agebat ver*, ut *agere festum*. *Magnus* vero *orbis*, *mundus*, *magna terra*, perpetua sunt poëtis Græcis et Latinis; ex antiqua scilicet poësi; unde et nomen *Magnæ matris* fluxit. 340. *lucem pecudes hausere* Lucretiana loquendi forma ut II. 1038. 341. Et cum homines primi e terra nati sunt: notissima veterum opinione: Lucret. V. 803. sq. II. 1150. sq.

Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet cœli indulgentia terras.
Quod superest, quæcumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, et multâ memor occule terrâ;
Aut lapidem bibulum, aut squalentis infode conchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata. Jamque reperti,
Qui saxo super, atque ingentis pondere testæ,
Urguerent: hoc effusos munimen ad imbris;
Hoc, ubi hiulca siti findit canis æstifer arva.
Seminibus positis, superest deducere terram
Sæpius ad capita, et duros jactare bidentis;

Quanta ornatus varietas hoc et sequente versu! duri homines e dura terra nati.

343 Redit ad superiora inde a vs. 330. *res teneræ*, nova sata, frondes, gemmæ, etc. *laborem*, scil. ex frigore ac calore tamquam molestiam, πόνον. *tanta quies*, de tranquilla anni temperie, moderata inter æstum et frigus. *iret* pro esset, vulgari verbo. Alii vss. 343—5. cum antecedentibus de orbe terrarum in vere nato jungunt, ut *possent, iret, exciperet*, sint, pro *potuissent*, et sic porro dicta; nec male. 345. *Excipiunt sese invicem* res, quæ sibi succedunt: tum etiam res, casus, qui existunt, emergunt aut succedunt, *excipere nos* dicuntur, ut in illo: *aliud bellum eum excepit*. Ita videtur h. l. dictum. Alioqui ex eo, quod *excipere*, benigne aliquem tractare, fovere, designat, petitum videri possit, ut Cælum excipere dicatur Terram. Sed hoc argutius, quam par est, dictum esset. *indulgentia* pulchrius quam temperatio, clementia. Gratius 295. *Dum tepida indulget terris clementia mundi.*

346 Nunc de cura surculorum positorum. *virgulta*, sarmenta intelligo, seu surculos vitium cujusvis generis, sive malleolos, sive viviradices, sive propagines. Enimvero *premere* poëta de omni plantatione recte dicere potest, cum surculus in scrobe ponitur, defigitur, infoditur. Tum Colum. III. 15. 4. ubi hosce versus recitat de transferendis de seminario vitium plantis, non de propagine aut traduce loquitur. Porro *per agros* est de vineis accipiendum; quod sermonis poëtici ratio suadebat, ut vulgares modos vitaret; tum *serere, semina, segetem*, jam sæpe de vineis vidimus.

348 Dixit *lapidem bibulum*, pumicem, aut sabulosum, et *squalentis conchas*, mucosa aliqua saliva inductas. conf. ad Ge. IV. 91. 349. 350. *tenuis halitus* venti, inter pumicum ac testarum fragmenta, tamquam per spiramina, penetrare potest, atque adeo radices fovere et recreare. Theophr. ὅπως συμφοὰ γίνηται τῷ ὕδατος, καὶ τῷ θέρει σῴζοι (αἱ λίθοι) καταψύχουσι τὰς ῥίζας. *animos tollent sata*, vigorem, vires, quam præclare! pro, vites lætissime efflorescent. *Jamque reperti*, h. fuere etiam, qui insuper &c. 352. *hoc—Hoc;* non est h. l. τοῦτο μὲν, τοῦτο δὲ, sed ad idem referendum; hoc munit surculos adversus imbres et adversus æstum. (Est etiam tertia ratio, ut a testa caloris tenax per noctem intepescat vitis.)

354—357 Nunc de iis, quæ post vitisationem agenda; et nunc quidem primo loco de *repastinatione*. *Superest deducere terram*, fossione quæ quotannis est exercenda, et de qua omnes præcipiunt. Colum. IV. 3. 2. *Deinde malleolo inter ordines posito crebris fossionibus pastinatum resolvere atque in pulverem redigere. Sic enim malleoli et viviradices et reliqua semina, quæ deposuerimus, convalescent, si mollis ac tenera humus, nullis herbis irrepentibus, humorem stirpibus præluerit, nec duritia soli novellas adhuc plantas velut arcto vinculo compresserit.* Ex his poëta satis illustratus videtur. *Seminibus positis* pro surculis defixis. Fodiendo terra *deducitur ad capita*, adducitur, aggeritur ad radices. *jactare bidentes* fossionem exprimit adacto ligone. Colum. IV. 14. 1. *Insequitur deinde fossor, qui* crebris bidentibus *æqualiter et minutim soli terga convertat.*

Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
Flectere luctantis inter vineta juvencos.
Tum levis calamos et rasæ hastilia virgæ
Fraxineasque aptare sudes furcasque bicornis:
Viribus eniti quarum, et contemnere ventos
Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris; et, dum se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum inmissus habenis,
Ipsa acie nondum falcis tentanda; sed uncis,
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde, ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde:
Ante reformidant ferrum: tum denique dura
Exerce imperia, et ramos conpesce fluentis,
Texendæ sæpes etiam, et pecus omne tenendum,

356 Colum. III. 13. *Aut scrobibus aut sulcis vineæ plerumque conseruntur,—vel aratro vel bidente insistunt—ut more novatium terra transversis adversisque sulcis proscindatur. Id genus vineti non conducit agricolæ, nisi ubi lætissimo solo vitis amplo incremento consurgit.* 357. *inter vineta*, ut aretur inter vitium ordines, ut inversa aratro terra glebæ utrimque versus vites insurgant. Nam olim, ut etiamnum in Italia, (conf. Spence Polymet. p. 253.) inter medios vitium aut olivarum ordines agri arabantur.

358—361 De *pedatione vitium* et *jugatione* ad vites, non maritatas arboribus, sustinendas palo aut jugo, aut aliis modis. *tabulata* in vineis sunt ordines ramorum in arboribus, ulmis inprimis, prominentium, quos recisis aliis, ita in plana tendunt, dilatant ac per gradus deflectunt agricolæ, ut robustiores palmites unum post alterum ramum attingere iisque sese applicare et se elevare tamquam per gradus possint.

362—370 *Putationem* seu *pampinationem* in nova fronde plane nullam, in tenero palmite non ferro sed ungue tentandam, in adultam vitem severe esse exercendam. *frondibus*: de vite agit. Sic mox 366. et alibi. Itaque putavi etiam *frondatorem* ad vites spectare Ecl. I. 57. etsi et alias arbores amputari, et frondem pecori substernendam parari meminerim: et qui hoc facit, proprie *frondatorem* dici. Catull. LXI. (LXIV.) 41. *Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.* Servius tamen et ipse ad Ecl. I. 57. *frondatorem* de utroque operæ genere frequentari docet. Accedit Ovid. Met. XIV. 649. de Vertumno: *Falce data frondator erat vitisque putator.* 364. *laxis inmissus habenis* de celeribus et effusis incrementis; a Lucretio habet V. 785. *per purum*, per aërem; Lucr. *per auras*; et sup. v. 287. *in vacuum*, et alias *per inane*. (Aliter dixit Horat. de sereno cælo Carm. I. 34. 7.) 365. *Ipsa*, scil. prima ætas, cui tribuitur tamquam actio id, quod in ea fit. *interlegere*: videtur hoc novasse poëta, pro legere; quoniam per intervalla frondes, aliis omissis, carpuntur. Cæterum communia sunt hæc præcepta curæ aliarum arborum. Mox *exierint*, in altum se sustulerint, excreverint. cf. sup. v. 81. 369. *dura imperia*, h. severa, a disciplina militari petitum; sive ab equis regendis vel pueris, ex Burmanni sententia, qui laudat Horat. Carm. IV. 1. 6. 7. Cic. Cat. maj. 15. *vitem—quam serpentem multiplici lapsu et erratico* ferro amputans coercet ars agricolarum, *ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia fundatur.* 370. *ramos fluentis*, diffluentes, luxuriantes.

371—419 Post opus solenne cultus vineatici memorantur quæ adhuc vinitori curanda sunt. *tenendum* pecus, h. continendum, coërcendum, quo ipso efficitur vulgata interpretatio, arcendum, quo ipso vocabulo Plinius in eodem præcepto utitur XVII. 29. s. 35. 17. 372. *frons inprudens laborum*, h. frondes ig-

Præcipue dum frons tenera inprudensque laborum:
Cui, super indignas hiemes solemque potentem,
Silvestres uri adsiduè capreæque sequaces
Inludunt, pascuntur oves avidæque juvencæ.
Frigora nec tantum canâ concreta pruinâ,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur et veteres ineunt proscenia ludi,
Præmiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidæ posuere; atque inter pocula læti

naræ et impatientes injuriæ ex dente pecudis. 373—379. *Cui* frondi illudunt eamque depascuntur. *Super*, seu plus quam seu præter. Plus quam frigoris vis et solis potentia, h. æstus, nocent vitibus novellis boves agrestes et capreæ et cæterae pecudes. *indignæ hiemes*. Quisquis *indigna*, h. quibus dignus alter non est, quæ immerito patitur, omninoque dura, sæva, injusta, injuriosa, facit, aut talia fert, eum poëtæ *indignum* appellant. conf. Ecl. X. 10. Itaque *hiemes indignæ* h. l. recte explicantur *sævæ*. 374. *Uros* proprie dictos in Italia nullos esse satis constat. Hercyniæ silvæ solitudines illo tempore eos incoluisse e Cæsare constat. At enim vel ex lib. III. v. 532. manifestum est, *uros* poëtæ improprie dictos esse pro feris bubus, quales Italia nunc nomine *Bufalo* frequentat. *capreæ sequaces* poëtica elegantia, quæ vites insectantur, persequuntur, unde ap Horat. II. Sat. 4. 43. *Vinea summittit capreas non semper edules*. Mox eadem fere vi *avidæ juvencæ*. 375. *Inludunt* multo significantius quam lædunt, nova tamquam petulantiæ et injuriæ notione adjuncta, ut Georg. I. 181. *Tum variæ illudunt pestes*. Et communiter capris tribuitur lascivia, petulantia. *pascuntur oves*, etiam, cum depascunt, dum frondes carpunt oves.

376 Idem, quod modo dixerat, gravius ac disertius exponit. *Nec frigora concreta* (tributum *frigori* epitheton, quod rebus proprie convenit per frigoris tempestatem congelatis et adstrictis). *nocuere tantum pruina cana*, nocent tantum gelu. 377. *gravis æstas*, molesta, exitiosa. *scopuli arentes*, quibus æstas *incumbit*, h. e. sol assiduus cautes excandefaciens, accommodate hoc loco memorantur, cum de vitibus agitur. Sic *aprica saxa* inf. 522. *venenum* pro saliva noxia. Sup. v. 196. *urentes culta capellas*.

380—389 Varro de R. R. I. 2. 18. 19. *Quædam enim pecudes culturæ sunt inimicæ ac veneno, ut istæ, quas dixi, capræ; eæ enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas—Sic factum, ut Libero patri, repertori vitis, hirci immolarentur, proinde, ut capite darent pœnas*. et notus locus Ovid. Fast. I. 353. sqq.; et quoties non in gemmis caper vites aut arbores arrodens occurrit? Recte hæc; unde satis apparet primi versus sententia, ob hanc vitibus illatam noxam hircum in Bacchi sacris mactari; at enim eandem etiam ob causam ludi scenici facti? eandem ob causam ascoliasmus? hincne Liberalia? et reliqua? Hæc nemini molesta fuere. Scilicet poëticus ornatus sententiæ recte accipiendæ et interpungendæ obfuit, quæ ita procedere debet: Ea de causa caper in Bacchi sacris immolatur, et, cum hircus semel Baccho sacer esset, in vetere tragœdia Atheniensium caper poëtis præmium erat propositum, *carmine qui tragico vilem certavit ob hircum* Horat. Art. 220. nec non hircinis pellibus utres facti, in quos oleo inunctos adsilirent. Tum, quod poëtæ licebat in ornatum captandum exspatiari, quomodo ex Græcorum illis sacris Latina ejusdem dei sacra fluxerint, commemorat. Illustris locus est; singula videbimus.

381 *veteres ludi ineunt proscenia*, pro, olim, antiquis temporibus, ludi in scenam inducti, facti, exhibiti sunt. *proscenium*, proprie ante scenam versus orchestram, pulpitum habebat, quo actores prodibant, h. l. omnino pro scena positum. 382. 383. *Thesidæ* Athenienses, *posuere præmia*, pro præmio, hircum, *ingeniis*, h. poëtis, *circum pagos et compita*. Nota de prima rei scenicæ origine fabula. v. Horatii Art. 275. sq., quæ ad Dionysia ruralia, τὰ κατ' ἀγροὺς. per pagos utique per-

Mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt risuque soluto;
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex altâ suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu;
Conplentur vallesque cavæ saltusque profundi,
Et quocumque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque et liba feremus;

tinet: e quorum genere cum ab initio essent τὰ ἐν Ἀστεῖ, s. *Lenæa* (diversa quidem et hæc a *Dionysiis urbanis*, seu *majoribus)*, auctis tamen urbis opibus, ea præcipuam celebritatem consequuta sunt, ut diversa plane ab ruralibus habenda sint, ut cum exquisitæ doctrinæ copia ad Hesychium ad liquidum perduxit Ruhnkenius, V. C. in App.

384 Ἀστωλιασμὸς, in Dionysiis paganis, τοῖς κατ' ἀγροὺς, sollennis, lusus notissimus. *Utrem* fuit usus, quia in eosdem et vina e lacubus transfundere, et uvas ad torcular deportare mos erat.

385—389 Liberalia quidem Romæ mense Martio celebrabantur. Et hæc respexisse videri potest poëta, si v. 390. adverteris. Sed festum Bacchi celeberrimum vindemiam factam excepisse videtur. Fiebant, uti in festo post messem conditam (vid. Horat. Epist. II. 1. 140.), per pagos multa ludicra: pubes rustica, personata et larvis e cortice factis ora habens obducta, non modo jaciebat jocos et dicteria in prætereuntes; quam vindemiæ licentiam adhuc in Italia vigere observant, qui ex oris illis ad nos veniunt; verum etiam *versibus incomtis*, ex tempore effusis *(Improvisare* nunc appellant hoc idem Itali); Et hæc est Fescennina licentia ap. Horat. II. Epp. 1. 145.; canebant porro hymnos in Bacchi honorem, et *oscilla*, αἰώρας, h. larvas e corticibus factas, quales etiamnunc in monumentis occurrunt, ex arboribus suspendebant: ea h. l. *mollia*, h. mobilia, pendula. Sunt genuinæ hæc *oscilla* referentes: Spencius originem et causam hujus ritus in eo reperiebat, quod eos Bacchi vultus appensos vento impelli quaquaversus et converti volebant agricolæ, quoniam, qua ille deus faciem converterat, summa agri ubertas sequi credebatur. conf. vs. 392. Inprimis commentum fuit vulgare, quo ab Erigones suspendio oscillorum usus repeteretur. In verbis *Ausonii, Troja gens missa*, paullo licentius se jactat poëta. Ausonii, Itali h. l. sunt, cum proprie tantum Latini, inque his Albani ac Romani, dici possint oriundi ab iis, qui cum Æneâ, Troja *missi*, profecti erant. 390. Exoratus et placatus his sacris ac festis deus summam vindemiæ ubertatem votis reddit. *vinea pubescit*, satis obvia translatione, vites exuberant *largo fetu*, læto uvarum proventu. *Valles saltusque*, si vitibus consita loca, ut probabile videtur, hic expressa sunt, improprie dicuntur de vineis, in plano et in collibus satis. *valles* adeo pro planis locis, *cavæ*, Græcorum exemplo, ut Pindar. I. 3. 18. κοῖλα νάπα. 392. *Et quocumque deus*, Pulcherrimus haud dubie versus. Nihil imagine hac vividius, nihil jucundius. Præiverant tamen haud dubie Græci poëtæ: Compara v. c. Callim. in Apoll. 50. sq. Statuam dei per vineam circumferri solitam huc advocant Interpretes; saltem oscilla poterant memorari. Probabilius tamen, universe poëtam de dei adspectu cogitasse. Petitum autem ex antiqua religione, qua præsentia deorum, inprimis Apollinis et Bacchi, certis locis ac temporibus fieri solita ferebatur, et, quoties dii apparerent, omnia ridere, frondescere, progerminare, enthusiastica loquendi forma, narrabantur. *caput honestum* est pulchrum, formosum, quale Bacchi expressum adhuc in monumentis conspicitur. *Carminibus patriis.* Fuere adeo carmina antiqua Romanorum in Bacchi honorem cani solita. Alia fuere Fescennina, de quibus paulo ante. *lances*, et quidem in iis *liba* (cf. sup. ad v. 192.) feruntur ad aras. *cornu ducitur* victima ritu sacrorum. Sic et *stare* verbum sollenne. Victimæ partes, quas

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhausti satis est: namque omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Æternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus; redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac jam olim, seras posuit quum vinea frondis,
Frigidus et silvis aquilo decussit honorem;
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem adtondens, fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto;
Postremus metito: bis vitibus ingruit umbra;

non in ara adolebantur, sacris epulis apponebantur, hinc v. 396. *colurna veruta* ex corylo; quam arborem cum dilectu poni aiunt interpretes ex v. 299. *Neve inter vites corylum sere.*

397—407 Restat alius labor in cura vitium (est etiam *alter ille labor* curandarum vitium), qui numquam finitur, ut vineam iterum iterumque repastines (fodias), pampines, vites ablaquees ac putes. *cui numquam satis exhausti* (pro exhaustionis), h. qui numquam satis exhauritur.

398 *namque* pro vulgari, nempe quod. Ad rem Columell. IV. 4. 1. *Numerus autem vertendi soli bidentibus, ut verum fatear, desiniendus non est, cum, quanto crebrior sit, plus prodesse fossionem conveniat.* Idem IV. 14. 1. *crebros fossoris bidentes* requirit. Hoc idem, puto, innuit Catull. LXI. (LXIV.) 39. *Non humilis curvis purgatur vinea rastris.* 399. *versis bidentibus:* ligonibus duos dentes habentibus, qui vertuntur ad glebas frangendas, et comminuendas. 401. *nemus* pro vinea, *levandum fronde*, quasi importuno onere; putandum; etiam arbores amputandæ sunt per vineam. *labor*, qui *actus* erat, *redit in orbem*, et *annus*, h. annua opera, annuus labor, *volvitur in se*, revolvit se, redit, *sua per vestigia*, eadem, ac superiore anno, ratione, modo, tenore, ac progressu. *Sua se in vestigia volvere* de mundo Varius, ante Virgilium, et post huc alii poëtæ dixere.

403—407 Auctumno exacto statim in sequentem annum vinitoris cura et opera extendi debet. *seras ponit quum vinea frondis*, cum vites frondes amittunt, quæ ad seriorem auctumnum duraverant. *silvæ* ipsæ vineæ esse videntur; nisi sunt arbusta jugata vitibus. *honorem* de frondibus arborum frequenter poëtæ. *Rusticus* est vinitor, sed vides poëtam semper recedere a vulgaribus. Tibull. I. 1. 7. *Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus. acer*, diligens, labori non parcens. *dens Saturni* est falx amputatoria, notum dei insigne. Jam v. 407. *putationem* vitium exprimi, satis patet. Colum. IV. 23. 1. *Placet ergo, si mitis ac temperata permittit in ea regione, quam colimus, cæli clementia, facta vindemia, secundum Idus Octobris, exspicari putationem* et rel. Imitatione expressit, sed infeliciter, Marklando judice, Statius Silv. I. 2. 154. *Excludunt radios silvis* decussa *vetustis* Frigora. 406. *relictam vitem*, et fructu et frondibus nudatam; quod itaque ejus reliquum est, jam nunc est putandum.

408—419 Subjicit nunc tempora operis vinitorii: ut moneat, tempestive omnia esse curanda. cf. Colum. IV. 27. 409. *vallos*, h. pedamenta, ne imbribus putrescant. Quantum enim video, poëta promiscue modo vites altas ulmis aliisque arboribus jugatas, modo statuminibus, jugis, perticisve ac vallis firmatas, memorat. Jam 410. 411. *metere* pro vindemiare, ut supra *segetem, arva, serere, se-*

Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ.
Durus uterque labor. Laudato ingentia rura:
Exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci
Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo
Cæditur, incultique exercet cura salicti.
Jam vinctæ vites; jam falcem arbusta reponunt;
Jam canit extremos effetus vinitor antes:
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus;
Et jam maturis metuendus Juppiter uvis.
Contra, non ulla est oleis cultura: neque illæ
Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces,
Quum semel hæserunt arvis, aurasque tulerunt.
Ipsa satis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, et gravidas cum vomere fruges.

mina ad vineas transferri vidimus. cf. ad v. 267. Porro bis in anno, vere et auctumno, pampinationem et runcationem fieri debere dicit poëta; sed rem ab antecedente designat: bis pampini excrescunt nimia copia, bis herbæ exuberant, adeoque eruendæ et evellendæ sunt. *sentes* poëtica copia adjecti; sunt hic omne id, quod ex istis herbis enascitur et solum implicat.

412 Cum tam assiduam ac perpetuam operam requirat vitium cultura: placeant aliis vineæ magnæ; tibi parva probetur, quæ recte et tanto majore cum fructu a te coli possit. Pallad. I. tit. 6. 7. *Ita in arbitrio nostro est, utrum plus habeamus, an melius—fecundior est culta exiguitas, quam magnitudo neglecta.* Vidit hoc sagacissimus quisque e nostris hominibus, latifundia perdidisse olim Italiam, nunc plerasque Europæ, inque his Germaniæ, provincias ac terras. Forma orationis ex Hesiodeo petita Ἔργ. 643. Νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι. Sic h. l. *laudato*, valere jube, aliis relinque, habeant illi sibi, ut *colito* pro præfer, potiori loco habe.

413 *ruscus* virgulti genus, *oxymyrsine*. 415. *salices* curandæ sunt, h. virgæ ex iis parandæ. *incultæ*, quæ ipsæ per se nulla cura indigent et sponte proveniunt.

416 *Jam arbusta*, h. vites jam satis putatæ sunt; aut cum vites jam memoratæ sint, arbores, quibus vites jugatæ sunt; *reponunt falcem*, dum per eas reponere falcem licet; falcem non amplius requirunt. 417—419. Pulcherrime perfectam et absolutam vinitoris operam putandi ac runcandi designat. Pervenit ad extremos *antes*, ordines vitium; canit eos, gaudet se eo pervenisse, et quidem *effetus*, viribus exhaustus, qui jam defunctus esse labore sibi videbatur; iterum tamen ac denuo vinea fodienda seu pastinanda; quæ ipsa fossio *pulveratio* dicitur. ὑποκόνισις Græcis. Et post tamen hæc omnia novus labor ex tempestate iniqua et aëris injuriis oriri potest, ut adversus grandinem, pluvias, rubiginem, reliqua aëris vitia vitis munienda ac defendenda sit. Ita v. 419. accipiendus esse videtur. cf. Colum. IV. 3. 4. de vinea: *Res enim est tenera, infirma, injuriæ maxime impatiens* etc.

420. 421 Olearum contra nulla est cultura, h. oleæ nulla fere cultura indigent. *Levi cultu sustinetur olea* Colum. V. 8. 1. Porro *neque illæ Proc.—tenaces*, h. nec putatione nec pastinatione opus est, scilicet non tam assidua ac perpetua. Bene Servius: *quod tamen ad curam refertur anniversariam, nam necesse est, licet tarde, olivam putare.* 422. *Cum semel hæserunt terræ;* sup. 317. *semine jacto Concretam—radicem affigere terræ.* Et ad illa *aurasque tulerunt* cf. v. 332. sq. In illis: 423. 424. potest quidem recte dici: *Ipsa tellus satis*, h. affatim, *sufficit* scil. oleis *humorem;* judicio tamen ac delectui Virgiliano consentaneum, *satis* ita accipere, ut oleas *sata* appellaverit, quemadmodum supra vineas. cf. ad v. 267. Sic mox v. 436. Porro *dens uncus* ligonis et bidentis est; et sententia sic constituitur, ut, dum modo fodiatur et bidente aut sarculo subigatur humus, jam ipsam tellurem dicat suppeditare oleis humorem; si vero etiam aretur solum et aliquando magis frangantur glebæ, tellurem

Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam
Poma quoque, ut primum truncos sensere valentis,
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propriâ nituntur, opisque haud indiga nostræ.
Nec minus interea fetu nemus omne gravescit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cytisi, tædas silva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni, et lumina fundunt.
Et dubitant homines serere, atque inpendere curam?
Quid majora sequar? salices humilesque genestæ,
Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbras
Sufficiunt; sæpemque satis, et pabula melli.
Et juvat undantem buxo spectare Cytorum,

subministrare *gravidas fruges*, h. uberem olivarum proventum. Colum. V. 9. 15. *Nam veteris proverbii meminisse convenit: eum, qui aret olivetum, rogare fructum; qui stercoret, exorare; qui cædat* (putet), *cogere*; et §. 12. *Sed id* (olivetum) *minime bis anno arari debet, et bidentibus alte circumfodiri.* Tandem *cum vomere* potest ita accipi, ut sit, ducto vomere, aratione facta, sed verius est, ut suppleatur, *cum recluditur vomere*: Scilicet *et tellus sufficit fruges gravidas, cum recluditur vomere.* 425. *Hoc*: est Homericum Τῷ pro διὰ τοῦτο, propter hoc, propterea. *nutritor* pro vulgari *nutri.*

426 Commendat poëta reliquarum quoque arborum cultum. *Poma* videntur omnipo pomiferæ esse arbores. Reliqua sic vulgo accipi video: *truncos sensere*, quibus insitæ sunt mali, et cum succos eorum in se derivarunt. Verum *sensere* ut poëta dixit, pro habuere, habent; ubi semel adoleverunt et robur habent. *vires suas*, nos, succos necessarios, et *propria vi* natura sua. cf. vss. 79—82.

429 Pergit in argumentatione usque ad v. 454.; exornavit autem locum arte mirabili. Si oleæ et omne pomorum genus non eandem ac vineæ operam desiderant, multo minus reliqua arborum genera multum laboris exigunt, et magnos tamen fructus ferunt.

429. 430 Silvestres *arbores* fructus et utilitates plurimas nobis ferunt, nec tamen ullam aliam curam exigunt, quam ut seramus. *interea*, dum vitibus tam gravis labor impenditur, oleæque et poma minore cultu proveniunt. *omne nemus*, omne arborum genus, *gravescit fetu*, βρίθει, ut *gravida frugibus arbos*, et Eclog. III. 56. *nunc omnis parturit arbos.* v. Lucret. I. 253. 254. *aviaria*, "secreta nemorum quæ aves frequentant." Servius. A domibus poëta ad silvas traduxit. Sup. v. 398. *avia virgulta.* 431. Cytisus inter arbusculas ap. Theophrast. et Plin. *Cytisum Marantæ* videri a poëtis intelligi docet Martinus ad h. l. Mox in pedestri oratione structura fuisset, *tædas silva ministrat, quibus, seu unde, ignes pascuntur.* 433. Quæ cum ita sint, nonne debebant homines serere eas arbores, et hoc quidquid operæ est, iis impendere? Forma orationis ut in illo Æn. VI. 807. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?*

434 *Quid majora sequar?* vulgari ratione: ne majora commemorem. Sed majora possunt esse utilitates majores et arbores majores: hoc Cerda, præeunte Servio sequitur: Quid insistam in narrandis commodis majorum arborum (de picea modo egerat), cum salices et genestæ etiam afferunt utilitates suas? *genestæ* vid. sup. v. 12. Mox 435. *illæ* ex sermonis venustate abundat, et vulgaris structura ac ratio erat: Ita verbi caussa salices et genestæ pabulum, umbracula, sepes, mel præbent. *pecori*, capellis. 436. *sata* non modo agri arati, verum etiam, ut toties vidimus, modo 423. sunt arboreta, vineæ, oliveta. *pabula apibus*, variata oratione et exquisitiore, *melli* dixit.

437 Locus ornatus. Primum formulam docte variavit poëta pro vulgari: porro etiam buxus grata arbor est et picea. *Cytorus* Paphlagoniæ mons in tractu maritimo, buxo nobilis. Catull. 4. 13. *Cytore buxifer.* Adjacebat urbs ejusdem nominis. *undantem buxo*, fluctuantem; qua imagine segetum, fruticum, et arbustorum læta facies frequen-

Narycisæque picis lucos; juvat arva videre
Non rastris, hominum non ulli obnoxia curæ.
Ipsæ Caucasio steriles in vertice silvæ,
Quas animosi Euri adsidue franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fetus; dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolæ, et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fecundæ, frondibus ulmi:
At myrtus validis hastilibus, et bona bello
Cornus; Ituræos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ leves aut torno rasile buxum
Non formam adcipiunt, ferroque cavantur acuto.
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,
Missa Pado; nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosæque ilicis alveo.

tissime a poëtis exhibetur. Docte porro *undantem buxo Cytorum* pro, buxum undantem in C. *Buxi* autem quanta in aliis terris magnitudo sit, vel ex eo discas, quod Bion Idyll. II. 3. parvum Amorem per ejus ramos huc illuc insilientem facit. 438. Pix e plurium arborum resina fit, maxime ex pinu, ac picea. *Naryx*, vel *Narycum*, et *Narycium* Locrorum Epicnemidiorum urbs, Ajacis patria. Jam ab his Locris colonia in Italiam deducta Locros condidit. Ad utram regionem *pix Narycia* referenda sit, dubitari posset, nisi *picis Bruttiæ* satis frequens inter antiquos mentio fieret. Petebatur ea inprimis e monte et silva *Sila*, de qua cf. Æn. XII. 715. 438. 439. *arva* silvis consita s. silvas, quæ nullo humano cultu indigent. *non obnoxia* nihil labori nostro debentia, non egentia cura nostra.

440—443 Sunt multæ aliæ arbores, unde utilitates accipimus. Caucasum puta poëtice pro quocunque monte ac silva nominari. *steriles silvæ—dant fetus*; oxymoron: sed priore loco *steriles* sunt sine fructu eduli; *fetus* vero sunt usus; ut statim *utile lignum* subjicitur. Similiter *viminibus salices fecundæ —franguntque feruntque* in animo habuit, *agere ac ferre*, h. vexare. 443. Juniperi certo generi, Oxycedro, nomen *Cedri* fere veteres tribuisse, observat Martinus. Conf. inf. ad Æn. VII. 13. 444. 445. De arboribus rustici conficiunt rotarum radios et plaustrorum *tympana*, h. rotas ex solidis tabulis compactas. (Male tecta vehiculorum alii interpretantur), et navium carinas. *Hinc —hinc*, jungit Burmannus, ut sit ex alia—alia arbore, parum commode ad meum quidem sensum; sed *hinc* ex illis arboribus, ex illis fetibus v. 442. *trivere*, h. terere solent, atterendo, tornando conficere. *terere* pro tornare: *posuere*, faciunt: ex τιθέναι, θεῖναι, pro πεπήγασθαι. ut toties Homerus.

446 *frondibus ulmi*. Ulmus—*frondem* jucundiorem bubus præbet, vid. Colum. V. 6. 3. 447. *myrtus*: conf. Æn. VII. 817. III. 23. *bona bello cornus*, h. sagittis, jaculis, hastis: *tota* enim *ossea* est. 448. *Ituræa*, ultra Jordanem, vel inde, quod ea Philippi tetrarchia apud Lucam et Josephum fuisse memoratur, nota. Incolebant eam Arabes latrociniis infames, et sagittandi arte clari: latiore tamen nominis acceptione Ituræi etiam ad Syriam referri solent: hinc præstantissimos arcus poëta ab iis designat.

449. 450 *Nec non*, etiam tilia et buxus tornari et scalpi possunt. *buxum* doctius poëta dixit, ea forma ut *malus*, *malum*.

451 Alnus navigiis utilis est. Padi ripas *alnis* consitæ; itaque usus earum in faciendis navigiis promptus ac proclivis. Georg. I. 136. *Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas. torrens* proprie ad Padi naturam. *Missa Pado*, immissa in amnem de navalibus. Expressum esse versum a Claudiano XXXV. 178. *missamque Pado qui remigat alnum*, jam alii notarunt. 453. *Corticibus cavis*,

Quid memorandum æque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam caussas dedit: ille furentis
Centauros leto domuit, Rhœtumque Pholumque
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus undam;
Nec varios inhiant pulchrâ testudine postes,
Inlusasque auro vestis, Ephyreiaque æra;

intra corticem, et adeo intra truncos cavos arborum.

454. 455 Sationem silvarum suadere poëtam memineris ex v. 433. Tot tantisque utilitatibus multum cedunt fructus vinearum, quæ tamen tam assiduam operam exigunt; quin earum cultura multa adeo mala affert. Hoc, ut poëtam decebat, a generali ac nuda enuntiatione ad facti exemplum deducit. *ad culpam*, h. ad furores, ad facinora et crimina committenda incendit homines. 456. Vid. Ovid. Metam. XII. 210. sqq. Habuit noster ante oculos Odyss. φ, 295. sqq.

458 Sequuntur laudes vitæ rusticæ, locus nobilissimus, cujus pulchritudinem qui non sentiat, is nec dignus sit, cui enarretur. Qui dulcedine harum voluptatum captus diutius suis sensibus indulgere vult, is conferat Horat. Epod. II. Carm. III. 1. 21—24. Serm. II. 6. 59. sqq. Ex recentioribus primo loco Thomsonum *Autumn* 1232. sqq. Nobis quidem in ornatu hujus loci accuratius retexendo, fessum tantarum minutiarum recensu, animum paullisper recreare liceat, inprimis cum in multis ejus pulchritudinem non assequutos esse videam interpretes, quos quidem vidi. *fortunatos nimium*, solenni modo loquendi, pro multum, valde.

459. 460 *procul discordibus armis*. Atqui sæpius quam vellent agricolas infestant arma, copiis agros insidentibus? Scilicet poëta ponit id, quod in hac vita et agrorum longinquitate plerumque contingit; cum urbes opulentæ sæpius expugnentur et diripiantur. Alioqui sic esset accipiendum: ut ipsi agrestes militiam non sequantur, nec opes et divitias e præda. *ipsa tellus* αὐτὴ, αὐτομάτη, lubens volensque. *facilem victum*, qui facile paratur, ut infra v. 500. *fructus, quos ipsa volentia rura Sponte tulere sua*, non sunt tantum silvestres, sed amplificatione poëtica dicuntur etiam ii fructus, qui facili opera parantur. *fundit*, sufficit, suppeditat; cum copiæ notione. cf. Ecl. IV. 20. Translatum inde ad partum, inprimis facilem ac felicem. *justissima*, quia *creditum reddere* terra, *acceptum referre*, dicitur, eique *fides, fenus, æquitas* tribuitur. Sublectum esse hoc Menandro statuebat doctus Britannus; cum in Fragmentis sit: δικαιότατον πάντων ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγρὸς, Ὧν ἡ φύσις δοῦναι γὰρ, ἐπαμελῶς φέρει. Saltem bene convenit. γῆθεν δικαιότατον etiam Xenophon dixit Cyrop. VIII. pag. 468. At *tellus* fundit *humo*. Scilicet habet hoc poëticus sermo præcipui, dum copiam sectatur, ut synonymis ita utatur, ut alterius latior, alterius angustior ipso positu, significatus sit. *humo*, h. ex solo, culta sua superficie; sic *rivos prætereuntis aquæ* Tibull. I. 1. 28. Sic supra v. 411. *segetem obducunt sentibus herbæ*. Mox 461. *domus totis* vomit *ædibus*. Sed et *humus* ex sermonis proprietate numquam pro toto terrarum orbe ponitur, sed sive ad frugum culturam (Avien. Descr. Orb. 1193. *Dives humo tellus*), sive ad humationem corporum fere referri solet.

461. 462 Si fastus et luxus potentium abest. Primo loco clientium turbam memorat. *Vomere* sermonis Romani genius in aditu, qui magnam hominum copiam admittit, facile fert, cum et *vomitoria*, ut in theatro, dicantur: Macrob. VI. 4.; *totis ædibus vomit*, ad majorem etiam multitudinis significationem, quæ totam domum, h. atrium, repleverit, et vomit *foribus*, per fores. Vix enim placet *domus alta foribus*. Eodem etiam *unda salutantum* facit; sic et *effusa* multitudo dicitur. Cæterum hæc eadem brevius, nec minus tamen graviter, expressit Horat. *Forumque vitat, et superba civium Potentiorum limina*.

463. 464 Si non superba palatia incolunt. Ad verbum: *Si non* habent, at quam splen-

Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casiâ liquidi corrumpitur usus olivi:
At secura quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt; illic saltus ac lustra ferarum,
Et patiens operum, exiguoque adsueta, juventus;
Sacra deum, sanctique patres; extrema per illos
Justitia excedens terris vestigia fecit.

dilius pro eo, *inhiant*, habere cupiunt, si non habere curant, *postes varios pulchrate studine*, h. fores opere variegato, testudineo. Expressos hinc vides versus Lucani X. 120. 121. *Et ur atria vestit, Et suffixa manu foribus testudinis Indæ Terga sedent, cretro maculas distincta Zmaragdo. vestis* stragulas, *auro inlusas*, h. pictas (*ludere, lusus, ludibrium*, ὕβρις, sunt artificii naturam imitantis vocabula), *Ephyreiaque æra*, signa et vasa ex ære Corinthio.

465. 466 Si porro nec purpuræ nec unguentorum usum habent. *fucus* de adoptato colore quocunque frequentatum; ut et *venenum* de quovis succo, inprimis aut amariore aut acriore. *Assyrium* h. l. pro Syrio et Phœnicio, ut plerumque apud poëtas fit: Sic Ἀσσύριον ξεῖνον accipiendum puto de mercatore Phœnicio ap. Theocrit. II. 162. *usus olivi*, nova periphrasis, quo quis utitur. Horat. Od. III. 1. 42. *Nec purpurarum sidere clarior Delinit usus. casia*, h. l. intelligendus est frutex ille de quo Plin. agit XII. 43. Hujus casiæ ligna miscebant unguentis; cum vulgus oleo nativo uteretur. *Corrumpi* cum dilectu, pro misceri, temperari, quocunque modo, h. l. tamen cum adjuncta notione: in deterius mutationem fieri: ut vitiatum, contaminatum, sit.

467 *secura quies*, quam quis agit secure. Sic in Bucol. *tuta valle*, in qua quis tutus versatur. At *nescia fallere vita*, nil aliud esse potest, quam *vita tuta*, ἀσφαλὴς; certa, nullis casibus adeoque nec metui obnoxia. Antecesserat *secura quies*. Scilicet *vita fallere nescia* est idem ac *vita non fallax*. Jam *spes non fallax*, est certa. *Seges non fallax*, fallere nescia, esset certa, de qua metus nullus est; atque hinc *ager non fallax*. Adeoque *vita non fallax*, vita certa, tuta, nullis vicissitudinibus obnoxia, quam tutus ac securus agas. Hactenus cum viro docto exponas: quæ expectationem de se sustinet, quæ præbet ea, quæ de illa expectabas. Jam autem hoc ipsum inter potiores vitæ laudes habetur, quod nulla re ejus fructus turbatur. *Parca non mendax* apud Horatium est, quæ vera canit, quatenus fata certa ac fixa sunt. Et hanc explicationem Servius altero loco posuit: *aut quia immobilis est status vitæ eorum; urbanorum enim vita aut insidiis aut proscriptione variatur.* Per se dicta *fallere nescia vita* pluribus modis accipi possit; ut h. l. quoque factum. Vulgo accipiunt sic, ut sit innocua (scil. ut sit vita hominum, qui non fallunt): Sententia quidem vera, quæ et in Culice occurrit 72. *Otiaque invidia degentem et fraude remota.* et sane vita βίος pro hominibus. Dura tamen interpretatio. Fuit vir doctus, qui malebat interpretari: vita, quæ non fallit, non latet, non effugit sine fructu. Ita tamen adjectum aliquid desideres, quod ad illam notionem ducat. Nam Horatii I. Ep. 18. 13. *fallentis semita vitæ* alienum est; ibi est: quæ latet, obscura est. In hunc sensum expectares h. l. vitam, quæ potest fallere, h. quæ fallit, latet. 468. *At* h. l. pro formula sententiæ continuandæ, ut in Græcis poëtis δὲ, αὐτὰρ, et similia. *latis otia fundis:* non de latifundiis cogitandum; sed sunt campi et colles aperti, unde prospectus patet late: quæ res ad animum et frontem explicandam magnam vim habet. 469. *vivi lacus*, aqua perenni. *frigida Tempe*, umbrosæ valles. 470. *molles somni*, lenes, tranquilli et dulces. Ecl. VII. 45. 471. *Saltus* proprie de pascuis. *lustra ferarum*, silvæ, venationem designant. 472. *operum*, int. opus rusticum; laboriosa juventus, vitæ pars melior. *exiguo assueta*, ut *parvo*. Tibull. I. 1. 25. *contentus vivere parvo.* 473. Illic *sacra deum*; scil. sancta sunt et habentur, ut Servius: hoc vult, sacra ibi caste coli; illic pietatem et metum deorum esse.

Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Adcipiant; cœlique vias et sidera monstrent;
Defectus solis varios, lunæque labores;
Unde tremor terris; quâ vi maria alta tumescant
Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturæ adcedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis:

sancti sunt *patres*, venerabiles, qui sancte ac pie coluntur. Nisi argutius hæc dicta malis: Illic demum sacra vere sacra (pro sacris vere habita) sunt, illic senum sanctitas visitur. *extrema per illos vestigia fecit*, cum scilicet jam multo ante aulas et palatia beatorum reliquisset. Supersunt adeo inter agrestes vestigia priscæ justitiæ et innocentiæ.

475—489 Primum, ante omnia, studiis philosophiæ ac naturæ consecratam vitam agere se velle ait, quod si non licuerit, at certe rusticam. Utraque enim vita beata et exoptabilis; 490. sqq. alterius tamen deliciis ac bonis describendis immoratur. Comparandus *Thomson* in *Hyeme* 572. sqq.

475 476 *primum ante omnia* accipiant me: ita enim Latine dicitur, primo loco: ut cum verbo junctum sit ante omnia: ut Ec. II. *nobis placeant ante omnia sylvæ*. An *Musæ dulces ante omnia* bene dicantur dubito; saltem in poeta nondum legere memini *ante omnia* junctum cum adjectivo. In serioribus occurrit, ut in Plinio *ante omnia efficax*. *dulces Musæ*, μειλίχιαι Arato Phæn. 16. 17. quem locum in animo habuit. *Musæ accipiunt* eum, qui se iis tradit, consecrat. *Sacra ferre* proprie est sacrificantis, v. c. Æn. III. 19. tum omnino sacerdotis. Jam autem poëtæ *Musarum sacerdotes* frequenter appellantur. Notum Horat. Carm. III. 1. 3. et Propert. III. 1. 2. *Primus ego ingredior puro de fonte* sacerdos *Itala per Graios* orgia ferre *choros*. Manil. I. 6. *Ad viridi nutantes vertice silvas Hospita sacra ferens*. Porro *magno percussus amore* expressum ex Lucret. I. 922. 923. *sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor, Et simul incussit suavem mi in pectus amorem Musarum: quo nunc instinctus, mente vigenti, Avia Pieridum peragro loca* etc. Ex quo loco satis patet, poëtam duxisse phantasma ab orgiis deorum, quos qui colebant, ἐνθουσιῶντες sacra celebrabant; ut Bacchi, Cybeles.

477 *cœlique vias et sidera*, quod in vulgari oratione, siderum cursum in cœlo. Jam Orpheus Argonaut. 205. ὅς ῥα πορείας Οὐρανίας ἄστρων ἐδάη κύκλους τε πλάνητας. *viæ cœli* non uno modo dictæ. Quod vero poëta physicas quæstiones commemorat tamquam studii sui præcipuam partem, facit propterea, quia antiquiorum vatum, ut Orphei, Lini, Musæi, proprium id studium fuisse traditum erat; porro quia Empedoclis, post Xenophanem et Parmenidem, περὶ φύσεως carmina inprimis magnam auctoritatem habebant, a Lucretio maxime commendatam, cujus studiosus admodum fuisse videtur Virgilius. Habent etiam physices capita hæc et argumenta hoc præcipui, quod poëticum vel maxime ornatum admittunt. 478. *lunæ labores*, defectus. Lucretius V. 750. dixerat. *Solis item quoque defectus Lunæque latebras* (vel hoc uno versu, Virgiliani carminis quanta suavitas sit, intelliges) *Pluribus e caussis* (hi sunt *defectus varii*) *fieri tibi posse putandum est*. 479. *qua vi m.*, h. caussas accessus ac recessus maris æstuantis. Argumentum sane philosophicæ contemplationis sollennius, quam alterum, tempestatum maris caussæ; quod quidem et ipsum verba ferrent. *Objices* sunt littora inprimis in æstuariis. 481. Caussas varietatis in dierum noctiumque mensura intellige. Etiam hoc Lucretius exposuerat V. 679. sqq. *Quid tantum properent soles hiberni*, sol in hieme, hiemali tempore, *tinguere se Oceano*, occidere etc.

483—489 Si philosophus esse nequit, agricola saltem esse vult.

484 Stuporem animi a *frigore sanguinis* ducere recte potest poëta, qui tantum probabilia sequitur; inprimis cum e philosophis nonnulli ita sensisse videantur. *Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem*

Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi,
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacænis
Taygeta! o, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbrâ!
Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas;
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!

Cic. Tusc. Qu. I. 9. Quod vero sanguinem *circa præcordia* memorat, ex antiqua Italorum philosophia petitum videri poterat, in qua *præcordia*, φρένας, περιπλόους, sedem non modo motuum animi, sed et mentis, faciebant. Sed et hoc ipsum Empedocleum est, cujus versus laudatur in Etymologo Magno in αἷμα et alibi: Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα. Notabilis locus Schol. Cruqu. ad Horat. Art. 465. Empedocles—*qui dicebat, tarda ingenia frigido circa præcordia sanguine impediri.* At quomodo ad hæc somnia homines delabi potuere? Scilicet, quod primis rerum ætatibus nullus erat sapiens, qui non esset poeta, nullus poeta, qui non majore animi motu atque æstu raperetur, aut, ut loquebantur, divino spiritu (ἐνθουσιῶν) ageretur. *Calor* itaque *sanguinis* cum animi vi, ingenii subtilitate, poetica facultate, naturæ aliquam conjunctionem habere videri poterat. Imitatus est versum Lucan. II. 557. *Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis Incaluit.*

485 *amnes rigui*, h. l. qui rigant. *amem*, colam. Exemplis illustrat Burm. 486—489. O quam vellem rui vitam agere! Tamquam poeta nobiliora rura memorat, in Thessaliæ, Laconicæ, ac Thraciæ campis. *O ubi* non itaque est, ut situm locorum quærat, sed ut ibi degat. Habet tamen locus majorem ἐνάργειαν, si ita jungis: *O* utinam sit, *qui me sistat* ibi, *ubi* campi etc., enthusiasmo abreptus sententiarum ordinem turbavit. *Campi Spercheosque* poetica structura enthusiasmo et ipsa consentanea dixit, pro campis ad Sperchium, campis Thessaliæ, in cujus confiniis subter Œtam montem fluvius ille in sinum Maliacum exit. 488. *Taygeta* sc. juga, ὄρη, ut τὸ Ταΰγετον, montes ex Arcadia per totam Laconicam procurrentes; subjecta iis Sparta et Eurotas amnis. *bacchata*, passive, quæ bacchando frequentantur, in quibus virgines Lacænæ bacchari, orgia Bacchi celebrare, solent. Sic *bacchata Naxos* Æn. III. 125. Erat autem sub Taygeto Bacchi templum; ad id solis mulieribus aditus patebat, et mulieres solæ sacra in operto faciebant. v. Paus. III. 20. Ita explicatus locus placere potest. *Hæmus* autem inprimis silvis abundabat: hinc vss. 488. 489.

490—493 Beata est, inquit, vita philosophi, at nec minus beata vita rustici. cf. ad vs. 477. Columella in præf. *Res rustica—quæ sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiæ est.* Cicero in Cat. maj. 15. *Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quæ nec ulla impediuntur senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere.* Philosophiæ autem Lucretianæ capita hic proferri ex primis statim Lucretii paginis manifestum fit. Forte et Græcus poëta utrique ante oculos erat. Laudatur ex Empedocle: Ὄλβιος, ὃς θεῶν πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον ap. Clement. Alex. Stromat. V. extr. Veris autem de natura rerum, deorum et animæ, rationibus ab Epicuro propositis, metus, terrores, ac cupiditates hominibus detractas et ad veram felicitatem viam patefactam esse, sæpe a Lucretio prædicatur. 490. *qui potuit*, ad formam aoristi, qui potest. 491. *metus* ex superstitionibus falsisque opinionibus natos, imprimis de fato et de inferis. Lucret. I. 79. *Quare Religio* (superstitio) *pedibus subjecta vicissim Obteritur. Metus subjectos* vide ibid. 67. sqq. 103. sqq. V. 1193. sqq. III. 14. *Nam simul ac Ratio tua cœpit vociferari Naturam rerum haud divina mente coortam*, Diffugiunt animi terrores, *mœnia mundi Discedunt, totum video per inane geri res, Apparet Divum numen sedesque* quietæ—*At contra* nusquam *apparent* Acherusia *templa. strepitum Acheruntis* ex Lucret. III. 37. *Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo, Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam Esse voluptatem puram liquidamque relinquit.* Quam ornate hæc dicta sint intelliges, si reputes nihil aliud hæc esse, quam: natura rerum rite cognita nec fatum nec mortem a te timeri.

Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis,
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores!
Illum non populi fasces, non purpura regum,
Flexit, et infidos agitans discordia fratres;
Aut conjurato descendens Dacus ab Histro;
Non res Romanæ, perituraque regna; neque ille,
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura

493. 494 Vitæ rusticæ amœnitatem a splendidis et sanctis rerum imaginibus petit, ex primorum hominum, aureæ ætatis, vita sumtis; nempe cum innocuis et puris castisque illis hominibus dii versabantur, eos frequentabant et in medio eorum conspiciebantur. Itaque is, qui silvas, valles, fontes et antra frequentat, præclare deos agrestes nosse dicitur.

495—499 Vivit animo imperturbato atque, ut ab omni cupiditate, ita ab omni cura ac sollicitudine vacuo, et vere vitam beatam ex Epicuri formula agere videri potest. *Illum non populi fasces, non purpura regum flexit:* flectit, sic in seq. *doluit, invidit*, vidit. nil curat honores ac magistratus, in quem transferantur, aut quibus regna sive reddantur sive eripiantur; quæ fortunarum conversiones annis proximis a profligatis Antonianis partibus satis frequentes haud dubie inciderant. *et infidos agitans discordia fratres* illum non flexit nil movet; nil curat bella civilia; ut nec bella externa; *Aut conjurato descendens Dacus ab Histro.* Credere tamen par est, poëtam etiam in priore membro, de fratrum discordia, certam aliquam personam ac nomen ex illo tempore memorare debuisse ac voluisse, ut in altero *Dacum*. Respexit utique Arsacidarum dissidia, quæ in illos annos inciderunt, quibus Georgica perscripta esse et feruntur et videntur, inter consanguineos, Phraatem et Tiridatem, quos per fratres declarat, agitata. Sane etiam in Armenia majore, cum Artaxiæ Artabazes filius successisset, bellum ei civile a Tigrane fratre, Roma ab Armenis arcessito, motum est; verum hæc in annum 734. decimum a pugna Actiaca, proximum ante Virgilii obitum incidunt. vid. Dio LIV. 9. *Daci* autem, qui montium juga trans Istrum incolebant, unde *descendens Dacus*, ut fere semper, *quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere solebant* et *vicina populari*, Florus IV. 12. 18.: ita illo tempore Mysiam et mox Thraciam vastabant. Jam 724. Statilius Taurus Dacorum agmina palantia rejecit. Missus adversus eos et Bastarnas M. Crassus, C. Cæsare V. et Sex. Apuleio Coss. U. C. 725. *Hister conjuratus*, h. populi ad Istrum, qui arma cum iis sociabant. Ex nostro Statius I. Theb. 20. *Et conjurata dejectos vertice Dacos.* Iidem Daci cum Getis aliisque barbaris non cessarunt Istro glacie concreto Romanos fines vastare, donec, Q. Tuberone et Paulo Fabio Coss. U. C. 743. et anno sequenti perdomiti sunt. cf. Suet. Octav. c. 21. Cæterum Epicuream sapientiam ab omni republica homines avocasse, res est satis nota.

498 *peritura regna*, quæ pereunt, afflicta; in prosa: imperiorum ruinas, eversiones, interitus nil curat; quot enim regna non fuere a Romanis sublata! atque adeo *res Romanæ* intelligendæ vicissitudines et fortuna imperii Romani. Sunt autem hæc accommodate ad hypothesin Epicuri, et intra ejus placita accipienda. Alioqui enim, in cive Romano, impium hoc et sceleratum foret, reipublicæ sortem nil curare.

498 *neque ille aut doluit* (dolet) *miserans inopem, aut invidit habenti*, non duritie et ferocia animi, aut Stoica aliqua apathia, sed nec dolet nec invidet, quod in agro remotus ab omni pauperum miseria et divitum luxu ac fastu animum ab omni perturbatione vacuum habere potest. Docent hoc antecedentia: *non populi fasces* etc., quos, in agro qui degit, non videt, ideoque nec curat, quis illa opibus suis et artibus consequatur.

500—503 Præiverat Lucret. V. 935. *Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat Sponte sua, satis id placabat pectora donum. volentia rura* ex Græcismo exponit Toupius in Suid. T. II. p. 49. ubi ex Xenoph. laudat: ἡ γῆ θέλουσα—διδόασιν. Præbebat tamen ipsa res poetæ hoc, vel sine Xenophonte, si *ipsa, sponte sua*, sane etiam lubentia ac *volentia*, h. e. lubenter, ferunt fructus rura. Inf. IV. 561. *victorque volentes Per populos dat jura.* Græca ratione poëta uti tum dicendus est, non, quoties uterque sermo in aliquam formam naturali sententiarum modo et ordine consentit, verum quoties aut a sermonis patrii genio et usu sollenni recedit,

Sponte tulere suâ, carpsit: nec ferrea jura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca; ruuntque
In ferrum; penetrant aulas et limina regum;
Hic petit excidiis urbem miserosque Penatis,
Ut gemmâ bibat, et Sarrano indormiat ostro;
Condit opes alius, defossoque incubat auro.
Hic stupet adtonitus Rostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos geminatus enim plebisque patrumque
Conripuit. Gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exsilioque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt sub sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor; hinc patriam parvosque nepotes

adoptatque formas Græcas, seu vulgares seu poeticas, ita ut, nisi ex lectione Græcorum scriptorum eas memineris, expediri locus nequeat; aut ubi manifesta studii et æmulationis signa et indicia prodit scriptor. Semel hæc dicta sint, cum toties Græcismos perperam memoraverim. 501. *ferrea jura*, rigida, quæ nec gratia nec metu ullius flectuntur, nec miseratione. 502. *Insanum forum*, insano clamore, litibus, perstrepens. Sic *rabies, furor*, foro et caussidicis tribuitur. *nec populi tabularia vidit*, h. nullum nec vectigal, nec portorium, nec pascua a populo tamquam publicanus conduxit, quarum redemtionum tabulæ, publica instrumenta, in tabulario servabantur: quod Romæ erat in atrio Libertatis. vid. Liv. XLIII. 16.

503 *freta cæca*, ignota, inexplorata esse videntur. Possunt freta *cæca* quoque dici et accipi, si quis malit, obscura. Ad pericula et discrimina navigationis respici patet. Scilicet cavere poëtæ interdum vix possunt, quin, quod ad impellendam mentem ac feriendum sensum adjunctum est, propter diversos vocum significatus, ambiguum, adeoque obscurum maneat. Sunt hæc inter ea, quæ sentiri debent, non subtiliter dilui.

505—507 Hic excindit (excindere parat) *urbem* int. Romam, *Penates*, h. patriam suam (bella autem civilia respicit); ut luxu diffluat. Militia omnino illo tempore inter modos opum ac divitiarum quærendarum expeditiores, scilicet e præda et agris assignandis, multo magis in civilibus bellis, per præmia militiæ. 506. *gemma*, poculum gemmeum, ex gemma factum. *Ostrum Sarranum*, Tyrium, ab antiquo urbis nomine, Sarra seu Tsor. 507. Sic et Æn. VI. 610. *Aut qui divitiis soli incubuere repertis.* Ex Vario; *Incubet et Tyriis, atque ex solido bibat auro:* adumbratum esse versum notaverat Macrob. Sat. VII. 1.

508—510 Alius eloquentiæ forensis laudem, dum pro rostris dicentem audit; alius populi studia miratur et cupit gratiosus apud populum haberi; *nimium gaudens popularibus auris* dixit Æn. VI. 817. *hiantem* præ admiratione ac stupore, *conripuit*, percussit, animum commovit, *plausus per cuneos*. h. theatrorum ordines ac sedilia, quo excipiebantur, qui gratiosi essent apud populum, ut de Pompeio, Cicerone, Mæcenate (vid. vel Horat. I. Carm. 20. II. 17. 25.) res nota.

510—512 *Gaudent perfusi s. f.* h. e. gaudent alii perfundi, ex Græco more. Ad veteranos autem et cæteros refero, quibus promissi per bella civilia (hinc *perfusi sanguine fratrum*) agri assignabantur: ita cum sequente versu sententias arte conjunctas videas: relictis agris patriis et solo natali in aliena prædia, alio sub cælo sita, immigrant. Lucretii versus sunt III. 70. Dum homines paupertatem fugiunt, *Sanguine civili rem conflant—Crudeles gaudent in tristi funere fratrum.* 511. *Exsilio*, dum in colonias deducuntur. 512. Fere ut Horat. illud II. 16. 18. *Quid terras alio calentes sole mutamus?* Sol pro cœlo: plus minusve ex sole, propiore seu remotiore calente.

513—531 Suavissima bonorum, quæ vita rustica habet, descriptio. 514. *labor anni*, per annum, annuum opus rustici; hunc tamen

Sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos;
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi;
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis;
Glande sues læti redeunt; dant arbuta silvæ;
Et varios ponit fetus auctumnus; et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea dulces pendent circum oscula nati;
Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccæ
Lactea demittunt; pinguesque in gramine læto
Inter se adversis luctantur cornibus hædi.
Ipse dies agitat festos; fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
Te, libans, Lenæe, vocat; pecorisque magistris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo;
Corporaque agresti nudant prædura palæstrâ.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit;

subest simul notio proventus annui ex hoc labore; nam subjicitur: *hinc sustinet*, alit et educat inde, *nepotes*, liberos, et *patriam*.

516—518 Nullum anni tempus est, quo cesset ager afferre aliquid fructus. *pomis exuberet annus*, poetica ratione, sed sollenni, pro, poma exuberant in anno, h. auctumno. 518. *Annus onerat sulcos proventu*, ante messem, *horrea vincit proventu*, messe facta. Sunt Tibulli IV. 1. 185. *Horrea fecundas in deficientia messes*, et sup. Georg. I. 49. *Illius immensæ ruperunt horrea messes.*

519 Cum hieme, h. e. cum extremo auctumno, olivitatis tempus ingruit. Olivæ, ut poëtarum mos, a præstante aliquo genere adjectum nomen habent. *Sicyonem oliviferam* etiam Ovidius memorat in Ibin 319. *trapetem*, quo olæ teruntur, mola olearia. 520. *arbuta* vid. supra ad Eclog. III. 82. 521. *ponit fetus auctumnus*, dum poma matura decidunt. Ita *poni frondes* supra dixerat v. 403. Potest tamen, si ita placuerit, a partu petitum dici, qui *poni*, edi, dicitur; ut ova ponuntur.

523 Pergit ad gaudia domestica agricolæ; *pendent circum oscula* jucundius, quam si, circum ora; sunt enim ad osculandum porrecta. 524. *pudicam mulierem* (Horat. Epod. II. 39). designat. 525. 526. Ex Arat. Diosem. 369. 370. cf. Odyss. ν, 412. Κερίτλαν Theocr. III. 5.

527—531 Quicquid in vita rustica jucunditatis esse solet, memorat poëta; itaque et festorum sollennia diis rusticis habita; inque his unum, in Bacchi honorem. 528. *Ignis ubi in medio*, scil. ara, in qua sacrum fit, ex quo epulæ parantur. Tibullus de sacris, messis tempore factis, II. 1. 21. *Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris Ingeret* ardenti *grandia ligna* foco, *Turbaque vernarum; saturi bona signa coloni Ludet. Socii.* Horat. Epist. II. 1. 142. *Agricolæ prisci—Condita post frumenta levantes Tempore festo Corpus*—Cum sociis operum pueris *et conjuge fida.* Adumbratus e nostro locus Gratii Cyneg. 486. sqq. Nec aliter, quam de sacro Genio vel Lari facto, accipiendum carmen Horat. III. 17. 13. sq. *crater*, unde libatio fit, corollis ornatur. 530. *certamina ponit*, ἆθλα τίθησι, certaminis præmia. conf. Æn. V. 66. 53. *agresti palæstra*, lucta.

532—535 Ornate: hæc vita fuit priscæ Italiæ. 533. *Etruria crevit*, h. Etrusci potentes facti sunt; ad magnas opes agricultura

Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictæi regis, et ante
Inpia quam cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Inpositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos inmensum spatiis confecimus æquor;
Et jam tempus equum fumanti solvere colla.

Jan. 5. 1823.

pervenerunt. Fuere utique magnæ Etruscorum opes et terrarum cultus egregius. 534. *rerum facta est pulcherrima*, nota forma, omnium imperiorum præstantissimum ac beatissimum factum est. Iisdem fere verbis Cicero pro Rosc. Amer. c. 18. § 50. Est scilicet Græcum χρῆμα κάλλιστον, *res pulcherrima*, et doctius *pulcherrima rerum*. Tum *scilicet* est δὴ, ἄρα, utique, sane. Ut Græca sint: καὶ δὴ καὶ Ῥώμη ἤκμασε διὰ τοῦτο, κάλλιστόν τι πρῆγμα. 535. *arces* pro montibus.

536 Ante Jovem, sub rege Saturno, aurea ætate (unde poëta ipsum dixit *aureum*), sic vivebant homines. *Inpia gens*, h. hominum genus, *impium*, quod naturæ legem violat, bovem mactando. cf. Arat. Phænom. 132. Cic. N. D. 11. 63. § 159. 539. *classica inflari*, cani inflato cornu, tuba, buccina. 540. Ornate pro, procudi enses.

541. 542 Sed finis faciendus est libro. Eodem tropo Tryphiod. 664. Μουσάων ὅδε μόχθος. ἐγὼ δ' ἅπερ ἵππον ἐλάσσω Τέρμαῖος ἀμφιέλισσαν ἐπιψαύουσαν ἀοιδήν. *æquor inmensum spatiis*, immensa spatia, h. decursus, habens, immensorum spatiorum campus. De *spatiis* vid. ad Georg. I. 512. *Colla equorum solvere*, dum jugum solvitur, demitur. Sic ὑφ' ἅρματος αὐχένας ἵππων λυσαμένη Callimachus a Cerda laudatus H. in Pall. Lav. 10. λύειν ἵππους, *solvere equos*, sollenne.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Orditur poëta librum ab expositione argumenti 1. 2.: tractare se argumentum ab aliis intactum, unde novam laudem Mantuæ suæ sit paraturus—39. Inde favorem ac studium Mæcenatis sibi expetit—48.

Procedit præceptio a fetura armentorum. Legendæ primo loco bonæ matres; notæ bonarum vaccarum—62.; admissura ita curanda, ut et bos et taurus in juventa constituti sint—71. Notæ equi generosi et ad admissuram idonei—122. Tum ea, quæ ante admissuram sunt curanda—137. Cura matrum gravidarum—156. Cura vitulorum—178. Cura pullorum equinorum—208.; inprimis arcendi illi a nimia Venere: inter quæ locum de Veneris stimulantis furore persequitur—282. Post curam armentorum progreditur ad curam pecudum: cum præfatione super difficultate argumenti cum dignitate pertractandi—294. Primo de ea cura, quæ ad pecudes in stabulis habendas spectat—321.; tum de pastione vere orto: cum excursione in narrationem de Nomadibus Afris et Scythis—383.; præcepta de studio lanarum—393, et lactis—403. Cura canum—412. Monita de cavendis animantibus noxiis—439. et de avertendis morbis—473. Ita aditum sibi parat ad locum de peste auctumnali armentorum ac gregum nobilissimum—ad fin.

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso; vos, silvæ amnesque Lycæi.
Cetera, quæ vacuas tenuissent carmine mentis,

1. 2 Nunc rem pecuariam aggrediar. Pro ea Palem, deam pastoritiam, et Apollinem Nomium, et Lycæum, Arcadiæ montem Pani sacrum, memorat. *Amphrysus* Thessaliæ, et quidem Phthiotidis, notum flumen; ad quod Apollo boves pavisse dicitur, cum Admeto, Pheræorum regi, serviret, ἰδύτινσα. *Pastor ab Amphryso* pro Amphrysius, more loquendi paullo doctiore. Græce diceres: Νομεὺς Ἀμφρύσηθεν. Mox *silvas amnesque Lycæi* memorat pro deo Lycæum tenente, Pane; et hunc pro re pastoritia. 3. Pindarum Olymp. Ode II. pr. ante oculos habuisse, Cerda putabat; debebat saltem Isthm. VII. pr. comparare; etsi et hoc nimis sedulo fieret; communis enim illa est ratio multorum poëtarum, ut alia sibi prærepta esse, alia vulgaria a se omitti dicant. Magis certum est, nostrum multos imitatos esse. *Tenent mentes* ea, quæ delectant, et exprimit hoc ipsum delectationis naturam. *vacuæ* autem *mentes* a curis, rebus ac studiis severis, vacantes, sol-

Omnia jam volgata: quis aut Eurysthea durum,
Aut inlaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer? et Latonia Delos?
Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas;
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam

lenne de iis, qui poëtarum carmina audiunt. Monenda hæc propter Burmanni subtilitates fuere.

4—7 Dum *Eurystheum* memorat, Herculis labores intelligit. Eodem referendi Busiris et Hylas. Commemorat autem fabulas, quas a satis multis poëtis tractatas esse constabat: hinc v. 6. *Cui non dictus? Dicere* enim de poëtis sollenne. Fuisse quoque necesse est carmina de Delo, et de Pelope, ejusque cursu curuli, quo Hippodamiam Œnomai f. obtinuit. Quæ autem ex deperditis excitari hic possent, notæ modum excessura essent. 5. De *illaudato*, h. detestando omni disputatione potiora sunt illa Gellii verba: illaudatus *est quasi* illaudabilis *et* innominabilis, *qui neque mentione aut memoria ulla dignus, neque umquam memoratus est.* Expressit autem Homeri *ἀν ὀνομαστὸν* Od. τ. 260. 597. 8. *Acer equis*, h. arte equestri, *quadrigis* ducendis, strenuus, excellens, *δεινός*.

9 Circumspiciendum mihi argumentum, cujus tractatione nomen consequar. *victor* poëtico ornatu adjectum, uti solent, si de magno aliquo opere peracto, magna re, quam assequutus sis, agitur. Non male Servius: *victor, effector propositi et voti.* Lucret. I. 76. *Omne immensum peragravit Epicurus, —Unde refert nobis* victor, *quid possit oriri*, etc. *virorum per ora volitare*, ornatius quam ferri per ora, in ore omnium esse. Notum autem Ennii illud: *volito vivus per ora virum.* Sollenne porro famam nominisque celebritatem per volatum declarari; ornavit notionem Horat. II. Carm. 20.

10—13 Primus ego inter Mantuanos nomen poëtæ cōsequar. At hoc splendide elocutus est. *Primus.* Bene Serviana: *Ideo primus, quod ante illum nullus Mantuanus poëta fuit.* Qui primus inter aliquem populum poëta clarescit, is *Musas secum in patriam ducere* dici potest, et ornatius *ab Helicone*, Bœotiæ, *Aonibus* olim habitatæ, monte; idem *ferre* laudem, gloriam, præmia, victoriæ, insignia, *palmam* dici potest, respectu *certaminum musicorum*, quæ inter Græcos haberi solebant. *Idumæas* autem *palmas* poëtico plane epitheto appellavit, a nobili aliquo genere. *Idumen* poëtæ pro Idumæa ac tota Judæa dicunt; quam quidem palmis frequentem fuisse notum est: *arbusto palmarum dives Idume* Lucan. III. 216. et præclare Stat. V. Silv. 2. 138. 139. *An Solymum cinerem palmetaque capta subibis Non sibi felices silvas ponentis Idumes?* Debet autem hujus versus suavitatem, ut unicuique obvium est, qui utrumque poëtam legit, noster Lucretio suo I. 118. *Ennius ut noster cecinit, qui primus amœna Detulit ex Helicone perenni fronde coronam, Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.*

13 Hæc et quæ sequuntur, et templi hujus ædificatio, quam rationem ac conjunctionem cum cæteris habeant, omiserunt monere Interpretes. Scilicet in eo substiterat poëta, ut laudem poëticam, quam in patriam suam redux referret, cum victoria compararet, quam aliquis inter Græcos ex sollenni certamine victor reportaret. Notum autem est, nullum sollennium ludorum in Græcia genus fuisse, in quo non eo tempore ingenii certamina, *ἀγῶνες μουσικοὶ*, eloquentiæ, poëtices inprimis, instituerentur. De Olympiis et cæteris sollennibus æque certum est, ac de Dionysiis, Panathenæis etc. Victores autem ex Olympicis ac cæteris ludis non modo sollenni pompa urbem suam ingressos esse, verum etiam victoriæ præmia diis consecrasse, interdum etiam sive templum sive aram aliudve monumentum in victoriæ memoriam condidisse, multis ex antiquitate exemplis ac titulis adhuc superstitibus declarari potest. Unum commemorasse nunc quidem satis sit, quod

VIRGILI…

GEORGICON

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Orditur poëta librum ab **expositione** argumenti 1. 2.: **tractare se argumentum ab aliis intactum**, unde novam laudem **Mantuæ** suæ sit paraturus—39. **Inde favorem ac studium Mæcenatis** sibi expetit—48.

Procedit præceptio a fetura armentorum. Legendæ primo loco bonæ matres; notæ bonarum vaccarum—62.; admissura ita curanda, ut et bos et taurus in juventa constituti sint—71. Notæ equi generosi et ad admissuram idonei—122. Tum ea, quæ ante admissuram sunt curanda—137. Cura matrum gravidarum—156. Cura vitulorum—178. Cura pullorum equinorum—208.; inprimis arcendi illi a nimia Venere: inter quæ locum de Veneris stimulantis furore persequitur—282. Post curam armentorum progreditur ad curam pecudum: cum præfatione super difficultate argumenti cum dignitate pertractandi—294. Primo de ea cura, quæ ad pecudes in stabulis habendas spectat—321.; tum de pastione vere orto: cum excursione in narrationem de Nomadibus Afris et Scythis—383.; præcepta de studio lanarum—393, et lactis—403. Cura canum—412. Monita de cavendis animantibus noxiis—439. et de avertendis morbis—473. Ita aditum sibi parat ad locum de peste auctumnali armentorum ac gregum nobilissimum—ad fin.

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso; vos, silvæ amnesque Lycæi.
Cetera, quæ vacuas tenuissent carmine mentis,

1. 2 Nunc rem pecuariam aggrediar. Pro ea Palem, deam pastoritiam, et Apollinem Nomium, et Lycæum, Arcadiæ montem Pani sacrum, memorat. *Amphrysus* Thessaliæ, et quidem Phthiotidis, notum flumen; ad quod Apollo boves pavisse dicitur, cum Admeto, Pheræorum regi, serviret, ἐθήτευσε. *Pastor ab Amphryso* pro Amphrysius, more loquendi paullo doctiore. Græce diceres: …ὺς Ἀμφρύσηθεν. Mox *silvas amnesque* …memorat pro deo Lycæum tenente, Pane; et hunc pro re pastoritia. 3. Pindarum Olymp. Ode II. pr. ante oculos habuisse, Cerda putabat; debebat saltem Isthm. VII. pr. comparare; etsi et hoc nimis sedulo fieret; communis enim illa est ratio multorum poëtarum, ut alia sibi præcepta esse, alia vulgaria a se omitti dicant. Magis certum est, nostrum multos imitatos esse. *Tenent mentes* ea, quæ delectant, et exprimit hoc ipsum delectationis naturam. *vacuæ* autem *mentes* curis, rebus ac studiis severis, vacantes,

Omnia jam volgata: quis aut Eurysthea durum,
Aut inlaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer? et Latonia Delos?
Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas;
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam

lenne de iis, qui poëtarum carmina audiunt. Monenda hæc propter Burmanni subtilitates fuere.

4—7 Dum *Eurystheum* memorat, Herculis labores intelligit. Eodem referendi Busiris et Hylas. Commemorat autem fabulas, quas a satis multis poëtis tractatas esse constabat: hinc v. 6. *Cui non dictus?* *Dicere* enim de poëtis sollenne. Fuisse quoque necesse est carmina de Delo, et de Pelope, ejusque cursu curuli, quo Hippodamiam Œnomai f. obtinuit. Quæ autem ex deperditis excitari hic possent, notæ modum excessura essent. 5. De *illaudato*, h. detestando omni disputatione potiora sunt illa Gellii verba: illaudatus *est quasi* illaudabilis *et* innominabilis, *qui neque mentione aut memoria ulla dignus, neque umquam memorandus est.* Expressit autem Homeri *ἀν ὀνομαζὸν* Od. τ. 260. 597. 8. *Acer equis*, h. arte equestri, *quadrigis* ducendis, strenuus, excellens, *δεινός*.

9 Circumspiciendum mihi argumentum, cujus tractatione nomen consequar. *victor* poëtico ornatu adjectum, uti solent, si de magno aliquo opere peracto, magna re, quam assequutus sis, agitur. Non male Servius: *victor, effector propositi et voti.* Lucret. I. 76. *Omne immensum peragravit Epicurus, —Unde refert nobis victor, quid possit oriri, etc. virorum per ora volitare*, ornatius quam ferri per ora, in ore omnium esse. Notum autem Ennii illud: *volito vivus per ora virum.* Sollenne porro famam nominisque celebritatem per volatum declarari; ornavit notionem Horat. II. Carm. 20.

10—13 Primus ego inter Mantuanos nomen poëtæ cōsequar. At hoc splendide elocutus est. *Primus.* Bene Serviana: *Ideo primus, quod ante illum nullus Mantuanus poëta fuit.* Qui primus inter aliquem populum poëta clarescit, is *Musas secum in patriam ducere* dici potest, et ornatius *ab Helicone*, Bœotiæ, *Aonibus* olim habitatæ, monte; idem *referre* laudem, gloriam, præmia, victoriæ, insignia, *palmam* dici potest, respectu *certaminum musicorum*, quæ inter Græcos haberi solebant. *Idumæas* autem *palmas* poëtico plane epitheto appellavit, a nobili aliquo genere. *Idumea* poëtæ pro Idumæa ac tota Judæa dicunt; quam quidem palmis frequentem fuisse notum est: *arbusto palmarum dives Idume* Lucan. III. 216. et præclare Stat. V. Silv. 2. 138. 139. *An Solymum cinerem palmetaque capta subibis Non sibi felices silvas ponentis Idumes?* Debet autem hujus versus suavitatem, ut unicuique obvium est, qui utrumque poëtam legit, noster Lucretio suo I. 118. *Ennius ut noster cecinit, qui primus amœna Detulit ex Helicone perenni fronde coronam, Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.*

13 Hæc et quæ sequuntur, et templi hujus ædificatio, quam rationem ac conjunctionem cum cæteris habeant, omiserunt monere Interpretes. Scilicet in eo substiterat poëta, ut laudem poëticam, quam in patriam suam redux referret, cum victoria compararet, quam aliquis inter Græcos ex sollenni certamine victor reportaret. Notum autem est, nullum sollennium ludorum in Græcia genus fuisse, in quo non eo tempore ingenii certamina, *ἀγῶνες μουσικοὶ*, eloquentiæ, poëtices inprimis, instituerentur. De Olympiis et cæteris sollennibus æque certum est, ac de Dionysiis, Panathenæis etc. Victores autem ex Olympicis ac cæteris ludis non modo sollenni pompa urbem suam ingressos esse, verum etiam victoriæ præmia diis consecrasse, interdum etiam sive templum sive aram aliudve monumentum in victoriæ memoriam condidisse, multis ex antiquitate exemplis ac titulis adhuc superstitibus declarari potest. Unum commemorasse nunc quidem satis sit, quod

Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenerâ prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosque Molorchi,
Cursibus et crudo decernet Græcia cestu.
Ipse, caput tonsæ foliis ornatus olivæ,
Dona feram. Jam nunc sollemnis ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos;
Vel scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto

Athenis superest, monumentum choragicum vulgo *Demosthenis Laterna* dictum. Quæ quidem a nobis dicta si memineris, nihil quidem abhorrens aut insolens in toto poëtæ carmine occurret. Laudis ac victoriæ suæ poëticæ monumentum exstruet templum, in quo præmia reportata tamquam donaria consecret: templum autem ingeniose satis ita ornat, ut Augusto non modo dedicatum, sed et omnibus iis instructum et excultum esse jubeat, quæ ad Augusti laudes prædicandas viam parare poterant. Cum autem inter divinos honores etiam ludorum sollennia sint, etiam hæc in Augusti honorem se editurum esse promittit.

13 Victoriæ monumentum exstruam templum, Cæsaris titulo ornandum. *ponere templum*, τιθέναι, satis notum. *Propter*, prope Mincium, de cujus inundantis vicina aquis stagnantibus supra vidimus ad Eclog. I. 52.

16 Statua dei in medio templo, ἐν τῷ ναῷ, sacrario: ut sæpe in numis visitur.

17 *victor ego*, qui carminis palmam ac gloriam in patriam retulerim; id quod absolutis Georgicis quæ Neapoli scribebat, futuram erat; etsi hoc adjectum nimis angustum videri potest. *Purpura conspicuum* dixit se, tamquam eum, qui ludos ederet, magistratuum exemplo, qui ludos curabant prætexta induti; purpura in togæ ora prætexta. At purpurea vestis non fuit nisi triumphantium eaque picta, auro distincta. Nisi in Græcis civitatibus alium morem fuisse contendas. 18. *agitabo currus*, non aliter accipiendum, quam poëtam editurum ludos, in quibus quadrigæ mittantur, agitentur. *Centum* autem *quadrigas* tamquam poëta ponit. *ad flumina*, ad Mincium.

19 Suos ludos, propter majestatem numinis, cui fiant, Græcorum Olympia et Nemea celebritate superaturos esse dicit. *Alpheum* Olympiam præterlabi et *Molorchum* excepisse hospitio Herculem, cum leone Nemæo interemto ludos Nemæos restituëret, satis notum est. 20. *crudus* cestus, e corio crudo.

21. 22 Jam, quod ad se pertineat, se *ferre* velle *dona*, h. e sacrificia ad templum (paullo post, *ad delubra*), esse facturum dicit, capite corona oleagina redimito. *tonsam olivæ* appellat, quæ et Æn. V. 774. et 556. *tonsa corona* occurrit, attonsam vulgo esse volunt, ornatus causa; malim dicere simpliciter, quia decerptæ sunt frondes ex arbore. Neque aliud est Horatianum illud: *decerptam fronti præponere olivam*.

22 *Jam nunc juvat*; tamquam poëta, id, quod facere gestit animus, ad præsens tempus revocat, quasi actutum in eo occupatus sit. Rapitur animus æstuans in medias res, tamquam si coram gerantur.

24. 25 Priora, ad sacra pertinebant, in quibus pompa ad templum ducta, et victima cæsa, hæc iterum ad ludos, inter quos etiam *scenicos*, editurus est. *Scena*, utpote versatilis, circumagitur. Velum autem sive *aulæum*, prodeuntibus jamjam actoribus, non, ut nunc, demissum, sed in altum sublatum fuisse, adeoque intextas seu pictas imagines, h. l. Britannos, procero corpore, et forte eo habitu pictos, tamquam qui ipsi vela tollerent, quasi ex terra surgere visas esse, vix opus est multis docere.

26—30 Ad ornamenta templi in Augusti honorem condendi transit: anaglypha in foribus, et quidem ex ebore et auro: tum v. 34. signa ac statuas. *Pugnam Gangarida-*

V. 34 - excudent alii spirantia mollius æra,
credo quidem, vivos ducent de marmore vultus. - -

Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini;
Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum, ac navali surgentis ære columnas.
Addam urbis Asiæ domitas, pulsumque Niphaten,
Fidentemque fugâ Parthum versisque sagittis,
Et duo rapta manu diverso ex hoste tropæa,
Bisque triumphatas utroque ab litore gentis,
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa, Statues, which seem to
sent living men. -
Assaraci proles, demissæque ab Jove gentis
Nomina, Trosque parens, et Trojæ Cynthius auctor.
Invidia infelix Furias amnemque severum

rum (Indorum ad Gangis ostia ab occidentali parte) memorat, quia communis ille laudum locus in Augusto, ut Indos cum Parthis victos ei aut promitterent aut darent. cf. supr. Ge. II. 171. 172. Æn. I. 289. Curabit itaque a sculptore effingi Indos victos, Ægyptum subactam, post Actiacam victoriam, tum Asiam, Armeniam, et Parthiam ad obsequium redactam. Augustum autem per *Quirinum* designatum videri, obvium est. Melius hoc, quam *Quirinum* pro populo Quirini, Romanis, a poëta dici. *arma Quirini* poëtica consuetudine pro Quirino in armis, armato. Nisi *arma* pro bello, pugna, aut victoria, dicta accipias, quod et ipsum bene fieret.

28. 29 Ægyptum, victis Antonio et Cleopatra pugna Actiaca navali, in potestatem ab Augusto redactam memorat. *undantem bello* et *magnum*, copiose, *fluentem*. (nam *fluit magnus, multus*, fluvius, πολὺς ῥέει: cf. Bentl. ad Hor. I. Serm. 7. 28.) Nilum magno spiritu amnem appellat, propter magnos apparatus bellicos ab Antonio in Ægypto factos; ut populos aut provincias *bello tumentes* dicunt, cum animose bellum parant; ut omnino superbia, fastu, *tumere* dicuntur homines. Quod cum ad fluvium transfertur, præclare ille fluctus volvere, aquas augere et incitare, bello undare dici potest. Fert idem patrius sermo. Hoc melius, quam si *undantem bello*, h. cæde et sanguine, intelligeres; quid? quod nec armis quicquam in Ægypto actum, nullum prælium commissum fuit. *Columnam rostratam* altero versu describit tanquam tropæum. Occurrit illa quoque in Augusti numis. *Surgunt* autem columnæ, ut ædificia, mœnia; vulgari sermone, stant.

30. 31 Victoriam de Armeniis, quos a monte Niphate designat, ad quem adcolunt, et de Parthis promittit.

32. 33 Exprimet porro in iis foribus duo tropæa, alterum de Oriente extremo victo, alterum de Occidente. Ad meum sensum non hæc sunt historice explicanda; nam non ea, quæ jam facta sunt, sed *quæ ita fore auguratur*, memorat; si tamen populum bello jam tum destinatum intelligere velles, de Cantabris, non de Britannis, hæc essent accipienda. Ad bellum Cantabricum etiam ipse tandem Augustus profectus est U. C. 728. quarto a Georgicis, ut vulgo creditur, ad finem perductis anno. Ei, qui omnia in vss. 33, 4, 5. ad certa tempora revocare mavult, statuendum est alterum, Georgicis nonnulla serius inserta esse. Neque hoc absurdum esse dicam. *tropæa rapta manu*, poëtica ratione de victoria reportata; si tamen in *rapta* argutandum sit, celeritatem victoriæ exprimi dicas cum Philargyrio. *diverso ex hoste*, in diversis terrarum partibus. Sic *diversos Celtas* appellat Gratius Cyneg. 156. cum Medum modo nominasset. Alter versus ejusdem sententiæ nova est exornatio: *gentes utroque ab littore*, h. extremi Orientis et Occidentis, *bis triumphatas*, de quibus bini triumphi habiti sunt (non vulgari usu, ut bis eædem gentes victæ sint); h. totum terrarum orbem victum ab Augusto.

34 *spirantia æra, vivos vultus*, Æn. VI. 848. 849. 35. Gentis Juliæ progenitores, ut vulgo ferebantur, ducta ab Iulo, sive Ascanio, Æneæ filio, origine. A Jovis et Electræ filio Dardano Erichthonius, cujus filius *Tros* Ilum, Ganymeden, et *Assaracum* genuit. vid. Homer. Iliad. υ, 215. sq. Ex Ilo Laomedon, ex hoc Priamus. *Ex Assaraco Capys*, ex hoc *Anchises*, ex hoc *Æneas*. Porro *Apollo*, Trojæ conditor, adjungitur, quia is, tamquam deus tutelaris, inprimis magna religione ab Augusto colebatur, quem adeo Apollinis filium vulgus ferebat.

37 Altera ex parte in hoc templo signum

Cocyti metuet, tortosque Ixionis anguis
Inmanemque rotam, et non exsuperabile saxum.
Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Mæcenas, haud mollia jussa.
Te sine nil altum mens inchoat. En, age, segnis
Rumpe moras; vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum;
Et vox adsensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentis adcingar dicere pugnas
Cæsaris, et nomen famâ tot ferre per annos,
Tithoni primâ quot abest ab origine Cæsar.
Seu quis, Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Pascit equos; seu quis fortis ad aratra juvencos:
Corpora præcipue matrum legat. Optuma torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,

ponetur Invidiæ, sed debellatæ et ad Tartarum proturbatæ. Splendide autem omnia exornavit. Scilicet bella civilia omninoque discordiam civium jam plane coërcitam esse, symbolice innuit; ut in simili imagine Æn. I. 298. *metuere* Cocytum, Ixionis et Sisyphi supplicium, Invidia dicitur ornate, quæ in Tartaro versatur, ac si istarum rerum aspectu terreatur; ut alias *horrere* ac *terreri* dicitur pro simplici *videre*. *severus*, perpetuum rerum infernarum epitheton, ut tristis, sævus. 38. *tortos Ixionis anguis*, quibus, pro vinculis, religatus est ad rotam, postquam illicitos Junonis petivit amplexus. Sive poëta hoc ipse excogitavit, sive, quod probabilius fit, ex poëta Græco acceptum habuit: ingeniose pro vinculis angues innexuit Ixioni. Vulgo simpliciter vincula et nexus memorantur. Indulsisse sibi poëtas in Ixionis rota volvenda, videbimus inf. Ge. IV. 484. *Saxum* Sisyphi notari, obvium est; quod *exsuperari* non potest hactenus, quoniam ad summum montis verticem emoveri et adduci nequit. λᾶας ἀναιδὴς Odyss. λ, 597. improbus, ingens, qui pondere suo urget, nec submoveri potest, adeoque gravis.

40 Interea argumentum se suum de armentorum cura prosequuturum esse ait. *saltus intactos*, argumentum carminis, quod nullus adhuc inter Romanos poëta attigerat. *haud mollia* jussa h. dura, rem non levem, difficilem, imponentia. Itaque *Te sine*, nisi eo auctore, seu suaserit, seu jusserit.

42. 43 Præclare illud: Ades, o Mæcenas! ex eo ornat, quasi rerum, quas dicturus sit, turba instet, nec, ut multis eum exoret, patiatur. Accipe igitur dicta pro vulgari: Verum ad ipsam rem accedendum est sine mora. 43. *vocat ingenti clamore Cithæron*. *ingenti clamore* sic tuebor, ut non ad Cithæronem solum referam, verum ad omnia, quæ sequuntur: ingenti clamore vocant me Cithæron, Taygetus, et Epidaurus. Ita de vaccarum, canum, et equarum vocibus communiter *ingens clamor* commode prædicari potuit. *Epidaurus* cum tota Argolide *equorum* cura nobilis: nisi ex Homero tenueris, vide vel Intpp. Horat. Carm. I. 7. 9. *Aptum dicit equis Argos*. 48. Sollenni poëtarum hujus ævi more et artificio Augusti laudes ampliores ad annos seriores majorique rerum et artis usu firmatos seponit. *Tithonus* et ipse ad gentis Juliæ origines pertinet. Erat enim Trois abnepos, Laomedontis filius. Tempus, quod ab hoc progenitore (nam *a prima Tithoni origine* est, a Tithono) effluxit ad Cæsarem, pro infinito tempore ponitur.

49—51 De fetura armentorum acturus, vaccarum optimarum, quæ tauro submitti possint, notas enarrare incipit. conf. Varr. R. R. II. 5. Colum. VI. 1. et 21. *Olympiacæ miratus præmia palmæ*, splendide pro, studio certaminum curulium. 52. *turpe caput*, fronte lata; ut omnes scriptores laudati monent; unde et βοῦς εὐρυμέτωπος et πλατυμέτωπος. *Nec ab adspectu decoros* Columella Apenninum alere dixerat VI. 1. 2. et Plin. VIII. 45. s. 70. *Non degenerso existi-*

Et crurum tenus a mento palearia pendent;
Tum longo nullus lateri modus; omnia magna,
Pes etiam; et camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,
Aut juga detrectans; interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior; quæque ardua tota,
Et gradiens imâ verrit vestigia caudâ.
Ætas Lucinam justosque pati hymenæos
Desinit ante decem, post quatuor incipit annos:
Cetera nec feturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum læta juventas,
Solve mares; mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex aliâ generando suffice prolem.
Optuma quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit; subeunt morbi, tristisque senectus;
Et labor et duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis:

mundi etiam minus laudato adspectu. Nec tamen *turpis* et *magnus* propterea pro synonymis habenda. *cui plurima cervix*, h. cervice longa et, quod notes, simul firma et crassa: nam in cervice robur tauri inprimis spectatur. 54. Lateribus porrectis, βαθυπλεύρους, esse vult eas vaccas. *Latus* autem pro toto corpore, perpetuo usu. 55. *Pes etiam* scilicet magnus est. Hoc naturalis orationis ordo offert. Cerda cum aliis ex Varronis loco II. 5. 8. quem sequutus esse videtur poëta, *pedibus non latis*, etc., hanc interpretationem refellit et jungit: Pes etiam et aures hirtæ esse debent. *Aures hirtas, setosas, pilosas*, in laude esse, dubitari nequit; et eas inter notas bonæ vaccæ omnes referunt: at *pedes hirtos* memorari non vidi. Varronis autem locus frustra huc vocatus, et *pes* nimis anguste ex vulgari ratione acceptus. Poëta totum eras eo nomine designare potuit. Crura autem etiam Varro l. l. *breviora potius, quam longa* esse voluit, ut ex libris ibi legendum; sed dum brevia sunt, crassa, *compacta*, adeoque magna esse possunt, σιλλὸν παχύτητι μᾶλλον ἢ μακρότητι Geop. XVII. 2. Numquamne nos in poëta vernari, memores erimus? *camura cornua* sunt incurva, introrsum conversa. ἕλικας βόας εὐκυμτώπους; Homeri (ut Od. λ, 288.) non male comparat Ursinus.

56 *Nec mihi displiceat.* Litotes figura est, inquit Servius, id est, valde placeat, ut Æn. VII. 261. *Munera nec sperno. maculis insignis et albo:* definire non ausim, utrum sint maculæ nigræ in albo corpore, an albæ in nigro rufove; præstat hoc junctura, maculis et albo.

60 Ætas justa juvencæ admittendi tauros et pariendi. Colum. VI. 24. 1. *Ex his, qui quadrimis minores sunt, majoresque quam duodecim* (noster decem) *annorum, prohibentur admissura* etc. at vide, quam caste et decore poëta hanc rem expresserit; ut et in seqq. *Justi hymenæi*, justa et matura ætate inird. vid. Burm. 63. sq. *Interea*, in spatio hoc quinquennii, dum juvenili vigore utuntur boves, tauros *solve*, admitte. De tauris nunc non laborat; cum de iis alio loco mox dicturus sit vss. 212. seqq. 64. *pecuaria* non loca h. l., sed ipsa pecora, boves, sunt. cf. inf. 471. *æstiva. primus*, h. quamprimum mitte, dum juvenilis ætas supereat, durat. Sic mox *Prima fugit*, vulgo, cito. Ut sint *ætatis mediæ, magis quæ juventute minor est, quam quæ declinet in senium* Pallad. IV. 11. 4.

66 *Optuma dies*, ut *optima, melior, bona ætas*, de juventute. Ab armentis ad homines retulit brevem ac fluxam vitæ conditionem. Dicas, non satis cum ceteris junctam esse sententiam; id quidem fateor; fatendum tamen et hoc sententiæ plus dignitatis ex hac ad mortales translatione accessisse.

69 Varro R. R. II. 5. 17. *Item* (de bobus agebat) *ut in reliquis gregibus pecuariis*

Semper enim refice; ac, ne post amissa requiras,
Anteveni, et subolem armento sortire quotannis.
Nec non et pecori est idem dilectus equino.
Tu modo, quos in spem statues submittere gentis,
Præcipuum jam inde a teneris inpende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia crura reponit.
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
Audet, et ignoto sese conmittere ponti;
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga;
Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,

delectus quotannis habendus, rejiculæ rejiciendæ, quod locum occupant earum, quæ ferre possunt fructus. Columell. VI. 22. 1. *Sed curandum est omnibus annis in hoc æque atque in reliquis gregibus pecoris, ut delectus habeatur; nam et emissæ et vetustæ, quæ gignere desierunt, summovendæ sunt* etc. *quarum corpora*, h. quas cum aliis permutari velis; alias iis submittere, substituere, sufficere. *Semper* enim *refice*, h. igitur, ut γὰρ pro ἄρα, ἀέ. *amissa* scil. corpora. 71. *Sortiri* etiam sine sortis notione est eligere et substituere.

73 Sequitur locus de equorum cura, et quidem de admissura usque ad 208. Exquisita varietate, ut Servius notavit, cum de taurino genere ageret, matrem nunc, cum de equino, patrem admissarium describit. *Submittere* dicitur universe de iis, qui substituuntur in aliorum locum, aut ad supplendum gregem aluntur; v. sup. ad Ecl. I. 46.; nunc proprie de equis, qui ad admissuram aluntur, h. ut in locum aliorum, feturæ inutilium, ipsi succedant. Satis definita res et expedita adjecto, *in spem gregis*; præcipuam curam iis impende, quos, ut nova proles inde nascatur, voles substituere admissariis propter vires fractas removendis. Ita discernere licet plura temere confusa. Ut poeta, permutat voces *gregem* et *armenta*, ut *grex* nunc equorum sit, ita et *pecus*.

75 *Continuo*, primo. De forma hac cf. Georg. I. 169. *pecus*, h. l. equinum v. 72. 76. *Altius ingreditur*, Varro l. l. *Cruribus rectis et æqualibus*. Columell. VI. 29. *æqualibus atque altis rectisque cruribus*; nec ad spiritum et superbiam nunc referendum. *mollia crura reponit*, poëtica ratione pro molliter; fit autem hoc, dum crura et ipsa sunt mollia, h. quæ facile flecti et incurvari possint. Quod si ars accesserit, tum *sinuat alterna volumina crurum* v. 192. Ab Ennio sumtum hemistichium, *et mollia crura reponit*, notavit Servius. κῶλον ἰσχυῶς κάμπτειν τὰ γόνατα dixit Xenoph. de re equestri, c. 1. 6. Imitatum esse Silium XVI. 444. observat Burmann. *tum mollia crura superbi Attollens gressus*. Versum etiam in animo habuit Gratius Cyneg. 503. *ardua fiendet in auras Crura*.

80 *Argutum caput*. *Si caput habet non magnum* Varro R. R. II. 7. §. 5. *exiguum caput* Colum. VI. 29. 2. *breve* Horat. Sat. I. 2. 89. Ergo notio subest venustatis alicujus cum brevitate et alacritate; si ad animum transfertur, ingeniosæ subtilitatis et acuminis. *brevis alvus*, h. venter substrictus. Varro ibid. *ventre modico, lumbis deorsum versum pressis*. Et Nemesian. 244. *Immodicumque latus, parvæque ingentibus alvi*. 81. *Luxuriat toris animosum pectus*, ornate pro, pectus est torosum et eminens pulpis, ut Serv. ait, h. *latum ac plenum*, ut Varroni ibid. Colum. autem: *lato et musculorum toris numeroso pectore*. Pallad. *pectus late patens*. *Luxuriari* vero ex more de lætioribus incrementis.

82 Inter pulcros equorum colores refert *spadicem glaucumque*. Quamquam de colorum apud veteres nominibus difficilis est disputatio, ex loco tamen classico Gellii II. 26. satis apparet, esse spadicem, a spadice palma dictum, ex rufo genere, et convenire cum nostro fusco colore a castanea appellato: in equis color *badius, bai, baio* (a βαΐς, βαΐος ramus palmæ). *Nam phœniceus, quem ita Græce φοινικοῦν dixisti, et rutilus et spadix,*

Et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit; micat auribus, et tremit artus;
Conlectumque premens volvit sub naribus ignem.
Densa juba; et dextro jactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos spina; cavatque
Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graii meminere poëtæ,
Martis equi bijuges, et magni currus Achilli.
Talis et ipse jubam cervice effundit equinâ
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens inplevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo; nec turpi ignosce senectæ.

phœnicei συνώνυμος, qui factus græce noster est, exuberantiam splendoremque significant roboris; quales sunt fructus palmæ arboris, non admodum sole incocti, unde spadici et phœniceo nomen est. Spadica enim Dorici vocant avulsum e palma termitem cum fructu. Jam *glaucus* proxime ad cæruleum accedit. *Album* colorem hic pallidum, et a *candido*, nitente, quem ipse alibi commendat: Æn. XII. 84. diversum ponere potuit, etsi alias utrumque nomen promiscue adhibere soleat; quod Martinus docere volebat. Potest tamen et illa ratio probari, ut *candor* in equis quidem aliis laudari potuerit, at in aliis, ut in admissario, de quo hic agitur, improbari. *Gilvus* tandem flavus color is esse videtur, qui ad mellis colorem proxime accedat.

83—85 Equus animosus et pugnandi ardore incensus. *micat auribus*, in soluta oratione, aures micant in capite, celeriter moventur, arriguntur. *agiles aures* Nemesian. Cyneg. 245. Et pro, tremit artubus, seu artus tremunt, magis poëtice dictum *tremit artus*. 85. *ignem* præclare dixit ardentes anhelitus; ut et alii poëtæ. Hinc *Diomedis equi spirantes naribus ignem* ap. Lucret. V. 29. *Fumant humentes calida de nare vapores* Nemes. Cyneg. 248. Multo magis res in Græcis obvia: *πῦρ πνέοντες*.

87 *Duplex spina* ab omnibus veteribus in bono equo laudatur. Innuere videntur spinam latam, crassam, ut maxime versus clunes tamquam cavum sulcum faciat, nec tamen ipsa spina appareat. Nemesian. Cyneg. 243. *Illis ampla satis lævi sunt æquora dorso.* Idem Calpurn. Eclog. VI. 54. expressit, *Terga sedent*; et forte hinc Ovidii Met. XII. 401. *Sic tergum sessile, sic stant Pectora celsa toris.* Contrarium vitium, *extans* spina apud Varronem, et Grat. Cyneg. 206. *si tenuis dorso curvatur spina.* 88. *soluto cornu*; vult ungulas duras esse; ut sollene epitheton *μώνυχες, κρατερώνυχες; ἵπποι. Sonat*, et hoc proprie; *et urbem Eques sonante verberavit ungula* Horat. Epod. 16. 12.

90 *Cyllarus* equus communiter Castori soli tribuitur, qui *ἱππόδαμος* jam Homero Odyss. λ, 299. dictus. Nec minus tamen interdum uterque frater equis insidet. Sunt tandem et loca ab Intpp. excitata, in quibus Cyllarus Polluci tribuitur. *Amyclæ*, Laconicæ urbs, Tyndarei regia, in qua educati Castor et Pollux. Res nota. 91. *Martis equi* ex Homero Iliad. ο, 119 noti. *currus Achilli*, h. equi ap. Homer. Iliad. π, 148. sq. 92. Talem formam habebat (at quam ornate hoc poeta extulit!) Saturnus, cum equi speciem assumsisset, ut furta sua cum Philyra, Oceani filia (unde Chiron natus), in Pelio Opem celaret.

96 Parum diuturnus est vigor equi admissarii: hinc necessitas imposita, subinde submittendi alium (vs. 73.). *abde domo, nec turpi ignosce senectæ.* Varie tentatus ab Intpp. locus. Etsi non video quid impediat quo minus equus admissarius qui ab armentis removetur, et in stabulo ad opus faciendum habetur, *domo abdi* dici possit. (Horat. I. Ep. I. 5. de emerito gladiatore: *latet abditus agro.*) *Abdere* est proprie dare abs se, amovere, rejicere. Jam autem potest aliquid *abdi* vel *a* loco, vel in alium locum, ut *in eo*

Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
Ingratum trahit; et, si quando ad prœlia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit. Ergo animos ævumque notabis
Præcipue; hinc alias artis, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, quum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Quum spes adrectæ juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis;
Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque adsurgere in auras;

servetur, abscondatur, ergo in loco. Unde duplex usus verbi *abdere* cum sexto casu: *abdi domo*, i. e. a domo, et vero etiam in domo. Res sic satis obvia. Itaque ap. Tibull. II. 1. 82. *hinc procul abde fasces*, ab hoc loco remove, at idem II. 3. 65. *formosas tristibus agris abdere* abducendo eas et servando in agris. Jubet itaque poëta diligentem patremfamilias amovere, ablegare, a prædio, quocunque modo, adeoque vel vendere, effetum et inutilem ad admissuram (quanquam ille adhuc laboribus sufficere potest) equum, quamvis senectæ miseratio subeat; esse enim eam *turpem*, vel communi senectutis epitheto, respectu *juventutæ*, *pulcræ*, *speciosæ*, *nitidæ*; vel ex sqq. qua ille se turpiter det nec in Venerem satis animi ac virium habeat. Ovidius Trist. IV. 8. 19. *Ne cadat et multas palmas inhonestat adeptas turpi finem donate senectæ* ad nostri ductum Silius XV. 654. ut jam Cerda vidit. Ouwens N. Hag. p. 585. *nec turpi* jungebat: *et ignosce senectutæ non turpi*.

97 Quanto cum dilectu voluptatem *laborem* (quamquam hoc proprium hac in re. v. inf. ad v. 127.) et *ingratum* et *trahere* pro perficere dixit! et 98. *prælia*; quæ perperam ad veram pugnam ac bellum retulit Cerda. *prælia* Veneris frequenter. cf. Æn. XI. 736. 100. Procedit nunc Maro post illa, quæ in equo admissario eligendo observanda sunt inde a v. 72. ad alia in eo observanda, quo *animo* ac spiritu, qua *ætate* sit; tum demum altero loco etiam alias *artes*, virtutes, *prolemque parentum*, h. si quos alios jam pullos iidem parentes ediderint, qua ii sint indole, quo vigore. 102. Tandem hoc observa, quem sensum victoriæ aut ignominiæ habeat.

103—112 Præclare hæc exemplo splendidissimo exornat. Nota et modum illud efferendi: *Nonne vides*. Deest tamen *ut*. Scilicet pergere volebat: *quantus amor laudum* sit. Cum vero tot alia interposita essent, vs. 112. novam exorsus est sententiam. Expressus autem locus ex Homero Iliad. Ψ, 362. sqq. cf. Æn. V. 144. sqq. 104. *corripuere campum*, proprie, spatia per campum, campi (cf. inf. 142. noto usu poetarum) *certamine*, pro *cursu*, quo certant. *effusi carcere* v. Ge. I. 512. 105. *spes arrectæ juvenum*, h. aurigarum; in soluta oratione: *animi sunt arrecti spe*. Ita et exponenda Æn. XI. 452. *arrectæ stimulis haud mollibus iræ*. V. 138. *laudum arrecta cupido*. *exsultantia corda*, h. micantia, trepidantia, non modo metu ignominiæ, ut dixit Lucret. III. 142. *Hic* (in pectore) *exsultat enim Pavor ac Metus*; verum etiam omnino, toto illo animi motu, quo in tali tempore animus agitari solet. Arbitror enim, omnem illum animi tumultum et æstum spe, metu, expectatione, laudis studio, pudore subinde pectus vexante, a poëta per *pavorem* significari. *Pavor* autem *hauerit corda*, exhaurit, dum sanguinis liberum meatum intercludit et impedit, quod sensus et experientia docet. Hinc pallor. Male Servium sequuti interpretabantur: *ferit*, ut Æn. X. 314. *latus hauritur*, de ense; idem pavor *pulsans*: nam cor palpitat pavore. 106. *verbere torto*, torti flagelli; aut *verber* pro flagello; ut sæpissime. 107. *volat vi*, cum impetu, nisi jungas: *vi fervidus*. 108. 109. *Jamque*

Nec mora, nec requies; at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur; humescunt spumis flatuque sequentum:
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.
Primus Erichthonius currus et quatuor ausus
Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere
Inpositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.
Æquus uterque labor; æque juvenemque magistri
Exquirunt, calidumque animis, et cursibus acrem;
Quamvis sæpe fugâ versos ille egerit hostis,
Et patriam Epirum referat, fortisque Mycenas,
Neptunique ipsâ deducat origine gentem.
His animadversis instant sub tempus, et omnis
Inpendunt curas denso distendere pingui,

humiles,—plane ex Hom. l. l. 368. 369. Quam magnifica autem illa, *per Aëra* (nam *vacuum* ornat, ut sæpe) et *adsurgere in auras!* 110. *fulvæ nimbus arenæ Tollitur:* certavit cum Homer. l. l. 365. ὑπὸ δὲ ϛέρνοισι κονίη Ἵϛατ' ἀειρομένη, ὥϛε νέφος ἠὲ θύελλα. 111. cf. Homer. l. l. Iliad. ψ, 380. 112. *amor laudum*, cupiditas, ut semper poëtæ.

113 *Erichthonium*, Athenarum regem post Amphictyonem, quadrigas invenisse, tradunt quoque alii. Novum est, quod, Lapithas (quos a saltu *Pelethronio* in Pelio monte Thessaliæ designat) equorum primos domitores fuisse, narrat Maro. Apud Plinium VII. 56. *Equo vehi Bellerophontem; frenos et strata equorum Pelethronium; pugnare ex equo Thessalos, qui Centauri appellati sunt, habitantes secundum Pelium montem* (invenisse dicunt). *Bigas prima junxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius.* Est adeo Pelethronius vir Lapitha ap. Plin. aut igitur variavit fabulam, aut quod verius arbitror, Centauros inter Lapithas retulit. Frenorum inventum Bellerophonti Pindar. Ol. 13. 90. sq. tribuit loco præclaro. Scilicet non historica fide, sed aut fama obscura aut poëtæ figmento talia nituntur. 114. *rotis insistere*, quadrigarum cursu certare. *rapidus* (epitheto a cursu petito) et *victor* certamine: omnia ornate! 115. *gyros dedere*, h. invenere, docuere, equum in gyrum flectere. 116. *equitem* veteres Grammatici pro equo dictum volebant. Perperam; cur *eques* non *insultare* dicatur, qui et incedere, decurrere? *Insultare docet campis* jam Varius ante Virgilium dixerat in præclaris versibus: *Quem non ille sinit lentæ moderator habenæ, Qua velit, ire; sed, angusto prius ore* (leg. orbe) *coërcens, Insultari docet campis fingitque docendo.* Tum *eques sub armis*, armatus; idem eques *insultat solo* et *glomerat gressum*, quatenus equum id facere cogit. *Lapithæ* itaque insidentes equis, *docuere*, exemplo suo, *equitem insultare solo*, h. primi fuere hujus artis auctores.

118 In utroque equorum usu, nimirum et equestri hoc, cursus quadrigarumque, et admissionis illo, juventus omnium maxime et vigor juvenilis spectatur; nec refert, eum jam multis præliis interfuisse et præclaro genere aut stirpe esse ortum; nisi scilicet juvenilis ætas adsit. Respexi in hac structura verborum sententiarum ordinem, v. 95. 100. *magistri*, h. l. sunt alendorum equorum studiosi, non fingendorum. Sic inf. 445. ovium et IV. 283. qui apes colit, apiarius. 120. *fuga versos* pro vulgari in fugam. 121. *Epirus* (v. sup. Georg. I. 59.) et *Mycenæ* cum tota Argolide (v. sup. v. 44.) equos præstantissimos alebant. 122. Quamvis genus ducat ab ipso Neptuno, a quo et Cerere, in equum conversis, *Arion* ille notissimus in fabulis equus natus fuit. Variat tamen fabula.

123—134 De admissura ipsa præcipit. Equus et taurus (nam v. 49. de utroque præ-

Quem legere ducem, et pecori dixere maritum;
Pubentesque secant herbas, fluviosque ministrant,
Farraque; ne blando nequeat superesse labori;
Invalidique patrum referant jejunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes;
Atque, ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondisque negant, et fontibus arcent.
Sæpe etiam cursu quatiunt, et sole fatigant,
Quum graviter tunsis gemit area frugibus, et quum
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertis;
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidæ quum mensibus errant:
Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,

cipere incipiebat. conf. Martin.) ea ingruente saginandi, equæ ac vaccæ sunt macerandæ. Commune præceptum omnium, qui hac de re præceperunt. *pingue* pro pinguedine; sagina, ut in Lucretii versu I. 258. agnoscebat Philargyrius: *Hinc fessæ pecudes pingui per pabula læta Corpora deponunt*; ubi vulgatum est: *hinc fessæ pecudes pingues:* ut jungantur *pingues per pabula*, etsi duo epitheta sic juncta offendunt. *denso*, non laxo, quod quibusdam potionibus per fraudem agasones facere consueverunt. Idem *dixere*, h. designavere. Horat. Od. II. 7. 27. *Quem Venus arbitrum* dicit *bibendi? fluvios*, aquam. 126. *pubentes herbas*, lanuginosas. pubes χνοῦς, unde αὐθη χνοώδη. 127. Ut possint sufficere—et ne pulli prodant patrum maciem et infirmitatem. Colum. VI. 27. 8. *eoque tempore, quo vocatur a feminis, roborandus est largo cibo; et, appropinquante vere, ordeo ervoque saginandus, ut Veneri supersit; quantoque fortior inierit, firmiora semina præbeat futuræ stirpi.* Varr. II. 2. 13. *ordeum si est datum, firmiores fiunt ad laborem sustinendum.* conf. supra ad v. 97.

129 Ipsas autem feminas, equas et vaccas, ante admissuram instituto extenuare solent. *Voluptatem* hic stimulos, desiderium voluptatis, esse, cf. Ecl. II. 65. Æn. X. 846. recte vidit Martinus; reliqua non æque. Ea voluptas *sollicitat concubitus*, magis poëtice, quam sollicitat, stimulat, eas ad concubitus. *nota voluptas*, cujus jam sensum habent, quam sentire incipiunt. *Notum* enim latissime patet poëtis ad ea non modo, quibus adsuevimus, verum etiam, in quibus cum maxime versamur, quæ sentimus, quorum conscii sumus, et quæ quocumque alio modo nos attingunt.

132 *quatiunt*, conficiunt, ut vires relaxentur. Nam, quæ quatiuntur, laxantur. Ad v. 133. cf. Ge. I. 192. et 298. h. medio æstu. Mense Julio admittuntur tauri; at equi jam inde ab æquinoctio verno. cf. Martin. ad h. l.

135. 136 Ne partes genitales sint obtusiores, nimia obesitate, ad usum, quem habent in concipiendo fetu. Inde *usus* pro ipsa re, qua quis utitur, adeoque pro natura et habitudine rei, quatenus ea ad certum usum idonea est, dicitur. Sic supra II. 466. *usus oliva* pro oleo, Et apud Horat. Od. III. 1. 42. *purpurarum usus* pro purpura, qua quis utitur. Hoc idem exprimitur altero membro: *ne luxus* luxurians pinguedo, *oblimet sulcos inertis*, h. ne eæ partes (*sulcos* eadem metaphora appellat, qua, secundum Græcos [αὔλακας. conf. ad Eurip. Phœn. 18.] jam Lucretius erat usus, ut *arvum* et alia dicuntur) oblimatæ sint, h. obductæ, pinguedine interclusæ; sed ut celeriter concipiant genitalem aurum.

138 sq. Admissura facta admissarii negliguntur, et tota cura in matres gravidas convertitur.

139 Cum vicinæ partui sunt, *exactis gravidæ mensibus errant*. 140 Proprie plaustra ducuntur a bobus jugo junctis. Sed poëtica ratio vulgarem invertit. Quamquam vero

Non saltu superare viam sit passus, et acri
Carpere prata fugâ, fluviosque innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum
Flumina: muscus ubi, et viridissima gramine ripa,
Speluncæque tegant, et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, quoi nomen asilo
Romanum est, œstrum Graii vertere vocantes;
Asper, acerba sonans; quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther
Concussus, silvæque et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras
Inachiæ Juno pestem meditata juvencæ.
Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat,
Arcebis gravido pecori, armentaque pasces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.

idem præceptum ad equam, quadrigis seu bigis jungendam, pertinet, orationem tamen poëta, ut variet, ad genus bovillum magis deflectit. *acri fuga*, celeri cursu. *Carpere prata fuga*, ductum ab eo, quod *carpere viam*, *spatia*, dicimur, dum singulis gressibus aliquid de spatio decerpitur, carpitur. 143. *Saltus vacui*, in quibus solæ, quietæ, otiosæ pascantur; sine maritis, Philargyrius exponit. *plena flumina*, ne, dum aquam ex alto hauriunt, fetum elidant.

146—156 Arcendum esse a gravido pecore *asilum* ait, qui cum in omnibus pascuis, inprimis in pratis aquosis, obvius sit, maxime tamen in silvis montis Alburni, juxta Silarum, Lucaniæ fluvium, qui Tanagrum recipit, frequens esse solet; unde ab his locis a poëta declaratur. Etiamnum eas terras ab asilis infestari docent, qui de iis locis agunt aut narrant. Est autem *asilus*, noto inter Romanos nomine, Græco οἶστρος dictus (vid. Odyss. χ, 300.). *volitans*, h. e. insectum, e vesparum genere (nec multum ab eo diversus μύωψ, forte et *tabanus* apud Varronem R. R. II. 5. 14. quem eundem vulgo cum asilo putant), sine proboscide, at aculeo seu spiculo in cauda acutissimo, quo ova intra cutem armentorum demittit.

148 *vertere vocantes*, poëtica periphrasi, vocant, reddunt, in eorum sermonem versum. Monendum erat; nam argutantur in hoc jam veteres Grammatici. 149. *Asper*, iracundus, qui facile exacerbatur. τραχὺς, τετραχὼς διαστρος Apollon. III. 276. *acerba sonans*, pro acerbe; edens alarum membranis sonitum et susurrum gravissimum. Ex Lucret. V. 34. ubi Hesperidum mala servans, *Asper, acerba tuens, immani corpore serpens.* v. Æn. IX. 794. 150. *furit æther*, resonat repercussus furentum mugitu. Alias: furit mugitus per ætherem. 151. *siccus Tanager*, æstu solis exsiccatus, in eundem Silarum defluens torrens. Sic ξηρὸς Κράτις, verius Κρᾶθις, ap. Herod. V. 45. ubi cf. Wessel. Habuit autem poëta ante oculos Homer. Odyss. χ, 300. sq. Apollon. I. 1265. sqq.

152 *Hoc monstro*, hoc asilo, quem immisit, *Inachiam juvencam*, Io, Inachi filiam, in vaccam mutatam, in furorem conjecit Juno. 153. *pestem meditata*, grave malum excogitavit. 154. *mediis fervoribus*, medio die; at illud ornatius. Sic inf. v. 331. *mediis æstibus*. de hoc enim usu dubitari nequit. cf. sup. ad I. 297. 298. *acrior instat*, sævius vexat. 155. *arcebis pecori* exquisitius, quam arce *a pecore*. 156. *astra ducunt noctem*, quæ iis in conspectum venientibus succedit. Alias noctem, *Noctis currum sequi* dicuntur *sidera*. v. Tibull. II. 1. 87.

Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
Continuoque notas et nomina gentis inurunt,
Et, quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacros, aut scindere terram
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cetera pascuntur viridis armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla
Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
Junge pares, et coge gradum conferre juvencos;
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, et summo vestigia pulvere signent:
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et junctos temo trahat æreus orbis.
Interea pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem,

157 A gravidis et enixis matribus cura ad pullos et vitulos transfertur. Orationem ut definite instituat: primo tantum de vitulis memorat. 158. *notas et nomina gentis inurunt, Et quos.* Priora nullam habent offensionem. inurere notas solenne est; et possunt esse *notæ et nomina gentis* dicta esse explicative, ut sint *nomina* ipsa *nota*. At quæritur de altero, quod sequitur et de ejus junctura *inurunt notas et quos*. Non enim poëta dicere potuit: *inurunt notas* vitulis, et *inurunt vitulos, quos*. Ergo altero loco supplendum est: et inurunt notas, quibus designent eos quos malint. 159. *submittere*, in locum eorum quos ad feturam torpere vident. vid. ad v. 73. *habendo:* ornat, quod habetur, alitur. ut G. I. 3. Ad sententiam cf. Colum. VII. 9. 12. *aris servare* decentius erat quam lanio tradere. 161. *campum horrentem*, simpliciter novalem, pro quocunque agro glebas duras et asperas habenter. 162. *Cetera armenta*, reliqui quidem omnes vituli in communi grege pascuntur, præter eos, qui operi destinantur rustico. 163. Transit ad aliud præceptum, quod nova formula orditur: *Tu quos:* ut et alibi fecit: quos tu autem ad studium agreste, h. opus rusticum, educare paras, jam vitulos adsuefacere debes labori. 164. *viamque insiste domandi*, artem et rationem ingredere, curam suscipe domandi, h. e. jam tum mature doma. 165. *faciles animi*, molles, dociles. v. ad Tibull. I. 1. 40. *mobilis ætas*, in qua corpus mobile, εὐκίνητον, flexile, agile, vegetum.

166. 167 Expressit versum Nemesian. Cyneg. 184. *Libera tunc primum consuescant colla ligari:* de catulis. 168. *aptos*, vinctos, nexos et illigatos invicem ex vimineis illis vinculis; non ex cornibus, ut jam tum stupor hominum multorum ferebat. 170. *rotæ inanes*, vacua plaustra, quorum mox vestigia intellige leviter expressa in pulvere, quia levia sunt. 172. Tandem plaustro ponderoso et onusto jungantur. At quam ornate hoc extulit! Pars ex Homeri illo Iliad. ε, 838. μίγα δ' ἴβρεχε φήγινος ἄξων, versa. *temo æreus*, ære, nunc ferro, firmatus. *juncti orbes*, rotæ, h. currus, cui temo junctus est.

174 *pubi indomitæ*, vitulis nondum domitis, donec domentur. 175. *vescas salicum frondes*, exiles, tenues, parum succosas. *vescum papaver* Georg. IV. 131. parva grana habens. *ulva*, herbæ ac calami palustris ge-

Sed frumenta manu carpes sata. Nec tibi fetæ,
More patrum, nivea inplebunt mulctraria vaccæ,
Sed tota in dulcis consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium turmasque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ,
Et Jovis in luco currus agitare volantis:
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati; tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantis;
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, et plausæ sonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus, etiamque tremens, etiam inscius ævi.
At tribus exactis ubi quarta adcesserit æstas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum;
Sitque laboranti similis; tum cursibus auras,

nus, eadem cum *typha* nostra habetur. 176. *Sed* etiam *frumenta sata*, herbas novellæ segetis.

176—178 Præceptum a multis veteribus et recentioribus, cum de bovillo, tum de ovillo genere repetitum. cf. Varro R. R. II. 2. 7. Colum. VII. 4. 3. et pulcri versus Calpurnii Ecl. V. 36. jam ab aliis laudati: *Parce tamen fetis; nec sint compendia tanti, Destruat ut niveos venalis caseus agnos; Nam tibi præcipuo fetura colatur amore.* Addit *more patrum*, quod solebant majores facere, priusci patresfamilias et agricolæ. Ambiguum quidem per verba est, utrum fecerint; ex Varrone tamen videtur probabilius esse alterum, matribus olim mulgendo fuisse lac subductum.

179—181 Transit nunc ad curam pullorum: etiam horum dilectum mature esse faciendum primo loco præcipit. Sin magis est studium, *formare* (vs. 163.) pullos *ad bella turmasque*, h. usum bellicum, *aut prælabi*, s. præterlabi, pro, aut illi prælabantur, currant, cursu certent ad ripas Alphei *rotis*, quadrigarum certamine, et *agitare*, ut agitent, *currus*. De certamine Olympico eum loqui, satis patet, quod habebatur juxta Alpheum. vid. *v.* 19. In luco Jovis erat stadium, ut ex Strabone et Pausania apparet.

182—184 Ante omnia equus adsuefaciendus est (hoc est: *primus equi labor est) videre*, ut videat, videre toleret bellantes, seu pugnas, et lituos tubasque audire, aut strepitum curruum frenorumque *ferre*, perferre auribus; *rotam*, currum, *gementem tractu*, stridentem, dum trahitur; et in *stabulo frenos audire sonantes*. 186. Expressit verba Nemes. Cyneg. 295. 296. *Cura sit, atque toros manibus percurrere equorum, Gaudeat ut plausu sonipes, lætumque relaxet Corpus.* Est hoc *palpare*, ψαπύζειν.

187 *jam primo depulsus ab ubere*, pro, quam primum, statim ac. *Audeat*, pro faciat, præclare; quatenus pullus non expavescit ad plausus. *invicem*, vicissim, quod his adsuescit opera tua. 189. Equus ferox, indomitus, potest videri *conscius esse ætatis*, juventæ, vigoris, virium; itaque *inscius ævi*, virium, quas nondum nec habet nec expertus est. Valer. Fl. I. 771. *ævi rudis altera proles*, h. ævo, ætate rudi. Recte Servius: nondum habens ab annis fiduciam.

191. 192 *Carpere gyrum*, ut viam, campum, sup. 142. h. in gyrum seu orbem ire. *sonare gradibus compositis*, incedere, ungula sonante, gressibus numerosis. *sinuet alterna volumina crurum*, h. alte tollat, jactet, crura alternis; at quam ornate! 193. 194. *tum*,

Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summâ vestigia ponat arenâ:
Qualis Hyperboreis Aquilo quum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hiemis atque arida differt
Nubila: tum segetes altæ campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem
Dant silvæ, longique urguent ad litora fluctus:
Ille volat, simul arva fugâ, simul æquora verrens.
Hic vel ad Elei metas et maxuma campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas;
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassâ magnum farragine corpus
Crescere jam domitis sinito; namque ante domandum
Ingentis tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati, et duris parere lupatis.

tum cursibus auras vocet; h. provocet, ut recte interpretati sunt viri docti ex sollenni poëtarum usu, etiam Græcorum. Paullo diversa ratione *ventos velis vocare* dicitur, qui extendit vela ad recipiendum ventum; et *alis ventos vocat*, advocat, avis, quæ eas expandit ad volatum.

196—200 Cursus celeritatem cum vento comparat spirare incipiente: *volans—qualis* aquilo, quum incubuit atque differt, (tum segetes—fluctus) *volat*; et quia tot ornamentis sententia erat intercepta, interponit vs. 201. *Ille* volat. Porro *Hyperboreas oras* simpliciter pro borealibus et septemtrionalibus, ut infra v. 381. et IV. 517. dixit. *Aquilo densus*, non, ut volunt, qui denset nubila; sed qui magna cum vi et impetu late fertur; *densus* præterea pro dense. *differt hiemis* seu procellas, h. dissipat, ex Lucret. I. 273. *arida nubila*, nubes sine pluviis. *campi natantes*, segetes undantes ac fluctuantes; illustratum dudum a viris doctis; vid. ad Val. Fl. III. 525. ubi *tenui vagus imitatur unda Crinis*. *Lenia flabra* videntur ab aquilone, qui densus incumbit, aliquantum esse aliena; enimvero segetes, utpote humiliores et cedentes, lenius, leniore cum strepitu, agitantur; arbores contra majorem venti impetum sustinentes, sonorem edunt ac fragorem. Mox *longi fluctus urguent*, pro longe, at multo exquisitus fluctus *longi*, qui e longinquo veniunt; *urguent*, protrudunt se, volvuntur. *Ille*, aquilo, volat. De equo hunc versum parum commode accipias: cum sit *æquora verrens*. *fuga*, de celeri cursu ac motu, ut sæpe poëtæ. *Verrere* de ventis, ex more poëtarum, pro perflare.

202—204 Hic vel bonus erit in certaminibus, e quibus Olympica, tamquam præstantius genus, memorat; vel agitandis curribus. At quam ornate singula! *maxuma spatia*, pro magnis. De *spatiis* Georg. II. extr. *Sudabit*, plus quam, decurret. E curribus *esseda Belgica* ponit. Cum de generosioris equi munere agatur, desiderari videtur nomen currus bellici, imprimis cum v. 179. *Sin ad bella magis* etc. dixisset. Jam Romani essedis vulgo usi sunt iter facientes: id quod poëta vix pro dignitate carminis memorare potuit; petierant autem usum a Britannis, qui ex essedis pugnabant. Aut itaque dicendum: poëtam esseda pro nobiliore genere, bigis quadrigisque lautorum hominum, quibus generosiores equi jungi solent, posuisse; ut passim Cæsarum, curribus triumphalibus, thensis, de pompa triumphali in theatro exhibita etc., aut, quod præferam, pro curribus bellicis esseda dixit, a nobiliore genere sive etiam ab origine, *Belgica*; apud Belgas enim, ut apud Britannos, usus eorum erat; et quidem bellicus, ut ex Cæsare de B. Gall. constat. *feret*, ut v. 184. pro patietur, dici monet Burman.; nam pro *trahet* poni posse dubitat. Recte sane; sed potest equus etiam *ferre currum*, h. rapere, raptim auferre. *molli collo*, domito. Serv. 206. *ante domandum*, ante quam domentur, πρὸ τῦ πολεδαμνῆσθαι. 207. *prensi* proprie. v. Georg. I. 285. *Et prensos domitare boves*. 208. *verbera lenta*, lenti flagelli. *lupatum*, frenum, lupis seu aculeis ferreis munitum.

Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem et cæci stimulos avertere amoris,
Sive boum, sive est cui gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, et trans flumina lata;
Aut intus clausos satura ad præsepia servant.
Carpit enim vires paullatim uritque videndo
Femina; nec nemorum patitur meminisse, nec herbæ.
Dulcibus illa quidem inlecebris et sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantis.
Pascitur in magnâ silvâ formosa juvenca:
Illi alternantes multâ vi prœlia miscent
Volneribus crebris; lavit ater corpora sanguis;
Versaque in obnixos urguentur cornua vasto
Cum gemitu; reboant silvæque et longus Olympus.
Nec mos bellantis una stabulare: sed alter
Victus abit, longeque ignotis exsulat oris;
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum, quos amisit inultus, amores;
Et stabula adspectans regnis excessit avitis.
Ergo omni curâ vires exercet, et inter
Dura jacet pernox instrato saxa cubili,
Frondibus hirsutis et carice pastus acutâ;
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit

209 Exspatiatur in locum præclarum de armentorum furore ex Veneris stimulis. Parat autem transitum commode commemoratione virium nimia Venere exhaustarum. *cæci amoris*, non, oculis capti, sed, occulti, clam per venas et ossa sævientis.

212 Habuit locum ante oculos Colum. VI. 27. 8. et versum sequentem Gratius Cyneg. 377. *trans altas ducere valles Admoneo; latamque fuga superabitis amnem.* Ovid. Art. II. 487. *spatio remota per loca dividuos amne equos* dixit. 213. Dum *mons* est *interpositus* inter duo, utrique est *oppositus*, objectus. *lata* non otiosum est. 214. *satura præsepia* sunt plena, uti is qui saturatus est. 215. *uritque videndo*, passive, macerat, consumit, dum cernitur.

217 Illa quidem sæpe amantes etiam pugnare cogit inter se. Loca alia poëtarum de pugna taurorum congessit Cerda. Plura in Statio et Flacco passim reperias. Jactant se in hoc argumento poëtæ. 219. Totus versus unum illud Apollonii II. 89. exprimit, ταύρω φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτήοτι δηριάασθον. *in magna Sila*, silva et monte Bruttii in extrema Italia. 220. *alternantes*, ἀμοιβόμενοι, pro vicissim, invicem inter se. cf. Æn. XII. 720—723. 221. *lavit*, poëticum verbum pro tingit, perfundit, defluit de corpore. Mox *obnixos* cum dilectu et vi.

228 *stabula adspectans*, respiciens, retorquens oculos; ut facimus in re, quam inviti relinquimus. *excessit* docte mutato tempore, pro excedit.

229 sqq. Præstantissimum hunc locum imitati sunt Lucan. II. 601—607. præclaro loco, Statius Theb. II. 323—330. Silius Ital. XVI. 4—10.

230 *instrato* h. l. non strato *cubili*, in nudo solo. Mox *carex*, junci genus. 232.

Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, et sparsâ ad pugnam proludit arenâ.
Post, ubi conlectum robur viresque refectæ,
Signa movet, præcepsque oblitum fertur in hostem:
Fluctus uti, medio cœpit quum albescere ponto,
Longius ex altoque sinum trahit; utque, volutus
Ad terras, inmane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor procumbit; at ima exæstuat unda
Verticibus, nigramque altè subjectat arenam.
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt: Amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis; nec funera volgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas; tum sævus aper, tum pessima tigris.
Heu, male tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor adtulit auras?
Ac neque eos jam frena virum, neque verba sæva,

irasci in cornua discit. Iterum hoc Æn. XII. 104. *irasci in cornua tentat.* Cum sententia obvia sit, in ratione grammatica aliquis hærere possit. *Irasci in aliquem* nemo, puto, pro *alicui* dixerit; sic tamen accipi video. Sed in poëtico sermone duos modos confundere licet: irascens exercet se in cornua, seu in cornuum usum; jam pro *iratus exercet se* simpliciter *irascitur* dixit. Eadem forma jam Euripides usus erat Bacch. 742. Ταῦροι—ἀ' εἰς κέρας θυμούμενοι. Iuf. Æn. X. 725. *surgentem in cornua cervum:* qui insurgit in obvios cornibus dictum est et expeditiore ratione. *Armenti modo dux vires in cornua sumo,* Ovid. Met. VIII. 682.

236 Pulchre ex re militari, cum signa, aquilæ, inferuntur. Ge. IV. 108. de apibus, *non—Ire iter aut castris audebit vellere signa. oblitum,* qui omnem jam adversarii sui memoriam animo dimiserat, adeoque securum. Nil hic est, cur æstues. 237—241. Comparatio, ex Homer. Iliad. δ, 422—426. expressa, repetita eadem Æn. VII. *albescere,* præclare pro existere, oriri, surgere. 238. Potest duplici modo interpungi, vel sic ut feci, ut sit: *uti fluctus longius ex altoque sinum trahit, quum cœpit albescere ponto medio.* Solent poëtæ notionem principem, ut ἐκφέρειν habeat, bis, terve reddere; non itaque displicere potest *longius ex altoque* sinum contrahit: nam in hoc comparationis cardo versatur. Martyn interpunxit cum aliis: *Fluctus uti medio cœpit cum albescere ponto Longius, ex altoque sinum trahit; utque volutus—sonat.* explendum erit ex antec. *signa movet et fertur in hostem.* Atqui *fluctus signa movere et in hostem ferri,* miro modo dicerentur. *sinum trahit fluctus,* facit sinuatur, ex alto versus littus.

246 *erravit,* pro est, esse solet. Poëtissa orationem considera: dicta hæc pro: tum feræ, e quibus leænas et ursas primo loco nominat, efferatissimæ sunt. 247. *informes ursi,* deformes, turpes. Formam orationis vidimus jam sup. I. 447. *Heu male tum mitis defendet pampinus uvas.*

250 Verba gravissima in sqq. *si notas odor attulit auras,* exquisitiore ratione dictum, quam, *si odor allatus est,* aut, *si aurae odorem attulere;* modo tenesa, *odorem* sic esse rem, quae olfactus sensum excitet, emittendo cor-

Non scopuli rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, conreptos undâ torquentia montis.
Ipse ruit dentisque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæcâ serus freta; quem super ingens
Porta tonat cœli, et scopulis inlisa reclamant
Æquora; nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, et genus acre luporum
Atque canum? quid, quæ inbelles dant prœlia cervi?
Scilicet ante omnis furor est insignis equarum;
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumsere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium; superant montis, et flumina tranant.
Continuoque, avidis ubi subdita flamma medullis,
Vere magis, quia vere calor redit ossibus, illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,

puscula, quibus aurae ingravescunt. 254. *montes* sunt fragmina, saxa ruentium montium. 257. *durat*, indurat. Plinius VIII. 52. s. 78. *Sues ferae semel anno gignunt. Maribus in coitu plurima asperitas. Tum inter se dimicant, indurantes attritu arborum vastas histoque se torgorantes. Sabellicus sus*, ex montibus Sabinis.

258—263 Ad Leandri Hellespontum tranantis, ut Hero potiretur, audaciam respici, obvium est. *serus*, sero tempore. *nocte cæca*, qua caecutimus, nihil cernimus, tenebricosa. νύχιον πλωτῆρα dixit Musæus. *procellæ abruptæ*, h. abrumpentes se, ut *proruptæ, prorumpentes*, adeoque praecipites, cum impetu ruentes. 261. Dum super, eum tonat. *Porta cœli*, pro cœlo, quod cœlo, Olympo, poëtae tribuunt regiam, adeoque etiam fores, limina, *portas*. cf. Hom. Iliad. ε, 749. Θ, 393. eq. Nolim autem de Jove cogitari qui intra portam cœli stet, et per ostium fulmina jaciat. 262. 263. Nec cogitatio de luctu parentum, et quod amata puella ejus morti superstes esse nolet; eum retinet. 264. *maculosa lynx* Æn. I. 323.

266 Quid haec singula commemorem, cum omnium praesentissimum exemplum in equis ipsis sit, hinc τὸ *Scilicet*, utique. 267. *mentem* pro indole dixit, ut tam furioso amore rapiantur. Fabula de *Glauco* nota. Alebat ille equos *Potniis*, qui Boeotiae vicus erat, non longe a Thebis, quibus Venus furorem immisit, ut ipsius domini membra dilaniarent, quoniam ab eo ab admissione arcebantur. Sed diversas causas alii memorant. Ποτνιάδης πῶλοι Eurip. Phoeniss. 1130. 269. Solito more poëta pro quovis monte ac fluvio certum montem ac fluvium ponit. *Gargara*, vertex quidam montis Idae juxta Trojam. *Ascanius* lacus Bithyniae sub Olympo monte, satis quidem notus, at hic fluvius ex eo exiens intelligendus; nam *sonantem* et equis transmittendum memorat. Meminerat autem ejus fluvii *Euphorion*, v. Strabo XIV. pag. 999. C. D. 273. Res vulgata, veteres credidisse, ἐξανεμοῦσθαι, vento gravidas reddi

Exceptantque levis auras; et sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per et scopulos et depressas convallis
Diffugiunt; non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus;
In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, et pluvio contristat frigore cœlum.
Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus;
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc satis armentis. Superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
Raptat amor. Juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.

posse equas. Res jam Homeri ætate nota: vid. Iliad. π, 150. 151. ubi Harpyia Podarge ad Oceanum pascens Zephyro peperit equos Achillis. Apud eundem ex Borea suscepti equi Iliad. υ, 222. sqq. 277—279. *non Eure tuos*—cum ita concepernnt, uti dixerat, non ad Zephyrum versæ, diffugiunt, ac discurrunt, non ad ortum, *sed* in Boream Caurumque et Austrum, h. e. septemtrionem et meridiem versus. Illustrantur hæc Aristot. verbis (H. A. VI. 18.) Θέουσι δὲ οὔτε πρὸς ἕω, οὔτε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον ἢ νότον. *Caurus* seu *corus* hic septemtrionalibus ventis adnumeratur. 279. *pluvium frigus*. Notum satis est, poëtico sermone *hiemem* et *frigus* simpliciter de pluvio tempore dici. Itaque et *frigidus auster* Georg. IV. 261. qui *humidus auster* Georg. II. 462. Ductum autem ex Homero, qui suum cælum respiciebat.

280 *Hippomanes*, humor, non venenum, ut male *virus* accipitur, ex equæ, ubi Veneris stimulis incaluit, locis eliquatus, quo pro philtro usæ esse videntur veneficæ; addit poëta: *vero quod nomine dicunt*, proprie, quia scilicet eo nomine etiam appellatur caruncula, fronti (et linguæ) pulli recens editi innasci, et ab equa enixa statim devorari credita. 282. *malæ*, impiæ, injustæ; supra Georg. II. 128. *sævæ*; ubi hic idem cum sequente versus legitur. Videtur cogitandum de amore Phædræ in Hippolytum aut simili alio novercæ in privignum. *non innoxia verba*, incantationum, carmina magica.

285 Transitus a cura armentorum ad curam ovium et caprarum. Dum omnia hæc de armentorum cura sigillatim pertractamus, singula perlustramus, capti harum rerum studio. *agitare greges* proprie agere, pascere, hinc omnino curare. 288. In hoc opera vestra posita esto; cura pecudum vobis inprimis cordi sit. *fortes* h. l. ornat. *laudem*, qualis boni ac prudentis patrisfamilias esse potest.

289—293 Satis quidem novi, quam difficile sit, hæc poëtica oratione commode exprimere, et res tam tenues pro dignitate carminis satis ornate commemorare. Sed studium hujus rei abripit me ad hoc carmen pertexendum, et inflammat me hæc ipsa cogitatio, quod in materia versor, a nullo adhuc e Romanis poëta tractata. Ut pulchritudo carmi-

Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
Carpere ovis, dum mox frondosa reducitur æstas;
Et multa duram stipula filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemque ferat turpisque podagras.
Post hinc digressus jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, et fluvios præbere recentis;
Et stabula a ventis hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem: quum frigidus olim
Jam cadit, extremoque inrorat Aquarius anno.
Hæ quoque non cura nobis leviore tuendæ;
Nec minor usus erit: quamvis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Densior hinc suboles; hinc largi copia lactis.
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra:
Læta magis pressis manabunt flumina mammis.

nis simul elucescat, ad vulgarem orationem singula revocavimus. Ita enim demum intelligere poëtam videri possumus. *honorem* h. l. pro ornatu, dignitate. *molli clivo*, ut facilis adscensus et descensus sit. Respicit autem hic *avia Pieridum loca nullius ante Trita solo. devertitur*, devertit se, deflectit, ducit ad *Castaliam* κρήνην nullus trames, quo prior alius incesserit.

294 *veneranda Pales*, ut *sancta dea*. Videtur tamen ad religiones pertinere. Nam *casa Pales* ap. Stat. Theb. VI. 111. *grandæva Pales* Nemes. Ecl. I. 68. *magno ore* respectu vss. 289. 290. quod rebus tenuibus dignitatem addere constituit.

295 sqq. Primo loco per hiemem in stabulis tenendas et alendas esse oves et (v. 300.) capras præcipit. *Incipiens*, ἀρχόμενος, ut passim Græci, h. et primum quidem: aliis locis, *Principio*, *Continuo*, et v. 300. *Post hinc digressus*, h. deinde vero. Observes et hæc eo facere, ut tenuitas carminis vitetur. *stabula mollia* in quibus molliter habentur, explicat vss. 297. 298. *carpere herbam*, in præsepi appositam, h. ali, *dum mox frondosa reducitur æstas*, non vernum tempus, quo educi possunt in prata tantum vicina et campos, sed æstatem memorat, cum cœli constantia ea est, ut in silvis et saltibus sub dio agere possint. 297. De *filice* v. ad Georg. II. 189. Substernere jubet in humo stramina, ut adversus gelu tueatur: eloquitur altera exquisitiore forma: *substernere humum stipula*, stramine, (I. 289.) 299. *turpes podagras*. Videtur *clavum* innuere, morbi genus, cum tubercula in ungulæ discrimine nascuntur. Reddit autem pedes *turpes*, deformes tuberibus et nodis.

300 Etiam caprarum cura est habenda; primo quidem per hiemem. 301. *Arbuta* (v. Ecl. III. 82.) *frondentia*, pro *frondibus arbuti*. 302—304. *hiberno soli opponuntur* eo ipso, quod *sunt ad meridiem conversa*. Tandem *cum—anno*, h. hiberno tempore. Aquarius occidit medio Februario. *extremo* autem *anno*, s. anni parte, si is a vere initium habet: cum hujus enim ortu, operis rustici novus ordo procedit.

307 Caprini generis curam non esse negligendam ait, etsi ditiorem proventum ex ovibus esse non neget. *Milesiam lanam* memorat poëtico more, dum genus aliquod, et quidem præstantius fere, pro communi nomine ponendum est. *magno mutentur*, permutentur, magno pretio emantur, *vellera incocta Tyrios rubores*, pro incocta ruboribus, lanæ coquendo tinctæ purpureo colore.

309 Quo magis—eo magis. *Quam magis—tam magis*. ut Æn. VII. 787. 788. Mox *flumina* de magna copia, res in poëtis obvia.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, sætasque comantis,
Usum in castrorum, et miseris velamina nautis.
Pascuntur vero silvas, et summa Lycæi,
Horrentisque rubos, et amantis ardua dumos;
Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivalis,
Quo minus est illis curæ mortalis egestas,
Avertes; victumque feres et virgea lætus
Pabula; nec tota claudes fœnilia bruma.
At vero, Zephyris quum læta vocantibus æstas
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet:
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta sitim cœli conlegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ:
Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam;
Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentis tendat ramos; aut sicubi nigrum

311—313 *tondent*, scil. homines, pastores, ut jam aliquoties vidimus. *Cinyphii hirci; Cinyps* fl. Libyæ, in ora nunc Tripolitana, exit in sinum Syrticum. *hircus* h. l. ab eo dictus, dum e poëtica ratione a præstantiore aliquo genere epitheton ducitur, ut toties jam notatum, et ut mox *Lycæus* pro quocumque monte, et v. 332. *quercus Jovis* cf. v. 345. Ciliciorum autem ex hircinis villis usum respici obvium est.

314 Addit hoc: facilem esse rationem alendi capras. *Pascuntur* seu depascuntur *silvas*, ut alibi prata, herbas (cf. ad 143.) etsi accipi potest, per silvas sc. *capræ* e v. 300. et 316. *ipsæ*. 316. *suosque ducunt*, de fetibus accipio, quos matres educunt ac reducunt.

318 Eo magis frigus, cujus impatientissimum est hoc pecus, ab eo arcere stude, et hanc ei operam impende tanto magis, quo minus illud in cæteris omnibus rebus cura humana indiget; *est egestas* (h. egent) *curæ mortalis*. 320. *lætus* refer ad studium, si quis facit promte, lubenter. 321. Et interdum etiam per hibernum tempus fœnum iis appone.

322 Hæc quidem per hiemem; nunc —384. gregum cura per æstivum tempus; locus ornatus digressione, primo 339. de Nomadibus Libyæ et 349. de terris borealibus. Æstate itaque redeunte oves et capræ in pascua educuntur. *Carpamus rura*, ipsi carpamus viam, iter, ad vel per rura; Alii educamus greges ad carpenda rura, h. e. gramina, herbas. 326. Idem versus Eclog. VIII. 15.

327 *Hora quarta*, nobis fere nona. Nam *in Italia quindecim horas* habet longissimus dies secundum Plin. II. 75. s. 77. *rumpent arbusta*, sollenne de magno clamore aut strepitu. cf. ad Ge. I. 49. Scilicet proprie rum-

Ilicibus crebris sacra nemus adcubet umbra;
Tum tenuis dare rursus aquas, et pascere rursus
Solis ad occasum: quum frigidus aëra vesper
Temperat, et saltus reficit jam roscida luna,
Litoraque alcyonen resonant, acalanthida dumi.
Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, et raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem noctemque, et totum ex ordine mensem,
Pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram.
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam quum carpit, et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiæ gentes, Mæotiaque unda,
Turbidus et torquens flaventis Hister arenas,

pitur aër clamore per silvam; tum ipsa silva. *arbusta* h. l. inter vites jugatas, secundum Plin. qui eas *nec in campis n. c in frigidis aut umbrosis nemoribus* esse ait. XI. 27. s. 32. 334. *nemus adcubet*, adstet, in propinquo situm sit, inprimis si in clivo sit; ut sup. v. 145. *saxea* procubet *umbra*. Nisi *accubat* simpliciter accipis pro cubat, sita est; ut apud Horat. IV. Carm. 12. 18.

335—338 Tum poti greges iterum educendi et pascendi usque ad serum vesperem. *tenues* simpliciter ornat, a natura *aquarum* petitum. *reficit roscida luna*, h. ros cadens, dum luna lucet, noctu; adscriptus vulgari opinioni lunæ, tamquam caussæ. *Littora resonant alcyonen*, h. alcyones cantum: memoratæ jam Ge. I. 398. 399. *Acalanthis* pro eadem habetur cum *acanthide*, seu *carduelí*.

339 sq. In saltus et pascua educendos esse greges dixerat a v. 322. Dum poëta undique ornatum carmini et gratiam ex varietate quærit, ut ad hanc pascendarum ovium curam exemplo invitet, Afrorum nomadum morem memorat, qui per totam ætatem pecus in saltibus habent; at contra 349. in septemtrionalibus plagis semper in stabulis pecus continetur. Cæterum locus est ex nobilissimis.

339 Libyæ pascua jam ab Homero nobilitata Odyss. δ, 85. 340. *mapalia*, casæ seu tuguria cannis ferulisve confecta in coni aut furni, aut in carinæ speciem, ut apud Sallust. Jug. 21. seu sparsim solo fixa, seu plaustris circumferri solita, ut ap. Plin. V. 3. At h. l. prius locum habet; nam sunt *mapalia raris tectis* h. mapalia rara, sparsa passim per agros, non in vicos collecta. 343. *Hospitia* pulchre certæ sedes ac domus, quo se recipiant. 345. *Amyclæum* (sup. v. 89.) *canem*, et *Cressam*, s. Creticam, *pharetram*, a præstantiore genere (vid. ad v. 312.) nominat. Licet poëtis ejusmodi ornamenta captare. Horat. *Non eget Mauris jaculis*. cf. eundem III. 19. 8. III. 26. 10. Nisi hoc esset, de Nomade Afro talia memorari non possent.

346 Non secus ac Romanus omnia secum agit, cum armatus incedit. *patriis—armis*, pulchro epitheto; quod *patriam virtutem*, *disciplinam*, in animum revocat. 347. *Injusto sub fasce*, magno onere. Res est nota de Romano milite. 348. *Ante exspectatum hosti*, antequam hostis expectaret h. subito, repente, ἀπροσδοκήτως. *stat in agmine*, adstat agmine, ut *incedere*, *ire*, *sequi*, *agmine*. Usitatiore modo diceres: *agmen stat*. Scilicet *agmen* ipse exercitus, dum incedit. *positis castris*, dum interea celeriter castra ponuntur. Nam, cum agmen hosti se ostendit, a tergo vallum fit.

349 *At non* ita pascitur itque pecus etc. Debet itaque major distinctio poni in fine versus 351. 350. Et Ister *turbidus* tor-

Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
Illic clausa tenent stabulis armenta; neque ullæ
Aut herbæ campo adparent, aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late, septemque adsurgit in ulnas.
Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentis haud umquam discutit umbras:
Nec quum invectus equis altum petit æthera; nec quum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ,
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbis,
Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris.
Æraque dissiliunt volgo, vestesque rigescunt
Indutæ, cæduntque securibus humida vina,
Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ,
Stiriaque inpexis induruit horrida barbis.
Interea toto non secius ære ninguit:
Intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis

quendo, dum torquet. 351. *redit porrecta* simpliciter pro, it, procedit, est porrecta, dictum accipies. Vulgaris ratio erat, *jacet*; sed ut *flectit se*, de montibus dicimus, sic *redit* pro hoc ipso ponere potuit. *Sub axem*, polum, non geographica ratione poni, patet per se. Cæterum poëta latius septemtrionem declarat per Thraciam, quæ a meridie ejus fines constituere videri potest.

354 *Sed jacet terra, late informis aggeribus niveis et alto gelu, septemque in ulnas adsurgit*, scil. his ipsis aggeribus novis et alto gelu seu glacie. Poëtica ratione extulit, quod communi erat: *nix*, qua obducta est terra, *adsurgit in septem ulnas*. 356. *Semper hiems* et *Cauri*: quem paulo ante vidimus vs. 278. et quæ sequuntur, de remotioribus versus septemtrionem plagis etsi ad miraculum aucta, vera sunt, non de iis, quas vss. 349. 350. posuerat. Sed poëtæ hæc adnumerant, non appendunt; hoc est paullo crassius id, quod volunt, declarant, *ut major ornamentorum copia inde suppetat*, quoties rationem ac delectationem affert rei dignitas, novitas vel magnitudo. Nec eo descendere necesse est, ut dicas, Thracicas oras olim graviore hieme laborasse; quod sane verum esse et ipse arbitror; verum in poëta tali subtilitate melius caremus.

357 Cf. illa Horat. Carm. I. 22. 17. sq. *Pone me pigris* etc. umbræ sunt nebulæ et caliginosum cælum interdiu. Tres hi versus ex Homero versi Odyss. λ, 15—19. 358. *nec quum invectus equis*, curru, ἵππους pro ἅρμασι et ἱππεύων curru vehi. *per Siculas equitavit undas Eurus* ap. Horat.

359 *rubro—æquore* non proprio vocabulo, sed ornante, pro rutilo rubescente, igneo. Neque hoc loco evincere potest Cerda, etiam occidentale mare rubrum a Virgilio vocari.

360 Ornatissimi versus de glacie; et quidem ex repentino gelu. *Mollesque luti concrescere crustas* dixisse antea Lucretium notant interp. VI. 626. Idem *ferratos rotarum orbes*, VI. 555. 364. *humida vina*, h. alias fluida. 365. *vertere* se, verti solent. *lacunas*, dixit poëta pro lacubus ac stagnis.

367 *non secius*, non minus, atque ante. Mox *pruinis* pro nivibus. 368. Si armenta stabulis tenentur v. 352. quid de his vss. fiet? Scilicet cogitandum nunc de repentinis nivibus per eos quoque dies, quibus in pascua aguntur. Intervalla esse debent hiemis remissioris et sævioris. etsi 356. *semper hiems* Nam 360.

Corpora magna boum; confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, et summis vix cornibus exstant.
Hos non inmissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine pinnæ:
Sed frustra oppositum trudentes pectore montem
Comminus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, et magno læti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra, congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, et pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo Septem subjecta trioni
Gens effrena virum Rhipæo tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora sætis.
Si tibi lanitium curæ: primum aspera silva
Lappæque tribulique absint; fuge pabula læta;
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis

Conscrescunt sulitæ—crustæ: ergo non semper durant. Itaque sunt quoque tempora, quibus greges extra stabulum in agro habiti *repentino* gelu oppressi laborant. Neque in *cervis* hærendum; posuit ut poëta pro feris quibuscunque.

370 *mole nova*, insolenti, n. nivis. 372. *formidinem* hic funiculum illum venatorium plumis intextum esse, quo cervi territi in retia aguntur, obvium est. cf. Æn. XII. 750. *Cervum puniceæ septum formidine pennæ.*

376 Vita populorum borealium adumbrata ex iis, quæ de Thracibus et Sarmatis narrari solebant, partim quoque de Germanis. *defossos specus* pro fossis dixit; *defodere* est proprie alte fodere, mox et fodiendo aliquid condere. 378. *advolverunt*, pro advolvunt, ἀορίστως. 379. *noctem* appellat noctes longas hiemis. conf. vss. 357. 358. 380. *pocula vitea*, vinum, *imitantur fermento*, ζύμῃ, hordeo seu frumento fermentato, h. cerevisia *atque sorbis*. Hoc quidem vinum nullo Romanis usu frequentatum; nam ejus ne mentionem quidem faciunt R. R. antiqui auctores. Memorat tamen Plin. inter reliqua vini fictitii genera XIV. 16. s. 19.

381 *Septemtrio* seu *septem triones*, h. boves, quasi *teriones* a terendo dicti (v. Varro L. L. VI. 4. et Gell. II. 21.) sidus, antiquis Græcis ἅμαξα appellatum, quoniam sub plaustri specie septem versus polum arcticum stellas repræsentabant; ut forte *septemtrio* sit *septem* stellarum *terio* seu currus; in plaustri locum mox Ursa major et minor, aut altera certe (Homer. Odyss. ε, 273.) successit. 382. *Gens effrenorum virorum*, vulgari ratione; h. immanium, ferorum. *Eurum* iterum pro quocunque vento dixit; itaque *Rhipæo* adjecit, ut borealem ac frigidum declararet; etsi, si arguteris, Rhipæi montes ab Oriente Scythiæ positi videri possunt. de quibus, ut de omni Septemtrione pro diversis temporibus et opinionum vicissitudine multa ac varia fabulatos esse veteres, sæpe a viris doctis monitum est.

384 Præcepta super lanarum studio. De *tribulis* et *lappis* Ge. I. 153. 385. *fuge pabula læta*. Hoc poëta a conterraneis suis

Nascentum; plenoque alium circumspice campo.
Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans; nec tu adspernata vocantem.
At, cui lactis amor, cytisum lotosque frequentis
Ipse manu salsasque ferat præsepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis, ac magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi jam excretos prohibent a matribus hædos,
Primaque ferratis præfigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt; quod jam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor;
Aut parco sale contingunt, hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed una
Velocis Spartæ catulos acremque Molossum
Pasce sero pingui. Numquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum,
Aut inpacatos a tergo horrebis Hiberos.

habet. 390. Alium circumspice e grege. Nobilitavit rem tenuem: *pleno campo.*

391 Fabula e Nicandro sumta, qui Georgica et ipse scripserat. v. Macrob. Saturn. V. 22. Pan in arietem mutatus nivei velleris pulchritudine Lunam in nemorum recessus pellexerat. Plures Arcadum fabulæ fuerunt de luna dea e cælo vocata. Visum aliquod, opinatum, populare, (philosophema appello, quoniam aliud vocabulum magis aptum haud suppetit) in fabula hac antiqua latere probabile fit; forte Lunæ deliquium. Pan Arcadum deus domesticus, quo Naturam rerum declarasse videntur. *Munere* lanæ niveæ, h. pretio; *munus* appellare potest poëta simpliciter id, quo inducimus et fallimus alterum.

394—403 Nunc de lactis studio. E Varr. II. 2. 19. De *loto* herba quæ et melilotus v. ad Ge. II. 84. 396. *tendunt* (s. distendunt, distentant, ut alibi) *ubera* lacte. Nam pinguescunt oves potissimum ex potu.

398 Ut lactis majorem copiam habeant, multi hædos non submittunt capellæ, sed statim a matre depellunt sobolem (et v. c. vendunt, mactant etc.). *jam* accipio pro porro. *Multi* (eadem orationis forma Georg. I. 225. cf. 193.) *prohibent hædos a matribus* et *excernunt*, seu secernunt, amovent, hinc ornatius dictum *prohibent excretos*. *Capistra* autem int. περιστόμια genus aculeis insertis, quod non quidem os obturet, sed si uberibus os admoveant, matrem pungat, eamque recalcitrare faciat.

401 *Nocte premunt* in caseum; *Mulgent vere ad caseum faciendum mane.* Varro II. 11. 4. quod autem lac vesperi mulsere, aut mane in urbem vendendum mittunt, aut caseum inde faciunt, et quidem compactum et durabilem; ut contra priore loco v. 401. de caseo, qui recens consumitur, loqui videtur. Sic satis expedita res videtur. 403. *parco sale*; quia *et nimio sale imbui* potest. *contingunt* esse videatur pro *continguunt*, a *tingunt*, aut, ut veteres scribebant, *tinguunt*. *calathis* vimineis.

404 sqq. Procedit ad curam canum. 405. *Spartani canes* (qui v. 345. *Amyclæi*), *veloces*, inprimis sagacitate et odoratu præstantes, venationi; *Molossi* autem ex Epiro cum venationi tum gregum curæ adhiberi soliti.

408 Eodem, quem sæpe jam vidimus poëtarum more communi, pro quocunque

Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens, montisque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce et odoratum stabulis adcendere cedrum,
Galbaneoque agitare gravis nidore chelydros.
Sæpe sub inmotis præsepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit;
Aut tecto adsuetus coluber succedere et umbræ,
Pestis acerba boum, pecorique adspergere virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Dejice; jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Quum medii nexus extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbis.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga,

abigeo et prædone *Iberum* posuit, quia ea gens rapinis et prædationibus infamis, inprimis cum nondum satis perdomita esset; hinc *inpacatos Iberos* appellat. *a tergo*, in vicinia habitantes et insidiantes.

409 *Onagros*, ferum asinorum genus, Phrygiæ et Lycaoniæ, Arabiæ, ut nunc Syriæ, nec non Africæ cum assignent veteres, nemo in Italiæ silvis commemorat. Itaque poëtico more, cum omnino feram, quæ canibus agitari posset, nominare vellet, certum quoddam, utque oratio esset doctior, minus notum genus posuit; sic supra *uros*, sic *cervos* alibi. 412. *agens* ad ornatum adjectum; vocabulum venantium proprium, dum urgent feras; Æn. IV. 71. cerva quam *fixit* pastor agens telis. Ita et 413. *premere*, premendo, urgendo, instando, ad retia agere. 414. sq. Sequuntur præcepta de cavendis noxiis animantibus. *gravis chelydros* dixit, quia sunt fœtore intolerabili quasi putris ulceris.

416 *mala tactu*, noxia, si tangatur. *cælum fugit*, h. lucem, stratis motis admissam, Colum. VII. 4. 6. *Stabula vero frequenter purganda—nec tantum cœno et stercore, sed exitiosis quoque serpentibus tecta liberentur.* Adjicitur locus nostri poëtæ. *fugit, fovit*, ex more, aoristi forma.

418 *Colubrum*, latius colubrorum nomen patuisse videtur: nam etiam in aquis degere dicuntur colubrorum genera, et *mala gramina pastus coluber* occurrit Æn. II. 471. Nec tamen h. l. ex mitium serpentum genere esse potest quia *pecori adspergere virus* solet.

420 *Fovit humum.* Magis explicite Ge. IV. 42. 43. *effossis latebris sub terra fovere larem. Fovet locum* is, qui multus et assiduus in eo moratur; sic *castra fovere* Æn. IX. 57. et sic, *fovere latebras in humo;* hinc magis poëtice, *fovere humum.* 421. *colla sibila*, quæ sibilum edunt, tumentem ex Nicandro Theriac. 179. 180. ψαφαρὸς δ' ἀναπίμπλαται ἀυχὴν Ἄκριτα ποιφύσσαντος. *Dejice*, quia *tollentem minas*, h. sublato pectore et capite minantem. Variavit versum poëtæ Æn. II. 381. *Attollentem iras et cærula colla tumentem.* 422. *caput abdidit alte*, in terræ latebras sese proripiens; tamen vel sic feriri potest parte extrema. *extremæ agmina caudæ*, præclare ad magnitudinem. Omnino sunt ornati versus: *orbes*, ut κύκλοι, et *nexus*, proprie de serpentibus.

425 De *chersydro* seu *dryino* et *dryina* agit. Est et hic ex hydrorum genere, forma similis fere aspidi chersææ parvæ. Versus de eo Nicandri Theriac. 359. sq. quos expressit Virgilius. Respicit locum Stat. Theb. V. 520. sq. 426. *sublato pectore*, erecto.

Atque notis longam maculosus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus austris,
Stagna colit; ripisque habitans, hic piscibus atram
Inprobus ingluviem ranisque loquacibus explet.
Postquam exusta palus terræque ardore dehiscunt:
Exsilit in siccum, et flammantia lumina torquens
Sævit agris asperque siti atque exterritus æstu.
Ne mihi tum mollis sub divo carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas:
Quum positis novus exuviis nitidusque juventa
Volvitur, aut, catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad solem et linguis micat ora trisulcis.
Morborum quoque te caussas et signa docebo.
Turpis ovis tentat scabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit, et horrida cano
Bruma gelu; vel quum tonsis inlotus adhæsit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni;
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, vivaque sulfura,
Idæasque pices, et pinguis unguine ceras,

428. *rumpuntur fontibus*, rumpunt se, erumpunt, prorumpunt se; ut Ge. IV. 368. *hic* in ripis, abundat. 431. *ingluviem* improprie dixit pro ventre, nam proprie est πρόλοβος, ut in avibus, primum in gutture cibi receptaculum. *atram* autem dixit, h. funestam, exitiosam, luctuosam. *Inprobus*, immodice avidus, vorax. v. ad Georg. I. 119. 432. Hæc plane e Nicandro l. l. 434. *Sævit agris*, gravius, cum notione iræ, quam serpit, incedit per agros. Nicander dixerat v. 371. νέμεται διψήρεας ὄγμους. *Exterritus*, interpretibus negotium fecit cum æstu junctum. Simplicissimum utique est, ut *furens*, insanus exponatur. *asper siti*, exasperatus, furens sitis impatientia. Videtur, ut jam Guellius monuit, reddere voluisse Græcorum δίψῃ καρχαλέος. 436. *dorsum* proprie est montium; hinc, si montes silvis consiti, etiam silvarum, nemorum. Horat. Sat. II. 6. 91. *Prærupti nemoris—dorso*. 438. *catulos aut ova*. Scilicet alia serpentum genera sunt vivipara, alia ovipara. Melius tamen, quod Cerda et alii, ova aut catulos jam ovis exclusos. Ceterum necesse est, secundum poëtam nostrum, ut eodem tempore serpens et pellem exuat et pariat ova aut catulos educet: quæ an vera ita se habeant non reperio. 439. Communiori ratione *micat lingua*, dum celeriter movetur, vibratur; doctius, *serpens micat linguis* in *ore*. Tum *arduus ad solem*, erectus ad cælum, sed cum dilectu, ad solem cujus calore recreatur. Junctura est: *volvitur* h. e. volvit se, et micat arduus.

440 De morbis ovium. cf. Varr. R. R. II. 1. 21. sq. et Colum. VII. 5. 442. *persedit*, pervenit, penetravit; alias, insedit.

448 *tristi*, amara, ut sæpe. v. Ge. I. 75.

Scillamque, elleborosque gravis, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, aut meliora deos sedet omina poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Quum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos æstus avertere, et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:
Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus,
Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere sæpius umbræ
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, et seræ solam decedere nocti:
Continuo culpam ferro conpesce, prius quam
Dira per incautum serpant contagia volgus.
Non tam creber, agens hiemem, ruit æquore turbo,

contingunt cf. sup. 403. *spuma argenti*, n. defervescentis, dum coquitur. *pix Idæa*, præstantius genus; intellige autem liquidam. *scilla*, cepe marinum, *elleborus gravis*, a gravi odore. *album* autem genus h. l. spectatur.

452 Sensus est apertus nullum esse remedium efficacius. *labores* putare possis esse ea quæ medendo morbo parantur. Verum usu loquendi *labores* sunt ærumnæ, mala, h. l. morbus. Fortuna est remedium; sed quomodo? Fortuna est etiam eventus fortunatus, successus; ergo etiam fortunatus exitus morbi: adeoque id quod eum affert, seu curatio seu medela et remedium. Ita *nulla fortuna magis præsens est*, nullus certior remediorum adhibitorum successus est, nullum præsentius auxilium, *laborum*, hujus mali, scabiei, nulla certior salus, quam si &c. 453. *rescindere ulceris os*, quod vulgo aperire ulcus. 454. *vitium*, ulcus, sanies. *tegendo*, dum tegitur. Mox eadem ulcera, *vulnera*. 456. *meliora omina*, pro consequenti, auxilium deorum.

457 *dolor*, morbus, exulceratio. *depascitur viscera*, absumit. 459. *incensos æstus*, vulgarius, *fervidos*. 461. *Bisaltæ*, Thraces, cis Strymonem in Macedoniæ oris habitantes; alii ex iis etiam ultra Strymonem. 462. *Quum fugit*, sive expulsus a vicinis populis, seu simpl. migrat, et a Borysthene inde per Getarum deserta, cis et ultra Istri ostia, descendit in Thraciam et ad Rhodopen. Si in historico versaremur, liceret hinc discere Gelonorum vagos ultra et cis Istrum errores. De lactis equini usu videre potes loca ap. Cerdam et passim alios.

464—469 De lue pecudum. Signa pecoris febri pestilenti tentati enumerat: *Quam videris*. 464. *molli umbræ*. Umbra est grata, jucunda; at quomodo mollis? Sensuum vocabula permutat oratio poetica: ita grata et jucunda sunt blanda, dulcia, lenia, mollia. *Continuo culpam conpesce*, h. statim occide. *culpam*, h. caussam morbi, malum, vitium, ἄτην. *conpesce*, coërce, ne latius serpat, *ferro*, ipsa pecudis cæde. 467. *seræ decedere nocti*, ut Ecl. VIII. 88. exquisitius ac *sera nocte*; ut adventanti aut accedenti de via decedimus.

470. 471 Infirmum pecus et variis morbis obnoxium pecus ovillum. *turbo agens hiem-*

Quam multæ pecudum pestes. Nec singula morbi
Corpora conripiunt; sed tota æstiva repente,
Spemque gregemque simul cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat, aërias Alpis et Norica si quis
Castella in tumulis, et Iapydis arva Timavi,
Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
Pastorum, et longe saltus lateque vacantis.
Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoque auctumni incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum;
Conrupitque lacus; infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex; sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus:
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaque in se
Ossa minutatim morbo conlapsa trahebat.
Sæpe in honore deum medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,

em, procellas, imbres; non tam *creber*, crebro, *ruit*, h. non tam crebri ac frequentes turbines in mari exoriuntur. *pestes*, morbi. *æstiva*, ut v. 64. *pecuaria*; pro gregibus. 473. *Spemque gregemque*, " agnos cum matribus." Servius.

474 *Tum sciat* aliquis, morbis totos greges abripi. Sequitur locus de peste auctumnali armentorum ac gregum celeberrimus. Respexit haud dubie poëta aliquam calamitatem, tum quidem satis notam, quæ ante aliquod tempus maxime afflixerat Noricum, h. terras quas nunc episcopatus Salzburgicus, magna Austriæ pars cum Stiria et Carinthia occupat. *aërias* Alpes vocat, perpetuo montium epitheto. 475. *Norica castella in tumulis* non esse possunt loca munita, nam agitur de gregibus, sed habitationes in locis editis, adeoque villæ, vici in montibus. *Timavum*, in Venetorum oris fluvium, a vicinis *Iapydibus*, Illyrici populo appellavit. 476. *regna pastorum*, agros, notum vel ex Ecl. I. 70. *post tanto*, tanto tempore post; Ecl. I. 30. *longo post tempore*. Pro saltibus et pascuis dixit ornate *castella in tumulis, arva, regna, saltus*.

478 *morbo cœli*, vitio aëris. conf. Æn. III. 137. 138. *Tempestas* h. l. temperies. *totoque auctumni incanduit æstu*, non tam exarsit, ortus est, aut duravit toto auctumno, sed aër inflammatus est tota æstus auctumnalis vi. Solet enim auctumni æstus inprimis gravis et intolerandus esse et morbos gignere. 482. *Nec via mortis erat simplex*. *Via mortis non simplex* non unus, sed varii erant mortis modi. Ita fere Oros. V. 21. *Nec mortis erat via simplex nec una conditio*. Accepere alii sic, ut mors non sit lenis sed cum diris cruciatibus conjuncta. Eo fere redit, quod habet Servius. Sane *mors simplex* dicitur, quæ nullis tormentis ac doloribus geminatur. Convenit et hæc notio cum sqq. 482—485. Primum æstu febris ingenti ac siti totum corpus torrebatur; mox contabescebat colliquatione ac resolutione omnium humorum. *Sitis* pro æstu, calore; unde sitis oritur. *sitis ignea* ut Stat. Theb. IV. 699. *haurit sitis ignea campos*; ubi alii, ex interpretatione, *arida*. *sitis acta omnibus venis*; per omnes venas, omnes humores, penetrans, se insinuans. *adduxerat artus*, cute contracta, quod fit ea exarescente, ut in febri. *adducta cutis* ex Ovidio nota Met. III. 398. *liquor fluidus*, humores corrupti, colliquescentes, tabum, conf. Lucretiana VI. 1202. et rel. *trahebat omnia ossa in se*, dum quasi in tabo natarent, *ossa minutatim morbo collapsa*; cujus generis liquationes et resolutiones ossium etiam in aliis morbis videmus.

486 *Hostiam* intellige majorem, taurum, cujus exta inspiciebantur. *in honore deum medio*, in medio sacrificio; noto usu voc. *honos*. 487. *dum* ei *circumdatur infula la-*

Inter cunctantis cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde neque inpositis ardent altaria fibris;
Nec responsa potest consultus reddere vates;
Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.
Hinc lætis vituli volgo moriuntur in herbis,
Et dulcis animas plena ad præsepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit ægros
Tussis anhela sues ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix, studiorum atque immemor herbæ,
Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram
Crebra ferit; demissæ aures; incertus ibidem
Sudor; et ille quidem morituris frigidus; aret
Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit.
Hæc ante exitium primis dant signa diebus.
Sin in processu cœpit crudescere morbus:
Tum vero ardentes oculi, atque adtractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo
Ilia singultu tendunt; it naribus ater
Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua:

nea vitta nivea, poëtica ratione, h. infula vittata. *Infula* est latius quiddam, et capiti, e quo fere pendebat, velando aptum, *vittis* alligari et constringi solita. 489. *ante*, h. antequam moriens caderet. *Inde*, ex ea neque fibræ, h. exta, ardent impositæ altaribus; cum autem nec minus ipsa ara pro victima ei imposita ponatur: hinc, *altaria ardent*, exquisitius dixit. 490. Int. *exta muta*, cum aliqua pars aut deesset, aut corrupta esset.

492. 493 Vix sanguis fluit ex vulnere. *suppositi cultri*, e sacro ritu subter jugulum adacti. cf. Æn. VI. 248. 493. *jejuna sanie*, tenui ac exiguo humore eoque corrupto.

494 Locum, quem poëta iterum tractavit Æn. III. 137—140. ubi *Linquebant dulces animas aut ægra trahebant, Corpora*, μελίφρονα θυμὸν ἀπηύρα, est jam in Hesiod. Sc. Herc. 428. *Hinc—hinc* pro, porro. 497. De *angina* loquitur, Gr. ἰάγχη aut βράγχος, qui et morbus suum peculiaris.

498 *studiorum* (h. cursus simpliciter). *atque immemor herbæ* ita malim jungere; nam *infelix studiorum*, h. infelicia studii non est in hac re equus. Non enim nunc aut cursu infelix est aut certamine sed morbo tentatus. At *infelix studii* est is qui in studio suo successum non habet, nullum præmium, aut potius ex eo noxam et malum. 499. *Victor* ad indignitatem rei additur, cum nihil ei prosit, vicisse cursus certamine. *fontes avertitur*, potum aversatur. 500. *Crebra*, crebro, ut jam sæpe. *incertus*, qui per vices accedit ac recedit, inconstans, *ibidem*, circa aures, capitis sudor; signate. 502. *ad tactum*, tactu, cum tangeretur. *tractanti*, tangenti, resistebat, *dura*, dum tenta ac sicca est.

504 Jungenda: *Sin in processu cœpit crudescere morbus: Profuit inserto* l.—*crudescere*, crudior ac sævior fieri. Ut contra *mitescere, molliri*, dicuntur, quorum nimia vis imminuitur. 507. *tendunt* se, ut jam sæpe; aut *tendunt* sc. pecudes; ut modo v. 503. *dant*. hoc melius, ut nunc ad totum genus redeat; armentorum. 508. *lingua aspera*, inflammatione, *premit*, quia simul intumuerat (ut Ovid. Met. VII. 556. *Aspera lingua tumet), fauces obsessas*, seu simpliciter

Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos; ea visa salus morientibus una.
Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
Ardebant, ipsique suos, jam morte sub ægra,
(DI meliora piis, erroremque hostibus illum!)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
Mærentem abjungens fraterna morte juvencum;
Atque opere in medio defixa reliquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non, qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos stupor urguet inertis,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertisse gravis? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ.
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina, nec somnos abrumpit cura salubres.

constrictas, interclusas ipso tumore, seu ulceribus, quæ frequentia in hoc morbo, et a Lucretio etiam memorantur.

509 Vini usum omnes fere veteres hac in calamitate commendant; tamquam antisepticum; etsi sæpius nocere debuit quam prodesse. 512. *Ardebant furiis*, furore corripiebantur, quos vinum infusum refecerat. 513. Versus eximio cum artificio insertus; abominatione hac ad miserationem et ipsa faciente: date *errorem*, furorem, mentis abalienationem, *hostibus*, profanis, impiis, scelestis, opp. *piis*. Æmulatus est Nicandrum, Ther. 86. Ἐχθρῶν που τέρα κεῖνα καρήασιν ἐμπελάσειε. Placet sibi in hac formula Ovidius: v. c. *Hostibus eveniant convivia talia nostris*. Sed et in seqq. mirare dilectum poëtæ, quo omnia ea potissimum memorat, quæ non tam horrorem, quam miserationem movere possint. 515. *fumans* sudore.

520—524 alteriusne hujus juvenci superstitis, an tauri, qui prociderat, an universe taurini generis fortunam deplorat poeta? ambiguus hæreo. Si, quod ultimo loco posui, probabilius est, ad unum saltem taurum revocavit, ut poëta, quæ de toto genere pronuntiare voluit. 522. *Electrum* metallum, non succinum, intelligendum puto, quia illud splendore nobilius, et commune fere poëtis est, ab argento aquarum perlucidum candorem notare. *At* apodosi h. l. inservit: ut ἀτὰρ, ἀλλὰ. 523. *Solvuntur latera ima*, flaccescunt, corrugantur. Sed et reliqua languorem denotant.

525—530 Sex horum versuum pulchritudinem ita admirabatur Poëtices lib. V. cap. 11. pag. 264. b. Scaliger, ut eorum auctor fuisse mallet, quam Crœsum aut Cyrum dicto audientem habuisse. 526. *terras graves*, spissum, pingue solum, unde difficilis aratio, *glebæ cunctantes*, ut Ge. I. 236, quæque nec minus adeo *gravi vomere*, *gravi labore*, indigent. *Massica* vina vid. Georg. II. 143. 527. *epulæ repostæ* in tam varia interpreta-

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæsitas ad sacra boves Junonis, et uris
Inparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre rastris terram rimantur, et ipsis
Unguibus infodiunt fruges, montisque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat; acrior illum
Cura domat. Timidi damæ cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Jam maris inmensi prolem, et genus omne natantum,
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit; insolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit et curvis frustra defensa latebris
Vipera, et adtoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non æquus, et illæ
Præcipites alta vitam sub nube relinquunt.
Præterea jam nec mutari pabula refert,
Quæsitæque nocent artes; cessere magistri,
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus.

tione malim accipere pro simplici, *positæ*, *appositæ*, ut Georg. IV. 378. *et plena reponunt pocula*. Si tamen vis in composito quærenda, equidem inde petam, quod singuli ferculorum missus novis mensis apponi solebant; ut adeo sit: iterum iterumque apponere. 529. 530. *exercita cursu Flumina*; h. vexata, fatigata; ornatui servit epitheton, ut *fessæ erroribus undæ*, decurrentes aquæ. Alio in sententiarum ordine esse possunt aquæ turbatæ equorum tranantium pedibus, non autem h. l.

531 Tum factum esse aiunt id, quod nullo alio tempore in istis terris contigit, ut penuria candidarum vaccarum esset ad rem sacram. *sacra Junonis*, certum sacrum pro quibusvis sacris, ponit; sed in his nivearum boum usus inprimis insignis erat ad pompam deæ ducendam. Pro *bubus* itaque *bufalos* (nam hi sunt h. l. *uri*, ut sup. ad Ge. II. 374.) currui junctos dicit. *inpares*, simpl. quod alter major, alter minor, diverso etiam, si placet, colore esset. *donaria* h. l. pro donariorum loco, templo, ut *pulvinaria*, pro templis. *alta* autem *donaria* alte exstructa, ad notam copiæ et magnificentiæ donariorum; unde et ipsum *templum altum*. 534. Ipsi homines terram fodiunt, et *fruges*, h. semina, *unguibus*, digitis, *infodiunt*, terra occulunt. *Contenta cervice*, quæ intenditur. Usus vocis Lucretianus. Quam ornata hæc omnia!

537—540 Etiam feras lues tentat. *insidias explorat ovilia circum*, exquisitius quam explorare, exquirere insidiis ovilia, aut observare circa ovilia id, cui insidias facere possit, et insidiandi locum. Æn. IX. 59. sqq. *Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili, Cum fremit ad caulas etc. nocturnus*, noctu, ut toties vidimus. *acrior cura*, morbi.

541 Infectis aquis pisces contagiosis morbis vexari, res est inter historiæ naturalis auctores nunc satis explorata. *Phocæ*, vituli marini. 543. *insolitæ fugiunt*, pro insolito more. 545. *adtoniti*, torpentes, rigentes. *squamis adstantibus*, stantibus, erectis, horrentibus.

549 *Quæsitæque nocent artes*, parata remedia. *cessere magistri*, cedunt morbo, vincuntur, artem ei suam imparem esse vident medici, et quidem *præstantissimi*, quos nominibus clarissimis exornat *Chironis* e Philyra Nympha et Saturno, et *Melampodis*, ex

Sævit, et, in lucem Stygiis emissa tenebris,
Pallida Tisiphone Morbos agit ante Metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripæ collesque supini.
Jamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus; nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma;
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt adtingere putris.
Verum etiam, invisos si quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ, atque inmundulentia sudor
Membra sequebatur; nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

Amythaone, Æsonis fratre, nati, quorum hic quidem auguriis et καθαρμοῖς maxime illustris apud poëtas, alter vero herbis.

551—553 Versus longe præstantissimi et pictura omni vividiores. *Et pallida Tisiphone* e *Stygiis tenebris in lucem* emittitur, aut, quod gravius est, *emissa sævit*, et *ante se agit Morbos ac Metus*, et more eorum deorum, qui hominibus sive augusta sive terribili forma apparebant, fit major majorque, *surgitque* adeo et *effert caput avidum*, quia ipsa est mortis avida, *indies altius*.—Interea undique circa ipsam armenta et greges ægrotant, mox toti greges pereunt 554—557; at quanto feralius ipsa dea *dat*, edit, *strages*, etc.!

559 ad fin. Unicus modus restabat pestilenti morbo medendi (isque etiam nostrorum sapientum judicio unicus, qui satis efficax sit), ut tacta cadavera ex conspectu hominum auferrentur, *ut humo tegerentur*. Nihil enim ex toto animante usui alicui inservire poterat. *Coriorum* nullus erat usus, si quis, id quod tentasse videntur, ea deripere et corpora iis nudare in animum induxerat; *carnes* autem, h. e. corpora, quomodo in tanta copia, aut *aqua*, aut *igni* consumi potuissent? Sed, 561. nec *lanæ* ullus usus erat, corrupta *pelle* per ulcera et saniem, quæ est *illuvies*, nec tutum erat eas lanas (*telas* a consequente appellat doctius), pestilenti putredine infectas, attingere. Quid? quod adeo, 563. si quis e lana vestem confecerat, *amictus invisos*, quos abhorreres, eamque induerat, *papulis*, pustulis, exanthematibus, carbunculis, rodenti sanie tumentibus, et fœtido *sudore*, ac brevi tempore post, 565. *sacro igni* corpus infestabatur. Est autem *sacer ignis* erysipelatis φλεγμονώδους genus. 564. *sudor membra sequebatur*, per omnes partes se diffundens, ut Æn. IX. 812. *tum toto corpore sudor Liquitur*. *moranti* dixit ornate pro, ei, h. ejus artus seu corpus; scilicet non per longum tempus ei moras trahere licebat, cum sacro igni tentari cœpit.

Totum locum explanavimus, quod interpretibus molestias eum facessivisse videbamus. *Viscera abolere undis*. Quid tandem naturæ rei magis consentaneum, quam ut cadavera igni cremarent, aut in flumina projicerent, quo utroque modo consumuntur; quod facere deinde tanta cadaverum strages prohibebat. Flamma vincitur proprie res, quæ concrematur. Vera sententia statim in oculos incurrit, modo quis animum advertat.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

De re apiaria et mellificio in hoc libro acturus, primo loco exponit argumentum, Mæcenatisque propitiam voluntatem sibi exorat 1—7. Inde de alvearii situ, fabrica, et apparatu, præcipit—50. Tum de examinum exeuntium cura, seu vere ineunte vagantur—66, seu ad pugnam exeunt discordibus inter se voluntatibus super rege creando—87. Tum alteruter rex est necandus—102, aut, si temere vagantur apes, partim regibus alæ sunt resecandæ, partim gratæ herbæ circa alveare serendæ—115. Cum attingeret locum de horto colendo, hoc argumentum aliis tractandum reliquit—148. De ingeniis, naturis, et moribus apum agit, revocata earum œconomia, quam vocamus, ad reipublicæ formam, quam enarrat—218; tam sollerter institutam illam, ut rationis illæ munere impertitæ esse videantur—227. Sequitur locus de exemtione favorum—238; sin relinquatur pars favorum, quæ tum curanda sint—250. De morbis apum et morborum cura—280. De examinis extincti reparatione et de progeneratione apum ex juvenco peremto et putrefacto —311. Quod cum inventum Aristæi esse perhibeatur; descendit ad enarrationem fabulæ; qua ille fertur extincto examine adiisse matrem Cyrenen, ab hac jussus consulere Proteum, de causis calamitatis et ejusdem remediis, edoctusque, evenisse sibi rem ob piaculum contractum ex Eurydices, Orphei conjugis, raptu, inferias ei fecisse: quo facto boum corpora in luco relicta paullo post examinibus novis efferbuere—ad fin.

Protenus aërii mellis cœlestia dona
Exsequar. Hanc etiam, Mæcenas, adspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, et studia, et populos, et prœlia dicam.

1 *Protenus*, hinc, deinceps, de mellificio se dicturum esse pollicetur. *aërium mel*, quia ex rore (qui utique ex aëre defluit, inquit Servius), colligi ab apibus credebatur. Seneca Epist. 85. *Quibusdam placet non faciendi mellis scientiam apibus esse sed colligendi. Hinc* mel aerium *Virgilio, quod ex rore aëris factum.* Eadem de causa, *cœlestia dona*, deorum munus appellat mel, cf. Plin. XI. 12. s. 12. Cæterum ab initio statim hujus libri adolescentes ad duo attendant, primum ad artificium rem tenuem et exilem imaginibus cum gratis et jucundis, tum præclaris et magnificis, sine inepto tamen fastu,

In tenui labor: at tenuis non gloria; si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent), neque oves hædique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentis adterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliæque volucres;
Et manibus Procne pectus signata cruentis.
Omnia nam late vastant, ipsasque volantis
Ore ferunt dulcem nidis inmitibus escam.
At liquidi fontes et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis, fugiens per gramina, rivus,
Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret:
Ut, quum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus,

ornandi; deinde ad calliditatem in inferenda varietate ac copia in argumentum quamvis jejunum et exile, quorsum maxime episodiorum opes referas. Ornatum quidem ac varietatem maxime modo ab majorum animantium, pecudum et armentorum, modo ab hominum attributis, imprimis iis, petitum videbis, quæ humanæ vitæ et hominum societati ac conjunctioni, rebus publicis adeo et exercitibus, propria esse videntur: unde *tecta*, *ædes*, *penates*, *lar*, *thalami*, *cunabula*, *stabula*, *oppida*, *urbs*, *aula*, *regna*, *prætoria*, *portæ*, et alia arcessita sunt, quorum quidem usum ipsa suppeditavit vulgaris hominum ratio, dum intelligentiam nescio quam et sollertiam apum ingeniis tribuunt, eamque mirificis rerum miraculis exornant, et quæ illæ occulto aliquo naturæ ductu et impetu, de quo mortalis mens nihil certi statuere potest, faciunt, ad voluntatem et prudentiam, virtutem animi ac pietatem, referunt. Poëta autem præclare his præsidiis usus est; habet enim insignem ad animos nostros suavitatem, si nostrorum morum ac consiliorum imaginem in aliis animantibus adumbratum videamus. 6. Cf. Georg. III. 289. 290. *si quem Numina læva sinunt* sc. dicere hæc; quod utique proximum est. *Numina læva* accepta sunt ab interpp. sinistra, adversa; laudata jam est auctoritas Gellei V. 12. extr. et Nonii Marcelli in *lævus*. Secundum hos sensus est: non exiguum ex tali quamvis tenui argumento gloriam reportari posse, modo per adversa numina liceat, h. modo ne quod numen adversetur, et modo Apollo (pastoralis, Nomius) invocatus faveat. Fatendum tamen, leniorem esse rationem et juncturam, si dimittas, *lævum* h. l. ex augurali disciplina petitum significare propitium.

8 De alvearii situ præcipit; quæ cavenda sint—17, quæ optanda—32.

12 *surgentis herbas*, crescentes ut Ecl. V. 39. Ge. I. 161. et alibi.

13 Varia animantia apibus insidiantia ab alveari (*pinguia stabula* dixit) arcere jubet. Lacertorum varia genera sunt. *merops*, nota avis, apibus inimica. *apiastrum* vulgo vocant. Eandem una cum hirundine, *Procne* etiam alii commemorant inter aves apibus infestas. 15. Etiam Ovid. Met. VI. 669. *neque adhuc de pectore cædis Effugere notæ, signataque sanguine pluma est.* Scilicet maculas in collo hirundinis rubellas ab sanguine repetunt, quo respersit se Procne, cum filium manibus suis jugularet. 16. 17. Et ipsas apiculas rapiunt, ut pullis suis comedendas apponant. Ornatissimi versus! *nidi* pro pullis.

18 *stagna virentia musco*, stagna intellige dulcis aquæ, sive ripa musco obducta, sive saxis musco coopertis extantibus. Mox *tenuis rivus* signate, nam profundus ac rapidus

Vicina invitet decedere ripa calori;
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices et grandia conjice saxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
Pandere ad æstivum solem; si forte morantis
Sparserit, aut præceps Neptuno inmerserit Eurus.
Hæc circum casiæ virides, et olentia late
Serpylla, et graviter spirantis copia thymbræ
Floreat, inriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus. Nam frigore mella
Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda; neque illæ
Nequidquam in tectis certatim tenuia cerâ
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent, conlectumque hæc ipsa ad munera gluten
Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effossis, si vera est fama, latebris
Sub terra fovere larem, penitusque repertæ
Pumicibusque cavis exesæque arboris antro.

obriperet apes aquantes. *tenuis fugiens rivus*, duplici epitheto. Vid. ad Ge. I. 407. 21. 22. Cum primum evolaverint. 22. *Vere suo*, sibi grato et aptissimo. Seu, quo ipsæ natæ sunt aut adolevere, primumque volatum tentant, fructusque colligunt. 23. *decedere calori*, ut morti sup. Ge. III. 467. 24. Pulcherrimus versus: *arbos obvia teneat hospitio*, h. excipiat. 25. *seu stabit iners humor*, in stagno v. 18. Hoc *iners* sine motu, nec tamen putre ac situ corruptum: quod avertuntur v. 48. sq. 29. *aut Eurus præceps*, ventus vehementior, cum impetu irruens, *inmerserit Neptuno*, aquæ. Hoc vero est, rem tenuem amplificare!

30 *Circum hæc*, quæ modo enarravit, circa fontes, et stagna, amœna prata esse debent. Colum. IX. 5. 6. *Conseri deinde debent circa totum apiarium arbusculæ.*—De *casia* herba coronaria, alias thymelæa, monitum jam est ad Ge. II. 213. de *serpyllo* ad Ecl. II. 11.; *thymbra* eadem quæ satureia, aut ejusdem saltem generis. cf. Martin. 32.—et violæ proveniant; at quam ornate! *violaria*, loca violis consita, h. l. pro violis possunt accipi. *inriguum*, h. l. qui irrigat.

33 De fabrica alvearis v. Colum. IX. 6. unde §. 1. colligas, *sulcris cortices* potissimum h. l. intelligi. Stramineorum alvearium usum notum fuisse Romanis, non reperio. 36. *liquefacta remittit*, ornatius pro, liquefacit. *remittere*, pro resolvere. 37. *neque illæ Nequidquam*, h. ac propter hoc ipsum. *nequidquam* h. l. sine caussa, frustra. 39. *Spiramenta*, quæ v. 35. *angusti aditus*. conf. Colum. IX. 7. 5. *fucus* est alga vel ulva marina vel palustris; quæ cum ad h. l. minus sit idonea, alterum assumendum est, ut *fucus* sit quod allinitur, h. l. succus florum; pro quo dictum *fucus et flores*; quo oblinuntur rimæ alvei. *floribus*, h. succo florum. Paratum ad hoc consilium *gluten*, s. glutinum, est *propolis* veterum de apibus magistrorum.

42 *effossis* non quasi ipsæ effodiant, ut

Tu tamen e levi rimosa cubilia limo
Ungue fovens circum, et raras super injice frondis.
Neu propius tectis taxum sine; neve rubentis
Ure foco cancros; altæ neu crede paludi,
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.
Quod superest, ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras, cœlumque æstivâ luce reclusit:
Illæ continuo saltus silvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidosque fovent; hinc arte recentis
Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc, ubi jam emissum caveis ad sidera cœli
Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem:
Contemplator; aquas dulcis, et frondea semper
Tecta petunt. Huc tu jussos adsperge sapores,
Trita melisphylla, et cerinthæ ignobile gramen;

Servius accipit. *fovere larem* habitant. v. ad Ge. III. 420. *fovit humum serpens.*

43. 44 Et reperiri solent intus in pumicum, s. saxorum, arborumque cavitatibus.

45. 46 Apum diligentiam apiarii opera adjuvandam dicit. *Levis limus;* lutum aqua subactum sane et tactu lubricum et visu nitidum. *ungue e limo* proprie dictum, ut medici solent. vid. eund. *rimosa cubilia* in pedestri sermone, rimas cubilis, h. alvearis, *ungue circum, fovens,* hoc poëtico ornatu adjectum; nam ad calorem continendum alias id fieri solet, ut rimas obturemus.

47—50 Subjicit nonnulla, quæ in adornando alveari videnda sunt. De *taxo* v. Ge. II. 257. Ecl. IX. 30. *De cancri nidore, cum est ignibus adustus* (uri autem solet in variorum morborum cura), vid. Gesneri notam ad Colum. IX. 5. 6. 48. *neu crede eas paludi aut* ejusmodi loco, *ubi—odor gravis,* molestus, quia fortis et teter est. *offensa imago,* h. *solidis adlisa locis* ut Lucret. VI. 574. Sequitur poeta Varronem III. 16. 12.

51 Cæterum vere ineunte exire incipiunt apes. *egit pulsam,* pepulit *hiemem sol sub terras;* petita rei species aut a sideribus et ipso Sole occidente, aut a Sole ad alterum hemisphærium decedente. *cœlum reclusit,* tectum adhuc et obductum nubibus, ac nimbis, etiam constrictum gelu. 54. *Purpureos flores,* simpl. pulchros, ut sæpe. *croceos* alibi, ut v. 109. *metunt,* elegantius, quam carpunt. 55. *leves* poëtico ornatu, quo ipso indicatur, cur suspensæ in superficie se librare possint. *Hinc,* ex his floribus et fontibus, *fovent,* alunt, *progeniem nidosque* (ut vs. 17. pro pullis), novos fetus suos. idem Georg. I. 412.

58—62 Itaque etiam nova examina, cum primum se aëri credunt, fontes et arbores petere videbis. *Hinc* nunc saltem ad operis faciendi ordinem erit referendum duce Plinio XI. 6. s. 5. *Caveas,* de alveo, a theatri sedibus petita imagine. 59. *per æstatem liquidam,* per aërem liquidum, æstiva serenitate. *Nare,* volare, ut contra *navis volat* apud poëtas. Lucret. III. 590. prius *quam* anima *prolapsa foras enaret in aeris auras.* Max idem: *trahi vento.* 60. *nubes,* perpetuum de examine.

61 *Contemplator;* de formula hac præcipiendi v. sup. Geo. I. 487.

62 *Huc,* in arborem, ut hinc in novum alveare condi possit, nec ulterius procedat agmen, *adsperge sapores jussos,* succos, quos adspergere moneo, jubeo; inf. v. 549. mon-

Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum:
Ipsæ consident medicatis sedibus; ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint; (nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu,
Continuoque animos volgi et trepidantia bello
Corda licet longe præsciscere: namque morantis
Martius ille æris rauci canor increpat, et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum;
Tum trepidæ inter se coëunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.)
Ergo ubi, ver nactæ sudum camposque patentis,
Erumpunt portis, concurritur æthere in alto
Fit sonitus, magnum mixtæ glomerantur in orbem,
Præcipitesque cadunt. Non densior aëre grando,
Nec de concussâ tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentis animos angusto in pectore versant,

stratas excitat aras. 63. *melisphyllum*, seu melissophyllum, apiaster, vulgo *melissa*. *Cerinthe*, nobis hortensis, in Italia silvestris ac valde frequens, hinc *ignobile gramen*, h. herba. 64. *Matris cymbala*, in Magnæ Matris Deorum, Cybeles, sacris adhiberi solita, ut notum. Cæterum tinnitu æris apes cogi et in alvearia condi, res vulgari usu cognita. 65. *medicatis sedibus*, h. in loco succis adsperso et oblito. *cunabula* pulchre, quia de fetu apum.

67 sqq. Quem alii Intpp. horum versuum nexum sibi finxerint, equidem non assequor. Solent enim illa, nam *sæpe duobus—discordia motu*, in parenthesi ponere, et quæ sequuntur, apodoseos loco habere; invito plane sensu, et particula *que* otiosa. Sed poëta negligentiore oratione usus est, et, dum in digressionem abripitur, præstantissimum omnium confessione locum, apodosin non nisi v. 86. 87. subjunxit; ita ut reliqua omnia in medio interjecta sint. Si nova examina alveari prodeunt, tinnitu æris revocantur; sin ad pugnam exierint, aspersione pulveris. *Regibus incessit discordia*, pro vulgari ratione, *reges incessit*. *Reges* quos nunc apum matres esse scimus. Dignitatem carminis in re tenui in seqq. admirari satis nequeas.

69 *Corda bello trepidantia*; h. animos belli cupiditate, pugnæ ardore, trepidantium, festinantium, satagentium, dum se ad bellum accingunt, ut mox *trepidæ coëunt*, h. festinantes. Transtulit autem poëta ea, quæ omnium apum migrationes antecedere solent, ad id, quod illo maxime tempore accidere solet, cum bellum civile movetur. 71. Dum bombum faciunt. *fracti sonitus*, h. non continui, modo fortiore, modo remissiore spiritu. 73. *pennisque coruscant*, ex frequenti motu πτερὰ ποικίλα, αἴολα. Idem est *micare*. 74. *Spicula rostrorum* (sic vulgari more effertur, pro simplici, rostra), aculeos, acuunt, seu cum Martino simplicius, rostris suis acuere videntur aculeos, quod muscas quoque facere videas. *aptant lacertos* petitum a pugilibus qui ante certamina explorant vires, brachia jactant, ut Æn. V. 376. 377. *prætorium*, h. l. ex usu castrensi. *Miscentur* pro conveniunt. Mox 79. *mixtæ*, pugna congressæ; utrumque ex μίγνυσθαι, μιχθῆναι. 77. *ver sudum*, cælum sudum verni temporis; idem sunt

99 caruleis variantur corpora guttis - ovid.

Usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos versa fugâ victor dare terga subegit.
Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu conpressa quiescunt.
Verum, ubi ductores acie revocaveris ambo,
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci; melior vacuâ sine regnet in aulâ.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens;
Nam duo sunt genera; hic melior, insignis et ore,
Et rutilis clarus squamis; ille horridus alter
Desidiâ, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ita corpora plebis.
Namque aliæ turpes horrent: ceu, pulvere ab alto
Quum venit, et sicco terram spuit ore viator.
Aridus; elucent aliæ, et fulgore coruscant
Ardentes auro et paribus lita corpora guttis.
Hæc potior suboles; hinc cœli tempore certo
Dulcia mella premes; nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem.
At quum incerta volant, cœloque examina ludunt,

campi patentes, aër purus et liquidus, non nubibus clausus. 82. *Ipsi*, reges. 84. *obnixi non cedere, usque adeo dum;* in vulgari oratione, *ita obnituntur, ut non cedant, donec* —87. *conpressa quiescunt*, comprimuntur.

90 Dissidium civile inter examina enecto altero rege sedandum; nunc de specie ac colore regum et cæterarum apium. *melior*, fortior, victor. *prodigus*, h. l. qui tantum mel consumit, nullum ipse parat. 91. *maculæ squalentes*, tinctæ, obductæ, *auro*, h. maculæ aureæ. *squalere*, etsi communiter de corpore illuvie et sordibus obducto dicitur, ex primo ac proprio significatu apud poëtas de quacunque re, cui aliquid illinitur, incrustatur, adeoque etiam de colore adscititio, usurpatur. Omnino *squalent*, quæ *non* sunt *lævia ac nitida*. quæ vero tantum ab asperitate spectantur, ea *horrere* dicuntur etiam sine sordium notione. 92. *insignis ore*, forma; mox v: 95. *faciem* dixit. Plin. XI. 16. *Omnibus* (regibus) *forma semper egregia et duplo, quam ceteris, major*. 93. *alter ille horridus*, fœdus adspectu (mox *turpes horrent*, eodem sensu v. 96.). *desidia*, incultu et negligentia, et hoc ipso *latam trahens alvum*, obesus, πλατυγάστωρ.

96 *turpes horrent* pro sunt, sed cum notione asperitatis: *ceu viator horret, quum venit ab alto pulvere*, alte a vento in aërem levato, acto; pro simplici: a via pulverulenta. *spuit terram*, aut in terram; ait Serv. pro compos. adspuit, inspuit aut re vera terram, propter pulverem sc. ut terra dicta sit pro pulvere: spuit, expuit pulverem. *Aridus*, siccus, sitiens: ut αὐάλεος ap. Callim. in Cer. 6. ὅκ' 'αφ' αὐαλέων στομάτων πτύωμες ἄπαστοι. 99. *Ardentes corpora*, corporibus, *lita*, illita, oblita, inducta, *auro et paribus guttis*, aureis maculis.

100 Ex his præstantissimi apum fetus educantur; ex his optimum mel paratur. *cœli tempore certo*, vere et auctumno. *premes* eliquando. conf. v. 140. 101. *mella liquida* et communi naturæ mellis epitheto, et vero etiam proprio quodam dicuntur. Tum autem et in vitio haberi possunt tamquam fluentia, ut v. 36. (opponuntur *tenacia* v. 57.), et in laude, ut h. l., ut opponantur iis, quæ fæce ac sordibus crassa sunt. cf. inf. 163. 164.

Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt;
Instabilis animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor. Tu regibus alas
Eripe. Non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et custos furum atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis
Tecta serat late circum, cui talia curæ;
Ipse labore manum duro terat; ipse feracis
Figat humo plantas, et amicos inriget imbris.
Atque equidem; extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham, et terris festinem advertere proram;
Forsitan et, pinguis hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti;
Quoque modo potis gauderent intuba rivis,
Et virides apio ripæ; tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis; nec sera comantem

Porro, quod sequitur, veteres vina melle condiisse, atque hinc etiam mulsum conficere consuevisse, satis notum est vel ex Horat. Sat. II. 4. 24. *durum saporem*, austerum.

104 *frigida tecta* ex hoc ipso, quod alvearium ab apibus destitutum est; nam quum assidue incolunt, tum *fovent*, ut v. 43. *fovere larem*. Sic *frigidus torus* pro viduo. Nam opus, quod *fervet*, huc trahi nequit. 107. Rem eandem tradit Columella, simulque modum IX. 10. 3. et IX. 9. 8. *quisquam*, quasi de militibus loqueretur. *altum iter*, de volatu. 109. *horti*, in quibus sunt flores halantes. 110. Omnia hæc vulgo nota; quid tamen ad apes? dices. Scilicet Priapi signum, in hortis positum, arcere falce sua etiam ab alvearibus fures, et aves terrere videri poterat. cf. Horat. Sat. I. 8. 4. sqq. Eum Lampsaci ad *Hellespontum* potissimum cultum esse, nec minus constat. *tutela Priapi*, pro *Priapus, custos*, pro, quæ custodit hortos a furibus, observat fures.

112 De thymo apibus gratissimo res nota. Loquitur autem poëta Romanus de eo, qui nunc *thymus capitatus*, in Italia et Græcia frequentissimus cf. Martin. *semper vi ns pinus* memoratur etiam Columellæ IX. 4. 2. et 5. 6. erat autem illa veteribus inter hortenses arbores. 115. *amici imbres*, aqua ex fonte aut fluvio. *inriget imbris*, scil. plantis, vel in plantas, exquisitius, quam vulgare, *irriget plantas imbribus*.

116—148 De cura horti colendi argumentum aliis se relinquere tractandum dicit. Versus sunt longe ornatissimi, inprimis herbarum hortensium epithetis et aliis attributis.

118—124 Forsitan de cura hortorum dixissem. Jam ornatum contemplare. 118. *pinguis hortos*, solo pingui adeoque fertili. *quæ cura colendi ornaret hortos*, in vulgari oratione: *esset;* in qua etiam tempora aliter sibi responderent: *traherem, festinarem—canerem*. 119. *Pæstum*, s. Posidonia, Lucaniæ urbs, ad sinum Pæstanum, non longe a Silaro, rosis clara urbs apud poëtas. *biferum* autem propter egregiam cæli clementiam, et ad imitationem Homeri de Alcinoi hortis Od. ν, 117. 120. Enarrat nonnulla olera hortensia et coronaria ex topiariis. De *intubo* vid. ad Georg. I. 120. *Apium*, σέλινον, varia habet genera, ut petroselinum. Sed hic *palustre* intelligendum videtur, nobis *celery* dictum, quod locis riguis gaudet. 121. 122. Usus eadem imagine Propert. IV. 2.

Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentisque ederas, et amantis litora myrtos.
Namque sub Œbaliæ memini me turribus arcis,
Qua niger humectat flaventia culta Galæsus,
Corycium vidisse senem, cui pauca relicti
Jugera ruris erant: nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus albaque circum
Lilia verbenasque premens vescumque papaver
Regum æquabat opes animis; seraque revertens
Nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.
Primus vere rosam atque auctumno carpere poma,
Et quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tondebat hyacinthi,

43. *Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre.* 122. 123. Videtur veterum Narcissus esse *Narcissus* noster *albus circulo purpureo* vel *croceo minor*. Sed *sera comantem*, sero florentem, appellat, quod sub clementiore cælo etiam seriori anni tempore, Novembri ac Decembri, floret. In *comantem* vim agnoscit Meierotto p. 10. ut respiciatur copia florum et scaporum, quos narcissus habere solet. *Acanthus* h. l. herbæ nomen. v. ad Ecl. III. 45. ubi *mollis*, ut inf. v. 137. ὑγρὸς Theocrito, quod hic *flexus*, quia adultior caulis reflectit se et vergit ad humum; propter hoc ipsum poetica ratione *vimen* ei tribuitur, quod proprie non habet, sed caulem. *Pallentis hederas:* ponit genus certum; nam sunt et nigræ.

125 *De Tarento* loquitur: *arx Œbalia* dicta, h. Lacedæmonia, ab Œbalo, vetere Lacedæmonis rege, Tyndarei patre. Ager autem Tarentinus inter fertilissimos habitus; amne *Galæso* irriguus, noto ex Horat. Carm. II. 6. *Dulce pellitis ovibus Galæsi Flumen, et regnata petam Laconi Rura Phalantho.* 127. *Corycus* Ciliciæ oppidum, antro et croco satis notum; ex quo agro oriundus senex hic in agrum Tarentinum a poëta adducitur. Quid vetat, quo minus certum hominem Cilicem intelligamus, quem poëta, quocunque tandem casu in Italiam ille traductus fuerat, in his terris hortum colentem noverat? At illa Servii ratio vix ferri potest ut *Corycius senex* appellative dictus sit, qui more apud Corycios usitato agrum coleret. *Hortus* quidem *Corycius* recte ita diceretur, a præstantiore cultus genere, non autem *senex*.

127. 128 *cui pauca relicti Jugera ruris erant. relictum rus* cum absolute dicatur, vix aliter accipi potest, quam sive de subsecivo, h. in metatione, cum agri assignarentur, intra limites non recepto sive de contemto omnino propter jejunitatem soli neglecto et deserto agro, 128. 129. *nec fertilis illa juvencis*, h. juvencorum labore, aratione. *seges* omnino pro agro, solo. Nec arationi, nec pascuis, nec vineis bonum solum fuisse dicit.

130 *in dumis*, in solo spinoso ac dumis indulgenti, *premens*, plantans, ut Ge. II. 346. *quæcunque premes virgulta per agros.* Ut *premere* sit legere, decerpere, metere, adjecta opus esset alia voce manu, ungue, ut Ge. I. 157. *falce premes umbras*, resecabis. Mox *rarum olus* potest referri ad pauperem hortum, ut modicum olus inde provenisse dicat; sed verius est ita dici, quoniam proprium sationis et plantationis est, ut olera parvis inter se intervallis, *raris ordinibus*, serantur; id quod in solo tenui multo magis fieri necesse erat. Saltem hoc malim, quam porosum interpretari, ut spongia rara dicitur. *circum* in oris arearum oleribus consitarum. *Verbena*, hierobotane, h. l. apum causa sata. *vescum papaver*, tenui grano; Ge. III. 175. *vescas salicum frondes* dixit; ad quem vs. vide. 134. *carpere*, carpebat, historico modo, ut et v. 140. 135. *frigore saxa Rumperet*, v. Georg. III. 368. 137. *comam mollis jam*

Æstatem increpitans seram zephyrosque morantis.
Ergo apibus fetis idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis; illi tiliæ, atque uberrima pinus;
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem auctumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos,
Eduramque pirum, et spinos jam pruna ferentis,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum hæc ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus quas Juppiter ipse
Addidit, expediam, pro qua mercede, canoros
Curetum sonitus crepitantiaque æra secutæ,
Dictæo cœli Regem pavere sub antro.
Solæ communis gnatos, consortia tecta
Urbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum;
Et patriam solæ et certos novere Penatis;
Venturæque hiemis memores æstate laborem
Experiuntur, et in medium quæsita reponunt.

tondebat hyacinthi: h. carpebat hyacinthos media hieme. *coma hyacinthi* pro ipso flore. 138. Argutus versus. Ipse antevertebat præcocibus floribus æstatem et zephyros, et idcirco increpare eorum tarditatem ac moram videri poterat.

140 Mellificio antevertebat alios; mella maturius exprimebat favis. *apes fetæ* melle. 141. *pinus* v. ad vs. 112. 141. Fidem præstabant arbores, nec frustrabantur spem ex floseulis et gemmis conceptam. Poma futura latent in floribus.

144—146 Ille etiam ulmos in ordinibus, κατὰ στίχους, h. e. ille ulmorum ordines posuerat; at elegantius *distulit*, disposuit, *in versum*. Martinus *de transplantatione arborum* jam adultarum, quam ille Corycius senex felici eventu tentabat accipit; motus epitheto adjecto: *seræ* ulmi. Probaveram ipse hoc in prioribus edd. et ad eadem jam redeo. Ergo *ulmos* appellat *seras*, non tam sero adolescentes sed jam adultas, *piros duras*, h. valde duras, validas; cf. Var. Lect. ad Ge. II. 63. *Spinus*, oxyacantha, cui jam prunus insita erat; tandem *platanus* jam umbrosa. 147. *spatiis iniquis*, spatio nimis angusto, intra quod cursum suum tenere cogitur.

149 sq. De re privata ac publica apum agere orditur. πολιτείαν καὶ βίον dixit Arist. A. A. IX. 40. Fabula nota vel ex Callim. H. in Jov. 49. sqq. Obscuriora tamen sunt illa, ad quæ Maro h. l. respexit: eoque interpretatio non satis tuta; imprimis propter verba pro *qua mercede*. Apponam quod jam olim prætuli. Jovem puerum apes, allectæ *cymbalis Curetum sub antro* montis *Dictes* in Creta *paverant* melle. pro ea re, tanquam mercedis ac premii loco, miram hanc, et humano ingenio similem naturam iis indidit Jupiter. Poterat pergere: *pro ea re*, quam pro mercede acceperunt, eum puerum olim *paverant*. Nunc relative reditum *pro qua re, pro qua mercede*, pro eo quod pavere: in mercedem ejus quod. Ita vulgo dicitur *pro quo*, ut sit: pro eo quod. Locus qui sequitur, est ex præstantissimis, propter dignitatem tenuitati rerum additam, ex translatis ab

Namque aliæ victu invigilant, et fœdere pacto
Exercentur agris; pars intra sæpta domorum
Narcissi lacrimam, et lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenacis
Suspendunt ceras; aliæ, spem gentis, adultos
Educunt fetus; aliæ purissima mella
Stipant, et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti;
Inque vicem speculantur aquas et nubila cœli;
Aut onera adcipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum, fucos, pecus a præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina massis
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Adcipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt
Æra lacu; gemit inpositis incudibus Ætna;
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter, si parva licet conponere magnis,
Cecropias innatus apes amor urguet habendi,
Munere quamque suo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, et dædala fingere tecta:
At fessæ multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenæ; pascuntur et arbuta passim,

humano genere. 157. Ge. I. 127. *In medium quærelant.* 158. Partitæ inter se opus ac munera certo ordine (hoc est *fœdere pacto*), aliæ *victu invigilant*, victui quærendo, cibo congerendo, operam dant, et *exercentur agris*, discursu et vagatione vexantur, fatigantur, per agros; ut sæpe *exerceri laboribus*, *opere*, dicimur, quod tractamus. 160. *Narcissi lacrimam*, guttam, nectar, humorem dulcem, seu melleum, quem imus florum calyx exsudat. 161. *favis*, cellulis mel receptu-ris, *fundamina*, propolin. 164. *distendunt nectare cellas*, ornatius, quam, replent, explent; nam majorem abundantiam repræsentare animo videtur, quod adeo cellularum latera tumere faciat.

166 An futuri sint imbres, ne reliquæ exeant. 168. *fucos*, apes majores iis, quæ mel faciunt.

170 *lentis massis*, ferri, quod procudi ac duci potest, *properant*, properanter conficiunt, σπεύδουσιν, ἐκπύγουσι, fulmen. Sic Calim. in Dian. 49. de ipsis Cyclopibus ἐκπύγελο γὰρ μέγα ἔργον. *Lacus* ut fontes, pro aqua positus. Hoc magis poeticum, quam ut *lacus* ipsum vas sit; uti in vineis *lacus* sunt: Ovid. Met. IX. 170. *gelido cum quondam lamina candens Tincta lacu, stridit.* 175. *In numerum*: ἐν ῥυθμῷ, εὐρύθμως.

177 *amor habendi*, h. l. acquirendi studium, cum mel parant. *munere suo*, pro cujusque viribus, ut 158. sqq. partibus cuique assignatis. 179. *munire favos*, pulchrius quam, fingere, facere, fabricari. 181. *pascuntur*, depascunt, ut verbi usum vidimus Ge. III. 314. De *arbutis* v. G. III. 300. *glaucas salices* Ge. II. 13. *casiam*, II. 213.

Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, et ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis; nusquam mora: rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;
Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
Post, ubi jam thalamis se conposuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia inpendente recedunt
Longius, aut credunt cœlo adventantibus Euris;
Sed circum tutæ sub mœnibus urbis aquantur,
Excursusque brevis tentant, et sæpe lapillos,
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram,
Tollunt: his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fetus nixibus edunt:
Verum ipsæ e foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt; ipsæ regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Adtrivere, ultroque animam sub fasce dedere:

183. *pinguem tiliam*, a melle florum et foliorum, quod exsudant, glutini apum idoneum. *ferrugineos hyacinthos*, alias *purpureos*, *vaccinia nigra* Ecl. II. 18.

188 *mussant*, murmurant, fremunt: vid. Æn. XI. 454. 189. *thalami*, cubicula, pro alveis. 190. *sopor suus*, ex usu hujus nominis poëtico, illis debitus et conveniens, quippe labore diurno paratus, aut illis solitus et usitatus. 191. Arat. Diosem. 296. inter signa imbris ingruentis: ὐδ' ἂν ἐπὶ ξουθαὶ μεγάλου χειμῶνος ἴοντος πρόσσω ποιήσαντο νομὸν κηροῖο μέλισσαι ἀλλ' αὐτοῦ μέλιτός τε καὶ ἔργου εἱλίσσονται (h. κατὰ, περὶ μέλιτος). 192. *credunt cœlo*, fidem habent sereno cœlo. 194—196. Observatum hoc multis, apes adverso vento volantes lapillis se onerare, ne a vento abripiantur. *cymbæ instabiles*, levitate oneris fluctuantes.

197 Inter plures veterum de *apum generatione* opiniones erat etiam hæc, non gigni nec nasci eas, sed ex floribus legi. Nunc reginam, vulgo pro rege habitam, communem stirpis auctorem ac parentem, ovis pariundis solam vacare, communis opinio est; unde mox excludantur apes, cum novæ matres, tum mares, seu fuci, tum mellificantes apes, in quibus nondum ulla sexus nota reperta est: ut adeo apes cum formicis novam animantium classem constituant, quæ triplicem sexum complectatur.

197—199 Novus orationis color: *Illum mirabere*; h. e. alia, eaque nec minus mira, natura est, quod concubitui non indulgent, nec concipiunt, nec pariunt. 203 sq. *Sæpe etiam*. Ex floribus apes et fetum et fetus cunabila et cubicula parare dixerat. Subjungit mutato sententiæ ordine: Itaque tanto

Tantus amor florum, et generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamvis angusti terminus ævi
Excipiat: neque enim plus septuma ducitur æstas:
At genus inmortale manet, multosque per annos
Stat Fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Præterea regem non sic Ægyptos et ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant. Rege incolumi mens omnibus una est;
Amisso rupere fidem, constructaque mella
Diripuere ipsæ, et crates solvere favorum.
Ille operum custos; illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes;
Et sæpe adtollunt humeris, et corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per volnera mortem.
His quidam signis, atque hæc exempla secuti,
Esse apibus partem divinæ mentis et haustus
Ætherios dixere; deum namque ire per omnis
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,

florum obeundorum studio tenentur, ut etiam alas interdum atterant acutis lapillis, et onere oppressæ deficiant.

205 *generandi gloria mellis*, h. studium; spes et studium gloriæ ex mellis generatione. 206. *Ergo*, cum tam facili ac prompta natalium ratione ex floribus se reficiant—*genus inmortale manet*, quod copia poëtica trinis modis enuntiat. 207. *Excipiat*, ut fortuna, fors, calamitas, nos excipere dicitur; h. ut iis sit. Ut λαβεῖν, λαχεῖν, ita *excipere nos* dicuntur ea, quæ obtingunt, eveniunt, inprimis certo ordine, tempore, sequela. Sic Ge. II. 345. *Si non exciperet cœli indulgentia terras*. cf. Æn. III. 317. 318. et Æn. I. 276. *plus*, plus quam.

209 *Fortuna domus* ornatius, quam domus, et hoc pro apum genere. 210. *Lydia ingens*, non respectu ad reliqua imperia habito, sed ad Crœsi victorias et opes. *Medus Hydaspes*. Haud dubie poëta, forte Græci alicujus poëtæ exemplo, designasse videtur imperium veterum Persarum, cujus fines ad Indiæ illam partem pertinebant, in qua Hydaspes erat. Pro Persico itaque, seu Persa, *Medum* amnem poëtico more appellavit, ut Horat. Od. I. 2. 51. et al. 214. *crates favorum*, pro textis. Faciunt itaque, quod sæpe exercitus fecisse legimus amisso duce suo: rumpunt, solvunt fidem, deficiunt

217 *bello Objectant*, armis hostilibus: ingruentibus hostibus. Omnia hæc graviter et ornate.

219—227 Ex Pythagoreorum disciplina, quam deinde Platonici ac Stoici, quamquam diversis quique modis commentantes, amplexi sunt, hæc petita, de anima mundi, h. principio agente, per omnem naturam fusa, omnium animantium animas subministrante, et easdem, dissoluto corpore, iterum in se, tamquam sibi συγγενεῖς, recipiente. Cum autem illa mens subtilissimi ac purissimi ætheris aut ignis naturam habere crederetur; spiritus ex ea emanantes *ætherios haustus* dixit. Idem placitum exposuit Æn. VI. 724—751. et tenendum illud propter multa alia poëtarum loca.

219 Ex his signis, τοιαυτοις, *atque hæc exempla*, argumenta, *secuti*. Ornavit poëta vulgare nostrum: His apum factis quidam adducti sunt ut opinarentur, &c. 222. *cœlum profundum*, altum, in magnam altitudinem

Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas;
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia; nec morti esse locum; sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.
Si quando sedem augustam servataque mella
Thesauris relines: prius haustu sparsus aquarum
Ora fove, fumosque manu prætende sequacis.
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis:
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias, et Oceani spretos pede repulit amnis:
Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
Tristior hibernas cœlo descendit in undas.
Illis ira modum supra est, læsæque venenum

exsurgens; ut contra *altum mare* pro profundo.

224 *tenuis vitas*, animas, quippe ætheriæ naturæ. *arcessere*, accipere. 226. *Omnia*, h. spiritum omnium, quæ vitam sibi ex æthere arcessiverunt. 226. 227. h. e. evolare in ætherem. *Sideris in numerum*, inter sidera, nam eadem mundi anima sidera movet; cum autem corpore soluta anima propter ætheriam suam naturam altum petit: redit ea in cælum et astris admiscetur. Successit mox illa opinio, qua justorum ac piorum animas in sidera reponi arbitrati sunt.

228—237 De castratione favorum præcipere incipit, et quidem cum præsidia contra apum iram et furorem, fumum et aquæ adspersionem, tum tempus mellationis vere et autumno tradit.

228. 229 *servata mella Thesauris relines*, pro, thesauros mellis servati; qui *relinuntur*, resignantur; proprie amphoræ, dolia et alia oblita pice et obducta, relini dicuntur. 229. 230. Si vera est hæc lectio, et si interpretandi regulas sequeris, sententia verbis efficitur hæc; ut *fovere ora haustu aquarum*, dicta sint pro, fovere aquam haustam ore, h. eam tenere, continere, habere; poëtica copia addidit sparsus, sc. ora, quoad ora; habens ora sparsa, adsperga, proluta aqua. Expedita hactenus sententia; sed quæri nunc potest quorsum hoc factu opus sit. Statuebam eamnam esse, ne ora male olentia sint, quod fœtorem ferre nequeunt apes. Enimvero, vel sic non satis patet, quorsum gravi odori cavere opus esse creditum fuerit, cum fumos mellearius præ se ferat manu. *Fumum prætendere* h. ante se ferre; quo scilicet apes in vestibulum, vel cellam, aliamve alvei partem abigantur, favosque eximendos a mellario relinquant.

231—235 Sunt hæc interposita. Bis in anno mella eximuntur, vere transacto, et circa æquinoctium. Bene monentibus concedo: imprimis, quod nunc non ipsæ apes sunt graves melle, sed favi sunt graves. Manendum igitur in altera Cerdæ, Ruæi, et Martini interpretatione, qui ad interpretum consensum provocat, *fetus gravidos* esse ipsum mel. cogere mella vidimus supra vs. 140. Dictum erit fetus notione generali de quocunque proventu, nunc mellis; non modo pecudum, arborum, agri. *triticeos fetus*, Ovid. Fast. I. 693. ergo nunc absolute proventus mellis. *gravidus* autem nunc est plenus, dives, ut *gravidas aristas*, *gravidos culmos*, dictos vidimus. *duo tempora messis*, mellationis.

232. 233 h. e. sub ortum Pleiadum. *simul Plias*, seu *Plias* ex Πλειάς, *Taygete* (est ea una Pleiadum, quæ h. l. una cum ipsa intelligendæ sunt), *ostendit os honestum*, pulchrum, tamquam Nympha, *terris*, h. in conspectum venit, orta est. Theoc. XVIII. 26. Ἀὼς ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον. *et repulit pede*, quod faciunt, qui in altum enituntur, elevant se. *amnis Oceani* (Homerico vocabulo, ut λ, 638. ambit enim terram amnis more), quia sidera cosmice orientia ex oceano assurgere videri possunt, ut sol; *spretos*, ornatu poëtico adjectum, quod convenit alioquin iis, quæ pede repellimus.

234. 235 Et sub occasum, qui in VI. Idus Novembris refertur. *Aut ubi eadem* Plias *descendit cœlo*, occidit, *tristior*, quia tristi, ingrato, anni tempore, *in undas hibernas*, tempestatibus vexatas, quippe mense Novembri. In mare autem se condere videri possunt sidera occidentia. *fugiens sidus Piscis aquosi*, quandoquidem is Pleiadum situs est in cœlo, ut alter Piscium eas a tergo urgere et insequi videri possit.

Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt
Adfixæ venis, animasque in volnere ponunt.
Sin duram metues hiemem, parcesque futuro,
Contusosque animos et res miserabere fractas:
At suffire thymo, cerasque recidere inanis,
Quis dubitet? nam sæpe favos ignotus adedit
Stellio; et lucifugis congesta cubilia blattis;
Inmunisque sedens aliena ad pabula fucus,
Aut asper crabro inparibus se inmiscuit armis;
Aut dirum, tineæ, genus; aut invisa Minervæ
Laxos in foribus suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustæ fuerint: hoc acrius omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
Complebuntque foros, et floribus horrea texent.
Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo;
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis:
Continuo est ægris alius color; horrida voltum

236 Conjuncta hæc cum superioribus; nam, dum mel exciditur, iras apium maxime experiare. 237. *spicula cæca*, h. occulta, brevia, quæ possunt latere. *Morsus* pro aculeorum ictibus dici, obvium. 238. *Adfixæ venis*, gravius quam cuti, corpori. *in volnere*, in inferendo vulnus. Nam aculeis amissis mori creditæ sunt.

239—247 Sin apiarius, hiemis immitioris metu, curaque apum et miseratione, non omnes favos exscindat, et aliquam mellis partem apibus relinquat: at saltem, propter variorum insectorum insidias suffiendus est alveus, inanes cellæ exscalpendæ et recidendæ, ne quod in iis animalculum occultum lateat. 239. *parces futuro* conditioni ac necessitati apum futuræ. 240. Spoliato alveo et cibi penuria, hiemali tempore. 241. *Ut omnes vitiosi favi tollantur*, curandum est. *At* in apodosi, ut supra aliquoties; εἶτα, ἀλλά, ἀλλά γε, quod etiam *attamen*. 242. *ignotus Stellio*, non observatus, occulte adrepens. *et blattis congesta cubilia sunt*, h. blattæ cubilibus eo, in favos vacuos, congestis, adedere favos. *lucifugis*, per noctem vagantibus. Est vermium genus, ceram depascentium; ex erucis in chrysalides tandemque in blattas lucifugas transformari solent. 244. *fucus inmunis*, quod ipse nihil operæ ad mellificium confert. 245. *inparibus armis*, h. l. quibus apes pares non sunt. *asper* v. Georg. III. 149. 246. *tineæ*, quarum papiliones enecare jubet Colum. IX. 14. 8. 246. *invisa Minervæ*; nota fabula de Arachne.

248 *Quo magis exhaustæ* apes sunt melle subducto (nec tamen eo usque, ut fame pereundum sit, nec alieno tempore), *eo acrius omnes* operam dant, ut jacturam tantam reparent: *ruinas generis lapsi*, ut paullo ante, *res fractas*, a republica et imperio aliquo sumtum. Notum autem inter mellitturgos, ex mellis abundantia inertia et luxuria solvi apes; itaque etiamnum inter mellificii nostri noxas habetur, quod non satis mellis apibus subducitur, contra vero, vere ineunte, novus cibus apponitur. Hinc nec fucos omnes interimendos esse contendebant veteres. 250. *foros*, alveos, favos in alveis, sive a locis spectaculorum, sive a tabulatis navium: *et floribus horrea texent*, florum succo ac polline conficient favos; proprie cellulas, in quibus tamquam horreis mel reconditur.

251—280 De morbis apum et morborum cura. Versus 253. ad 263. interpositos esse memento, nec male forte parenthesi includas. Comparari possunt Varro III. 16. 20. Colum. IX. 13. ubi § 7. totum h. l. expressit.

Deformat macies; tum corpora luce carentum
Exportant tectis, et tristia funera ducunt;
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in ædibus, omnes
Ignavæque fame et contracto frigore pigræ.
Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant:
Frigidus ut quondam silvis inmurmurat Auster;
Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis;
Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hic jam galbaneos suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallæ admiscere saporem,
Arentisque rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel psithia passos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, et grave olentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba;
Namque uno ingentem tollit de cespite silvam,
Aureus ipse; sed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ;

252 *Vita tulit*, h. conditio, sors, natura apum, ut βίος, et saepe *vita humana*. 254. *alius color*, ἀλλοχροῶσι. 259. *Ignavæ fame*, inedia. Sed proprie potest tamen accipi; est enim *fames hiberna* inter morbi causas: unde inter remedia infra vs. 280. cibi copia ponitur. *contracto frigore pigræ*, proprie sunt ipsae *frigore contractæ*. Sed transfertur hoc, poëtico more, ad ipsum frigus.

260 *tractim*, tractu, trahendo se, sive ad tempus referas, ut sit continuo, jugiter, sive ad locum, ab uno angulo ad alterum, per omnes alveorum et examinum ordines susurro continuato, ἑπισυνεχῶς, nil interest.

262 *mare sollicitum*, sollicitatum, commotum, ἐρεθισμένον, seu defluxu maris reciproco, seu, ut in Homero, fluctibus ad littus impulsis et allisis. 263. *fornaces* sunt fabrorum ap. poëtas. Ternas comparationes ex Homero expressas esse post Servii indicium vidit jam Guellius, Iliad. ξ, 394—399. De *galbano* v. ad Ge. III. 415. 266. *fessas*, aegras, ut saepe. 267. *admiscere*, scil. illis mellibus, quae infundis. Galla, excrescens ille in glandiferarum nonnullarum arborum foliis tumor, insectis gravidus, adstringentem habet naturam (unde h. l. *sapor gallæ* pro galla), adeoque profluvium sistit alvi, quo laborant vere ex certo pabuli verni genere apes. cf. Colum. IX. 13. 2. Varro III. 16. 22. *Psithia* vitis utilissima passis uvis conficiendo inde vino *passo*. *Defrutum* vinum dulce ac coctum. 270. *Cecropiumque thymum*, v. sup. v. 112. 177. *centaureum* sive centaurium, majus et minus, a Centauro Chirone nomen traxit.

271 Consentiunt viri docti in hoc, *amellum* esse *Asterem Atticum cæruleum vulgarem*, quem in Italia, Sicilia, et Gallia Narbonensi incultis et asperis convallibus passim nasci Raius testatur; unde *facilis quærentibus herba*. 273. *uno de cespite*, seu uno eodemque soli loco, seu una eademque radice, ut *cespes* sit radix cespitosa, seu radix fibris inter se in cespitis modum implexa. 274. 275. flore flavo, foliis purpureis violaceo co-

Sæpe deum nexis ornatæ torquibus aræ;
Asper in ore sapor; tonsis in vallibus illum
Pastores et curva legunt prope flumina Mellæ.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis adpone canistris.
Sed, si quem proles subito defecerit omnis,
Nec, genus unde novæ stirpis revocetur, habebit;
Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo cæsis jam sæpe juvencis
Insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Adcolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura faselis;
Quaque pharetratæ vicinia Persidis urguet,

lore. 276. Solent aræ sertis ex hoc amello nexis ornari. 277. *tonsis in vallibus*, quas pecudes tondent (v. Georg. I. 15. et al.); nam sequuntur pastores qui inter pascendum herbam colligunt. 278. *Mella. Brixia—Flavus quam molli præcurrit flumine Mella* Catull. LXIII. (67.) 33. Fluvium itaque ex vicinia agri Mantuani memoratum vides. 279. *odorato Baccho*, simpl. ἀνθοσμίαν, εὔοσμον, εὐώδη, ut Theocr. XIV. 16. odorum vinum, adeoque generosum, intellige.

281 Ingreditur nobilissimum locum de reparanda stirpe apum, cum morbo examina tota interierint. Sequitur autem opinionem veteribus communem, posse ex bove cæso nova apum examina excludi; quod Ægyptiorum inventum et artificium esse vulgo jactabatur. Experimentum rei qui instituerit, non memoratum vidi. Videtur illa Orientis olim communis opinio fuisse, ut omnino insecta, ita apes, ex putribus cadaveribus generari; cui illa observatio forte locum fecerat, quod apes in iis terris, ubi passim per silvas sine cultu vagabantur, mel interdum in cadaveribus, sed exsiccatis, non vero quod narrant sanie diffluentibus, facere videbant.

282 *genus novæ stirpis*, genus novum, a nova stirpe oriundum, examen. 283. *Arcadii magistri* pastoris, Aristæi. v. infra v. 317. et 539. Sequitur igitur in hoc Maro eos, qui eum Arcadiæ heroem ediderant. 284. Et quomodo jam sæpe cæsis juvencis *cruor insincerus*, corruptus ex putredine, *tulerit*, protulerit, generarit *apes*. 286. *omnem famam*, rei memoriam, narrationem.

287—293 h. per totam Ægyptum. *gens fortunata*, a terræ felicitate, seu fertilitate ex Nili incrementis. *Canopus*, ὁ Κάνωβος, Ægypti urbs, non longe ab Alexandria; quæ occidentalem Ægypti partem designat (est enim Canopicum primum ab occidentali latere Nili ostium); unde Æschyl. in Prometh. v. 845. ἔστιν πόλις, Κάνωβος, ἰσχάτη χθονός. *Pellæum*, h. Macedonicum, a nobili Macedoniæ urbe Pella, unde *Alexander Pellæus*. Ex quo autem tempore Macedones Ægyptum obtinuere, a regibus ipsa terra *Macedonica*, adeo et *Pellæa*, appellari potuit. *stagnantem* pro inundanti dixit poëtico usu. Et sane *effuso flumine* stagnat aqua in locis vicinis, etsi ipso alveo aqua concitatiore cursu fertur. *pictis faselis*, pulchre, nam hoc proprium Ægyptiorum, ut certo navicularum genere, *Baris* nomen erat, per Nilum discurrerent.

290 *Quaque vicinia Persidis urguet*, h. ab ea parte, qua Ægypto Persis contermina est; quæ vicina sunt ac contigua, poëtica oratione *urguent*. *Persis*, h. l. pro imperio Parthico, more sollenni Romanorum poëtarum: sic *Medus Hydaspes* v. 211.; hinc et *pharetrata*, quod de Parthis proprie dici solet; quis Parthorum pharetras ignorat? Multo tamen commodiorem verborum et sententiæ junctuam fore video si *vicinia* a *vicinium* ductum esse existimetur; hoc modo: *Quaque omnis usque a coloratis Indis devexus*, h. Nilus, vicinia loca, finitima, fines, *Persidis urguet*, attingit; ab orientali Ægypti parte seu versus ostium Nili Peleusiacum; *et viridem Æg.*

* Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena, *
* Et diversa ruens septem discurrit in ora *
Usque coloratis amnis devexus ab Indis;
Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.
Exiguus primum, atque ipsos contractus ad usus,
Eligitur locus: hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt artis, et quatuor addunt,
Quatuor a ventis, obliqua luce fenestras.
Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte,
Quæritur: huic geminæ nares et spiritus oris
Multa reluctanti obsuitur, plagisque peremto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, et ramea costis
Subjiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentis.
Hoc geritur, Zephyris primum inpellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat; et visenda modis animalia miris,

hic. *Et qua amnis usque ab Indis coloratis devexus, κατωφερὴς*, ex altis montibus proclivi descensu in planiciem dum defertur, pronus, *fecundat Ægyptum, viridem* lœto agrorum proventu, *nigra arena*, pro limo: est enim *arena* poëtis simpl. solum, ut Georg. I. 105. *et ruens discurrit in septem ora diversa.* Igitur totus locus huc redit: Per totam Ægyptum, cum in occidentali latere, circa Canopum non longe ab Alexandria, tum in orientali, versus fines Parthici imperii, adeoque per totam inferiorem Ægyptum (Delta nomine celebratam), *omnis regio*, tota gens, *jacit salutem certam*, ponit salutis spem ac fiduciam, *in hac arte*, reparandi apes ex boum visceribus.

295 *contractus*, coartatus, spatio angusto factus, ad hunc ipsum usum, *locus*, οἶκος, *decem cubitorum in altitudinem et latitudinem*, inquit Florentinus. 296. *Hunc* locum et *angusti imbrice tecti*, h. angusto tecto (cujus fastigiis imponi solent cavæ tegulæ, *imbrices*), et *parietibus artis*, angustis, *premunt* pro exstruunt, sed multo elegantius, quasi coërcent; et quatuor relinquunt spiracula ad quatuor cœli cardines spectantia.

300 *spiritus oris*, h. os. 301. *multa reluctanti*, πολλ' ἀεκαζομένῳ, ut apud Homer. Iliad. ζ, 458. 302. *solvuntur*, resolvuntur contusa, comminuuntur, ut in putredinem tanto citius abeant, *pelle* tamen *integra* manente. Sed et simpliciter *solvuntur tunsa*, pro tunduntur; *viscera* pro omni carne.

303 *in clauso*, luto etiam denso obducta janua et fenestris; sed, ut adjicitur, XXI. die dies et purus aër admittitur, vento tamen excluso; et tum rursus omnia oblita occluduntur. Quo facto, undecimo inde die, aperta domo examina nova effervescere reperiuntur. Facile ex his apparet, quomodo mater apis in οἶκον penetrare potuerit. *ramea fragmenta*, ramorum, h. ramos. *casias* v. sup. ad Ge. II. 213.

305—807 Hæc faciunt ineunte vere. *novis coloribus*, floribus. *rubeant*, efflorescant, niteant. Georg. II. 319. *vere rubenti.*

308 *humor*, vitiatus putredine sanguis, sup. v. 285. *insincerus cruor. teneris* autem *ossibus*, quia hæc ipsa contusa colliquescunt. 309. *Æstuat*, fermentescit. Narrata sunt hæc, etsi ex ovis excludi vermiculos, ex his evolare apes satis constat, fabulosa, fere ad eum modum, quo animantia primo esse nata opinati erant indocti physici inter Ægyptios.

Trunca pedum primo, mox et stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt;
Donec, ut æstivis effusus nubibus imber,
Erupere; aut ut, nervo pulsante sagittæ,
Prima leves ineunt si quando prœlia Parthi.
Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe,
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,
Multa querens, atque hac adfatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes, quid me præclara stirpe deorum,
Si modo, quem perhibes, pater est Thymbræus Apollo,
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
Pulsus amor? quid me cœlum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.

310. *Trunca pedum* Græce pro *trunca pedibus*, et hoc pro, truncis pedibus. Locum expressit, sed suo more, Ovid. Met. XV. 382. sqq. 311. *aëra carpunt*, ut *viam*, h. volant; quod idem est, *stridentia pennis miscentur*. 313. *Erupere*, melius quam erumpunt; ut *sagittæ* erupere, *nervo* arcus *pulsante*, propellente sagittam.

316 *Unde nova hominum experientia cepit ingressus*, habuit exordia; unde processit: qua re homines adducti ad hanc artem ab experientia suppeditatam progressi sunt. De Aristæo vid. modo ad v. 283. Quod inventum reficiendarum apum ad eum refertur, ignoratur, quo exemplo Maro fecerit; ignoratur quoque, quo auctore Aristæo crimen tentatæ Eurydices impactum sit. Ex perpetuis fere exemplis Romanorum poëtarum ad Græcos se componentium, inprimis Virgilii et Horatii, et ad sensum cujusvis viri docti, qui lectione varia animum ad hæc paravit et acuit, fit probabile, saltem suspicari licet, vel ex summo rerum ornatu, Maronem hic alium, eumque Græcum poëtam, expressisse. Fabulam ipsam *de bugonia* exponit Ovid. Met. XV. 361. sq.

317 Aristæus ex mente poëtæ tum in Thessalia degebat, necdum Ceam adierat. *fugiens* simpl. relinquens, *Tempe*, discedens inde ad *caput amnis*, Penei, fontem. Sic fons Timavi—novem ora Æn. I. 245. 246. Erat autem mater, Cyrene, una ex Nymphis hujus fluminis, eademque Penei filia seu neptis. Porro hunc versum et has querelas ex Homerica expostulatione Achillis cum Thetide Iliad. α, 349. sqq. expressas esse, nota. Sed mirifice exornavit Virgilius nude ab Homero primum tradita. Conf. etiam Iliad. σ, 70. sqq. et Calimach. in Cerer. 99. 323. *Thymbra*, ager Troadis, fluvio Thymbrio irrigatus, qui in Scamandrum cum Simoente jam junctum se immittit; fano Apollinis nobilis. Est autem versus adumbratus ex Odyss. ι. 529. Ἐι ἐτεόν γε σὸς ἐιμὶ, πατὴρ δ' ἐμὸς εὔχεαι εἶναι. 324. Ita Æn. II. 595. *quonam nostri tibi cura recessit*. 326. 327. Exornavit poëta τὸ ἀτιμᾷν Homeri; hanc gloriam, quam mihi multo cum labore, longæ experientiæ molestia, ex agrorum cultu et pecudum (adeoque etiam ex apum) cura paraveram, hunc fructum amitto, et hoc quidem, cum te deam matrem habeam. *frugum et pecudum*: nam eidem Aristæo tributa cura pecoris, ut Ge. I.

Quin age, et ipsa manu felicis erue silvas;
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messis;
Ure sata, et validam in vitis molire bipennem:
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit: eam circum Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore;
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Cæsariem effusæ nitidam per candida colla;
* Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque *,
Cydippeque, et flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores;
Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ;
Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deiopea;
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.

14. unde idem Νόμιος. 329. *felicis silvas*, arbusta fructiferarum arborum. 330. *inimicum ignem*; diu notatum, hunc esse τὸ δῖον πῦρ ap. Homer. et alibi. *interfice messis*, perde. 331. *sata* post *messis* et cum vitibus juncta cum Martino dices esse arbores satas. *molire*, vibra, jacta, ut excidantur vites.

333 sqq. Adumbrata hæc ex Homero, ubi Thetis in imo maris fundo luctum Achillis resciscit Iliad. σ, 35. sq. *sonitum*, confusum, nondum disertam vocem, qua filium agnoscere posset. Quæ sequuntur, adumbrata sunt ad vitam priscorum hominum; sedebant in thalamo puellæ, etiam regiæ, assidentibus seu comitibus et æqualibus seu famulis, ut opus facerent seu nendo seu texendo; nunc deabus assignatum opus e lana præstantissima, Milesia, colore cæruleo. 334. *Vellera carpebant*, lanam ducebant fuso, nebant. 335. *hyali colore*; voluit colorem *hyalinum* exprimere, h. viridem, vitro, viridioris coloris puta, similem. *hyalus*, ὕαλος, pro vitro, nove dictum: forte dum Græcum aliquem poëtam sequebatur Virgilius. Sunt igitur *vellera fucata*, lana tincta, *colore hyali*, vitri, h. colore viridi, *saturo*, h. quo ipsa vellera saturata sunt; nam proprie *lana* est *satura*, quæ satis colore imbuta est. Alias, ubi *vitreum mare*, *vitreus pontus*, et similia dicuntur, ad colorem cæruleum spectare id videtur; si *vitreus fons*, ad pelluciditatem. *Vitream Circen* alia audacia dixit Horat. I. Carm. 17. 20. pro marina: ut alias deæ marinæ solent dici *cæruleæ*; *vitreum antrum* Ovid. Met. V. 48.

336 In hujusmodi enumeratione multorum nominum ex mythicis rebus petitorum videntur sibi valde placuisse veteres poëtæ; forte quia eruditionis laudem res habebat, et varietatis copiæque gratiam nominum ex etymo significatus affundere potest. Nostris quidem sensibus periit illa suavitas. Ceterum hic locus et hæc nomina ex Homero petita Iliad. σ, 37. sqq. *Oceanitides ambæ*, hæ igitur solæ Oceani filiæ; adeoque cæteræ Nereides: quas numero L, illas ter mille fuisse traditum. Communi tamen usu omnes dictæ Nereides. Ambæ cinctæ auratis et pictis, h. variis, pellibus, tamquam Nymphæ, et quidem venatrices; cf. v. 344.

343 *Asia* a tractu Lydiæ: v. sup. Georg. I. 383. 344. *Arethusa velox*, ergo et ipsa venatrix, cum Clio et Beroë; *positis sagittis*, quæ tum deposuerat arcus; nam assidebat colo tum inter cæteras. Dicendum est, poëtas omnino in Nympharum generibus discernendis non ubique esse solere satis subtiles ac diligentes, et Nymphas fontium et amnium silvis et saltibus, contra vero ex montibus et saltibus deductas Oreadas et Napæas venationi immisceri adeoque sagittis et arcubus instrui. Ita Diana Nymphas ve-

Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani, Martisque dolos et dulcia furta;
Aque Chao densos divom numerabat amores.
Carmine quo captæ dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas inpulit auris
Luctus Aristæi, vitreisque sedilibus omnes
Obstupuere; sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summa flavum caput extulit unda.
Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.
Huic percussa nova mentem formidine mater,
Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divom
Tangere, ait; simul alta jubet discedere late
Flumina, qua juvenis gressus inferret. At illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Adcepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
Jamque domum mirans genetricis, et humida regna,
Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantis,
Ibat, et, ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna labentia flumina terra

natrices ex Oceaninis legit ap. Callim. in Dian. 42.

345 *curam inanem Volcani*, studium inane in observando adultero et sumenda ab eo ultione. 346. *doli Martis* dicuntur, cum clam Vulcano fierent, ut ibid. vss. 268. 269. 347. *densos—amores*, crebros, magno numero et longa narrationis serie pertexendos. 350. *Luctus*, querelæ. v. 353. *gemitus*. Mox *sorores:* non licet nimis severum esse; poëta dixisse videtur, quatenus omnes Nymphæ Nereides fuisse intelligi possunt. 355. *Penei genitoris* Cyrenes. Sed perpetuum magnorum fluviorum, *pater*, *genitor*. 356. *nomine dicit*, nominat, poëtica periphrasi. conf. Æn. XII. 652. 357. *nova formidine*, repentina. 359. Versus ex Iliad. ω, 96. ἀμφὶ δ' ἄρα ἀφι λιάζετο κῦμα θαλάσσης. Qua se juvenis per fontem in aquas immittit: moles aquarum sinum facit et cavum arcum, ut tamquam per antrum descendat ad loca subterranea, in quibus aquarum sunt receptacula et fontes, et in his, Penei. 361. Versus ex Hom. Od. λ, 242. πορφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθη, ὄυρεϊ ἶσον. 362. *Accipere* nos dicitur locus, quem ingredimur, *mittere*, dum per eum transimus.

363 Hanc mirationem novarum rerum in juvenis animo, quamquam gravi cura oppresso, egregie memorari, unusquisque facile animadvertat. Poëta hic non fontem Penei sed vastam aliquam cavernam sub terra narrat, e qua, tamquam e communi fonte, sed diversis partibus ac locis, omnia flumina orta diversis viis ad terræ superficiem et ad suam quodque originem properent et ex terra prodeant. Est tamen eadem ista caverna tamquam aliqua regia, in qua dii fluvii, fontiumque Nymphæ, sua palatia, suos thalamos habeant, quorum unum Cyrene cum suis Nymphis tenebat. Secundum hæc facile erit intellectu, quid sint *speluncis lacus clausi*, s. inclusi, qui sunt in speluncis, h. magnæ illæ cavernæ recipiendis aquis; quas ipsi

Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caïcus,
Et gemina auratus taurino cornua voltu
Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, et gnati fletus cognovit inanes
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontis
Germanæ, tonsisque ferunt mantelia villis.
Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt
Pocula; Panchæis adolescunt ignibus aræ;
Et mater, Cape Mæonii carchesia Bacchi;
Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,
Centum quæ silvas, centum quæ flumina servant;

fontes scaturientes faciunt, et unde aqua exsuperans amnis fit. cf. Æn. VIII. 74. 75. Cum ex illis cavernis orta flumina procedant aliquantum viæ subter terra, donec ad superas auras prodeant, huic viæ littora nemoribus obsita, quæ strepitu aquarum alluentium resonant, non incommode dari potuere.

366 *flumina diversa locis.* quod in pedestri sermone, *diversis locis*. *Lycus* h. l. Ponti fluvius, quia cum *Phaside*, Colchidos fl. junctus est, et uterque in Pontum Euxinum se immittit. *Enipeus* Thessaliæ, *Hypanis* Sarmatiæ, nunc *Bog* dictum, nota flumina. 368. *caput* h. l. fons v. ad v. 319. 371. Fluviorum dii cornibus taurinis res notissima. Padus vero habet *cornua aurata*; sive propter fertilitatem agri adjacentis, sive simpliciter quia deorum attributa sollenni epitheto sunt *aurea*. Impetuosissimum autem amnem olim Padum fuisse, ex aliis locis manifestum est. cf. Ge. II. 451. 452. quanquam nunc ejus natura diversa esse narratur. 373. εἰς ἅλα πορφυρέησιν, nigrum, ut notum. Sane *purpureus* non semper ad colorem refertur; verum etiam ad splendorem ac nitorem purpuræ, ut adeo sit pro fulgens, nitens: ut *lumen purpureum*, *nix purpurea*.

374 Pervenit tandem Aristæus ad thalamum matris, *pendentia pumice tecta*, antrum pumiceum, ad camaræ morem curvum et fornicatum; ergo latera et tholus sunt *pumice pendenti*; unde poëticus sermo exquisitius etiam *tectum pendens pumice* dicit. Exceptus ille hospitio lavatur, et mensa apposita recreatur; fit libatio, in patris quidem Oceani et Nympharum honorem—383. Inter hæc mater, quam ex filio calamitatem didicisse et de remedio cogitasse puta, ex flamma, vino libato emicante, bono omine capto erecta filium ad Proteum ablegat, ut ex eo modum reparandorum examinum comperiat. 375. *fletus inanes*, levi de causa susceptum dolorem, et cui facilis et parata medicina esset. 376. *fontis*, aquam. Excipitur puer ad veteris hospitii inter heroes morem. 377. *tonsis mantelia villis*, lanea, lanugine in texti superficie attonsa, adeoque lævia, ac tenuia, mollia. 378. *reponunt*, pro simplici ponunt ut Ge. III. 527. *mensæ repostæ*. 379. tura ardent in aris; translatum ab hominum conviviis, inprimis festorum dierum: peractis epulis fiebat libatio. 380. *Bacchi Mæonii*, vini Lydii, Tmolii supra Ge. II. 98. pro præstantiore vini genere. *Carchesium* vas oblongum, ansatum. 381. *Oceano*, quippe communi omnium fluminum et fontium patri. Iliad. φ, 195. sqq. et alibi. Mox v. 382. Oceanus *pater rerum*: ut adeo omnino naturæ parens ille edatur. 383. Nymphæ, sorores Cyrenes generali notione, ab Oceano genus ducentes, ut

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa:
Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portus patriamque revisit
Pallenen; hunc et Nymphæ veneramur, et ipse
Grandævus Nereus; novit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno visum est: inmania cujus
Armenta et turpis pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem
Expediat morbi causam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit præcepta neque illum
Orando flectes; vim duram et vincula capto

ipsa Cyrene, Hypsei fil. cf. ad v. 341. *servant*, incolunt, ut sæpe poëtæ. 384. *Vestam*, ignem. 385. *subjecta*, subjiciens se, emicans et lambens lacunar. Erat autem hoc fausti ominis, ut sæpe alias; quo omine firmata jam mater, ut consilii sui bonum eventum animo præciperet, ut Proteum adiret, puero suadet, ex quo reparandorum examinum rationem comperiat.

387 Locum hunc ex Od. δ, 364—384. sqq. adumbratum esse, omnes viderunt interpp. Fabula de Proteo de Ægypto ducta haud dubie; sedes ejus apud Homerum ad Pharum insulam, in littore tum deserto; hinc in *Carpathio Neptuni gurgite*, h. mari versatur; sed alterum illud, quod *Emathiam*, late h. l. dictam, et *Pallenen*, procurrentem illam Macedoniæ in formam peninsulæ partem pro *patria* ei assignet, hoc fabula aliqua antiquiore nititur.

388—389 *piscibus et curru bipedum equorum juncto*, pro curru piscibus et equis bipedibus juncto, h. equis marinis, qui posteriore sui parte in pisces desinerent, qualia monstra vel ex vulgaribus picturis nota sunt, *metitur*, pererrat, medium transit, ut sæpe poëtæ. 392. *Grandævus Nereus*, proprio epitheto, est enim ex antiquissimis diis. 392. 393. Præclari versus ad declarandam veram vatum notionem: quos non futura modo prædixisse, sed multo magis præsentia bonis consiliis rexisse et præterita animo tenuisse dicendum est. Versi autem versus ex Iliad. α, 70. Antiquioribus his diis, ut Proteo, ita Nereo, Glauco, sic Terræ, Themidi, divinandi vis tribui solita; nec satis constat, qua de causa, nisi forte, quia de diis antiquioribus, tamquam natu majoribus, prudentia insignior prædicari solet. 394. 395. *Quippe ita Neptuno visum est:* h. Neptuni beneficio, ut sit χάρις a Neptuno acceptum. In hoc vero aut mythicam subtilitatem neglexit poëta; Protei enim, si quidem Oceani et Tethyos proles fuit, genus et honores Neptuno antiquiores sunt; aut sequitur eos, qui Proteum Neptuni filium ediderant. *inmania Armenta*, monstra marina, inter quæ *phocæ*, nobis vituli seu boves marini. *turpis*, fœda specie, ut sup. Ge. III. 52. bovis *turpe caput*. Exornat autem his versibus illud Od. δ, 386. Ποσειδάωνος ἀγελαίης. Hinc Horat. Carm. I. 2 *Omne cum Proteus pecus* etc., et omnino poëtis hinc pastio monstrorum marinorum. Nata autem videtur fabula ex observatione, quod certo diei tempore incredibilem phocarum copiam egredi in littus et apricari viderent homines: quæ res armentorum speciem habebat, quæ a pastore in pascua aguntur. Est autem ea phocarum natura etiam aliis in locis, ut passim de insulis Americæ narratum legimus. Ceterum ex Homerico loco apparet, valde desertam illo tempore eam Ægypti partem esse debuisse, cum phocæ illud littus frequentare auderent.

Tende; doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios quum sol adcenderit æstus,
Quum sitiunt herbæ, et pecori jam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit; facile ut somno adgrediare jacentem.
Verum, ubi conreptum manibus vinclisque tenebis,
Tum variæ eludent species atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et fulva cervice leæna;
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed, quanto ille magis formas se vertet in omnis,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret quum lumina somno.
Hæc ait, et liquidum ambrosiæ diffundit odorem:
Quo totum nati corpus perduxit; at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur inque sinus scindit sese unda reductos;
Deprensis olim statio tutissima nautis;

397 *eventusque secundet*, eventus secundos monstret, quomodo ii obtineantur; h. remedia fortunæ, modos reparandi amissas spes. 400. *circum hæc*, ad hæc, his vinculis adhibitis. *inanes*, ut inanes sint. Cæterum reluctatio hæc vatum, etiam Pythiæ et Sibyllæ, adumbrata est ex spasticis affectionibus, quibus corripi videbant ecstaticorum istorum corpora. Res non minus de prophetis Hebræorum nota. Recusabant itaque vates subire illos spasmos. 403. *In secreta senis*, secretam sedem.

406 In varias formas se transformabit; at quanto exquisitius poëta! 407. *sus horridus*, horrentibus setis, *atra tigris*, sæva. 408. *fulva cervice leæna*, λιγάνιος. Hom. Od. δ. 456. 409. 410. Fiet flamma vel aqua. At quam ornate! 410. *Excidet*, elabetur, effugiet, ut ἐκπίπτειν: *dilapsus abibit*, ornatius quam, dilabetur. 412. *contende*, intende, contrahe, πάζειν Hom. v. 419. 414. Communior ratio fuerat; *cum somnus tegeret lumina*.

415 Hic vero cum Homerica simplicitate et veritate contendit Virgilii elegantia et ingenium. nam in Odyss. v. 444. sqq. ambrosiæ odor iis qui sub phocarum pellibus laterent, quam maxime erat quidem utilis, rei tamen ipsius parum jucunda narratio; at in nostro juvenis corpus ambrosia inungitur, ut ille novum robur, novas vires ad vincendum et domandum senem acciperet. 415. *ambrosiæ odorem*, h. ambrosiam, odorem emittentem, *diffundit*, per membra filii. 416. *perduxit*, h. illevit, perunxit; at istud exquisitius. Porro vulgari ratione *perduci ambrosiam per corpus*; exquisitius, *corpus ambrosia*, dicitur. 417. *aura dulcis*, h. odor. 418. *habilis vigor*, qui reddit habilem, aptum, idoneum rebus agendis, fortem. Causam itaque, cur inungeret mater filii membra, poëta ipse apposuit.

418 sqq. Est antrum in rupe exesa, quo plurimum undæ penetrat; sed, postquam intravit, in plures sinus, h. cavitates antri et recessus dispergit se, adeoque, *scindit sese*.

Intus se vasti Proteus tegit objice saxi.
Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Conlocat: ipsa procul nebulis obscura resistit.
Jam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
Ardebat; cœlo et medium Sol igneus orbem
Hauserat; arebant herbæ, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat; eum vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispersit amarum.
Sternunt se somno diversæ in litore phocæ.
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius, numerumque recenset.
Cujus Aristæo quoniam est oblata facultas:
Vix defessa senem passus conponere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat. Ille suæ contra non inmemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.

421. 422 Hæc ita intelligo, ut anteriore hujus recessus *(λαγ)* parte, patente sub dio, navium statio, in interiore, intra scopulos reducta, antrum fuisse dicatur; huic pro munitione ac foribus scopulus objectus erat, in quo Proteus v. 436. considet ad recensum armentorum. *deprendi* naves tempestate notissimum. *tegit*, tegere consuevit. *objice*, in prosa, *objectu*. 423. *aversum a lumine*, in loco, quo lumen ab ostio inde antri non permeat. 424. *ipsa procul nebulis obscura*, h. in nebula; *resistit*, stat. Quod Homerus v. 402. Proteo pulchre tribuebat, μελαίνῃ φρικὶ καλυφθείς, ad Clymenen mutata ratione transtulisse videtur. 425. *Sirium* pro sole h. l. accipi volunt. Equidem nondum victus do manus. Mediam æstatem et æstivum calorem per Sirium declarat ut poëta. Canicula enim, seu Sirio, sub solis transitum in Leonem orto Ægyptum et reliquam Africæ oram summo et intolerabili æstu premi, satis notum: itaque *ardebat*, ἴφλεγε, *Sirius rapidus* (ut calor, æstus, sol, *rapidus*, celer ac vehemens), et *torrens sitientis Indos*, h. Æthiopes v. sup. v. 293. Ge. II. 116.; et tali anni tempore, medium diei tempus subjicit altero versu: *cœlo et medium Sol igneus orbem Hauserat*, peragraverat, emensus erat. 427. *siccis Faucibus*, alveis. Ornati versus. cf. Ovid. Met. II. 262. 263. et 269. Etiam 430. 431. multo ornatiora, quam Homeri l. l. 448. Φῶκαι δ' ἐξ ἁλὸς ἕλδον ἀολλέες. *rorem amarum*, ut πικρὸν ἁλὸς ὀδμὴν dixerat ille v. 406. 432. *diversæ*, in prosa, diversis locis, partibus. vid. vs. 367. 434. *Vesper reducit vitulos*, poëticum, pro, pastor reducit vesperi, ut in Eclogis et alibi. Quam ornate illud v. 435. expressit: reducit oves balantes. *numerum recenset*, πεμπάζεται Homer., ex prisca vita petito verbo, ut numeraretur per quinarium numerum; ut nos per denarium.

437 Putandus nunc Proteus in antrum concessisse et ad somnum se composuisse: ut sup. 418. 422. innuebatur. ἔκειτο δὲ λίστο καὶ ἀυτὸς. Sequentia e Græcis Odyss. l. l. 454. sq. *manicis occupat*, vincit, adjuncta notione celeritatis. 438. Impatientiam præclare memorari in juvene, nemo non videt. 441. *in miracula rerum*, in miras res, formas. 442. *horribilemque feram*, possis *suem* ex v. 407. intelligere; sic Gr. θής. Sed hoc argutius.

Verum, ubi nulla fugam reperit pellacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domus? quidve hinc petis? inquit. At ille:
Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quidquam;
Sed tu desine velle. Deum præcepta secuti
Venimus, hinc lapsis quæsitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad hæc vates vi denique multa
Ardentis oculos intorsit lumine glauco,
Et graviter frendens, sic fatis ora resolvit:
Non te nullius exercent numinis iræ.
Magna luis conmissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum pœnas, ni Fata resistant,
Suscitat; et rapta graviter pro conjuge sævit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps,
Inmanem ante pedes hydrum moritura puella

445 *Nam;* satis nunc quidem noto usu ex Gr. γὰρ, pro δή. Aiunt vulgo, subintelligendam esse propositionem, cujus caussa reddatur; forte h. l. perdam te, nam—; quæ inanis esset subtilitas. Hoc saltem tenere licet: primum forte hunc τοῦ γὰρ usum ita nasci potuisse, cum membrum orationis subticesceret is, qui concitate loquebatur. Hoc loco est pro vulgari *Quisnam.* Homer. v. 462. Τίς νύ τοι—θεῶν συμφράσσατο βουλάς;—τέο σὲ χρή.

447 Iliad. α, 365. Οἶσθα. τίη τοι ταῦτ' εἰδυίῃπά ντ' ἀγορεύω. *neque est te fallere quidquam.* est sane ambiguum hoc et propter structuram et quia τὸ *fallere* duplicem habet notionem et *latendi* et *decipiendi.* Potest esse neque *est,* δυνατόν ἐστι, *quicquam latere te.* potest quoque esse nec fieri potest ut quis fallat te κατά τι, *quidquam,* aliqua in re. Notionem fallendi, decipiendi, videntur postulare sequentia. 448. *desine velle,* scil. fallere me. 449. *quæsitum hinc oracula,* h. remedium sortis vice editum, *lapsis rebus,* calamitati ex apum internecione.

452 *ora resolvit fatis,* ad edenda fata. Cæterum quod oculos glaucos ardentes torquet et ore frendet: non ad indignationem, sed ad furorem vaticinantis, pertinet. conf. ad v. 400.

453 Sequitur episodium elaboratissimum de tentato ab Aristæo Euridices pudore, et ejus, dum fugeret, morte ex hydri ictu, de Nympharum ex ejus morte luctu, inflictaque Aristæo pœna per diras ab Orpheo in eum factas et Erinnyas in eum concitatas. Interponitur Orphei conatus infaustus repetendi conjugem ex inferis. *Non nullius numinis:* profecto alicujus dei, Nympharum scilicet, *iræ exercent,* vexant, persequuntur, *te;* divinitus hæc calamitas tibi immissa est; ut solebant antiquitus pestes, morbi, agrorum sterilitates etc. civitatibus ira deorum infligi, ita h. l. Aristæi ὕβρις apum internecione divinitus vindicatur. *Magna luis conmissa,* pro magno flagitio hæc tibi tamquam pœna inflicta est. ἄτην describit, piaculum, in eo commissum, quod Eurydicæ caussa fuit mortis; quæ postea Orphei morti caussa fuit. *Orpheus,* Orphei umbra, manes Orphei, nam Orphei mors jam tum subsequuta erat inf. 520. sq. *haud quaquam ob meritum,* merito suo, *miserabilis, suscitat tibi has pœnas,* forte ποιητικώτερον *Pœnas,* h. Furias; *ni Fata resistant,* h. Parcæ: nisi ita evenerit, ut tibi avertendarum dirarum et expiandæ culpæ ratio ac via monstretur.

456 *rapta pro conjuge,* verecunde poëta vim narrat, quam Aristæus inferre voluit Orphei conjugi. obscuritatem vatibus sollennem affectatam esse a Marone existimabat Meierotto in Dubiis p. 11. Saltem per ambages sciscitanti juveni id, quod quæsierat, aperit.

457 *fugeret præceps,* præcipiti cursu; *per flumina,* h. ripam fluminis, præter flumen.

Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Inplerunt montis; flerunt Rhodopeiæ arces,
Altaque Pangæa, et Rhesi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia.
Ipse, cavâ solans ægrum testudine amorem,
Te, dulcis conjunx, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, Manisque adiit, Regemque tremendum.
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu conmotæ Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant tenues simulacraque luce carentum:
Quam multa in foliis avium se millia condunt,
Vesper ubi aut hibernis agit de montibus imber:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Inpositique rogis juvenes ante ora parentum;
Quos circum limus niger et deformis arundo
Cocyti tardâque palus inamabilis undâ
Adligat, et novies Styx interfusa coërcet.

Nomen fluminis poëta non pronuntiat; cogitabam de Peneo ad quem Aristæus habitabat vs. 316. alii de Hebro. hydrus servabat ripam, et latebat *in herba*, non in amne. 459. *Servantem ripas*, incolentem, in iis latentem, ut paullo ante, λοχήσαντα.

460. *chorus æqualis Dryadum*, pro æqualium Dryadum, una cum ea nutritarum. 461—463. Per totam Thraciam lamenta Nympharum audita sunt. *arces*, ἄκραι, vertices, more poëtarum, ut Ge. I. 240. *Rhipæas arces*. Enumerantur Rhodope et Pangæus, montes Thraciæ, quæ *tellus Mavortia*, Marti sacra, *Rhesi*, qui, post Orphei quidem tempora, ad Trojam duxerat Thracas. *Getæ* ex antiquiorum more, non ad geographicas rationes poëtæ ætate satis notas, etiam h. l. memorari videntur. Memorati jam erant Ge. III. 462. *Actias Orithyia:* tamquam Nympham regionis memorasse eam videtur. Erat Erechthei, Athenarum regis filia (unde *Actias;* Attica terra littoralis, ἀκτικὴ, olim *Acte*, quod nomen inter poëtas hæsit), a Borea rapta.

464 *solans amorem*, leniens. conf. ad Æn. I. 238. 239. 465. *solo in litore;* sic αὐτῷ ἐν' αἰόνι Theocr. XI. 14. *secum* ut Ge. I. 389. *sola secum* spatiatur. Inf. v. 508. *deserti ad Strymonis undam.*

467 *Tænarias fauces*, specum in Laconica ad Tænarum; in promontorio Tænaro; forte h. l. simpliciter pro aditu dictum. 468. *nigra formidine*, ornate, pro tenebris. 470. Expressit hoc versu ἀμείλιχον Ἀΐδην Iliad. ι, 158.

472—480 Ornatissimus locus per enumerationem cum judicio factam. Ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων Iliad. ψ, 72. (unde jam Lucret. IV. 39. *simulacraque luce carentum.*) ad canentem confluxere. 474. *ubi vesper aut hibernus*, procellosus (ut χειμὼν et *hiems*), *imber eas agit e montibus* ad silvas et arborum tecta. 475. *corpora heroum* simpl. heroës.

478—480 Quos Cocytus et Styx a redita

Quin ipsæ stupuere domus atque intima Leti
Tartara, cæruleosque inplexæ crinibus anguis
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Jamque pedem referens casus evaserat omnis,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens; namque hanc dederat Proserpina legem;
Quum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes;
Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa
Inmemor heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus labor, atque inmitis rupta tyranni
Fœdera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa, Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu,
Quis tantus furor? En iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!

prohibent. scil. qui in inferis versantur. Jam ornatum vide. Pro Cocyto, limoso et arundinoso fluvio, *limus niger et deformis arundo*, cujus, si late omnia obsidet, injucundus ac tristis adspectus est; adeoque *palus inamabilis*, ἀνιμερος pro μισητη, invisa, detestabilis, et *tarda unda*. Porro *circum*, ab omni parte, *adligat*, et *cœrcet* implicat, impedit, *Styx novies interfusa*, dum novies ambit Erebum.

481 *ipsæ domus*: Plutonis regia seu regnum esse possint; enimvero de Tartaro nunc agit; præmittitur quoque, *quin ipsæ domus Leti et intima Tartara*, splendidius hoc quam intima loca penetralia. Tartarum Leti *domum* appellare potuit, ut alias Orci regia, Furiarum domus, audit. Aliter Æn. VI. 277. ubi *Letum* in primo Orci aditu collocat. Reliqua de Tartaro utrobique conveniunt. v. 555. sqq. 483. *inhians* simpl. hians. 484. *rota orbis* est aut pro orbe, aut rotatio orbis h. e. rotæ circumactæ. Jam quid est: *rota constitit vento? Ixionia rota* alii pœtæ *turbinem*, ut Seneca Herc. Œt. 1069. *vortices*, ut Statius Theb. VIII. 50. 51. tribuunt; *ventum* nemo tribuit, ut ne *auram* quidem, quæ rotationi proprie daretur. Expones: *rotam constitisse a vento*, cohibuisse se, quo minus a vento impelleretur: ut *consistere* aliquis *a cursu*, dum sistit cursum, recte dici videtur, ut in loco Ecl. II. 25. *Quam placidum ventis staret mare.*

485 Mirum in seqq. narrationis artificium: quod facile sentias, si ad vulgarem sententiarum juncturam revoces orationem. Legis autem, ne respiceret, excogitandæ consilium ex vulgari superstitione subnatum esse videtur, cum res aversandas, etiam in sacris magicis, respicere vetabantur. 491. *victus animi*, noto Græcismo, pro *animo*, cupiditate.

492 Tum omnis labor irritus. *effusus*, ut ἐκκεχυμένος. *Fœdera*, fœdus, conditio, a Plutone imposita. At quorsum *fragor* ter auditur? Servius: "quasi exultarent umbræ redditam Eurydicen." Quod recte Martinus explodit, et a prodigiis ominibusque magnæ alicujus calamitatis, aut rerum conversionis, sæpe per cœli fragorem ac tonitru significatæ, Jove quasi indignante, repetit. Est utique *indignabundi* potius Orci, quam lætabundi. Idem vir doctus Miltonum comparat, quem v. *Paradise Lost* IX. 782. sqq. 1000. sqq.

494 *Quis, quis tantus furor, perdidit*, quæ imprudentia, intemperantia, scil. amantis Orphei, qui respexerat. Sup. 488. erat *dementia*, et amantium insania quoties non est celebrata per voc. *furere*? furor. 496. *natantia lumina*, moribundi, incerto jam motu fluctuantia, satis a viris doctis illustrata sunt.

Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Conmixtus tenuis, fugit diversa; neque illum,
Prensantem nequidquam umbras, et multa volentem
Dicere, præterea vidit; nec portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manis, qua Numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine mensis
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, et gelidis hæc evolvisse sub antris,
Mulcentem tigris, et agentem carmine quercus.
Qualis populea mærens Philomela sub umbra
Amissos queritur fetus; quos durus arator
Observans nido inplumis detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et mæstis late loca questibus inplet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere Hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem
Arvaque Rhipæis numquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen atque inrita Ditis

499 *fugit in auras tenuis*, ut Æn. V. 740. *Dixerat et tenuis fugit ceu fumus in auras. ceu fumus commixtus* sc. cum aura. Petitum autem ex Iliad. ψ, 100. 500. *fugit diversa*, cum in diversam, ac qua Orpheus tendebat, partem, h. retro, auferretur. ut sup. v. 367. *flumina diversa locis*. 503. *objectam* poëtico ornatu adjectum. ut Ge. III. 233. *non objecta retardant flumina*. 505. *Quo fletu—qua voce*, pro quomodo fletu ac voce, ut Ecl. VI. 80. *quo cursu—quibus alis*.

506 *frigida*, morte, vecta retro per Stygem. Mox 507. *ex ordine*, continuos intellige. est ἑξῆς, καθεξῆς.

509 *evolvisse*, διαπτύξαι, ἐξειλίσσειν. *hæc*, casus suos, querendo enarrasse.

510 *tigris* in Thracia ut poëta memorat qui geographicam et physicam subtilitatem haud curat. 511. Fundus hujus comparationis nobilissimæ est ap. Homer. Od. τ, 518—524. adde π, 216. sq. *Umbra* tam proprium et perpetuum est arboris attributum, ut ad caussas physicas ac tempora respectus plane non habeatur. *Populeæ frondis* mobilitatem ac lene murmur inprimis aptum esse cantus mœstitiæ nota. 514. *miserabile carmen Integrat*; iterat; hoc quidem suavius Homerus: Ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν ubi variatos modulationis colores expressos vides.

517. 518 In his poëtæ ingenium paullo licentius efferbuisse dicendum: Thraciam memorare voluit ac debuit: nunc per totam Scythiam vagatur Orpheus. Adeo nomina tantum ornantia captabat Maro. nec satis est dicere Thraciæ antiquioribus ætatibus nomen latius patuisse, ex ignoratione terrarum borealium; quæ in vulgus nota sunt; ex ea enim ipsa ignoratione veterum propagata sunt nomina regionum a poetis sequioribus promiscue et incerto usu adhibita. Illa tamen observatio huc non spectabat, quandoquidem mirationem facit hoc, quod *inde ab Hebro* idem homo errasse fertur *per Hyperboreos, per Tanaim, et per montes Rhipæos*: quæ utique Maro ut poëta dixit, non ex geogra-

Dona querens. Spretæ Ciconum quo munere matres
Inter sacra deum, nocturnique orgia Bacchi,
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.
Tum quoque, marmorea caput a cervice revolsum
Gurgite quum medio portans Œagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat;
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus: et se jactu dedit æquor in altum.
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene: namque ultro adfata timentem:
Nate, licet tristis animo deponere curas.
Hæc omnis morbi caussa; hinc miserabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex
Tende petens pacem, et faciles venerare Napæas.
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quatuor eximios præstanti corpore tauros,

phicis antiquitatis rationibus. 520. *quo munere*. Cum ipsi libri *quo munere* tueantur (vide var. lect.), videndum, an interpretatione adjuvari ea lectio possit. et vocis sane muneris significatus late patet. Servius nuptiale munus intelligit, quod durum est. Non minus durum est, ut *munus*, donum, sit ipsa Eurydice, *præ hoc munere* spretæ Ciconum matres. *munus* pro officio, pro pietate in defunctum, inferiis, honore, quo mortuos prosequimur, bene dicitur; eritque adeo *quo munere*, qua Orphei pietate in conjugem amorisque pertinacia, *spretæ*, sperni se putantes, dum eam, hoc desiderium ereptæ conjugis, in contemtum sui vertebant: quasi noluisset ille aliam mulierem, aut alterius amorem admittere. 521. Primum genus ponit, ut poëtica ratio fert, *Inter sacra deum*, tum subjungit ex iis id sacrum, in quo res acta: *inter orgia*, quo nomine omnia sacra enthusiastica et mystica appellabantur, *Bacchi nocturni*, cujus sacra noctu celebrari solita.

523 *Marmorea cervice*, candida, ut sæpe alii poëtæ. Lucretio deberi videtur et hoc; aut forte eo antiquioribus; nam jam Nævius in Cypria Iliade dixerat: *Collum marmoreum torques gemmata coercet*. 524. *Hebrus Œagrius*, ab Œagro, Thraciæ rege Orphei patre. Caput Orphei in mare et hinc in Lesbum delatum ibique sepultum: Hygin. Poet. Astron. II. 7. unde ibi suavis lusciniarum cantus proditus ap. Antig. Caryst. 5. Quod de Orphei tumulo in Thracia tradidere alii ap. Paus. IX. 30. p. 769.

529 *sub vertice*, non capitis, sed ut vulgo nunc pronuntiant, vortice, quem mota ejus insultu aqua ciebat: δῖνα, contorta in se aqua. *torsit sub vertice*, quod vulgari usu, vortice vel in vorticem; ita ut vortex fieret. Nec ratio deest, aut analogia. 530. *At non Cyrene* jactu se in altum dedit et filium reliquit consilii inopem. Respiciunt vs. 423, 4. namque ducto in specus et collocato in latebris filio, *ipsa procul nebulis obscura resistit* in ipso scopulo. Scilicet Proteus internecionis apum, *morbi caussam* v. 397. tantum exposuerat, non vero fortunæ remedium. Hoc mater subjicit: scilicet culpæ expiationem, Nympharum placationem sacrificio certo ritu faciendo, et inferias Orpheo et Eurydicæ ferendas; quo facto ex victimarum visceribus nova examina exoritura essent. Fatendum est, ea, quæ a matre monentur, haud paullo graviora esse Protei monitis.

534 *munera suplex Tende*, protende, offer. *munera* autem, ut honores, quocunque deos placamus aut veneramur. *petens pacem*, h. ut propitiæ sint. *faciles*, placabiles. 536.

Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige et intacta totidem cervice juvencas.
Quatuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, et sacrum jugulis demitte cruorem
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei Lethæa papavera mittes,
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa,
Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.
Haud mora: continuo matris præcepta facessit.
Ad delubra venit: monstratas excitat aras;
Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit, et intacta totidem cervice juvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Adspiciunt, liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, et ruptis effervere costis;
Immensasque trahi nubes; jamque arbore summa
Confluere, et lentis uvam demittere ramis.

Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam,
Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentis

votis, precibus factis. 538. *crimios* proprium de victimis; res nota. 539. In *Lycæo*, Arcadiæ toto monte, quomodo Aristæus, Thessaliæ agros colens, armenta habere posit, jure miretur aliquis. Hactenus sui oblitus est poëta; etsi enim supra eum Arcadium heroëm ediderat, v. 283. non tamen nunc ex Arcadia arcessendæ erant victimæ in Thessaliam. 540. *intacta cervice*, jugo, ut toties. De numeri caussis quærere non licet; non magis forte quam Ecl. V. 65. ut poëta, certum numerum posuit. At in novenario numero novendiale sacrum cogitare potuit. 541. *dearum*, Nympharum v. 532. Omnia in hoc versu proprie dicta. *ad delubra* statuuntur aræ, ante templum, in προνάῳ ex more; *delubra alta*, quia gradibus adscendebatur ad templa. 545. *Lethæa papavera* Ge. I. 78. *Lethæo perfusa papavera somno.* Orpheo inferiæ fiunt cujus Manes immissa lue injuriam Aristæi ulti erant vs. 454. 546. *Placatam*, quæ placatur, eo modo erit placata.

550 sq. Iisdem verbis utitur, quibus paullo ante usus erat, Homerico more: cujus ratio tenenda est hæc, ne semel bene et proprie enuntiata aut jejune aut perperam mutentur.

554 cf. sup. 308. sq. Exposita quoque res ab Ovid. I. Fast. 377. sq. Met. XV. 36. sq. *monstrum*, pro re monstrosa, mira. 555. *liquefacta per viscera*, tabe, putredine, dissoluta. 556. *effervere* voc. *Lucretianum* II. 929. ἐκζέσαι. v. sup. v. 308. 557. *nubes trahi*, nova examina. 558. Βοτρυδὸν Iliad. β, 89. adhæsisse arbori.

Per populos dat jura, viamque adfectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

559 sq. *pecorum*, adeo et apum. 561. 562. *volentis Per populos*, quorum legati undique eum convenerant. ut ap. Xenoph. Œcon. 21. 12. ἐθελόντων ἄρχειν. *Olympo*, ad Olympum, ad immortalitatem nominis.

564 *studiis floret* et is, qui laudem inde et existimationem fert, ex iis inclarescit, et is, qui iis cum maxime deditus est; *floremus* enim iis, quorum copia et abundantia ad manum est. Hoc altero sensu h. l. accipiendum. *Otium* Romanis omne vitæ genus a reip. negotiis domesticis bellicisque alienum, proprie tamen quodammodo de Musarum otiis; *ignobile*, respectu gloriæ bellicæ et gestarum magnarum rerum. Sic Georg. II. 486. *inglorius*. 565. *audax juventa*, qui omnino carmina vulgare auderet, rem poëticam aggrederetur; ut, *audacibus adnue cœptis*, Georg. I. 40. non quod carminis genus tale esset, quod magnos ausus posceret. Tenue enim genus est bucolicum.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Troja capta Æneas, Anchisæ et Veneris filius, vir singulari pietate parique fortitudine præditus, cum erroris sui anno septimo per mare Tyrrhenum a Sicilia in Italiam navigat, immissa ab Æolo rege ventorum, rogatu Junonis, gravissima tempestate ad Libycum litus adpellitur 1—169.: egressusque in terram, septem ingenti magnitudine cervos sagittis prosternit, singulosque in singulas naves (tot enim ex dispersa classe collegerat) æqualiter distribuit: socios deinde, longis jam erroribus fatigatos, spe futuræ quietis ad tolerandum quod reliquum erat laboris hortatur—222. Interea Venus Æneæ sui Trojanorumque causam apud Jovem agit, omniumque calamitatum illarum causam Junoni imputat. Jupiter contra, reserata fatorum serie, spe felicis posteritatis potentiæque Romanorum, filiæ dolorem consolatur—304. Cujus oratione confirmata Venus, Æneæ suo, locorum ignaro et explorandæ regionis causa huc illuc oberranti, sese obviam præbet: navesque dispersas salvas esse nuntiat: ostenditque non procul illinc abesse Carthaginem, quam tunc in iis locis condebat Dido—409. Æneas itaque, matris beneficio cava nube cinctus, una cum Achate Carthaginem ingreditur: ubi et socios salvos reperit, et a Didone benigne excipitur—656. Venus tamen, quod neque Junonio hospitio neque muliebri inconstantiæ satis fideret, sopito in Idaliæ lucis Ascanio, pro eo Cupidinem substituit, qui inter amplexus et oscula latenter reginæ amorem inspirat Æneæ.

ILLE ego, qui quondam, gracili modulatus avena
Carmen, et, egressus silvis vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Ille ego. Vulgaris sententia est, quatuor hos versus auctorem habuisse Virgilium, sed a Vario esse sublatos. Quod si ita res se habuit, acutior sane Varius Virgilio fuit. Sed totum illud commentum Pseudodonati fide nititur; nobis quidem verisimilius est, a Grammatico aliquo versus hos esse assutos.

ARMA, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinia venit

A carmine bucolico et georgico ad heroicum se procedere significat quisquis hos versus scripsit. Sententia integra: *Ille ego— nunc h. M. Arma virumque cano.* Bene autem, tam longa oratione interjecta, poterat illud *at* in apodosi præfigi, quod toties factum videmus; quod adeo reprehendi aut *at* in *et* mutari nolim. Reliqua sic jungenda: qui, *modulatus—et egressus silvis,* (re pecuaria relicta, Ecl. IV. 3.) *quondam coëgi*

Litora; multum ille et terris jactatus et alto,
Vi superum, sævæ memorem Junonis ob iram:
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio; genus unde Latinum,

arva vicina, ut parerent colono quamvis avido, ut, licet ille frugum terræ sit avidissimus, tamen agri, proventus ubertate, cupiditati ejus satisfacerent. *Parent arva et arva coguntur*, agricolæ studio et opera, quæ declaratur a poëtis per *imperium*, *vim*, et similia: dicuntur agri *domari*, *servire*, *parere*. At h. l. de poëta, super re rustica præcepta dante, idem bene e poëtica ratione, qua ad præcipientem, tanquam auctorem, refertur id, quod facere præcipit, dicitur; at forte non nisi in pedestri oratione dictum est: *cogere arva, ut pareant*. Arva *vicina* possint non incommode dicta videri, iisdem *silvis*, h. e. pascuis, subjecta. *Arma horrentia* si sunt horribilia, novatum hoc esse putabimus; forte ab ipso poëta; nam exemplum hujus usus adhuc desidero. Possunt tamen *tela horrentia*, *hastæ horrentes*, dum erectæ, protensæ, sunt, dicuntur, ita et *arma horrentia*, dicta accipi. Nec aliter *horrens umbra* dicta inf. 165. 311. si de ipsis arboribus accipias. cf. ad lib. X. 237. Notio tamen horroris et sic inest; nec repugnabo, si quis *horrens* more poëtis haud infrequenti dictum esse contendat de eo *quod horrere facit*: ut ipsum hoc *horridum* esse dicitur. ap. Pind. P. IV. 144. sunt φρίσσοντες ὄμβροι.

1—3 *Arma*, h. e. bella (sub Æneæ adventum in Italia orta), *virumque cano, qui venit*: hoc est, ut verbis vulgaribus diceres, et adventum viri a Troja profugi in Latio, eo quidem loco, quo Lavinium posthæc ab Ænea fuit conditum. Est autem hæc Æneidis summa, quæ absolvitur sede in Italia accepta, Turni cæde et ex fœdere cum Latino: XII. 187. sqq. *Arma virumque* melius ita nos et epici carminis dignitati convenienter interpretari putamus, quam pro *armato viro*, ut aliis locis recte dicitur, v. c. inf. XI. 747. aut, ut *vir* ad sex priores, *arma* ad sex posteriores libros pertineat, aut cum Burmanno ita accipere, quemadmodum in solenni formula: *arma virosque ad bella polliceri*, et in similibus. Videtur enim hæc alia loquendi forma eaque aliena ab h. l. et gravitate epica haud satis digna esse; et exsisteret sensus: apparatum bellicum canere incipio. *Fato* præclare ponitur, ut ad deorum interventum poëta viam muniat; *profugus venit*: ornate illud adjectum, et melius jungitur: *Trojæ ab oris profugus venit.—primus*: videri potest simpliciter dictum, respectu suæ stirpis ac gentis novæ in Italia, cujus ille fuit auctor ac princeps; primus etiam fuit, qui veniret in hæc loca: *primus qui venit I.* Interpretes multa moliuntur in h. l. quoniam Antenor jam ante ad Italiam accesserat. Æneas tamen recte primus e Trojanis *in has certe Italiæ partes ad Lavinium* (quod jam auctor libri de Orig. G. Rom. c. 1. monuit) pervenit, nam Antenor ad Venetos in intimo sinu Adriatico, adeoque in alia Italiæ parte, quæ Galliæ Cisalpinæ erat, appulerat. cf. inf. 247. Quamquam et, *aliorum Italiæ proprie dictæ colonorum respectu*, primus Æneas, utique *e Trojanis*, Italiam adiit; nam qui ante eum Italiam frequentarant, Œnotrii, Evander, et Hercules, ex Græcia advenerant. Sed arguta hæc potius quam vera puto; et poëtæ animo hoc unicum insidere debuit, quod ab antiquissima memoria repetita res est. Est autem *primus*, *primo*, simpliciter dictum pro *olim* antiquitus, ut mox 24. *belli prima quod ad Trojam gesserat*: h. e. antea olim Æn. VIII. 319. *Primus ab ætherio Saturnus venit Olympo. venit Italiam*, Homerica ratione; ἧκε πόλιν et innumera, omisso εἰς. Omnino hoc infigendum animo, ut semel monitus sis, poëtam Græco more præposita ista, *in*, *per*, *ad*, negligere. *Italiam* et *Lavinia litora* declarative cumulata sunt; *Lavinia* autem *litora*, in quibus aliquando urbs Lavinium erat condenda, ut solent poëtæ petere epitheta etiam a postmodo factis.

3. 4 *Venit jactatus et passus* interponitur ex more *ille*. postquam magnos labores maritimis erroribus, et tentata frustra variis in locis nova sede, toleraverat. Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν. Odyss. α, 4. *Vi superum*, numine ac voluntate deorum: ἐκ θεῶ. ἐκ θεῶν. *memorem J. ob iram*, proprie *Junonis memoris*; cujus ira cum acceptæ injuriæ pertinaci memoria erat conjuncta, adeoque et ipsa ira *memor*. Sic et Græci: μνάμων μῆνις; Æschyl. Agam. 161. Ad rem cf. Æn. V. 781. sqq. Revocatur autem hoc versu rerum narratarum ordo ad interventum Junonis et cæterorum deorum.

5—7 *Multa* quoque *passus*, etiam *bello*. Quamquam *quoque et* pro simplici *quoque* etiam alibi occurrit. *dum conderet urbem*, donec Lavinium condidit sedemque ibi imperii fixit; cujus rei signum certissimum, si patria religio instituta est, unde: *Inferretque deos Latio*. cf. XII. 194. quo etiam splendi-

Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Musa, mihi caussas memora, quo numine læso,
Quidve dolens, regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Inpulerit: tantæne animis cœlestibus iræ!
Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam

dior facta est oratio: quam si in *Latio eum consedisse* audias. Cæterum in hoc et seq. versu poëta *operis characterem ex fine proposito* satis declaravit: sedem novam in Italia, post toleratos in erroribus et in ipso accessu labores et discrimina. Importunum itaque est, Achillis irati vehementem affectum in Æneide desiderare, quem poëta exhibere noluit nec debuit. At illud præclaro cum judicio in prima statim fronte egit, quod rerum narrandarum summam *ad Romanorum originem* retraxit ac deduxit, adeoque popularium suorum studium audiendi excitavit. *Inferretque deos Latio*, inferret in Latium penates Troja advectos. A re, quæ religionem et venerationem habet, accessum Æneæ præclare designat. *Unde*, alii ad *Latium* et ad *urbem* retulere, alii ad *Æneam*. Melius: *qua ex re, quo factum est*, ut Aborigines cum Trojanis æquati communi Latinorum nomine sint comprehensi (cf. Æn. XII. 823. sq.), ut ab Ascanio Alba sit condita, et ex ejus posteris *urbis Romæ conditores* ortum habuerint. *Albam* autem bene ab *Albanis patribus* designat, h. e. senatu, tamquam a nobiliore populi parte. cf. IV. 682. VII. 727. *Romam* autem per *altæ mœnia Romæ*, pleniore ore.

8 *Musa, mihi c. memora:* Nam quæ deorum interventu aut consiliis et machinationibus alicujus dei eventum suum habuerant, nisi a dea edoctus, poëta scire non poterat. Itaque ille munit viam sibi, ut iis commode uti possit. Summa sententiæ est aperta; sed hæremus in verbis: *quo numine læso.* Quod primum se offert: *quo deo læso*, non convenit cum altero: *quidve dolens* Juno. Omnibus tentatis et expensis, quanquam duriorem præferas rationem jam a Servio propositam: *quo*, qua re, qua in caussa *numine læso*, majestate divina, h. e. ipsa Junone. Subjicitur pro explicatione: *Quidve dolens—Inpulerit* dea virum (exquisite, h. e. coëgerit) *tot casus volvere*, h. e. ut subiret, adiret. Quæ enim gravia, difficilia, et molesta sunt, et quæ magna cum difficultate movemus, machinamur, molimur, perficimus, ea *volvi* poëtis dicuntur; nunc et ea, quæ tolerantur.

12 A Junonis odiis orditur, quippe per quæ objectæ sunt difficultates, quibus ab Italiæ aditu averteretur Æneas. Cur a Carthagine initium narrandi faciat poëta, v. mox ad v. 34. Urbs *fuit*, quoniam illa tum erat eversa, a Tyriis condita et habitata. *antiqua*, non tam quoniam nova Carthago deducta nuper a Cæsare colonia erat, ut fere interpretes; sed quoniam antiqua origo inprimis in urbium laude memoratur. inf. II. 363. de Troja: *Urbs antiqua ruit.* et de Italia: *Terra antiqua, potens.*

13. 14 *Longe*, procul sita, magno interjecto mari, ex adverso Italiæ et quidem Romæ, quam per *Tiberim* designari puto. *studiisque asperrima belli*, graviter dictum pro: *dedita, vacans studiis belli:* quod *asperum* dici solet; tum poëtis studium dicitur asperum, tandemque *urbs aspera studiis belli.* Virtus bellica a poëtis per *iram* exprimitur ejusque attributa. *Exasperatur* autem is, qui offenditur et ad iram provocatur. Itaque *asper*, τραχύς, modo iratus, vehemens, ferus, ferox, sævus, modo fortis, bellicosus, modo acer, ardens, concitatus, flagrans, ut h. l. Similiter *acres* iracundi, calidi, ὀργίλοι, mox strenui, πρακτικοί, tum vehementes, θυμοί, et sic fortes. Semel monuisse expedit ad poëticam orationem, quam inprimis perspectam esse volumus, declarandam.

15 Quam Juno fertur unam omnium maxime amasse, etiam Samo prætulisse, in qua antiquissima et celeberrima Junonis religio erat. Carthagine sub *Uraniæ* nomine h. e. ea appellatione, quæ Græce ita reddi posset, Juno fuit culta, aut coli credita. Nam comparatio illa deorum apud exteras gentes coli solitorum parum docte a Græcis et Romanis facta est: ita ab aliis hæc ipsa Pœnorum dea cum Venere comparata est.

Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,
Hic currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces;
Hinc populum, late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ: sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis:
Nec dum etiam caussæ irarum sævique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum

16 *Hic illius arma, Hic currus fuit*, ducta, puto, rei imago ab antiquis heroibus, qui curribus vecti ad pugnam egrediebantur, reduces autem eos in loco tecto collocabant ac reponebant. v. Il. Σ, 441. s, 194. traducta illa, ut alia, ad deos, quibus currus sui essent, qui in iis locis, quæ potissimum frequentarent dii et colerent, reponerentur. Pro talibus locis habentur poetis esse urbes eaque templa, quæ celebriore aliqua religione eminent. Egregius hanc in rem locus Il. ν, 21. sqq. de Ægis Neptuno sacris. Junonis autem currus e nobili Homeri loco Il. ε, 720. sqq. notus est. Poetica tamen potius quam vera descriptione uti videri debet poeta. Nam Carthaginienses non currui sed leoni insidentem expressisse memorantur cælestem suam deam. Porro *arma* Junoni tribuuntur, non, quatenus inter reliquos deos deasque armata præliis ante Trojam interfuit, ut Il. υ, 70. et Æn. II. 614. *Juno ferro accincta.* debent enim *arma* h. l. esse aliquod proprium ac perpetuum; ut adeo de *Junone armata* cogitandum sit, qualis Ἥρα ὁπλοσμία fuit Elide culta, Lycoph. Cass. 610. 858. et ἅρμα, h. e. curru vecta Olympiae. Hasta tamen ei quodam modo propria fuit, etiam ex Latinorum religione. Nota Sabinorum *Juno Curitis*. Sed optime Servius: *Sic autem esse etiam in sacris Tiburtibus constat, uti sic precantur: Juno curulis, tuo curru clipeoque tuere meos curiæ vernulas sane.* Locum nostri poetæ expressit Ovidius Fast. VI. 45. *Pæniteat, quod non fovi Carthaginis arces, Cum mea sint illo currus et arma loco.*

17. 18 Carthagine, Romæ æmula, præclare utitur poeta h. l. ut ea urbs regnum gentium, caput imperii terrarum, sit, Juno *jam tum*, prisca illa Æneæ ætate, ante Romam conditam, *tendit*, contendit, allaborat, operam dat, *fovetque*, pro vulgari studet; *fovet* hoc, hanc rem, hoc consilium, animo et cogitatione. *Si qua* ratione.

19—22 Enimvero e Trojana stirpe ortum habituram esse acceperat gentem, (*progeniem* dixit) quæ Carthaginem aliquando esset eversura. Populum enim ab ea gente oriturum, ad excindendam Carthaginem in Africam copias suas esse trajecturum. Jam expende rationem poëticam. *Hinc*, ex hac progenie, posteritate Trojanorum. *Populum late regem* pro late regnantem. Comparant εὐρυκρείων Homericum et εὐρυμέδων. cf. inf. I. 235. *Hinc fore ductores*, etc. *bello superbum*, exquisitius quam potentem, ferocem, utpote victorem, *ὑβριστήν*, semel de hoc usu vocis apud poëtas monemus. *Libya* nunc plenius pro Carthagine in ea Africæ parte sita. *venturum* duplici modo potest accipi: vel proventurum, oriturum, futurum, vel quod præfero, *venturum exitio*, ad exitium, ut *auxilio, subsidio.* Audierat *Parcas sic volvere* sive fila sua nere et cum iis fata, ἑπιπλῶσαι, sive hæc *moliri, machinari:* hoc alterum verius.

23. 24 *Veteris belli*, paullo ante gesti, ut *vetus* et *antiquus* interdum. *prima*, primum, prius. *Argi* pro *Argivis.*

25—28 In parenthesi esse positos puta. *Id metuens et belli memor, quod gesserat,— arcebat Troas.* Cum autem alias caussas interposuisset, *iniquum Paridis judicium, quo Junonis forma inferior pronuntiata fuerat, et Ganymedis raptum*, addit v. 29. *His adcensa super*, super cætera, insuper, etiam his sibi factis injuriis inflammata. Aliorum interpretum ratio, ut *id metuens* cum antec. *audierat* jungas, orationem efficit elumbem et languidam. Anacoluthum agnoscere satius esset, sed necesse non est. *Manet repostum* pro vulgari, est repositum in animo *alte*, profunde. Comparanda autem cum his Homerica Il. ω, 25—30. Formam adumbravit Statius Theb. I. 246. ubi Jupiter: *neque enim arcano de pectore fallax Tantalus et sævæ periit injuria mensæ.* Hinc Ovid.

Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores:
His adcensa super, jactatos æquore toto
Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant, læti et spumas salis ære ruebant;
Quum Juno, æternum servans sub pectore volnus,
Hæc secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem

Fastor. VI. 43. *Caussa duplex iræ: rapto Ganymede dolebam: Forma quoque Idæo judice victa mea est.* Cæterum versus est ex ornatissimis. 27. *spretæ injuria formæ*, adjectum ad declarandam judicii indolem. *spreta forma*, est Junonis pulchritudo pulchritudini Veneris posthabita; et, quandoquidem id cum Junonis injuria factum, hoc plenius: *spretæ formæ injuria.* 28. *genus invisum*, propter Dardanum, Jovis et Electræ, pellicis, filiæ Atlantis, filium, a quo Trojani ducunt originem. *rapti* (v. Æn. V. 255.) *Ganymedis honores*, ministerium poculorum, ad quod Ganymedes raptus a Jove receptus est, remota Hebe.

29—33 *His adcensa super*, insuper. ut sit junctura: *Id metuens—memorque—et insuper his adcensa, arcebat.* v. ad v. 25. *reliquias Danaum*, a Danais et ab Achille relictos Trojanos; qui Achivorum manus effugerant. Mox *multos* annos h. e. septem. *acti fatis*, non tam, quoniam hoc Junonis odium fatale erat: sed potius, quoniam hi ipsi Trojanorum errores fatales erant. *molis*, molitionis, difficultatis. In prosa: *Tam difficile erat*, ut Trojani in Latium pervenirent, ibique stirpis, e qua Romani orituri essent, auctores fierent.

34 Hic, ut in Odyssea, in medias res abripitur lector. Quomodo enim e Sicilia solverit Æneas, qui tum classe in Italiam tendebat, infra videbimus sub finem libri III. Sed tempestate mox orta a cursu avertitur et ad litus Africæ, tantum non naufragio facto, ejicitur. Rerum autem ordinem ipsamque adeo dictionem ad Homeri exemplum instituit Odyss. ε, ubi Ulysses ex Calypsus insula Ithacam petens, cum jam Phæaciam in conspectu haberet, tempestate a Neptuno excitata naufragus enatat. Quod ibi Neptunus facit, tributum h. l. Æolo, quodque Leucothea, hic Neptuno. In Homero tamen major rerum varietas narrationisque suavitas.

35 *Vela dabant*, cum per epexegesin hoc vellet explicare, saltem verbis erat ornandum, cum sententia eadem maneret; itaque *spumas salis*, ἅλμης, maris; occurrit et alibi. *ære*, ærata navi, (nec modo *rostra ærata* sed et *puppes æratæ et æreæ*, ut Æn. V. 198.) *ruebant*, secabant, ut terra *ruitur* sulco facto, eruitur. *læti*, alacres, Italiæ, laborum metæ, nunc tandem propiores, πρόθυμοι, cf. II. 394. 395. Habuit forte poëta ante oculos versum 269. Odyss. ε, γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ' ἱςία δῖος Ὀδυσσεύς.

36—38 *Æternum volnus*, qui v. 25. *sævi dolores.* i. e. ira, ita Gr. ἕλκος. Adumbrata autem Junonis indignatio ex Odyss. ε, 281. sqq. ubi similis oratio Neptuni. Hinc nullus fere est poëta qui non eundem ad modum iram alicujus dei finxerit. Similem prorsus locum videbis inf. lib. VII. 286—320. quem comparasse non pœnitebit. Ex utroque Bacchi Jovi supplicis verba finxit Stat. lib. VII. Theb. 151. sq. 182. sq. Cæterum legenda hæc sunt oratione per iræ et indignationis impetum intercepta: ut solemus in magno animi motu eloqui. *victam* poëtica copia adjicitur. *Teucrorum regem*, ducem.

39 sqq. Potuit tamen Pallas, (quanto magis ego: 46.) vel contra fata (h. e. quamvis faustus reditus fato erat destinatus), Achivorum classem cœlesti igni comburere et fluctibus opprimere, unius Ajacis ulciscendi caussa. Fabulæ fundus est in Homero Odyss. γ, 135. sq. et multo magis δ, 499. sqq., sed ibi Neptuno tribuitur, quod h. l. Minerva

Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei?
Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;
Illum, exspirantem transfixo pectore flammas,
Turbine conripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quæ divom incedo regina, Jovisque
Et soror et conjunx, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris inponat honorem?
Talia flammato secum Dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantis ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.

facit: *Illum, exspirantem—Turbine conripuit.* Homerum autem sequuti poëtæ cyclici, varie et copiose, inprimis in Νόστοις suis, tractasse videntur hanc narrationem.

40. 41 *Unius* ob noxam. Ergo dea Achivis ante studiosissima unius Ajacis scelere adeo exarsit ut nunc in *omne nomen Achivum* sæviret. cf. Tryphiod. 647. sq. *Ipsos* Argivos; nisi doctiorem rationem vis sequi, ut post classem *nautas* intelligas; uti nonnunquam fit. ob *Ajacis Oilei* f. insanam libidinem, stupro Cassandræ illato in Minervæ templo, in conspectu ipsius deæ. De Cassandra, eique illata injuria vid. inf. ad lib. II. 403. Facinus hoc honeste, graviter tamen, declaratur per *noxam* et per *furias*.

42 En exemplum deæ fulmine moderantis. Res etiam in gemmis obvia.

42—45 Facta navium dispersione ad Caphareum, Eubœæ (cf. inf. XI. 260.) promontorium, Ajax Oilei f. ad Gyras petras, prope Myconum insulam, actus naufragium fecit. Ipsum vero Pallas fulmine percussum procellæ vi scopulo etiam illisit.—Illud vero castum poëtam ausum esse miror, eum, qui *fulmine percussus* erat *in pectore, ignem ore exhalare.* Haud dubie hoc ex Tragico aliquo adsciverat.

46. 47 Cf. Æn. VII. 304. 307—310. *incedo*, h. e. quæ sum; sed illud majore cum dignitate. Incessus dearum, inprimis Junonis, gravitate sua notus. Propert. II. 2. 6. *incedit vel Jove digna soror*, h. e. tamquam altera Juno. *Jovis soror et conjunx* ex Homerico: κασιγνήτην ἄλοχόν τε Il. π, 432.

48 Præclare ad invidiam *bella gero*, pro, eam perdere cupio. *numen Junonis*, me. at quanto gravius! Adumbrata autem hæc ex Odyss. ν, 128. sqq.

49 *Præterea*, post talia, in posterum. est Homericum ἔπειτα. *honos*, solenne poëtarum de sacrificiis, libationibus &c. quæ in deorum honorem fiunt, aliquantum ornatus habet. Expressit versum Ovid. Am. III. 3. 33. *Et quisquam pia thura focis imponere curet?* Jam vides *honorem* plus dignitatis epicæ habere. Majus etiam decus adjecto *supplex*, vocabulo religioso, quod omnino, ut *supplicare*, ad cultum deorum refertur, sacris vel precibus factis.

50 Nota narrandi artificium: non ante verbis consilium Juno exponit, sed statim, quid ea peregerit, subjicitur. Habuit autem poëta ante oculos Il. ξ, 230. sqq. ubi Juno Somnum adit.

51. 52 *Nimborum* h. l. ventorum, qui *perturbati aëris, repentinarumque ac precipitum pluviarum* caussæ sunt. *feta* poëticum, ut *gravida*, plena *austris*, omnino ventis, sed *austri* sunt sævissimi in mari Mediterraneo; igitur melius hoc genus ponitur. ad *insulam Æoliam* venit, h. e. unam ex Æoliis seu Vulcaniis et Liparæis. Sed unam tantum norat Homerus Odyss. κ, 1 sq.

52—56 Ornati versus: Æolus inclusos tenet ventos. *vasto antro*, naturale enim est, vaporem et spiritum per loca concava (subterranea) motum concitari, sicque fieri *ventum*. v. Seneca Qu. nat. VI. 18.

54 *imperio premit*, gravius quam regit, et

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt. Celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens; molemque et montis insuper altos
Inposuit; regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Æole, namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes;

frenat plus quam tenet, cohibet. *vincula* per *carcerem* declarantur. non enim compedes esse possunt. Sunt igitur pro custodia.

55 Optime junges: *fremunt cum murmure montis.* Certe *murmur montis* recte jungitur. nam quæ oculorum auriumve sensu accipiuntur aliquo in loco, ea ipsi loco tribuuntur. cf. inf. 124. Præivit autem nostro Lucret. VI. 196. *Speluncas—velut cum, tempestate coorta, Implerunt, magno indignantur murmure clausi.* Virgilius vero Statio Theb. I. 347. *Jam claustra rigentis Æoliæ percussa sonant* etc.—*fremunt* autem venti circum *claustra*, spiracula, erumpere volentes.

56. 57 *Celsa in arce*, extra antrum, alto in montis cacumine, infra 140. *aula* dicta, s. regia. Sic apud Homerum Odyss. κ, pr. habet regiam Æolus. *mollit animos*, mitigat, h. e. domat, δαμᾷ, reprimit ac coërcet eorum impetus, et *iras*, furores.

58 *Ni faciat—quippe ferant* exquisitius quam vulgare, *quod ni faciat Æolus, ferant utique. profundum cœlum*, altum, v. ad Georg. II. 288. Habuit poëta ante oculos, Lucret. I. 279. 280. *Venti—corpora cæca, Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli Verrunt ac subito vexantia turbine raptant.*

60—64 Primum ventos speluncis inclusit, *insuper*, præterea, *molem et* (quæ *molis* est explicatio) *montis altos* iis imposuit. Nisi præstat *insuper* ad *inposuit* referre, superimposuit montem altum. *fœdere certo*, certa lege, ratione; non temere et pro eorum impetu: *premere*, habenas inhibere, retrahere: opp. *laxas dare*, laxare. modo coërcere (v. 54. *frenare*) modo liberiorem impetum concedere, omninoque moderari. *jussus* a Jove. cf. 77.

65—69 *Æole, namque*—poëtica ratio, quæ (Homeri exemplo γὰρ v. c. Iliad. α, 334.) formam pedestris orationis in causa reddenda relinquit et simul orationi vehementiam affectus conciliat: *Æole*, quandoquidem *tibi Jupiter*, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, *dedit hoc, ut possis tempestates excitare et sedare*, concita ventos, ut aut obruatur fluctibus classis mihi invisa aut disjiciatur. *Mulcere fluctus*, reprimere, *et tollere* eos *vento*, h. e. concitare, ut alte insurgant. Sumtum ab Ennio Annal. XVII. Auster et Aquilo *Endo mari magno fluctus extollere certant.* Odyss. κ, 21. 22. Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων, Ἠ μὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν', ὅν κ' ἐθέλῃσι. Illustrat et Dionysii Perieg. versus 464. Αἰόλω, ὃς θνητὰ μετ' ἀνδράσιν ἔλλαβε δῶρα, Κοιρανίην ἀνέμων κλονεόντων θ' ἱσταμένων τε. *navigat* per *æquor*. 68. Pulcherrimus versus verborum dilectu! ut in Italia novam sedem quærat. cf. VIII. 12. quo ipso Ilium restitutum videri poterat in Italia. Ovid. Fast. IV. 251. *Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros.* 69. *Incute*, ut injicere, immittere, *vim*, impetum, iram, *ventis*, tertio casu. Sic melius. h. e. ventos concita auctis viribus. Servius ex Ennio: *dictis Romanis incutit iram.* sub-

Aut age diversos; et disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeam
Connubio jungam stabili propriamque dicabo:
Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contra: Tuus, o regina, quid optes
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptra Jovemque
Concilias; tu das epulis adcumbere divom,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Inpulit in latus; ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.

mersas obrue gravius quam, submerge. *age diversos*, dissipa, disperge per diversa, et *disjice corpora*, h. e. eos, sed præclare, *corpora*, quippe naufragio facto mari mersos. Atque sic factum vides inf. 118. 128. 129.

71 Locus expressus ex Iliad. ξ, 267. sqq. Alias Junoni Charites vel Horæ adsunt; h. l. Nymphæ: quod observandum.

73 Verba *stabili propriamque dicabo*, h. e. dabo simpliciter, ad ornatum et declarationem refer τῶν *connubio jungam*. æmulatus poëta est illud Δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν. Dicas forte, vss. 74. 75. sententiam nimis esse protractam ac verbosam. At oratoria arte moratur Juno in exponendis iis quæ vim ad Æoli animum habere possunt—74. *Omnis ut tecum* ἧς ἀΐεν ἐέλδεαι ἥματα πάντα.

77 *Explorare*, recte secusne id fiat, quod velis fieri. h. e. Rectene hæc an secus a me postules, tu ipsa videris. Præmunit transitum ad Neptuni indignationem de Æoli audacia v. 130. sqq. Simplicius Homerus Iliad. ξ, 195. Αὔδα, ὅ, τι φρονέεις, τελέσαι δέ με θυμὸς ἄνωγε, Venus ad Junonem.

78 Verba hanc sententiam fundunt: tuis in me officiis debeo totum hoc ventorum regnum, quod mihi a Jove impetrasti, quin et ipsum inter deorum ordines locum; is enim designatur antiqua poësi per istud: *epulis adcumbere divom*. ut de somno Homer. l. l. v. 241. εἰλαπινάζων. Obscuriorem aliquam fabulam subesse necesse est; scilicet antiquiores poëtæ, qui aërem, atmospheram nos dicimus, per Junonem declararunt, ejus beneficio Æolum deum factum narrasse videntur; quandoquidem aër concitatus ventos creat. Certavit autem Maro cum Homero Iliad. ξ, 238. ubi Juno Somno θρόνον ab Vulcano affabre fabricandum promittit. Verba *concilias*, *das*, pro præteritis. *Conciliare* ad plura refertur. *Jovem* propitium reddendo, benevolentiam ejus, *regnumque* ab eo impetrando.

81—83 Hæc eadem ap. Quintum l. l. XIV. v. 479. sqq. Æolus χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτοισιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ—βίᾳ δ' ἔρρηξε κολώνην. (non male epitheton adjecit noster *cavum* montem, propter antrum.) Egregie autem dei et potentia et impetuosum obsequium declaratur, uno sub ictu monte latere montis percusso hasta dei, perrupto et sic patefacto. *In latus* est pro in latere, ut inf. v. 114. *Unam—in puppim ferit*. Alius poëta repagula ostiorum solvi jussisset. Simplicior Homerus Od. ε, 291. sq. nec tamen minus sublimis. Statius Virgilii vestigiis institit; *dubiamque jugo fragor impulit Oeten In latus*. Theb. I. 119. *conversa cuspide*, hastæ; quam diis gestare solenne est, hanc intorquet, immittit, ruptaque rupe viam ventis facit, qua erumpant.

84—86 *Incubuere*, incumbunt, ἐνέπεσον, ἐπέχραον, ἐνέσκηψαν. *a sedibus imis ruunt*, h. e. eruunt a fundo; inf. II. 419. *imo Ne-*

Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther;
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra.
Ingemit, et, duplicis tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati!
Quis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra!
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon; ubi tot Simois conrepta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.

reus ciet æquora fundo. Sequitur tempestatis descriptio omnium fere post Virgilium poëtarum imitatione nobilitata, in qua observandum, quomodo omnia sint ad terrorem et admirationem narrata. Quod undique venti erumpere narrantur, non eo spectat, ut uno eodemque temporis momento omnes venti spirent: verum uti, quod natura tempestatis fert, crebræ aëris mutationes ab omnibus inde cœli plagis sibi succedant.

87 Laudat Servius ex Pacuvio in Teucro; *armamentum stridor et rudentum sibilus;* funium nauticorum.

88. 89 Odyss. ε, 293. σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ἐρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. cf. Odyss. ι, 66—69. et inf. III. 198. ubi *nimbi*, qui h. l. *nubes*. Mox *poli* pro cœlo simpl. Nec est ὕστερον πρότερον, quasi tonitru præcedat fulgur; sed cadunt crebra fulmina cum tonitru.

92 Naturæ veritatem sequutus poëta, exemplo Homeri Od. ε, unde locus expressus, v. 297. καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ, Æneam suum metu vacare non jubet. Aliud est Achillis exemplum, qui mortem a Xanthi eluvie instantem similiter exhorrescit Iliad. φ, 272. Priscis heroibus et metuere et flere haud indecorum est.

93 Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν v. 298. Od. ε, et sequitur similis oratio Ulyssis, ut hic Æneæ.

94—96 ibid. 306. Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ etc. Compara locum. conf. Iliad. φ, 279. sqq. *oppetere mortem*, vulgare; poëta absolute posuit: ut *obire mortem*, mox, *obire* simpliciter.

96—98 Diomedem, Tydei f., potissimum inter Achivos memorat, quoniam cum eo congressus Æneas a Venere morti ereptus fuerat. v. Iliad. ε, 239. sqq. 311. sqq. *Fortissimum* eum appellat ex Iliad. ζ, 98. ubi Helenus de eodem: Ὃν δὴ ἐγὼ κάρτιστον Ἀχαιῶν φημὶ γενέσθαι.

99 Odyss. γ, 108. Nestor facta Achivorum ante Trojam recensens ἐνθάδ' ἔπειτα κατέκταθεν ὅσσοι ἄριστοι. Ἔνθα μὲν Αἴας κεῖται Ἀρήϊος, ἔνθαδ' Ἀχιλλεὺς, ἔνθα δὲ Πάτροκλος —ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος υἱός. suavissimus locus! *sævus Hector* simpl. pro fortis, ut *acer*, *asper*, v. 14. Scilicet, ut semel moneamus, cum *sævus* proprie ad iram, furorem, ac vehementiam spectet: pro communi epitheto, sæpe tantum in ornatum, adhibetur in omnibus rebus, quæ ad bella, pugnas, virtutem; ad imperia, regna, jussa; ad mare, ventos, tempestates, pertinent. Quo fit, ut nonnunquam per *fortis*, *magnus*, *potens*, declarari possit, ut Homerica δεινὸς, αἰνὸς, ἀπευθὴς. *telo*, hasta, v. Iliad. χ, 319. *jacet*, periit, κεῖται. quamquam et corpus Hectoris sepulturam sub mœnibus urbis habuit, v. Iliad. ω, 786.; non vero Sarpedonis, qui in Lyciam fuit abductus. Sarpedon *ingens*, παλώριος.

100. 101 Contendit cum Homero Iliad. μ, 22. sq. καὶ Σιμόεις ὅθι (in cujus litore) πολλὰ βοάγρια καὶ τρυφάλειαι Κάππεσον ἠν κονίῃσι, καὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν. Inf. XI. 257. *Quos Simois premat ille viros.* Egregie su-

Talia jactanti stridens aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit, et undis
Dat latus; insequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent: his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit æstus arenis.
Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet:
* Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras: *
Dorsum inmane mari summo. Tris Eurus ab alto
In brevia et syrtis urguet, miserabile visu,
Inliditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus

tem reddita est Simoentis natura, qualem eam adhuc esse memorarunt ii qui hæc loca adierunt. Prælia autem inter Simoentem et Scamandrum facta. Potest sane oratio nimis ornata videri ex Æneæ persona; sed innumeris locis poëtæ cum epici tum tragici ac lyrici sibi indulgent in ornatu, etiam ubi alios loquentes inducunt. Vide v. c. inf. Junonis verba 229. sqq. et Jovis 257. sqq. neque hoc, nisi in immodica pigmenta excurrat poëta, vitio dabis, ubi semel memineris, Jovem et Junonem non propriis, sed poëtæ verbis uti.

102—105 *jactanti* simpl. dicenti. Homerus Od. ε, 313. Ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασε μέγα κῦμα κατ' ἄκρης Δεινὸν ἐπεσσύμενον—μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξε Δεινὰ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα. Locum Iliad. ο, 624. sqq. non bene comparant viri docti. *stridens aquilone procella*, h. e. ab aquilone incitata, immissa; plus autem est in *stridens*. Magna igitur vis a septemtrione veniens *ferit velum* et lacerat, *adversa*, a prora irruens, excitatque fluctum ingentem, quo utrinque citra navis latera se provolvente remi franguntur, seu, quod proprie dicitur, *detergentur*; Græcorum παρασύρειν τοὺς ταρσοὺς. unde sequitur τὸ παραφέρεσθαι, φέρεσθαι πλαγίας τὰς ναῦς vel ἐπικαρσίας; detersis sc. remis jam obliquo cursu fertur navis, adeoque *prora avertit* se, incerta in hanc vel illam partem fertur, et navis *undis*, fluctibus, *dat latus*. Fundus est in Odyss. ι, 70. sqq. de Ulysse a Ciconibus progresso: ingravescit aquilo et naves αἱ μὲν ἔπειτ' ἐφέροντ' ἐπικάρσιαι, ἱστία δέ σφιν Τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διέσχισεν ἲς ἀνέμοιο (*stridens a. p. velum adversa ferit*). Locus est e præstantissimis. 105. *insequitur mons aquæ præruptus cumulo*, h. e. præruptus, propter altitudinem cumulatæ aquæ. Intelligit autem *decumanum fluctum* (Græci τρικυμίαν dicunt, forte pro maris diversa natura), qui aliis minoribus ipse major succedit. Eo autem insequente alterum navis latus, aut altera pars, alte deprimitur, altera exstat. Itaque *Hi*, alii ex iis, qui in navi sunt, v. c. in prora, aut in transtris dextris, *pendent s. in fl.*, alii, qui sinistris, aut in puppi sunt, merguntur mari. Nisi placet v. 106. sejungere a superioribus, et de aliis navibus accipere.

108—112 *Aras* proprie dictas seu *Ægimuri insulas* designat, ex adverso Carthaginis in mari sitas, in nostris quoque tabulis geographicis obvias. *saxa latentia*, ἕρματα ὕφαλα, ut sæpe—*dorsum* alias *tænias* appellant. *mari summo*, sub maris superficie latentes scopuli: οἰόθι δ' ἅλμη Ἀπλόος εἰλεῖται γαίης ὑπὲρ ὅσσον ἔχουσα Apollon. IV. 1270. 71. e quo loco, ubi in Syrtes inciderunt Argonautæ, plura transtulit Virgilius. 111. *Syrtes* interpretatur poëta per τὰ *brevia*, τὰ βραχέα, vadosa loca, qualia alias littorum sunt: opp. *profunda*, *alta* vel *aperta*. Inf. v. 221. de scopulis *brevia vada*; plerumque tamen arenosa loca dicuntur *brevia*; eadem mox *vada*. Non autem de Syrtibus proprie ita dictis, majore ac minore, in Libyæ littore, cogitandum; nec *Notus* et *Eurus* proprie dicti sunt.

113—115 *Unam ingens pontus* (δεινῶς pro fluctus, quod incitatus Valer. Fl. IV. 666. *effluit imber spumeus et* magno puppim *procul* æquore *vestit*) *ferit in puppim*, ictu in puppim delato, κατὰ πρύμναν, (non ἐπὶ πρύμναν, quæ diversa plane res est, ἐπὶ πρύμναν ἐλαύνειν) *a vertice*, h. e. desuper, v. sup. ad Georg. II. 310. (non vero a prora etsi a fronte fluctus

In puppim ferit: excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore vortex.
Adparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virum, tabulæque, et Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, et qua grandævus Aletes,
Vicit hiems: laxis laterum conpagibus omnes
Adcipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis, graviter conmotus; et alto

ingruere debuit) alte insurgens fluctus desuper in caput irruit. Odyss. ε, 313. ἔλασε μέγα κῦμα κατ' ἄκρης Δεινὸν ἐπεσσύμενον. Puppi itaque depressa inclinatur gubernator et in mare prolabitur: quamquam et ipse fluctus adjuvare satis casum hominis potuit.

115—119 Vides Homerum l. l. Od. ε, 314. περὶ δὲ σχεδίην ἐλέλιξεν, Τῆλε δ' ἀπὸ σχεδίης αὐτὸς (Ulysses) πέσε· πηδάλιον δὲ Ἐκ χειρῶν προέηκε· μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξε Δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα. Τηλοῦ δὲ σπεῖρον καὶ ἐπίκριον (velum et antenna) ἔμπεσε πόντῳ. Τόν δ' ἄρ' ὑπόβρυχα θῆκε etc. Observanda autem in Virgilio variatio in diversis navium casibus. *Magistrum* nominat Æn. VI. 334. sqq. *Leucaspim et Lyciæ ductorem classis Oronten:* ubi in eundem Orontem in locis inferis incidit Æneas. et, quod *pronus volvitur in caput*, translatum est ex verbis: ὁ δ' ἄρ' (κυβερνήτης) ἀρνευτῆρι ἐοικὼς Κάππεσ' ἀπ' ἰκριόφιν—Odyss. μ, 413. Mox *vorat* v. 117. est absorbet, καταπίνει. Videtur fluctus ingens irruendo in mare profundam voraginem effecisse: in quam dum revolutum mare fertur, navis lateri illud impingitur eamque circumagit.

118 *rari* epith. ornans, ut et *vastum*, nihil amplius. *gurges*, μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Conspiciuntur passim nantes (cf. Odyss. μ, 417. 418.) et *arma* h. e. clipei, quos, cratibus textos corio indutis, quis dubitet aqua ferri potuisse? Laudant Liv. I. 34. *multique mortales—in flumine ipso periere, quorum fluitantia arma ad urbem cognita in Tiberi.* Adde Æn. VIII. 539. *quam multa sub undas Scuta virum galeasque et fortia corpora volves, Tibri pater!* Erant autem militum arma in puppibus religata. inf. v. 183. X. 80. Navium tamen armamenta alii malunt intelligere. Sed *arma virum* dicit.

120. 121 Nomina sunt ex Homero, non autem ipsi homines. *Achaten*, Æneæ amicum video in Schol. Ven. A. accepisse nonnullos de eo qui Il. β, 701. est Δάρδανος ἀνὴρ, a quo Protesilaus cæsus est.

122 *Vicit hiems*, tempestas, χειμὼν, labefactavit, solvit navium latera, ut aqua subiret. *imbrem*, aquam maris post Ennium et Lucretium dixit; et post Virgilium sæpe alii poëtæ, ut Stat. III. Theb. 250. 251. *inimicum* gravius accipiendum pro *exitioso*. Materiem ornatissimi loci habuit hæc verba: ἀπὸ τοίχους Αὖσε κλύδων τρόπιος· τὴν δὲ ψιλὴν φέρε κῦμα.—*rimisque fatiscunt*, solvuntur, ut rimas agant. v. ad Ge. I. 180.

124—156 Tempestas tandem deferbuit. Locus poëtice Neptuni interventu ornatus. Apud Homerum l. l. Od. ε, 334. Ulyssem prospicit Leucothea et offert suum κρήδεμνον, at servat eum Minerva v. 382. sqq. nam a Neptuno tempestas fuerat immissa. *Sensit* Neptunus *pontum misceri* magno cum murmure et *sensit hiemem* emissam,—*et stagna* refusa. Duplex structura, ut sæpe. *stagna* pro mari, quod *refusum*, erutum et exturbatum erat ex *imis vadis*, fundo; quod v. 84. *ex imis sedibus*, βυσσόθεν, nisi per *stagna* profunda maris velis indicari. Sed *stagna* pro mari novasse videtur poëta ex λίμνῃ apud Homerum.

126—129 *Graviter conmotus.* turbatus σκυχυθεὶς rei novitate, sensit Neptunus tempestatem in mari commotam; tum ille e mari capite sublato prospicit. *placidum caput:* Aliis in locis, alio respectu ad maris furores habito, eidem Neptuno truculentus vultus tribuitur. At h. l. *placidum* adjectum est certo cum judicio: quod tempestatem *non ab ipso deo, ex ira in Trojanos*, commotam esse significare voluit poëta. *Extulit caput* pla-

Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore classem;
Fluctibus oppressos Troas cœlique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis et iræ.
Eurum ad se Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cœlum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos præstat conponere fluctus.
Post mihi non simili pœna conmissa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille inmania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula
Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida æquora placat;
Conlectasque fugat nubes, solemque reducit.

cide: pro quo dictum poëtico more *placidum caput*. Expressit locum Silius VII. 254. sqq. *Ut cum turbatis placidum caput extulit undis Neptunus, totumque videt totoque videtur Regnator ponto; sævi fera murmura venti Dimittunt, nullasque movent in frontibus alas: Tum sensim infusa tranquilla per æquora pace Languentes tacito lucent in litore fluctus. alto prospiciens* int. ex fundo maris, in quo regia dei est. *disjectam—oppressos.* v. sup. v. 69. 70. *cœli ruinam* gravissime dixit pro vento ac procella.

130 Statim Neptuno in animum veniebat, Junonis machinatione, ut exsatiaret odia sua erga Teucros, hanc tempestatem esse conflatam. Ita *dolos* et *iras* accipe. Habuisse fertur poëta ante oculos Homer. Iliad. α, 536. 7. Sed verba ex Apollon. IV. 753. Οὐδ' ἄλεχον Κρονίδαο Διὸς λάθον. Simile argumentum vide tractatum ab Ovid. I. Met. 601. sqq.

131—135 Duo ventos *Eurum* et *Zephyrum* pro toto ventorum agmine manifeste ponit tanquam poëta; nam neutrius in hac tempestate partes debuere esse præcipuæ. *generis vestri.* non tam originis, quam omnino gentis; tantumne vos confidentiæ in vobis, in vestris viribus, habetis? *meo sine numine*, voluntate, jusso. *tantas moles*, rerum perturbationes, tempestatem. Nam moles omnis magna molitio, magna res quam quis molitur. *Quos ego* gravissime ulciscar, puniam; vel, punire possem, vel deberem. Notus locus.

136 *Non simili*, sed graviore, *pœna*. Porro *post* et *conmissa* sensu junge, si in posterum tale quid ausi eritis, non impune feretis.

137 *Maturate fugam*, accelerate receptum in antra vestra; *mature* h. e. ocyus discedite.

138 *Imperium—tridentem.* præclare, ut v. 78. quodcunque hoc *regni—sceptra*. Et sic sæpe poëtæ. Hinc et *sævus tridens*, quia poëtis *sævum imperium*, v. ad v. 99.

139 *sorte*, sortitione inter fratres. cf. Iliad. ο, 187. sqq. *inmania saxa*, vastum antrum v. 52.

140 *Vestras, Eure, domos.* Nota figura, adscitis in regimen verbi sociis Euri. Ita IX. 525. XI. 686. 7. Totus autem locus adumbratus ex Homer. Iliad. α, 179. Οἴκαδ' ἰὼν σύν νηυσί τε σῇς καὶ σοῖς ἑτάροισι, Μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε. At ornatius noster extulit: *se jactet—aula*, regia. cf. ad 56.

142 Placata tempestas. Aliter simile argumentum tractatum vides ab Ovidio I. Met. 330. sqq. *dicto citius*, antequam orationem finiisset. Nondum omnia erat eloquutus, cum jam mare esset placatum. Quale illud

Cymothoë, simul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt navis scopulo; levat ipse tridenti;
Et vastas aperit syrtis, et temperat æquor;
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac, veluti magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile volgus;
Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat:
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent; adrectisque auribus adstant;
Iste regit dictis animos, et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cœloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Defessi Æneadæ, quæ proxima, litora cursu
Contendunt petere, et Libyæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: Insula portum

vulgatum: Dictum factum. ἅμ' ἕπος ἅμ' ἔργον, et Iliad. τ, 242. Αὐτίκ' ἔπειΘ' ἅμα μῦθος ἦν, τετέλεστο δὲ ἔργον.

144 Splendidi hi quatuor versus v. 144—147. quantarum scilicet rerum adumbratio! Habuit forte ante oculos Apollon. IV. 930. sqq. ubi Thetis cum Nereidibus navem Argo inter erraticas rupes salvam deducit. *Cymothoë* una ex Nereidibus: Apolod. I. 2. 7. inter Oceani filias ap. Hesiod. Θ. 245. *Detrudunt navis scopulo* refer ad eas v. 108. quas *Notus in saxa latentia torquet*. Porro ipse N. *levat* n. naves: itaque post *scopulo* nolim plene interpungi, ita ut N. *syrtis levasse* dicatur: quod non bene fieret.

146 *Aperit syrtis*, via ex arenosis vadis facta, ut naves expedire se possent: ut sæpe poëtæ de aditu facto; sic *mare aperitur*. refer autem ad tres naves v. 110. 111. et *temperat undas*, fluctus placat.

147 Talis Neptunus quadrigis vectus etiam in gemmis occurrit: Pulcre autem singula celeritatem exprimunt, etiam *vè labi per undas*. VIII. 91. *Labitur uncta vadis abies*.

148—153 Neptuni prospectu mare placatur, ut populi seditio aspectu viri auctoritate conspicui.—*Ac veluti silent tum, cum*. In prosa: *ut sæpe in magno populo cum coorta est seditio silent*. Comparatio seditionis cum mari satis frequens est, et ab Homero Iliad. β, 144—146. ducta; at h. l. inverse maris tumultus cum seditione fit comparatio: cujus novam ac præclare ornatam tractationem facile intelligis, inprimis in voc. *magno—coorta est sævitque animis* (ira) *ignobile volgus* (ut *vile*, epith. ornans) seu, quæ nuda oratio esset: *ardet ira vulgus, furit*.

151 *Gravem*, venerabilem, *pietate ac meritis*, religione erga deos et sanctitate, beneficiisque in patriam ac cives collatis. Utrumque hominibus auctoritatem conciliat.

155. 156 *Cœlo aperto*, sereno, quod adhuc nubibus erat obductum, *invectus* per mare. *Equos* Neptuni v. Homer. Iliad. ν, 23. 24. Seriores poëtæ tribuunt Neptuno hippocampos. v. Stat. Theb. II. 45—47. ut Proteo Georg. IV. 389. *curru secundo*, celeri; proprie *cursus* est *secundus*; ductum a navi, quæ *secundo amne* devehitur. *genitor*, pater: sic proprie omnes seniores dii, mox et quicunque alii, ut Mars, Bacchus, Apollo, h. e. venerabiles, verendi, sancti.

157 Nunc Trojani ad Libyæ littus, haud longe a Carthagine, deferuntur. *Defessi*, fessi, jactati tempestate, ut sæpe poëtæ; et mox 168. *fessæ naves*.

159—169 Tractum littoris remotum et infrequentem designat poëta, cujus aditum et conspectum intercipit navigantibus insula ex adverso objecta et continenti prætexta. Hæc *insula* efficit *portum objectu laterum* suorum; tam late illa prætenditur; *portum* appellat

Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice late
Æquora tuta silent; tum silvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus inminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo;
Nympharum domus. Hic fessas non vincula navis
Ulla tenent; unco non adligat ancora morsu.
Huc septem Æneas conlectis navibus omni
Ex numero subit; ac, magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troës arena,

tutam navium stationem, quoniam insula objecta ventorum et fluctuum vim excipit: *lateribus* enim, ad insulæ latera, *omnis unda*, fluctus, *ab alto frangitur:* hoc ornavit: *in sinus scindit sese u. r.* sinuoso flexu fluctus recedunt: cf. ad Ge. IV. 420. solent enim fluctus allisi longo tractu retrorsum acti dissolvi.

159 Insula non est ap. Homer. in loco, quem hic expressit Odyss. ν, 97. sed est alius locus, quem et hic ante oculos habuit, in descriptione terræ Cyclopum Odyss. ι, 116. Νῆσος ἔκειτα λάχεια παρὲκ λιμένος τετάνυσται Γαίης Κυκλώπων, οὔτε σχεδὸν, οὔτ' ἀποτηλοῦ, Τλήεσσ'. Ex eodem loco cervi inf. 184. poëtæ in mentem venere.

160. 162 In portu Phorcynis l. l. Od. ν, 97. sqq. Δύο δὲ προβλῆτες; ἐν αὐτῷ Ἀκταὶ ἀπορρῶγες, λιμένος τετιπεπτυῖαι. (mutuo ad se vergendo, in cornua coëundo, κατὰ τοῦ λιμένος. Etymolog. sl; λιμένα νενευκυῖαι.) Αἵ τ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα Ἐντοσθεν *(ab alto)*.

162 sqq. Nunc ad *secessum*, s. interius littus, continentis nimirum, procedit. Est hoc rupibus consitum, prominentibus ad dextram et sinistram duobus scopulis; omnia silvis obsita. Ingressis recessum hunc ex adverso occurrit antrum subter littore scopuloso.

164 Superior littoris ruposi ora sylvis obsita est. Pro interpretatione sunt vss. 310. 311. Littora hujus generis sæpe memorantur; v. c. Apollon. II. 734. 5. 6.—*Scenam* nove dixit poëta de prospectu longo inter *sylvas*, h. e. arbores. Hanc *scenam*, h. e. prospectum, *silvarum coruscarum*, tremula inter intervalla luce micantium, dum vento moventur (cf. inf. XII. 701. 2.), et hoc *nemus* Virgilius ex una olea ap. Homer. 102. propagavit, tamquam ex surculo. *horrenti umbra* cf. sup. ad procem. 4.

166—168 Hoc antrum itidem ex Homero v. 103—112. Sed apud hunc tam augusta loci facies, tam veneranda antiquitatis sanctitas, ut Virgilius ab antro ornando plane abstineret. Atqui et hoc judicium magni poëtæ est. *Fronte sub adversa:* de interiore continentis littore (non de insula) hoc est accipiendum: quod est adversum intrantibus sinum. *Nympharum domus* etiam Od. μ, 318. de antro in insula Solis: Ἔνθα δ' ἔσαν Νυμφάων καλαὶ χοροὶ ἠδὲ θόωκοι (h. *planities*, quam ad choreas aptam diceres, *et sedilia)*.

168. 169 *Hic.* non, in *antro;* sed, in loco inter littus et insulam, qui pro portu, seu tuta navium statione erat, in sinu pone insulam, in *secessu* 159. memorato. Ἔντοσθεν δὲ ἄνευ δεσμοῖο μένουσι Νῆες· ἰδόσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται. ibid. v. 100. 101. Vides ubique Virgilium, si sententia certare non poterat, verborum ornatu cum Homero contendisse. At indicabimus et hujus ornatus lineas: Odyss. ι, 136. Ἐν δὲ λιμὴν εὐορμος, ἵν' ὲ χρεὼ πείσματός ἐστιν, οὔτ' εἰνὰς βαλέειν, οὔτε πρυμνήσι' ἀνάψαι etc. vides *vincula et ancoram*, sed ornate: *unco non adligat a. morsu;* translato epitheto ancoræ ad *morsum*. Inf. XII. 274. *mordet fibula*. Simile Nymphæum ad Heracleæ Ponticæ agros transtulerant veteres poetæ, quod repetiit ex iis Quintus Cal. VI. 470. versibus non malis.

170—173 *Septem navibus:* Una, qua Æneas vehebatur, tres e scopulis a Tritone, tresque aliæ e syrtibus, seu vadis arenosis, a Neptuno expeditæ. Cæteras præter unam

Et sale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem conruptam undis Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.
Æneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectùm late pelago petit; Anthea si quem
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam; tris litore cervos

servatas mox videbimus; fuit enim (vid. v. 381.) tota classis XX navium.

172 Præclarus versus! Odyss. ε, 463. ὁ δ' ἐκ ποταμοῖο λιασθεὶς Σχοίνῳ ὑπεκλίνθη, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν. *arena*, littus: et telluris *amor*, πόθος, desiderium, soli attingendi cupiditas. *tabentis artus sale*; unda marina respersos, madidos, simpliciter. Poetæ enim *tabem* proprie de humore corrupto, mox de quocunque, inprimis sordido. Θάλασσα δὲ κήκιε πολλὴ Ἂν στόμα τε ῥῖνάς τε. Odyss. ε, 455.

174 Reprehendit hic et in sqq. inprimis 210. sqq. poetam Homius (*Elements of Criticism*. T. III. 232.) quod eadem orationis gravitate res humiles narrat, qua grandes et sublimes. Voluit sane Virgilius hoc ipso verborum ornatu nobilitatem tenuibus rebus addere. Aliter Homerus, qui orationem rebus accommodat; et præceptum sane primum in tali re est, leves res leviter esse attingendas, ut obiter tantum lectoris animum præstringant. Sed habet poeta unusquisque sæculi sui Genium, cui in nonnullis est litandum; et verborum ornamenta alia splendoris et sublimitatis sunt, alia elegantiæ et suavitatis, quæ, ut in hoc et similibus locis factum, recte rebus etiam humilibus accommodari possunt.

176 *Rapuitque in fomite flammam*, raptim excepit lignis aridis pro fomite subjectis. alias *fomes rapit flammam*, quam raptim concipit.

177—179 Hic vides priscorum hominum rationem et artem panis conficiendi, non ingratam illam et injucundam cognitu hominibus, qui, a quibus initiis vita humana ad hunc cultum progressa sit, quæri sciant a philosophis, qui humanæ vitæ annales aut condere aut cognoscere cupiunt. *fruges*, h. e. grana, *receptas*, e mari servatas, *torrent*, ut exuant glumam et facilius comminui possint, tum *frangunt saxo*, ut multi populi etiamnum grana saxis contundunt. *Cerealia arma* h. utensilia, instrumenta, ad pinsendum, et ad coquendum panem. puta esse hæc ipsa saxa, porro mactram, seu alveum, quo farina subigeretur. De fermento enim nondum cogitabant; sed farinam illam subactam, seu pultem, continuo in quadrarum forma sub cinere coquebant. *fessi rerum*, ex calamitatibus et casibus, quos subierant (ita *res* poetis), exhausti viribus, quæ propterea cibo erant reficiendæ.

180—184 *Omnem prospectum late petit pelago*, in prosa: prospectum capit, prospectat, quantum licet, per omne pelagus. cf. Od. κ, 146. sq. et 95. sq. *si videat*, pro: ut videat, sollenni more, Homeri exemplo: εἰ. ἐάν. εἴπως. pro ἵνα, ὥστε. v. c. εἴ κεν' αὐτῆς σχοίατο Iliad. β, 97. In *biremibus* non est hærendum. Poeta simpl. pro navibus posuit. In v. 183. *aut Caicum*, debebat dicere vel Caici navem; nunc ponit *arma Caici in puppibus celsis*. *arma* aut de *aplustribus*, simpliciter aut de tutela navis erat accipiendum; illud quidem melius. Verum poetico ornatu omnino dicta puto *arma in puppibus*, pro armis puppis s. navis Caici, ut arma navis, seu armamenta, dicta sint pro ipsa navi, quam prospicere volebat Æneas.

184 *Cervos* ex Homeri capreis fecit, v. sup. ad 159. Nullos tamen cervos in Africa inveniri Herodotus, Aristoteles, et Plinius post illos VIII. 33. s. 51. affirmaverunt. Firmat tamen se ipsum Virgilius Æn. IV. 154. et Lucan. IX. 921. Oppianum et Philostratum memorant præterea Cerda et alii. Forte eos cum adversariis ita in gratiam revoces, ut aut cervos post Aristotelem in Africam illatos aut

Prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per vallis pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celerisque sagittas
Conripuit; fidus quæ tela gerebat Achates;
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
Cornibus arboreis, sternit; tum volgus; et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus æquet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnis.
Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis mærentia pectora mulcet:
O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora; dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllæam rabiem penitusque sonantis

cervi nomen latius ab iis usurpatum dicas. Verum cervos etiam proprie dictos *nunc* per oras Africæ versus septentrionem sitas errare, affirmat *Shaw*, *Travels*, p. 243.

189—193 *Cornibus arboreis*. Ecl. VII. 30. *ramosa cornua*. *Capita alta cornibus*, vulgari ratione, *capita altis cornibus*, vel *alta c. habentia*. Etiam *ferentes* pro exili voce, *habentes*. *Miscet agens turbam*, ornate, pro agit, agitat, perturbat, κλονεῖ, ut promiscua fuga se ipsi invicem trudant, cum antea *longo agmine* incederent; 192. *septem ingentia corpora* grandius, quam *cervos*. *victor*, ornatus poëticus. Mox 194. *portum* non proprie dixit, sed pro statione navium: v. sup. ad 159.

195—197 *Deinde vina, quæ* etc. In Drepani portum, qui Siciliæ est, classis Trojana delata fuerat Æn. III. 707. non longe aberat *Ægesta* vel *Segesta*, quam Græci et *Egestam* scribunt, condita ab *Ægesto* Troë, quem Virgilius *Acestam* appellat: cf. V. 31. 61. Benigne fuerant ab ipso excepti, ut etiam inf. I. 558. 570. hinc *bonus*. Idem iterum hospitio Æneam excipit Æn. V. 36. sqq. Quod vina commendat, ut Acestæ munus ξενήιον, id ut poëta, et Homeri imitatione, facit: Odyss. ι, 197. sqq. *Vina onerare cadis* quasi pro onere inferre, infundere cadis, pro vulgari *cados o. vinis*.

198. 199 In prosa: O socii! satis meminisse, vos graviora his, quæ modo experti sumus, passos esse: spem itaque retinete, habitura esse finem etiam hæc mala præteritis leviora. *ante mala*, τὰ πρὶν κακά. Horat. I. Carm. 7. 30. *O fortes peioraque passi Mecum sæpe viri*. Locus autem expressus ex Odyss. μ, 208. Ὦ φίλοι, ἢ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονες εἰμέν. Οὐ μὲν δὴ τόδε μεῖζον ἔπι κακόν, ἢ ὅτε Κύκλωψ Εἴλει ἐνὶ σπῆι γλαφυρῷ κρατερῇφι βίηφιν. Ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ, βουλῇτε νόῳτε, Ἐκφύγομεν· καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω. Macrob. V. Sat. 11. Maronem in his locupletiorem Homero existimat.

200 *Scyllæam rabiem*, seu quoniam Scylla canibus cincta, quorum *rabies* proprie dicitur; seu simpliciter, quatenus furor, sævitia, rabies, mari, tempestati, procellis, tribuitur. *sonantes scopuli*, fluctibus allisis, et quidem *penitus*, in interioribus adeo rupis recessibus et antris, sunt ii ipsi, quibus Scylla insidebat. *Ter scopuli clamorem inter* cava saxa *dedere*, III. 566. *adcestis* ad eos, hactenus, quod jam fretum Siculum ingressi non longe ab iis aberant, cum dati ab Heleno oraculi memores statim ad lævam convertunt cursum. v. inf. III. 555. 8. 566. 7. *Cyclopia saxa*, littus Cyclopum saxosum in Sicilia, cujus illi rupes et antra incolebant in Ætnæ vicinia, in orientali littore v. inf. III. 569. 644. 675. Accesserant (doctius dixit, *experti* erant) scilicet et ad hoc littus et in portu escenderant, sed ab Achæmenide moniti fugiunt.

Adcestis scopulos; vos et Cyclopia saxa
Experti. Revocate animos, mœstumque timorem
Mittite. Forsan et hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt. Illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert; curisque ingentibus æger
Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ adcingunt dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis, et viscera nudant;
Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt;
Litore aëna locant alii, flammasque ministrant;
Tum victu revocant vires; fusique per herbam
Inplentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ.
Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ:
Amissos longo socios sermone requirunt;

203—207 *Forsan et hæc o.* nobilem sententiam illustrant Cerda et alii. Sed pertinet huc Euripideum, Ὡς ἡδύ τοι, σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, Latine conversum a Cic. de Fin. II. 32. et ante Euripid. Homeri locus Odyss. ε, 397—400. Ingeniosa imitatione hæc sequutus est Statius I. Theb. 472. *Forsan et has venturus amor præmiserit iras, Ut meminisse juvet.* 204. Per hos ipsos casus, per hæc *discrimina rerum:* pleonasmus poëtis frequentatus. Possunt tamen *res* pro rebus adversis, periculis, accipi, ut v. 178. *sedes ubi fata q. Ostendunt* h. e. oracula et auguria prædicunt, promittunt. *Ostendere* egregie inprimis poëtæ, hac in re. Iidem *fas* esse dicunt ea, quæ fatis volentibus et oraculorum monitu fiunt. *Durare* pro durare se, animum suum, poëtæ primum, mox alii scriptores, ut Tacitus. Τλῆτε, φίλοι. Il. β, 299.

208. 209 *Magnanimum* Æneam videas. *Premit*, occultat, ut sæpe. *altum* proprie, alto corde, h. e. intimo, sed docte poëta epitheton transfert ad *dolorem*, qui eo ipso fit intimus et altus dolor.

210—215 Sequentia censenda sunt ex ornatu rerum exilium. cf. Iliad. α, 459. sqq. ubi ἔδιψεν: hic ornatius: *Tergora deripiunt* (alii: mox *pars*) *costis* (artubus) *et viscera nudant.* Recte Serv. *viscera*, quicquid sub corio est, h. e. carnes. 212. Totus ex: Μίσυλλόν τ' ἰρέα τ' ἄλλα, καὶ ἀμφ' ἰβιλοῖσιν ἔπειρεν ibid. 465. *trementia*, adhuc palpitantia. Non equidem suavem in hoc epitheto imaginem sensui objici dixerim. 213. *Aëna locant.* quorsum? certe non ad elixandas carnes, quibus heroica tempora plane non utebantur, ut notum est. Et ne forte poëtam ab antiquo more recessisse videri putes, quorsum laudare possis Valer. Fl. VIII. 254. aut Ovid. Met. I. 228., torreri carnes in antec. versu significatur. Igitur his ahenis aquam calefaciunt, cf. Æn. VI. 218. 219. ut se lavent ante epulas, ex more. Quærere velle, unde tot lebetes habuerint qui tanto hominum numero sufficerent, putidum esset in poëta. *Flammas ministrant*, ornate, ut omnia in h. l. pro, *subjiciunt aënis ignem.* 215. Satiant se et carne ferina et vino. Jam excute ornamenta verborum.

216 Hoc est Homericum: Αὐτὰρ, ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔον ἔντο. cf. inf. VIII. 184. *mensæ remotæ* noto vetere more, quo mensa cum epulis convivæ apponebatur et auferebatur. At h. l. fusi per herbam epulantur? Itaque vel improprie dictum.

217 *Longo sermone*, non tam qualis post cœnam esse solet, quam potius multis cum querelis. *Amissa sociorum parte dolentes Multaque conquesti*, Ovid. Met. XIV. 242. *requirunt socios*, declarat voc. *requirere* desiderium amissorum sociorum. lamentantur eos sibi ereptos, Μνησάμενοι δὴ ἔπειτα φίλους

Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat: quum Juppiter æthere summo
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentis,
Litoraque, et latos populos, sic vertice cœli
Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum talis jactantem pectore curas
Tristior, et lacrimis oculos suffusa nitentis,
Adloquitur Venus: O qui res hominumque deumque

ἔκλαιον ἑταίρους, Odyss. μ, 309. Vulgari oratione diceres: multa de sociis amissis inter se conqueruntur.

219 H. e. sive jam esse mortuos. *Extrema pati* proprie dicuntur, qui crudeli supplicio affecti animam efflant, h. l. simpliciter, qui moriuntur morte violenta, fluctibus submersi, *nec jam exaudire vocatos*, h. e. esse mortuos, quos invocari ab amicis et conclamari notus mos erat, inf. III. 67. VI. 505. cf. Odyss. ι, 65. Ad prosaicam subtilitatem debuisset antecedere: num extrema eos passos esse credant, et jam conclamatos? Sed in poëta illa non requiritur.

223 *Et jam finis erat* sc. longi sermonis, h. e. querelarum, aut omnino, cœnæ factæ. Pompon. Sabinus *finem diei* interpretatur. nam mox dormitum concedunt, v. inf. 305. Quin omnino sic accipe: Postquam hæc finita erant, s. his factis, Jupiter prospexit, etc. Fateor nexum vel transitum mihi non videri esse felicissimi ingenii. Cogitandum tamen de Jove stante et Trojanorum fortunam in Africa mente revolvente, et rationem, qua succurri possit, circumspiciente. Hoc habitu Jovem si semel ante oculos tibi constitueris, bene se habent reliqua, et totus, qui sequitur locus, e præstantioribus est habendus, cum poëta hoc ipso et miraculum addat hospitio Æneæ apud Didonem, et, quod multo majus, Romanorum animos in carminis statim aditu in Æneam et totam adeo carminis fabulam advertat. Lineas primas hujus artificii videas in Odyss. ε, 5. sqq. ubi Minerva apud Jovem (ut jam Odyss. α, pr. fecerat) de intercepto Ulyssis reditu conqueritur, mittitur etiam tum Mercurius.

In verss. 223—227. plura Homeri loca ante oculos habuit: inprimis Iliad. ν, pr. et θ, 51. 52. *mare velivolum* exquisite, in quo vela volant, cum proprie naves sint *velivolæ*. *terras jacentis* præclare, respectu quidem Jovis ex alto prospicientis, porrectæ sub ipso et late patentes; quamquam *terræ jacentis*, *gentes jacentis*, et alibi ap. poëtas occurrunt simpliciter *positæ*: similiter *lati populi* sunt dicti. *sic*, αὕτως, non semper est temere vel frustra, sed, sic, uti res se habet, quo statu illa est: *sicut erat*, Romanorum poëtarum, cf. Iliad. ε, 255. et habet fere μιμητικὸν aliquid, ut Iliad. γ, 220. φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι ἄφρονά θ' αὕτως. cf. Iliad. ζ, 400. η, 100. κ, 50. λ, 388. et al. Non temere Jovem oculos in Africæ littora et Æneæ naufragium intentos habuisse, arguunt illa: *defixit lumina—talis jactantem pectore curas*. Igitur accipiendum: *sic*, ut erat, *despiciens constitit*, pro simplici, prospexit terras. Ornate, *constitit*, quod homines facere solent, qui oculos animumque in aliquam rem intendunt, (stantem autem contra morem, non sedentem Jovem hic cogitare necesse est) et *defixit oculos regnis Libyæ*, in littore Africæ, ad quod Æneas naves subduxerat. Notabili autem orationis brevitate Jovem cogitabundum stetisse declarat poëta, et *curas*, cogitationes et consilia, de Trojanorum calamitate agitasse. Itaque respectu τοῦ *sic* subjicit, *talis curas jactantem*, h. e. cum hunc in modum oculis animoque in Æneæ fatis esset defixus. 228. Observa artem poëtæ. Ut miserationem faciat Venus, *tristis*, *flens*, et *pulchra* inducitur.

229 Macrob. VI. Sat. 2. *In principio Æneidos tempestas describitur, et Venus apud Jovem queritur de periculis filii, et Jupiter eam de futurorum prosperitate solatur. Hic locus totus a Nævio sumtus est ex primo li-*

Æternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Æneas in te conmittere tantum,
Quid Troës potuere? quibus, tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus. Quæ te, Genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Trojæ tristisque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, Rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,

bro belli Punici. illic enim æque Venus Trojanis tempestate laborantibus cum Jove queritur: et sequuntur verba Jovis filiam consolantis spe futurorum. Comparari potest etiam Minervæ et Jovis super Ulysse altercatio Od. α, 44. sqq. et multo magis Thetidis alloquium Jovis Iliad. α, 497. sqq.

230 *Et fulmine terres*, possit otiosum videri post illa: *qui res—imperiis;* sed *fulmen* insigne summi imperii: gravius autem *fulmine terres*, quam, *fulmen geris, jacis.*

231 Manifesta adumbratio versuum ex Iliad. δ, 31. Δαιμονίη, Jupiter aid ad Junonem, τί νύ σε Πηλαμος Πριάμοιό τε παῖδες Τόσσα κακὰ μέζουσιν, ὅτ' ἀσπιστῆς μενεαίνεις etc. ipsa autem orationis forma ex Odyss. α, 44. sqq. expressa, ubi Minerva apud Jovem de Ulyssis ærumnis conqueritur, et ubi v. 62. τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο, Ζεῦ. tum Jupiter simili modo atque hic respondet.

232 *Quibus, tot f.* agnosce poëticam orationem, pro, quid potuere committere, ut iis—clauderetur? *tot funera* h. e. tot clades et calamitates. *ob Italiam*, propter Italiæ aditum, ne ad Italiam accedant, in toto t. orbe nullus considendi locus iis relinquitur. nam septem annos omnibus terris et maribus erraverant, ut Æn. I. extr.

234—236 *Hinc*, ab his Trojanis, *hinc, a sanguine Teucri revocato*, a stirpe T. instaurata per novam progeniem, (cf. sup. I. 19. sqq.) *fore*, orituros esse, *Romanos—ductores*, populum regnatorem, *qui m. qui t.—tenerent.* Si quidem sup. v. 21. *populum late regem* simili modo dixit. Alioqui *ductores Romanos* intelligeres Cæsarem et Octavianum. *Volventibus annis* sc. se, nota poëtica ratio, quoniam annus in orbem redit περιπλομένων ἐνιαυτῶν. *omni ditione*, Serv. omni potestate, pace, legibus, bello. Præstat dicere: *omni* hoc est summa potestate. Est enim poëtis sollennis ille usus; interdum et aliis scriptoribus: *omni ope annixus*, summa. Æn. X. 53. *magna ditione—Carthago premat Ausoniam.*

237 *Quæ te sententia vertit* exquisite, quod novum consilium vertit te, mutavit animum tuum? Vulgari ratione *vertitur* sententia, animus, consilium. Mox *occasum Trojæ solabar* etiam exquisite, ut fere semper poëtæ. Ut semel dicam: proprie *solamur animum*, solamur nos, h. e. fractos nos erigimus, recreamus: tum solamur dolorem, curam, luctum; sic *cantu longum solata laborem* Ge. I. 293.; tandem earum rerum causas, mala et casus *solari* dicimur, h. e. solando aut tollimus aut minuimus seu mala, seu sensum malorum. Sic h. l. *excidium Trojæ* solatur Venus, dolorem inde animo conceptum levat.

239 *Fatis contraria fata rependens.* etiam hoc docte; *rependens*: compensans, *fata contraria*, Trojanorum calamitates, *fatis* sc. melioribus, novo Italiæ regno, h. e. sperans, fortunam Trojanorum futuram esse tanto lætiorem. Plane aliter *contraria fata* dicuntur Æn. IX. 136. Quem *das* finem, pro, facis, constituis? Poëticæ orationi et hoc propius: δοῦναι, dare, pro facere.

242—249 Antenor et ipse Troja profugus, novas sedes nactus est condito Patavio; cur Æneas simili fortuna non potitur? Locus est valde ornatus. Livius I. 1.—*casibus deinde variis Antenora—venisse in intimum maris Adriatici sinum;* hic sinus poëtæ doctius *Illyrici sinus*, namque majori Adriatici sinus parti Illyricum prætenditur; idem *intima regna Liburnorum*, nam versus interiores recessus habitarunt Liburni, Illyrici populus,

Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi;
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti;
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa; nunc placida conpostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cœli quibus adnuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator atque deorum
Voltu, quo cœlum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natæ; dehinc talia fatur:

tum Istri, hinc Veneti et Euganei, in quorum sedes Veneti successerant. Spectat autem ad dignitatem orationis poëticæ, ut declarentur regiones non vulgari, sed exquisitiore nomine, v. c. a finibus ac finitimis populis petito. Quod vero *tutus*, seu incolumis, ad Venetos pervenit, hoc simpliciter ad errorum discrimina referam. Potuere tamen et alia esse Antenoris fata, quæ nunc ignorantur. Tandem etiam, poëtarum more, qui a finitimis locis clarioribus aut notabilioribus multa designant, *Timavum*, quamquam paullo remotiorem fluvium, sed notiorem et veterum forte poëtarum usu frequentatum, ad situm eundem declarandum commemorat. *Fontem Timavi superavit* Antenor, quatenus classe littora legens prætervectus erat sinum Tergestinum, in quem Timavus immittitur. Non longe a mari in Carnorum finibus ille inter rupium cavernas compluribus ingentibusque aquarum fontibus erumpit, qui paullo post in unum alveum delati flumen faciunt, quod, ubi vix M passus emensum est, lato ostio in mare exit. Fontes olim habiti sunt *novem;* ex iis prorumpit aqua magno cum fragore: *vasto cum murmure montis;* statimque in unum flumen collecta maris speciem refert late agros inundantis: *It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti. Hic tamen*, noli hærere ad fontem Timavi; sed latius, in oris his littoris Adriatici, et quidem, cum ad intimos sinus recessus penetrasset, inter Euganeos, qui tum hanc loca tenebant, Patavium ille condidit, et *genti nomen dedit; Venetorum* nomen, quod vulgo veteres ab *Henetis* Paphlagoniæ, quos Antenori vim socios fuisse aiebant, ductum esse volunt. *armaque fixit Troia*, pace sc. et tranquillo otio parto: quod suavi rerum imagine reddidit, petita illa ab iis, qui militia missi arma suspenderent et figerent. *Nunc placida compostus pace quiescit:* quo sensu hæc dicta sint, dubitare licet; aut enim de morte aut de otio et tranquillitate, qua Antenor reliquam vitam exegit, accipi potest. Dicendum itaque, aut poëtam h. l. *compositum* novo exemplo adhibuisse, ut et voc. *quiescere*, pro vitam quietam exigere; quiescit *rebus compositis* adeoque ipse *compositus;* aut manendum in priore significatu: ut a Venere interpositum, hoc sit tranquillitatem Antenori ad extremam usque vitam contigisse. Ita *pace* pro morte.

250 Magno cum artificio se ipsam facit unam ex Trojanis, qui injuriam tulerint: *Nos, tua p., quibus adnuis arcem cœli*, h. e. cœlum, promittis Æneam post mortem inter Deos iri relatum. cf. mox v. 259. Callide et invidiose etiam illa: *unius* ob iram sc. Junonis, et *navibus a.* pro navium parte, et *prodimur*, per fraudes perdimur, per insidias Junonis calamitatibus vexamur.

253 *Pietatis*, qua Æneas insignis. At ipsa suam personam interponens: hæc pietatis et amoris erga te præmia? *in sceptra*, in promissum Italiæ regnum, cum Trojano exciderat, *reponis*, pro vulgari, restituis.

254—296 Sequitur nobilissimus locus, in quo sub vaticinii specie, arte non improbabili, explicantur Romæ origines, incrementa splendorque imperii Augusti.

254—256 Aliter hæc Virgilius adstruxit, quam Homerus sua, cum Thetidi annueret Jupiter Iliad. *a*, 517. sqq. in quibus Jovis

Parce metu, Cytherea; manent inmota tuorum
Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini
Mœnia, sublimemque feres ad sidera cœli
Magnanimum Ænean; neque me sententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque ferocis
Contundet; moresque viris et mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
* Additur, (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)*
Triginta magnos volvendis mensibus orbis
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini

majestas augustior. At hic placidi, μειλιχίου, Jovis suavis imago. Oculum Veneris ori impressum ex Iliad. ε, 372. poëtæ in mentem venisse videtur, ubi Dione mater Venerem amplectitur. In singulis tamen observa decorum. Vs. 254. secundum Ennium: *Olli respondet rex Albai longai* et alia. *subridens, μειδήσας.* In v. 255. Ennium ante oculos fuisse notat Servius: *Jupiter hic risit; tempestatesque serenæ: Riserunt omnes risu Jovis omnipotentis* Sed Ennius, utut oratio horrida sit, multo vividius rem expressit. Si *libare*, delibare, summo ore carpere, pro *osculum*, basium, *sumere, aripere*, accipias, poëticæ dictionis genio et carminis dignitati consules. *libare*, (ut XII. 434. *Summa per galeam delibans oscula*) *oscula* libando, leviter attingendo, sumere; ut in illis, *amnem, fluvium, libare. Natæ* cum energia adjectum, licet jam *olli* antecessisset; ut revocaretur in animum persona ejus, de quo agitur. Ita semper fere Homerus: τῷ δ'—Ἕκτορι et al. *Parce metu*, parce metuere, noli—φόβου τοῦ δέους. *Cernes urbem*; sentis quam ἐναργῶς sit expressum. Mox *manent* pro exili *sunt*.

259 Propter v. 250. *cœli quibus adnuis arcem.* Bene addidit *feres*, ut gratius esset, quod per ipsam fieret. Recipietur utique olim Æneas inter deos Æn. XII. 794. *Indigetem Æneam scis ipsa, et scire fateris, Deberi cœlo fatisque ad sidera tolli.* Utrumque ex Ennio I. Annal. *Unus erit, quem tu tolles ad cærula cœli Templa*; qui versus ex Martis oratione servatus est.

260 *Neque me sententia vertit.* ad v. 237. *quæ te g. sententia vertit?* Cæterum *magnanimus*, ut semel moneamus, male de generosa animi indole accipiunt; est *fortis, animosus*, ex μεγάθυμος, μεγαλήτωρ, μέγα φρονέων, quæ omnia ad bellicam virtutem referenda.

262—266 Quandoquidem hæc cura te mordet, cruciat, rem tibi exponam et *longius volvens fatorum arcana movebo*, h. e. fata altius repetam. Usum τοῦ *movere* exemplis bene declaravit Bentlei. ad Horat. III. Carm. 7. 20. Ratio in eo inest, quod quæ ἀναφέρω, proferimus, promimus, manifesta facimus, declaramus, proprie *movere* dici possumus. *longius volvens*, evolvens, repetens. Præclare autem poëta e *Jovis persona* fata Æneæ et posterorum potiora recenset. 263. *Italia*, in Italia, more Græcorum adoptato a Virgilio et hinc ab aliis. *populos, viros, ferocis contundet.* vides prælia cum Rutulis et Etruscis per victoriam declarari. 264. *Moresque viris et mœnia ponet*, urbem condet Lavinium et novum imperium fundabit legibus, (leges ponet, νομοθετήσει,) per illud triennium, quo regnum tenebit. Hæc ornat: *Tertia dum* h. e. *donec. terna hiberna*, pro hibernorum temporibus h. e. per tres hiemes, tres annos. *Rutulis subactis*, Turno victo ac cæso.

267 Inter Trojanos, dum Trojanum regnum fuit incolume, Ilus dicebatur. *regno*, sub regibus; at nunc eversa Troja, Iulus dici cœpit.

269—271 Trigesimo regni anno Ascanius Albam Longam condidisse, sedemque regni a

Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic jam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.

Lavinio in novam urbem transtulisse traditur. Antique locutus est poëta pro: Ascanius XXX annos imperio explebit, *cum* regnum transferet. *orbis*, annos, *magnos*, longos, ut alibi, epitheto ex natura anni depromto, quatenus plurium mensium spatia in se comprehendit. In Ecl. IV. 12. *magni menses* vim habere possunt ex reliqua oratione. *volventibus mensibus*, qui volvuntur, volvunt se. *muniet* exquisitius quam *exstruet*. *multa vi*, magnis opibus, magno hominum rerumque apparatu.

272 Per CCC annos reges e Trojana stirpe Albæ Longæ esse regnaturos ait ad Romulum usque. *Gens Hectora*. est Trojana simpl. ut V. 190. *Hectorei socii*. Ex Trojana saltem stirpe, si forte non omnes ex Æneæ prosapia, oriundi fuerunt reges, qui Albæ Longæ imperarunt, quamvis illa non modo Trojanos sed etiam Latinos Aborigines haberet incolas. *regnabitur sub G.*, regnum durabit sub Trojanæ stirpis regibus. Æn. XII. 826. *Sit Latium; sint Albani per sæcula reges* etc.

274 *Ilia*, tamquam Trojana stirpe oriunda, poëtis dicta, ab Ilio Trojæ, Rhea Sylvia, *sacerdos*, Virgo Vestalis, *regina* h. e. regio sanguine orta, ut *βασίλισσα*, *Marte gravis*, e Marte gravida, gemellos uno partu edet.

275—277 Romulus Romam condet. Quam ornate et splendide hoc poëta extulit! Ut *lupam nutricem* attingeret, Romulum, antiquorum heroum more, pro casside lupæ exuvias, seu lupinam pellem, gessisse narrat. *Et galea hirsuta comta lupina coma*, etiam Propert. IV. 10. 20. de Romulo. Hoc igitur habitu occurrere debuere vetera Romuli signa. *lætus tegmine*, pro ornatus, aut, qui habet. *tegmen lupæ* pro exuviis lupæ. Nec vero accipiendum, quasi lupæ ipsius, a qua nutritus fuerat, pellem detractam sibi imposuerit; sed ornat epitheton *nutricis lupæ*: quia ex eo genere fuit illa, a qua ipse nutritus esset; *R. excipiet gentem* imperium gentis Hectoreæ, s. Trojanæ; succedet in regno Albano Romulus. De voc. *excipere* v. ad Ge. IV. 207. Sunt hæc omnia, vaticiniorum et oraculorum more, per ambages ac pleniore ore exposita, quam in oratione Jovis ad filiam exspectari poterat. *Mœnia Mavortia*, Roma a Martis filio condita; ut sæpe al.

278. 279 *Rerum metas*, h. e. limites *imperii*. *sine fine*, æterna urbs, ut in numis et monumentis. A poetis hæc innumeris in locis ornata et variata.

280 *Quæ m.—metu c. fatigat*. Dicta hæc sunt ad vulgarem loquendi modum: terroribus omnes agitare et vexare. itaque Junonem omnia *versare*, *miscere*, ut Trojanos perdat. Inf. XI. 400. *Proinde omnia magno Ne cessa turbare metu*. et VII. 301. *Absumtæ in Teucros vires cœlique marisque*. *Fatigare*, ut *exercere*, de rebus, quibus vel abutaris vel frequenter, multum, nimium utaris; unde turbare, affligere, vexare. cf. ad VIII. 93.

281 Junonem animo mutato in meliorem partem, *εἰς τὸ βέλτιον*, jam consulentem (sic XI. 426. *Multa dies—Rettulit in melius*, tulit, mutavit) Romanisque placatam ex Horatio reminisceris Carm. III. 3. *Gratum elocuta consiliantibus Junone divis* etc.

282 Augusto frequentatum hunc versum. Ex Sueton. Octav. 40. notum. Versus dignitatem in prima parte facile percipias. *Gentemque togatam* intelligas spectare ad togæ, h. e. pacis artes ac virtutes. Et cogitandum, majorem dignitatem in toga olim fuisse quam

Sic placitum. Veniet lustris labentibus ætas,
Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris;
Julius, a magno demissum nomen Iulo:
Hunc tu olim cœlo, spoliis orientis onustum,
Adcipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Jura dabunt; diræ ferro et conpagibus artis
Claudentur Belli portæ; Furor inpius intus,
Sæva sedens super arma, et centum vinctus aënis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Hæc ait: et Maia genitum demittit ab alto;
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido

nunc in ullo vestimenti genere. *The enrobed people,* diceret non minus graviter Britannus aliquis. *Sic placitum,* ita ego constitui, decrevi.

283—285 Splendide Romanorum bella cum Græcis, et Achaiam in provinciam pop. Rom. redactam designat. *lustris,* doctius quam, annis. *domus Assaraci,* Romani a Trojanis oriundi, inter quos Assaracus, Trois filius, ex Æneæ fuit majoribus. Græcia præclare per *Phthiam,* utpote Achillis patriam, et *Mycenas,* Agamemnonis regiam, declarata; nec non per *Argis,* quos tum Diomedes tenebat; (Iliad. β, 559. sq.) erant tamen illi tantæ tum dignitatis, ut apud Homerum tota Græcia per *Argos,* et totus exercitus *Argivorum* nomine insigniretur. inf. VI. 839. *Eruet ille Argos, Agamemnoniaque Mycenas.* Gravissima vocabula et ista: *Servitio premet—dominabitur.*

286 seqq. Ad Augustum referas haud dubie verius quam ad Julium Cæsarem, cum Servio, Cerda, et aliis. Et *is Cæsar, Julius,* adoptionis jure, hinc *Trojanus,* ab Ascanio Trojano genus ducens: itaque *Julius, nomen demissum a magno Iulo,* h. e. nascetur Cæsar, Julius nomine, quod nomen ab Iulo in eum venit. *pulchra origine* simpl. clara. 289. *Hunc tu o.* hæc illa perpetua poëtarum inprimisque Virgilii de Augusti in Parthos expeditione vaticinatio. 290. *secura,* nemine intercedente, Junone placata. *vocabitur h. q. votis,* præclare honores divinos habendos Augusto ostendit, ut Georg. I. 42.

291 Ad Janum clausum U. C. 725. et pacem per terrarum orbem restitutam recte refertur. *sæcula aspera mitescent,* tempus illud erit pacatum, finitis bellis. Tribuitur tempori, quod hominum est. Quæ sequuntur, v. 292—296. magnifice expressa sunt: ait fidem, religiones patrias, et civium concordiam, exstinctis bellis et discordiis, rempublicam esse temperaturas. *Fides casta,* prisca, antiqua, qualis majorum fuit. *Vesta,* patria, eaque antiquissima religione Romanis culta. Cum his *Romulus* et *Remus jura dabunt,* imperio Romano præerunt, ita ut ad pristinam illam temporum sanctitatem et integritatem, quæ ante parricidium Remi a Romulo commissum fuit, rediisse res videri debeat. *Bellum,* ὁ Πόλεμος, h. l. dei personam sustinet; idem mox *Furor. Belli portæ* respiciunt Jani templum (cf. Æn. VII. 607.) quod pace restituta clausum quasi pro carcere et custodia belli haberi potest. Reliqua vss. 294. 5. 6. ad terrorem animorum composita sunt.

297 Observa, quam succincta in seqq. narratio sit. Bene autem in hospitio Teucris parando ministerium deorum interponitur, ne res miraculo careat. 299. *Fati,* seu, quo Trojanis Italia erat petenda; seu omnino ne-

Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum
Remigio alarum; ac Libyæ citus adstitit oris.
Et jam jussa facit; ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo. In primis regina quietum
Adcipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Æneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos; quas vento adcesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne ferænе,
Quærere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit; Ipse uno graditur comitatus Achate;
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma
Spartanæ; vel qualis equos Threissa fatigat

minis voluntate ac jussu, adeoque fato Trojanos ad Libyæ littus esse delatos; quod ignorans Dido, ne advenæ in his littoribus sedem figere vellent, vereri, eosque ab escensu in terram prohibere poterat; cf. 527. sqq. Mox *remigio alarum* ornate. Alæ avium cum navium remis comparari solent. Lucret. VI. 743. et Græci: πίλῃσιν ἐρέσσει. Eurip. Iphig. in T. 289.

302 Ponunt feroces animos; mites et placidos animos accipiunt, ne advenarum conspectu exterriti armis eos propulsent. *quietum animum*, ἤπιον, l. εὔμηλον, pro placidum, propitium, εὐμενῆ. Ingeniose autem hoc ad *Mercurii* operam refertur, cum ille sit deus commerciorum, persuasionis, et humanioris cultus. Ut Horat. *qui feros cultus hominum recentum Voce formasti.*

305—308 Paratur nunc accessus Æneæ ad Carthaginem; cui et ipsi mater Æneæ intervenit. *Per noctem plurima volvens.* οὐκ Ἀτρείδην—Τυτὸς ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ἐρεμαίνοντα Iliad. ν, 4. *lux alma*, grata, jucunda. 307. Explorat loca nova, et explorat, ad quas oras accesserit, venti vi, seu empestate, appulsus—*exacta*, quæ explorasset, comperisset, *referre.*

310 Classem occultat sub convexa rupe nemoribus consita 162—165. *horrentibus umbris*; arboribus.

312. 313 *Crispans*, exquisitius quam, vibrans, habens. Crispantur, quæ incurvantur, inflectuntur: est τὸ πλύσσεσθαι de hastis Il. τ, 134. Binas hastas gerere, mos fere heroum cum apud poëtas, tum apud artifices. *Achates* Æneæ comes datus, ut ap. Homer. Θεράποντες heroum et ἑταῖροι: Idomenei Meriones, Diomedis Sthenelus, Achillis Patroclus.

314 Antequam silvam littoris esset egressus, *sese tulit*, se egit, incessit, facta *obvia* (cf. inf. 503.) ei Venus, puellæ venatricis vultu et amictu.

316 Arcum cum sagitta habebat, et veste succincta, coma sinuque soluto erat, puellæ Spartanæ vel Thressæ more. Hoc structuræ forma variavit. De Spartanarum puellarum exercitatione, quam huc vocant interpretes, palæstrica nota res. Enimvero tum *nudæ* erant, ut tot loca docere possunt; vel Plutarchi ille classicus in Lycurgo p. 47. F. et *More tuæ gentis nitida dum* nuda *palæstra Ludis*, Paris ad Helenam apud Ovid. Epist. XVI. 149. In nostro autem poëta vestitæ illæ sunt et arcu pharetraque instructæ. Itaque ad communem potius puellarum Lacænarum habitum erit referendum, cum militaria opera tractarent, atque ideo brevibus tunicis, iisque ad femur usque dissutis, uterentur, ut nudum femur in incessu appareret (unde φαινομηρίδες; Spartanæ puellæ). Hic tamen,

Harpalyce, volucremque fuga prævertitur Eurum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Subcinctam pharetra et maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O, quam te memorem? virgo; namque haud tibi voltus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o, Dea certe;

idque observatione dignum, ab eo, potissimum Spartana virgo designatur, quod arcum cum sagittis gerit; et probabile fit, puellas Spartanas venationibus quoque operam dedisse. Nam coma soluta ad eas non spectat; si vel Horatium memineris: *in comtum Laconæ more comam religata nodum* II. Carm. 11. 23. *vel* (talis virginis) *qualis fatigat* (est, cum fatigat) *equos*, equo incedit: quod proprium Amazonibus. *Threissa Harpalyce.* Si omnino puella Thressa memoraretur, de Amazone hæc acciperem. Idem sequerer, si de Harpalyce Amazone mihi constaret. Cæteroqui *Harpalyces* in vetustis fabulis notum nomen. Alia est ab Iphiclo spreta, a qua cantilena *Harpalyce* dicta. Alia Clymeni filia, de qua ex Euphorione Parthenius Erotic. c. 13. narrat. Hic tertia, paullo notior illa cæteris, Harpalyci, Amymnæorum Thraciæ regis filia, quæ in silvis educta venatibus et cursibus sese duraverat. Ea nunc v. 317. ventos cursu velocitate superat. *fuga*, φυγή, *fugere*, φυγεῖν, sollennia poëtis de cursu celeri.

318 *De more*, qui venantum mos esse solet. Vulgaris fuisset oratio: *more venatricis. habilem arcum*, qui facile haberi, tractari, potest; εὔ ἁμαρτόν. h. l. levis, ut Valer. Fl. III. 523. *levis omnibus arcus:* I. 109. *Tela puer* facilesque *humeris gaudentibus arcus Gestat Hylas.* Sane alias *habile telum* potest et de magno gravique dici, si scilicet is, qui gerit, sit robustior, v. c. de Æneæ clipeo Æn. XII. 432. *dederat ventis comam diffundere*, δοῦναν ἀνέμοις φέρεσθαι, h. e. ὥςτε, diffundendam; scilicet comam solutam habebat.

320 *Nuda genu*, adeoque succincta, ut venatrix, cothurno tamen suras revincta, ut v. 337. subjicitur. *Sinum collegerat nodo;* possis intelligere fibulam, ut inf. IV. 139. *aurea purpuream subnectit fibula vestem.* Sed fibula *sinum* non colligit in *pectore*, nec in tunica: nam si bene meminimus fibulæ in humeris, non in pectore, usus in tunica est. Nec in chlamyde et aliis vestibus tunicæ superinjectis, talem fibulæ usum memini; sed subjectum pectori est cingulum. Igitur melius de cingulo accipiemus. Scilicet *nodus* omnino pro quovis vinculo.

321 Quo sermone ac lingua hic in Africæ oris, Venus et mox Dido, et sic alii in Sicilia et Italia, cum Æneæ uti potuerint, ut, quæ dicerent, ab hoc intelligi possent, aliena a poëti epica est quæstio, ne dicam inepta. Omnem enim ejus vim, illecebras, et gratam fraudem interciperet talis subtilitas. Conventum est inter poëtam et lectorem tacite in hoc, ut communi sermone inter se uti putentur Trojani et Achivi et sic porro. Semel monuisse satis est.

323 *Succinctam pharetra*, ut gladio, ferro, succinctum dicimus: scilicet non modo *vestis succingitur adducta* sed *succingere* est interdum instruere ita, ut cinctus ope adjungamus rem. Pharetra autem humeris pendet cingulo vincta. Apud Homerum est ἀμφὶ vel περὶ—ἰβάλετο ξίφος simili more. *tegmen lyncis* vid. ad v. 275.

324 Georg. III. 413. montisque per altos *Ingentem clamore premes ad retia cervum.* Hic etiam doctius pro *apro*, *cursum apri premere*, insequi.

327 Lineas horum versuum videas in Odyss. ξ, 141. sqq. 149. sqq. ubi Ulysses in ignota terra Nausicaam simili modo alloquitur; et Nausicaa respondet fere v. 192. sqq. ut Venus v. 338. 328. Nec tibi vox humana est. *homo* pro abstracto: huma-

An Phœbi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves, quæcumque, laborem:
Et, quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa est injuria, longæ
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjunx Sychæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, et magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat

num quid. 329. *sanguinis*, e genere Nympharum una. 330. *Sis felix*, χαῖρε δαά, ἵλαθι, sis propitia. cf. Ecl. V. 65. petitum ab auspiciis et ominibus. *quæcumque*, qualiscunque dea es, nostris malis succurre, docendo, sub qua parte cœli etc. 332. *Jactemur*, versemur; nam et hoc exilius erat: et mox *Erramus* pro sumus. Hæc et similia nisi observaveris, poëtici sermonis vim et indolem non assequeris. Cæterum Odyss. π, 183. sqq. Telemachus Ulyssem a Minerva augustiore forma ac corporis specie ornatum tanquam deum aliquem alloquitur simili fere oratione.

335 *Tali honore*, ex v. antec. int. hostia, sacrificio. Vult enim mortalis virgo videri, non dea.

337 Ad venantum habitum spectat cothurnus. Res nota, ne a sentibus et filicibus laederentur crura. Versus ex Livio Andronico adumbratus. *Sed jam purpureo suras include cothurno.*

338 *Agenoris urbem*; a progenie Agenoris conditam, quem Græcorum mythi Phœnicum conditorem, ex Ægypto oriundum, et ejus posteros Sidonis reges faciunt, non Tyri, quæ multo serius et floruit et Græcis innotuit. Sidonii—*Tyron urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt*, Justin. XVIII. 3. Noli itaque mirari, Sidonem, non Tyrum, Homero memorari.

339 *Sed fines Libyci* sunt, h. e. solum est Libyæ pars; simulque *fines* pro incolis, Libybus, dixit, qui erant populus indomitus, asper et ferox. Nam ad Libyes, non ad Phœnices, hoc spectat: *genus intractabile bello*, indomitum, ἀμαιμάκετον, ἄαατον. Mox 340. *Imperium regit* exquisitius quam tenet, habet.

341. 342 In prosa esset: longa esset narratio; sed rem summatim exponam. Etiam in talibus poëticam vim agnosce. *fastigia* sunt rerum capita, κεφαλαὶ λόγων. Pind. O. 7. 125.

343 Narrationem quæ sequitur, Justinus persequitur XVIII. 4. 5. Sichæus ditissimus inter Phœnices agris s. agrorum possessione. *miseræ dilectus*, τῇ σχετλίῃ, pro *a misera*, Græce; et hoc pro, *ab ea*, ornate. *Misera* autem amore; uti aliqua *misere* amare dicitur pro, valde amare.

345 *Intactam*, Homericum παρθένιον ἄλεχον pulchre expressum, *primisque jugarat Ominibus*, h. e. nuptiis, pro quibus auspicia nuptialia dici solent: unde traxit *omina*. Gellius laudat e Propertio (III. 19. 14.) *Contineant nobis omina prima fidem* pro amore. *Pater* autem Belus, ex poëtæ narratione v. 621.

Pygmalion, scelere ante alios inmanior omnis.
Quos inter medius venit Furor. Ille Sychæum
Inpius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ; factumque diu celavit, et ægram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis; ora modis adtollens pallida miris,
Crudelis aras trajectaque pectora ferro
Nudavit; cæcumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His conmota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat; navis, quæ forte paratæ,
Conripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago; Dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem;
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,

346 *Germanus* int. Didonis. *Quos inter*, int. Sichæum et Pygmalionem. *Furor* quanto potentius quam inimicitia!

350 *Ferro superat* ut δαμᾷ simpliciter cædit, nulla cum vincendi notione. *securus amorum G.* nil curans; ne ea quidem cogitatione a scelere revocatus, quod sorori, quæ misere conjugem amabat, summos luctus crearet. VII. 303. *optato conduntur Tibridis alveo Securi pelagi atque mei.* Mox *malus* ad fraudem ac dolum spectat.

353—556 *Inhumati C.* auget rei atrocitatem et somnii narrati probabilitatem epitheton hoc, si memineris, insepultos, nisi humentur, quieti reddi non posse. In verbis ante oculos habuit notum Lucretianum: *simulacra modis pallentia miris*, h. e. miro modo pallida. *Crudelis aras*, h. e. scelus ad aras in se commissum, *trajectaque pectora ferro*, h. e. cædem suam, *Nudavit*, cum clam facta esset manifestam fecit; nam *nudare*, exquisite pro retegere, recludere, monstrare. hinc *cæcum scelus*, occultum, *domus*, a fratre in sororis marito commissum.

361 *Odium crudele*, μῖσος ἀπηνές: proprie quale est immanis animi. Sic *servus*, *crudelis*, *atrox*, et similia, poëtis pro, magnus, ingens. *metus* autem *acer*, δριμὺς, vehemens, proprie de animo exasperato. 364. In *Pygmalionis opes* vis et acumen inest; scilicet quas ille animo et spe jam præceperat; ut et in illis: *Dux femina facti*, pro *suadente Didone*.

366 *Arx Carthaginis* est Carthago. Ἰλίου ἄκρα. 367. *Devenere—et mercati* sunt *solum*, *Byrsam* h. e. locum, in quo Byrsam arcem condiderunt, seu *Bysram* verius. Sed recte βόειον βύρσαν, fabulam a Græcis haud dubie ortam, poëta sequitur. In *taurinum tergum*, provide vulgare *corium* evitat. 369. *Qui tandem*, interrogationis vis augetur particula, *tandem* (τί ποτε. τίπτε ap. Homer.)

Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
O Dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annalis nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso conponet vesper Olympo.
Nos Troja antiqua, si vestras forte per auris
Trojæ nomen iit, diversa per æquora vectos
Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Italiam quæro patriam, genus ab Jove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor,
Matre Dea monstrante viam, data fata secutus.
Vix septem convolsæ undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,

et desiderium sciscitantis intentius inde elucescit. *qui venistis*, h. e. qui estis, vos, qui venistis: ut Græci: τίς δ' οὕτω κατὰ νῆας ἀνὰ στρατὸν ἔρχεαι οἶος. Il. κ, 82. et sæpe. 371. Βαρυστενάχων Homer., ut Iliad. α, 364. et sæpe alibi. ἐξ ὑπάτοιο στήθεος αμπνεύσας Apollon. II. 207.

372—374. Si ego fata nostra ordine exponere, et tu ea audire velles, dies nos deficeret. Quam ornate singula! Homerus minus sobrie Od. γ, 113. sqq. et ξ, 196. *annos* pro *die* ponit. *repetens pergam*, pro, si repetam. In *annalium* nomine argutatur Macrob. Sat. III. 2. Gravius est vocabulum quam narratio, historia adeoque magis epicum. *Cœlum clauditur* modo nubibus obductis, modo tenebris noctis prætentis, ut h. l. Nec huc trahenda *porta cœli* Georg. III. 261. *Vesper conponet diem*. Recte Burmannus monuit *componere* simpliciter esse *finire*. Ducta scil. notio a cogitatione Solis s. Diei quieti se reddentis et componentis se ad somnum, dum occidit. Neque simile est illud; *condere diem*, ut Ecl. 9. 52. *condere soles*, et illud Horatii: *Condit quisque diem collibus in suis*, IV. 5. 29. Nam in his occultare, tegere, est, adeoque exigere diem, donec sol occiderit.

375—377 *Troja antiqua*, epitheton cum dilectu positum; tanto clarior urbis fama esse debet, quo antiquior illa est. *si per auris iit*, variavit vulgare: si pervenit ad aures vestras. *diversa æquora*, simpl. alia via quam qua iter parabamus; ex illis: Οἴκαδε ἱέμενοι, ἄλλην ὁδὸν, ἄλλα κέλευθα Ἤλθομεν. *tempestas adpulit*, δεῦρο πέλασε κῦμα. *forte sua*, casu, qualem tempestas afferre solet. Habuit in his, quam sequeretur, poëta orationem Ulyssis ad Polyphemum Od. ι, 259. sqq.

378 *Sum pius Æneas*. v. Exc. ad h. v. *pius* est religiosus, quoniam omnia ad deorum oracula exsequutus est. Itaque *castum* dixit Horat. C. S. 42.

380 Fabulam poëta sequitur, qua Dardanus a Corytho Tyrrheno genus ducere ferebatur, cum Corythus Samothracicus in eum esset translatus similitudine nominis. Hinc lib. VII. 122. *Hic domus, hæc patria est*. II. 620. *tutum patrio te limine sistam*. Hactenus Italia est Æneæ patria; et hactenus *genus, a Jove* ductum, h. e. stirpem et originem generis a Jove ducti, quatenus Dardanus, Jovis filius ex Electra, et generis auctor, ex Italia oriundus est. hoc *quærit*, petit, h. e. terram, in qua progenitor ille ortum habuerat.

381 *Phrygium æquor*, littori Troadis seu Phrygiæ minoris prætentum. *conscendi æquor navibus* doctius dictum, pro vulgari, *conscendere naves*. Qui enim *in altum* evehitur, is et *æquor conscendere* dici potest. 382. *Matre Dea m. v.* Æn. II. 589. sqq. nihil de via a Venere monstrata monetur, sed tantum de fuga v. 619. 620. Verum fuere aliæ in eam rem fabulæ: potuere insidere poëtæ animo in libro II. 693. *de cœlo lapsa*, &c. *data fata*, monstrata cum per auspicia, tum per oracula III. 95. sq. 163. sq. 375. sq.

Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud, credo, invisus cœlestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio, et in tutum versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Adspice bis senos lætantis agmine cycnos,
Ætheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto
Turbabat cœlo; nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantusque dedere:

In 383—385. observa magnificam dictionem ex verborum dilectu. *ignotus*, in terra ignota, inter homines, quibus ipse ignotus est. Sic *solus* aliquis errare dicitur in solitudine. 385. Eum interpellavit, vel non *passa querentem*, pro, *non passa eum queri plura*, Græca ratione; vel *interfata querentem*. *non passa* sc. queri *plura*: οὐδ' ἔια κλαίειν Iliad. η, 427. Semper autem apud Homer. ἐᾷν cum infinitivo; non cum participio.

387. 388 Ornate. O carum te superis, cum Carthaginem delatus sis! Expressit autem illud, quod aliquoties apud Homerum: ἐ γὰρ ὀΐω Οὔ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τρεφέμεν τε, ut Od. γ, 27. *vitales auras* ex antiquo sermone habet, v. c. ap. Lucret. III. 406. et alibi.

390 *Classem relatam*, reductam, reducem. *versis aquilonibus*, h. e. ventis simpliciter. Mox *vani* ad ornatum egregie. *Vanus*, non modo qui pollicetur, quæ præstare nequit, sed et qui profitetur vel falsam vel inanem doctrinam.

393—400 Duodecim naves cum Antheo, Sergesto, Cloanthoque servatas mox videbimus. Has totidem olores innuunt, quos, ab aquila modo agitatos et dispersos, hoste abacto ludibundos plaudentesque terram advolare ostendit Venus. *turbabat* eleganter pro agitabat, insequebatur. *aperto cœlo*, libero, pervio volantibus. Quæ sequuntur 395. 396. varie accipiuntur. Difficultas est in voce *capere* et *captas*, cujus ea notio exquirenda est, quæ cum voc. *despectare* conveniat: siquidem terra *jam capta*, occupata, *desceptandi* locus esse non videtur. *Capere* autem est aut occupare, aut oculis designare, eligere, petere. Jam si *despectari* aliquid dicitur, quod jam *captum* est, debuit utique τὸ *capere* antecedere; præferendumque adeo hoc, ut sit: cygnos terram aut petere, volatu ex alto deorsum facto, aut ad eam, petitam et oculis volatuque designatam, jam propius ferri, ideoque eam despectare: et nunc ludere in orbem facto volatu, donec humi considant aut amne mergantur. Scilicet cogitandum est, cygnos adhuc recto volatu per aërem fugisse, nunc deorsum ferri versus terram, littus puta maris vel fluminis, quod antea insederant: (nam 397. *ut reduces illi*). Igitur hæc ratio per se optima esset, nisi id, ad quod mox comparatio transfertur, alio duceret: nam v. 400. classis *aut portum tenet* (atqui hoc erat *terras capere*), *aut pleno subit ostia velo* (hoc *despectare*). Hæc igitur satis declarant poëtam aliter hæc non accepisse quam, cygnos aut *capere*, occupare, tenere, terram, aut eam *despectare*, volatu deorsum facto: *captas jam* videri debet adjecisse ornatus poetici causa, cum in eo essent ut jam caperent, et, tantum non captam, terram prospicerent. Conveniunt hæc cum participiorum usu apud poëtas. Jam et ii, qui devolabant, et ii, qui consederant, ex terra evolando per aërem ludunt: quippe metu depulso. 397. *stridentibus alis* exquisitius quam clangentibus. 398. *cœtu cinxere polum*, agmine facto *cingunt* (ad oculorum sensum; ut alias cœlum subducunt oculis in aëre visa) *polum*, cœlum, aërem; in hunc alis sublati ludunt volando in orbem, ut solent, vel gyrum. Cur autem augurio e cygnis utatur

Haud aliter puppesque tuæ pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem
Adgnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.
At Venus obscuro gradientis aëre sæpsit,
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit

poeta, subtiles rationes afferunt interpretes. Præstat hoc unum monere, quod *Cygnus in auguriis nautis gratissimu sales: Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis:* ex Ὀρνιθογονίᾳ, Macri scilicet Æmilii. Nec prorsus alienus a Venere ales est cygnus; nam et curru cygnis juncto fertur Venus: ut alias columbis aut passeribus. *Dissident autem olores et aquilæ* auctore Plinio X. 74. s. 95. Athen. IX. p. 393. D, *μάχεται δὲ (ὁ κύκνος) καὶ τῷ ἀετῷ, αὐτὸς μάχης μὴ προαρξάμενος.* Et hinc ap. Homerum in cygnorum anserumve gentem irruens aquila inducitur, egregio v. c. loco Iliad. ο, 690. sqq. 899. *Pubes tuorum* dictum puto ut *turba tuorum*. *Ostia* docte h. l. ut V. 281. aditus portus.

402 Numen suum Venus sub discessum prodit, more deorum, qui speciem humanam mentiti mortalem aliquem convenerunt. Declaratur autem divina Veneris forma per summam pulchritudinem cervicis, comas ambrosia delibutas et odorem late spargentes, tum per pallam et per incessum. Si in *rosea cervice* non tam Horatii I. Carm. 13. 1. auctoritatem, quam rationem desideras, aut puta *roseum* esse omnino suave vel pulchrum, aut colorem floridum exprimi in tenera cute etiam candidissima pellucentem. *Ambrosias comas*, ambrosia, deorum hoc unguentum est, delibutas, ab Homero habet, Iliad. α, 528. *palla* Veneris vel ex illo nota, quod legitur Iliad. ε, 315. πέπλοιο φαεινοῦ πτύγμα et 338. Ἀμβροσίου διὰ πέπλου, ὅν οἱ Χάριτες κάμον αὐταί. habitum itaque deæ declarat; *incessum* autem cogita levem illum et volatui similem, columbarum instar.

407 *Toties*. Sæpius igitur Venus jam ante nato visa fuerat. Sic Æn. II. 589. *Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit Alma parens* etc.

408. 409 Cf. verba Ulyssis ad matrem inter umbras. Od. λ, 209. sqq.

412 Densa nube circumfudit eos. Ab Homero eum hoc traxisse notum est, apud quem sæpe hoc occurrit; inprimis compara Odyss. η, 14. 39—43. de Ulysse, quando Alcinoi regiam intrat: ad cujus exemplum totus Æneæ ad Carthaginem et Didonem aditus est expressus. Facile vero principes hujus phantasmatis auctores ipse oculorum sensus, nebulis ac nubibus vicina loca obducentibus, illud docere debuit; multo magis cum deos quoque nube amictos et oculis subductos vulgo narrarent.

413. 414 *Contingere*, vim, injuriam inferre iis tanquam advenis: barbarorum populorum more. *moliri moram* ponderosius quam facere, excitare. Est enim struere vel movere poetis *moliri*.

415 Cf. ad v. 16. Versus ex Homero sed

Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.
Conripuere viam interea, qua semita monstrat;
Jamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Inminet, adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam;
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa;
Pars optare locum tecto, et concludere sulco.
* Jura magistratusque legunt, sanctumque senatum. *
Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris
Fundamenta locant alii, inmanisque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

ornatius expressi Odyss. S, 362. sq. At ex Virgilio Statius V. Theb. 61. *Illa Paphon veterem centumque altaria linquens.* Quod autem turis et sertorum odores exhalantium tantum fit mentio, non victimarum cæsarum, satis docte interpretes referunt ad morem sacrorum Veneris, quod aræ nullus sanguis offundebatur, maxime Paphiæ Veneri. Alius cum elegantiæ sensu ad id, quod deam deliciarum et voluptatis arbitram decere possit, referat: quomodo enim, inquit, aut victimarum nidore illa delectari, aut inter odores tures et florum istum nidorem desiderare potest? *Læta* v. 416. accipe, quoniam gaudet Papho. *Sabæo* v. Georg. II. 117.

418 *Corripere viam*, doctius quam, *iter*, h. e. celeriter, raptim, facere, exigere; sic *corripere gressum*; doctius etiam V. 144. *corripuere campum carrus*. Similiter *rapere* dictum occurrit.

419 *Qui plurimus urbi inminet* ad magnitudinem refero montis sub ipsis urbis mœnibus accubantis. Simpliciter in vulgari oratione dixisses: *Imminet urbi collis aliquantum editus, et Byrsam despicit. Hunc jam adscenderant.* Pro *magno monte* poëta diceret *multum montem*, ut Georg. III. 52. *plurima cervix*, longa et crassa. Cæterum poëta hoc sumsit ex topographia Carthaginis. Tales enim colles asperos et difficiles in ipso aditu Isthmi, in quo Carthago sita erat, describit Polyb. lib. I. c. 46. τῶν γεωλόφων τῶν ἐπιζευγνύντων τὸν αὐχένα τὸν συνάπτοντα τὴν Κ etc.

421 Sic Ulysses Phæacum urbem: Θαύμαζεν δ' Ὀδυσεὺς λιμένας καὶ νῆας ἰσας etc. Od. ν, 43. seqq. quem totum locum poëta ante oculos habuit. Magnum ædificii opus bene cum casis et tuguriis componitur: ea sunt *magalia*. Dixeritne autem poëta hoc, *magalia quondam*, ex Æneæ persona an ex sua, dubitare possis; et si illud an recte dictum sit. Poterat tamen etiam Æneas audito hæc accepisse; nec necesse poëtæ ut hoc moneret. *strata viarum* doctius quam vias stratæ. Viarum autem cura in nova colonia satis est memorabilis: occurrit ea quoque in Cyrene recens condita apud Pindar. P. 5. 117—124.

423—425 *Instant* operi Tyrii; ut plene extulit Silius II. 407. sq. in loco hinc expresso. *subvolvere* bene, ut declaret, in altum educi arcem. *optare*, ut III. 109. est eligere. *concludere sulco*, fossam ducere, definire sedium situm ac locum fossa facta, in quem fundamentum immittatur seu crepido.

426 *Jura* sunt judicia, usu sollenni, adeoque h. l. ipsi judices. Habentur igitur *comitia creandis judicibus, magistratibus, et senatoribus*. Sed vel sic hic versus inter reliquos quasi alienigena aliquis habitat; quandoquidem neque grammatico aliquo vinculo cæteris adnectitur, nec sententia ipsa colligatur; nam reliqua omnia ad ædificia nova, quæ excitantur, spectant.

427—429 An theatri structuram Phœnicibus recte, atque adeo in ipso rerum initio, dederit, viderit poëta; Græcarum sane civitatum coloniis hoc accommodatius. Sed res præclare ob oculos posita. Portus *cothon* dictus proprio nomine, ap. Liv. et al.

Qualis apes æstate nova per florea rura
Exercet sub sole labor; quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas;
Aut onera adcipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent;
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt!
Æneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se sæptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbræ,
Quo primum, jactati undis et turbine, Pœni
Effodere loco signum, quod regia Juno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per sæcula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque

430—436 Expressa ex Georg. IV. 163—169. ubi v. quæ ad interpretationem faciunt, inprimis de mellificio. cf. Æn. VI. 707. 8. 9. Præiverat Homerus Iliad. β, 87—90. Deest quod τῷ comparanti qualis pro qualiter, respondeat: *tales*, eodem modo. *sub sole.* Burm. vult esse, sole oriente, summo mane. Georg. IV. 185. *mane ruunt portis.* Sane ita res fert; nec intercedo quo minus sic accipias. Alioqui *sub sole* per se est simpl. interdiu, per diem. Ita nec *sub die*, *sub nocte*, tam anguste accipitur a poëtis. Supra Ecl. II. 13. *sole sub ardenti* aliter dictum non est.

437 Egregie ad affectum hæc exclamatio! quid enim his rebus conspectis Æneæ per maria et terras erranti, ut novam sedem quæreret, nova urbe condita optabilius videri debuit!

439. 440 Observa, quomodo in singulis vulgarem formam evitaverit; etiam ipso Græcismo: *μίσγεται ἀνδράσιν*, immiscet se turbæ, nec cernitur ab ullo, *οὐδενὶ ὁρᾶται*. Confer tamen Homerica Od. ν, 37—42.

441 Præclare poëta hoc adornavit, ut epica dignitas inesset omnibus, quod Didonem convenit Æneas in templo, ad quod eum via ipsa duxerat; regina autem in ejus vestibulo pro tribunali sedens, negotia publica curat. Templum in luco conditum, ex vetere more; et quidem *eo in loco*, *quo* portentum se obtulerat terram fodientibus, caput equinum, pro omine acceptum.

443 *Signum*, omen intelligam. *Ostentant caput effossa tellure repertum Bellatoris equi, atque* omen *clamore salutant*, Silius II. 411. servatum inde in numis Carthaginiensium *equi caput*. Poëtam agnosce in hoc, quod non simpliciter inventum, sed *a Junone monstratum*, objectum fodientibus, narrat. *Sic nam* (per hoc *signum*) portendebatur, fore Pœnos gentem bellicosam (cf. inf. III. 539. sq.) et *facilem victu*, hoc est, quæ habitura esset victum facilem et expeditum, annonam affluentem ex agrorum ubertate et cultu.

446 *Templum donis opulentum et numine divæ*. *dona* de vasis, utensilibus totoque apparatu sacro intelligo: *numen* accipio de simulacro deæ ex auro aliave pretiosa materia facto, quod τὸ *opulentum* postulare videtur; (nec tamen sic *numen* est simulacrum, sed *numen divæ* pro *diva*, et hæc ad simulacrum refertur.)

448. 449 Ad heroicorum temporum magnificentiam pertinet, quod omnia ex ære fecit. Unam laudabo Alcinoi regiam Odyss. η, 86. sqq. Homerus eandem elegantiam ad deorum sedem, Olympum, transtulit. Quid? quod Romæ talis magnificentia erat frequens,

Ære trabes; foribus cardo stridebat aënis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit; hic primum Æneas sperare salutem
Ausus, et adflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem,
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum volgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et sævum ambobus Achillem.
Constitit; et lacrimans, Quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua præmia laudi;
Sunt lacrimæ rerum; et mentem mortalia tangunt.
Solve metus; feret hæc aliquam tibi fama salutem.

cujus adhuc in Pantheo vestigia deprehenduntur. Ornatissime autem singula extulit. *Ærea gradibus surgebant limina*, h. e. limen erat ex ære: seu ut *limen* pro foribus dictum accipias, seu ut *proprie* dictum sit, id quod malo; quia fores mox memorantur. *Surgere* non modo ædificium, sed et singulæ partes dicuntur, quæ in eo sunt, inprimis editæ et altæ: surgunt itaque limina gradibus, per gradus, fiunt subjectis gradibus per quos ad ea adscenditur. Sed quid est alterum *nexæ ære trabes surgebant? trabes* haud dubie sunt postes. *nexæque* liminibus, adjunctæ et impositæ limini *trabes*, postes, *surgebant*, erant ex, *ære*. Tandem *foribus cardo stridebat aënis*, h. fores erant aënæ. Quod autem toties materiam repetit, facit Homeri exemplo.

452 *Afflictis melius confidere rebus.* de *rebus afflictis* explet Serv. et cæteri. Sed et absolute sic ponitur etiam apud Ciceronem; nunc *magis* fiduciam habere fortunæ suæ cœpit, bene de ea sperare.

455 *Artificum manus* h. e. opera, et *operum labores*, opera affabre elaborata. *inter se*, dum varii generis et artificii opera comparat. Picta autem in pariete fuisse ea putanda sunt, quorum argumentum mox exponitur, area dispertita in plures areolas, quæ singulæ singula argumenta capiebant. Commemorantur ex iis *septem*, observatu etiam pictorum ingeniis digna: 1. pugna Trojanorum et Achivorum, fortuna varia; 2. Rhesi noctu oppressi cædes. 3. Troilus fugiens. 4. matronarum Trojanarum pompa pepłum in Palladis templum deportantium. 5. corporis Hectorei redemtio. 6. pugna Memnonis. 7. pugna Amazonum ad Trojam. Occurrere autem in pluribus tabulis Achillis persona debuit, modo in acie pugnans, modo Hectoris corpus Priamo reddens, modo Troilum cædens, modo Memnonem, modo Penthesilean.

458 *Sævum ambobus Achillem; sævus* fuit in Priamum, Hectore cæso; in Agamemnonem sæviit ira et pervicaci odio propter ereptam Briseidem: itaque sævum omnino accipiam, exquisite pro infestum, iratum. Si *Atridas* recte legitur *ambobus* ita positum est ut et *illos et hunc*, adeoque tres designet; etsi non sine exemplo, cum alterum nomen collectivum sit duorum. Si tamen alteri ex Atridis infensus fuit, quidni et fratrem odio habitum dicat poëta?

460 *Nostri laboris* pro, laborum, *nostrum*. h. e. famæ de nostris calamitatibus. Est autem hoc rhetoricum. 461. *Laudi* pro virtute, et rebus gestis, quæ laudem merentur; ex Homerico κλέος. ut contra ἄφατα pro laude sæpe apud Pindarum. Virtuti etiam hic honos suus habetur.

462 *Sunt* etiam hic *lacrimæ*, h. e. miseratio, *rerum*; deflentur res h. e. casus humani; sunt hic pectora, quæ lacrimas impertiant casibus et calamitatibus aliorum. *et mentem mortalia tangunt*, et res humanæ casusque, quibus jactari solent mortales, afficiunt hominum, qui has terras inhabitant, animos miseratione. Illud vero præclarum, quod humanitatis cultum ex conspectis artis operibus, ex eorumque argumentis colligit.

463—465 *Hæc fama* quod Trojanorum

Sic ait, atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Trojana juventus;
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Adgnoscit lacrimans; primo quæ prodita somno
Tydides multa vastabat cæde cruentus;
Ardentisque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Trojæ Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque inpar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant

calamitates in his ipsis terris innotuerunt, hoc nobis horum hominum animos reddet propitios. Sed, cum majore benevolentiæ significatione, ad Achatem amicum retulit: *tibi*. 464. *pascit*, βουκολεῖ, ut spe vana *pasci* dicimur. *inanem* appellat epitheto ornans a natura artis, non ipsas res, sed rerum imagines quocunque modo repræsentantis, petito. Cæterum in sqq. observa artificium poëtæ in descriptione rerum et h. l. quidem tabularum, quando v. 474. tempestive transit ad eam orationis formam, qua res quasi ante oculos geri videntur, non pictæ adspici. Mox *largoque humectat flumine voltum* ad nostri sermonis morem non est exigendum: non magis, quam Homericum, δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος: et *humectat* est exquisite pro irrigat; neque adeo *humectat* jejunum putandum post, *largo flumine*. Tum *multa gemens* πολλὰ στενάζων.

466—468 Respicit potissimum pugnam Patroclo occiso factam, cum versus castra fugerent Achivi insequentibus Trojanis et instante Hectore, Iliad. ρ, quo facto die sequenti Achilles novis a Thetide acceptis armis prodit et Trojanos fugat, Hectorem occidit Iliad. τ—χ. Cum adeo Rhesus mox sequatur, noluisse poëta temporum ordinem servare dicendus est. Cum v. 467. bene comparant Iliad. ξ, 14. Τοὺς μὲν ὀρινομένως, τοὺς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν et Iliad. ο, 7. In *cristatus* v. 468. Servius vim quærit: nam secundum Homerum in Achillis cristis terribile quiddam fuisse Iliad. τ, 380. Verum id quidem; sed, ut ab cæteris armis, ita a galea et crista sæpe petunt epitheta poetæ. Sic κορυθαίολος Ἕκτωρ.

469—473 De Rheso Iliad. κ, 433. sqq. 470. sqq. *tentoria primo somno prodita*, h. e. Thraces in tentoriis cubantes. Pulchre autem somno tributum τὸ *prodere*, quod per somnum factum. *Diomedem* sine Ulysse nominare, liberum erat poëtæ. *niveis tentoria velis*. Dixit ea poëta deserto priscæ ætatis more: erant enim Achivorum et Trojanorum κλισίαι potius tuguria, stipitibus viminibusque intertextis, et terræ aggere munita. *ardentis equos* acres dixit; si loquendi usum audias. *avertit* est abigit exquisite; non intercipit.

472. 473 Fatale hoc fuisse sive Rheso sive Trojanis, si equi gustassent herbam et aquam Scamandri, Homerus non habet; ut ex poëtæ lectione promtum cuique esse potest.

474—478 Congressus hic Priami filius cum Achille, ante Iliadis tempora vulnere accepto exciderat curru, pedibus inter lora impeditis, ita ut supina cervice traheretur, *armis amissis*, clipeo ex manu dimisso; nam hastam tenebat, sed inversam, ut adeo per terram tracta illa sulcos faceret. Observa autem poetam recedere a more Homerico, quo heroes qui pugnant de curru, habent alium qui regat equos; nam Troilus solus et pugnare et regere equos debuit.

Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, et tunsæ pectora palmis:
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo:
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.
Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet
Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,

479—482 Ex Iliad. ζ, 269—312. ubi Heleno monente Hector ad urbem regressus Hecubam ad Minervæ templum in acropoli Trojanarum matronarum *(Iliadum)* pompam ducere, donariique loco deæ peplum egregie elaboratum consecrare jubet, ut Diomedis impetum illa reprimeret. *Interea* non ad tempus posse referri videtur; sed inter cætera tabularum argumenta, ecce, occurrit hoc, quod—*non æqua*, iniqua, Trojanis infensa, irata Pallas. *Diva solo f. o. a. tenebat.* quippe in pictura expressa. at in narratione poëtæ Hom. l. c. v. 311. Ὣς ἔφατ' εὐχομένη, ἀνένευε δὲ Πάλλας Ἀθήνη. sed in Virgilio ut picturæ accommodatior, ita suavior rei imago esse videtur, *aversa* dea facie, *oculis in terram fixis*, quam in Homero *renuens caput*. Peplum autem illud interdum deæ signo injiciebatur pro amictu, interdum tantum ad genua apponebatur.

483—487 Novum argumentum in pariete expressum: *redditio corporis Hectorei*, ex Iliad. ω. Bene vel ad artis rationem: *raptaverat;* nam hoc antecesserat, et corpus lacerum et fœdatum immanem eam contumeliam vel in tali opere arguere poterat. Expressum autem putetur Achillis tentorium, ipse Achilles sedens, *supplex ei factus Priamus* (vide Iliad. ω, 478. sqq.) et divinum illud: Μνῆσαι πατρὸς σεῖο—jamjam fari incipiens; in conspectu, adducta a Priamo redimendi corporis pretia; ἀπερείσι ἄποινα (—χρυσοῦ δὲ ςήσας ἔφερε δέκα πάντα τάλαντα. unde v. 484. *auro corpus v. A.)* adstant ex alia parte *spolia*, h. e. arma, quibus cæsum Hectorem spoliaverat victor, *currus*, cui illigatum eum raptaverat, et *ipsum corpus amici*, sc. Hectoris, ex curru supinum pulveri incumbens, quod die quoque orto ter circa Patrocli tumulum ductare solebat Achilles. v. Iliad. ω, 14. sqq. 487. *Manus inermis* noli inertem putare ornatum. Nam eo spectat, quod intraverat hostilia castra supplex ad genua victoris procubiturus. Totus hic locus est ex felicissimis.

488 Cum Achivis *permixtum* prælio, προμάχοις μιχθέντα, seu pugnantem, Æneam sæpe ap. Homer. invenias.

489 Agnovit Memnonem pugnantem, quod autem *nigrum* appellat et *Eoas acies* memorat, id eo pertinet, quod, quandoquidem auxilia ex terris ab oriente sitis, quæ tum sub Assyriorum ditione fuisse videntur, Auroræ ille filius adduxit, re in majus aucta, Indos et Æthiopes adduxisse fabulose dicitur.

490—493 De Amazonibus duce Penthesilea auxilium Ilio ferentibus v. Quintum Smyrn. libro I. *peltæ lunatæ* proprie Amazonum fuere. *subnectens cingula mammæ*, s. mammis, exquisitius quam *subnectens*, subnexam habens, *mammam cingulo*, s. balteo. Dextra scilicet papilla erat nudata. Nota omnia. *ardet*, furit, fortiter pugnat, *mediis in millibus*, doctius quam in turba vel acie. *audetque viris c. virgo* ex Homerico—Ἀμαζόνας ἀντιανείρας Iliad. ζ, 186. γ, 189. natum videri, notarunt jam alii. Totus hic de Amazonibus locus est pulcherrimus.

494 Interea, dum miranda hæc opera contemplatur Æneas, dum ab eo *videntur*, inspi-

Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno:
Regina ad templum, forma pulcherrima, Dido
Incessit, magna juvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi,
Exercet Diana choros; quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas superminet omnis;
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divæ, media testudine templi,
Sæpta armis, solioque alte subnixa, resedit.
Jura dabat legesque viris; operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat:
Quum subito Æneas concursu adcedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates
Lætitiaque metuque; avidi conjungere dextras
Ardebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant; et nube cava speculantur amicti,

ciuntur, et dum unice intentus in ea quæ intuetur: Dido advenit. 503. Comparatio est splendida Didonis cum Diana, quam tractavit poëta post Homerum Od. ζ, 101. sq. *qualis*, pro qualiter, quo habitu; pro qualis est, cum *exercet choros*, ducit, instituit. Frequentantur autem a poëtis Nympharum chori, ducente eos Diana. Colebatur illa præcipuo cultu Lacedæmone et in Delo insula. *Illa pharetram fert humero:* debebat junctum esse; *ferens gradiensque;* adjecta autem hæc sapienter, obversatur quippe oculis nostris extans inter cæteras dea humeris tensa. Decus autem ejus potenter declaravit poëta per tacitam lætitiam matris Latonæ; *tacitum pertentant gaudia pectus*, h. e. gaudia tacita. Sic IV. 364. *totumque pererrat luminibus tacitis.* Etiam *pertentant* feliciter pro, subeunt; cf. lib. V. 828. Ge. III. 250.

504 Urbem condendam præclare *opus regnumque futurum* appellat. 505. 506. *Media testudine templi*, h. e. medio templo, Latino usu, quatenus intra fores consederat; cum omnia dicantur *media*, quæ sunt post principia, adeoque non sibi repugnant: *in foribus et in media t. templi. Sæpta armis*, armatis, satellitibus; quod vulgare est monitu; ut et hoc, *jura legesque dare* nihil esse aliud quam *jus dicere*. In templis senatum cogi, ad fores tribunalia poni, notus Romanorum mos, ad quem poëta hoc refinxit. *solio alte subnixa, resedit* ornate. Erant autem throni excelsi, ideoque pedibus subjecta scabella.

507. 508 Opus ædificationis *partiebatur* inter cives suos vel de sententia vel sorte, *sorte trahebat opus* doctius, quam trahere sortem, ducere, ad assignandum opus; sorte ducta opus assignare. Mox 509. *concursus* aut cum plurium concursatione, aut est simpl. cursus, accursus. 510. sup. 220. sq. inter amissos memorati.

516 *Dissimulant*, pro vulgari, reprimunt se, continent se, quo minus prorumpant:

Quæ fortuna viris; classem quo litore linquant;
Quid veniant: cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Maxumus Ilioneus placido sic pectore cœpit:
O Regina, novam cui condere Juppiter urbem,
Justitiaque dedit gentis frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignis;
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:

quia rerum eventus et præsentem statum non satis perspectum habebant.

519 *Orantes veniam* simpl. propitiam et benevolam voluntatem, ut ne escendere ac littus tenere prohiberentur. Scilicet, ut sequens oratio v. 52. sqq. ad intelligendum expedita sit, cogitandum, naves illas in littus, quod raro adiri solebat, rejectas pro prædatoriis, λῃστρικαῖς, fuisse habitas. Accurrerant itaque Pœni, prohibuerant Trojanos escendere, nin facerent, igni naves comburere velle minati erant.

521 *Maxumus I.* sc. natu; ut 654. *natarum maxuma* absolute, nisi universe est princeps inter ipsos, et auctoritate eminens. Ita simpliciter alibi Æn. III. 107. *Maximus unde pater—Teucrus. placido pectore*, h. e. nil turbatus, nullo rerum metu impeditus ac perculsus; nihil aliud.

522 sqq. Oratio egregie ad consilium et ad affectum dicentis audientisque comparata; cum qua non sine fructu compares alteram ad Latinum R. habitam Æn. VII. 213. sqq. Præclarum hoc: *novam cui condere J. urbem.* hæc enim ex Trojanorum sensu votorum summa; et grave ex altera parte ad humanitatis officia argumentum apud Didonem. Similiter expende reliqua. 523. *gentis superbas*, int. Afros, non Pœnos. *justitiam* ad totum mitiorem vitæ cultum *legesque ac jura data* refer, quibus feritatem eorum mitigavit Dido.

525. 526 *Infandos ignis*, qui adversus fas jusque gentium inferuntur. *pium genus* Trojani h. l., qui nullam injuriam, nullum nefas, commiserant, prædas agendo. *Pietas* pro justitia interdum dicta, quatenus hæc a metu deorum et religione proficiscitur. *propius adspice res nostras*, conditionem et locum, quo sumus, accuratius inspice: sc. deprecatur judicium de se ex primo rerum adspectu fortunæque specie, postulatque a regina, ut accuratius sibi, qui sint, exponi patiatur.

527 Non se ad deprædandas incolarum terras ac sedes venisse ait. 528. *Vertere prædas* exquisite pro avertere, abigere: ut est lib. VIII. 208. X. 78. 529. *Ea vis*, audacia, ut alias. eadem mox *superbia*, insolentia.

530 Ex Ennio: *Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant*, expressum esse, jam Servio notatum, et Macrobio VI. 1. elegantiore utique oratione. Est *locus* h. l. pro regione. Quod autem *Hesperiam* pro Italia dicit, majorem habet antiquitatis auctoritatem. 531. Nobilissimus inter veteres versus. *Terra antiqua*, a prima inde hominum memoria habitata, adeoque non ignobilis et obscura; *potens armis atque ubere glebæ*, incolarum fortitudine et soli ubertate excellens. *uber glebæ* ductum videri potest ex Homerico οὖθαρ ἀρούρης; sed *uber* pro ubertate dictum. *Œnotri* Pelasgi, qui principio agrum in interiore littore inferioris Italiæ occupaverant; unde Œnotria dicta primum ager, tum tota regio. *minores*, proprie *natu*, Virgilius ad posteros vel seriores trans-

Œnotri coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit:
Quum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit, penitusque procacibus austris,
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ!
Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma:
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo justior alter,
Nec pietate fuit nec bello major et armis.
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris:
Non metus, officio ne te certasse priorem

ferre solet, ut v. 733. et al. *gentem* autem doctius posuit pro *terra* Homerico more; δῆμος Φαιήκων pro insula.

535—538 *Subito fluctu*, repentina tempestate, commota, *adsurgens*, ut *mare assurgit fluctibus*, cum proprie *fluctus assurgant in mari*. *Orion* dictus omnino pro tempestatibus ac procellis, quales fere ejus ortu vel occasu exoriri solent; alioqui Orion etiam cum judicio a poëta positus esse videri potest. Incidit enim ejus ortus, etiam in his Africæ plagis, in mensem Junium. Æstas autem agebatur tum. v. inf. v. ult. *in vada cæca* latentia vid. v. 111. *procacibus austris*, ornate; ventorum procellosorum vi, ac tempestate victos, partim per altum, partim inter scopulos penitus nos disjecit. *procaces austri*, venti vehementes: Horatio *protervi*, Gr. ἀνηλγεῖς. *superante salo*, victa a maris ac procellarum vi navigantium arte et labore. Ita sup. *vicit hiems* et inf. II. 311. *Vulcano superante. ad nvimus*, appulimus, ut poëtæ solent.

539 Furium, sive is M. Furius Antias, seu Bibaculus fuit, VI. Annal. præivisse poëtæ Macrob. VI. 1. existimat. *Quod genus hoc hominum? Saturno, sancte, create. quæ tam barbara patria*, terra, *permittit*. Græco more pro: quæ terra tam barbara est hæc ut permittat?

540 *Hospitio p. arenæ*, ornate, pro, a littore, ab escensu in littus; mox *primam terram* dixit.

542 Agnosce poëtici sermonis indolem; pro abstracto: si *humanitatem*, humanitatis jura et officia, et vindictam injuriæ, quam humana ira exigere a vobis potest, (hæc enim sunt *mortalia arma*) pro nihilo ducitis: saltem illud reputate, deos esse justi injustique inspectores injuriæque adeo ultores: Ζεῦν δ' ὑποδδίσασθαι μῆνιν Odyss. β, 66. In *sperate* inest notio τοῦ *metuere*, quod frequens est Græcis Latinisque poëtis.

544 Œconomia carminis in hoc occursu Æneæ et sociorum, et in horum laudibus Æneæ, quem ignorabant eas audire, est præclara. Præstat interpungere: Quo *justior alter*, *Nec p.* h. e. Quo nec alter justior, nec major fuit pietate, bello, et armis. Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητὴς, de Agamemnone Iliad. γ, 179.

546. 547 *Vesci aura* antiquum est, et ex Lucretio notum, pro *frui*. *occubat umbris*, exquisite secundum illam formam, *occumbere morti* lib. II. 62. Ante oculos habuit poëta illa: Εἶπω ἔτι ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο. εἰ δ' ἤδη τέθνηκε, καὶ εἰν Ἀίδαο δόμοισιν etc. Od. υ, 207. ξ, 44. et al.

548 *Non metus, ne:* non metuendum est, ne te pœniteat aliquando beneficiis nos

Pœniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Arvaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et silvis aptare trabes, et stringere remos.
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti Latiumque petamus.
Sin absumta salus, et te, pater optume Teucrum,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli:
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.
Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri; secludite curas.
Res dura, et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late finis custode tueri.
Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni;

provocasse. 549. Sunt duo quæ per hunc et seq. versum præstruit. Ostendit, Trojanos in his terris sedes haud petere, nec ut petant necesse habere; sed aut superstite Ænea in Italiam trajecturos, aut eo interemto in Siciliam habitatum redituros esse.

550 De *Acesta* cf. sup. ad 195. Ejusdem urbs *Ægesta* intelligenda.

551 *Subducere classem*: ἐρύειν ὅπιρόν δε Homero. vulgo καθέλκειν. κατάγειν. 552. In *silvis trabes aptare* navibus, et *stringere* ferro, amputare, dolare, adeoque, id quod antecedit, omnino incidere arbores, quæ *pro remis* sint, h. e. naves reficere. Mox *rex* pro duce, ut sæpe.

554 *Ut I. petamus*: docte omisso, ex Græcorum more, verbo, a quo *ut* cum subjunctivo pendeat: curabimus, efficiemus, ut. Nam si continuares: *aptare t. et stringere remos, eo consilio, ut I. p.*, prosaicum id foret: similiter v. 557. 558. sed sine *ut*: quod communius.

555. 556 *Sin absumta salus*, sin periimus, siquidem is periit, in quo res nostræ positæ sunt, una cum Iulo; *spes Iuli* bene pro Iulo. 557. Siciliam itcrum petere liceat.

559 *Fremitus* h. l. ac murmur adsensum commotis hominum animis indicat. Simplicius Homericum: Ὣς ἔφαθ' ἅλλοι μὲν πάντες ὑπεφήμησαν Ἀχαιοί.

561 *Vultu demisso* et *breviter* fatur Dido. Adde hæc ad 496. sqq. et observa, qua arte poëta descriptionem faciat; et vide quid adhuc desit, ut Didonem unice studio tuo dignam habeas. Jam in ipsa oratione pudor cum dignitate, prudentia cum summa humanitate maxime elucescunt.

562. 563 *Secludite curas*: exquisitius quam excludere, ejicere, deponere, sollicitudinem ac metum. cf. Serv. *Res dura*, quod vulgo: res duræ, dura rerum conditio, quæ cogit aliquid vel invitos facere *(moliri)*. Mox *custos* pro viris in custodia finium et præsidio locatis.

566 Possis sane per *virtutes virorum* exponere. Sed proprie tamen utrumque vim habet suam; nec amplectar facile jejunam figuram hendiadyein. *virtutes*, res præclaræ, fortiter gestæ, ut ἀρεταί v. c. apud Pindar.

567. 568 Non adeo *obtusa pectora*, h. e. stupida ingenia, habemus, non tam barbari sumus, ut Trojanorum res præclare gestas et fata ignoremus. *Nec tam aversus equos Ty-*

Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
Sive Erycis fines regemque optatis Acesten:
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est; subducite naves;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse, Noto conpulsus eodem,
Adforet Æneas! equidem per litora certos
Dimittam, et Libyæ lustrare extrema jubebo;
Si quibus ejectus silvis aut urbibus errat.
His animum adrecti dictis, et fortis Achates
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Æneam conpellat Achates:
Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides; classem, sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum; dictis respondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,

vis sol jungit ab urbe, h. e. nec tam remotas a sole terras incolimus. Id quod tandem ad eandem sententiam redit, quatenus *frigus* ad animi stuporem adeoque ad feritatem et immanitatem transfertur, et remotiores a solis orbita terræ pati id creduntur. Extremæ terræ partes ita omnino designantur, ut *extra solis vias* esse dicantur, quatenus vel intra duo Tropicos vel intra temperatiores zonas non comprehenduntur. Quo igitur magis terræ versus septentrionem, vel versus austrum recedunt, eo magis *aversus*, h. e. simpliciter remotus ab iis *Sol jungit equos* h. e. oritur iterque suum diurnum conficit. Hoc unum tenendum, Pœnos non esse barbaros, non adeo esse remotos a clementiore cœli terræque plaga, respectu Trojanorum.

569 *Hesperiam magnam* simpl. potentem. Aliter *Græcia magna* dicitur. *Eryx*. vid. V. 759. *optatis* h. l. præfertis.

571 *Auxilio tutos*, quod in prosa: rebus necessariis instructos, munitos. Pedestris esset oratio, si acciperes: *dimittam tutos* cum *auxilio*. Mox *statuo* exquisite pro condo: ut ἱδρύω.

575 *Conpulsus*, non, coactus; hoc tenue esset; sed, huc depulsus, delatus. Mox *certos* exquisite, quibus fides haberi possit, non respectu perfidiæ Pœnis exprobrari solitæ; sed *certi* dicti pro iis, qui certa nuntient; similiter aliquis *fidos* assumsisse dicitur. *Dimittam*, in diversas partes mittam.

582 *Animo sententia surgit*, ad eam formam, qua *stare, sedere, insidere* dicitur.

584 *Unus*, Orontes. v. 113. sqq.

585 Sup. 390. sqq.

586 Οὔπω πᾶν εἶρητο ἔπος, ὅτε. Odyss. π, 11.

587 *Purgat* se, solvitur, extenuatur nebula: καὶ τότε δὴ ῥ' αὖτοῖο πάλιν χύτο (non λύτο: nam πάλιν Homero est pro αὖθι, refundi, resolvi) Θέσφατος ἀήρ. Odyss. π, 143. *æthera apertum*, ut aër purus redderetur, et *clara lux*, remota nebula. Nunc puta Æneam *adstitisse* multo pulcriorem adspectu quam unquam alias: Quod poëta per miraculum et

Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram
Cæsariem nato genetrix, lumenque juventæ
Purpureum, et lætos oculis adflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente
Inprovisus ait: Coram, quem quæritis, adsum
Troïus Æneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos, reliquias Danaum, terræque marisque

Veneris interventum auxit. Declaratur Æneæ pulcritudo et dignitas per partes; sunt species corporis, juventus, et gratus oculorum vigor. et *refulsit* pro vulgari: apparuit, nihil amplius.

589 *Humeros* int. latos ac torosos, herois vel dei, v. c. Mercurii vel Martis, qui corporis robur viriumque efficaciam declarant; quod apparet in statuis veterum. Locus insignis est Valerii Fl. II. 491. ubi Hesione Herculi: me eripe—*namque potes. neque enim tam lata videbam Pectora, Neptunus muros cum jungeret astris; nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.* Cæterum notatum jam aliis, locum effictum ad Homericam formam Odyss. ζ, 229—235. et ψ, 156—162. *Os humerosque d. s.* tantum ornatius exprimunt formam augustam et divinam, quam Homerus simplicius: θῆκε Μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα. cf. Od. π, 174 sq.

590 *Ipsa decoram cæsariem nato genetrix—adflarat*, non quasi comas ejus breviores in promissiores mutarit; sed si juvenili specie adstare dicendus erat Æneas, efficiendum erat, ut coma similis esset comæ promissæ Apollinis vel Bacchi, qui in vulgus notabiles cæsarie sua. *lumen juventæ purpureum* ornate pro *juventa* eximia et pulchra. *lumen* est nitor: nitor autem juventæ proprie tribuitur. *purpureus* aut pro pulcher, omnino, aut pro splendidus, nitens. v. ad Horat. IV. Carm. I. 10. qui idem III. 3. 11. 12. ad divinam formam retulit, *quos inter Augustus recumbens purpureo bibit ore nectar.* Juventam autem cum cæsarie junxit Tibull. I. 4. 37. *Solis æterna est Phœbo Bacchoque juventas, Nam decet intonsus crinis utrumqu deum.*

591 *Lætos oculis adflarat honores:* inerat oculis desiderabilis aliqua venustas, gratia, χάρις καὶ ἵμερος. Primum *lætos honores* dixit pro honore; *honos* autem pro pulchritudine; res nota. *Lætos* non tam ad hilaritatem, quæ adspersa fere est oculis nitidis et pulchris (ὄμματα φαιδρὰ), quam potius ad oculorum fulgorem, qualis in lucido juventæ et pulchritudinis flore esse solet, referes; nam *læta* poëtis proprie lux, nitor. Sic *tempora læta*, fulgida, lib. VIII. 681. *adflarat*, quod Homerus dixit, affuderat, κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις. et—κακκεφαλῆς χεῦεν πολὺ κάλλος Ἀθήνη. *afflare*, ab initio proprie dictum videtur de oris anhelitu, quo quis aut crederetur, aut, tamquam symbolico actu, videretur inspirare alteri vim aliquam aut suam aut præternaturalem. Ita Apollo afflasse narratur ore nonnullos, quibus divinandi vim impertiret. Inde omnino *afflare* contingere est, proprie quidem leviter, quia contactus hoc genus est, parum sub sensum cadens; itaque et vates et poëtæ *afflari* dicuntur, quippe *contacti, percussi.* Ita et *fulmen afflare* dicitur, ut lib. II. 649. Alio sensu *afflare* et *adspirare* a navigatione et vento secundo ductum est. Etiam aliud est, si de exhalationibus corporis, ambrosiæ, *spirare* et *afflare* dictum occurrit.

592. 593 Comparatio retrahenda ad Æneam *nube circumfusum*, quod *clara in luce refulsit*, ut opus vel ornamentum eburneum, argenteum vel marmoreum auro inclusum, aurea ora ambiente, qua ex auri splendore ipsum opus, quod inclusum est, auctum nitorem mutuatur. cf. Æn. X. 133. sqq. Verba autem sic interpretanda: *restitit et refulsit* tali cum decore, *quale manus* (artificis) *addunt ebori decus*, h. e. quale est decus operis eburni aut argenti marmorisve candidi auro circumdati.

595 sq. Præclara et affectus plena oratio. *reliquias Danaum*, a Danais relictos; passive, ut aiunt; stragi Trojanorum cædique ab Achivis perpetratæ superstites. *exhaustos*, attritos, consumtos, vexatos. *socias*, de conatu, recipere vis.

Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo, socias! grates persolvere dignas
Non opis est nostræ, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Di tibi, si quà pios respectant numina, si quid
Usquam justitia est et mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt;
Quæ me cumque vocant terræ. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Serestum;
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido;
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est.
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis inmanibus adplicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,

603 *Si quid Usquam justitia est:* si non inane nomen est: sed res, virtus, laude ac præmio digna. Ante oculos fuit Ulyssis ad Nausicaam oratio pulchrarum sententiarum plena, ubi Odyss. ζ, 180. Σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς etc.

605 Felix hominum ætas, in qua te tam generosam feminam nasci contigit! *læta* sunt fausta, felicia s.

607—610 Quod Tibullus I. 4. 65. nude: *dum robora tellus—vehet*, hoc ornatius extulit Virgilius: donec in montibus umbræ silvarum *convexa* montium, h. e. latera et ambitus, obscurabunt, et ornatius, *lustrabunt*, umbra pro flexu solis procedente et circumagente se. 608. *polus dum sidera pascet*, pro tenui: habebit. *polus pascere sidera* dici potest, pro sidera pasci in polo, quatenus stellæ errare et vagari per cœlum videntur. Cum tamen Lucretianum I. 232. *unde æther sidera pascit*, et alia loca imprimis V. 384. sqq. videri possint animo poëtæ insedisse: Servianam interpretationem non plane spernas, ut ad philosophorum opinionem referas, qua astra marinis terrenisque humoribus attenuatis (ἀναθυμιάσεις) ali putabantur, quemadmodum iris imbibere imbres.

609. 610 Quocunque abiero, beneficii accepti memor ero. *manebunt*, animo meo; nunquam excident.

610—613 Lætus et gratus benevolentiæ et amicitiæ affectus in his versibus obe.

614 *Casus* est fortuna, ut statim v. 615.

616 *Inmanibus oris* Libyæ, cujus immanes et feri incolæ, sive etiam horridæ et asperæ incultæque terræ. *adplicat*, ita fert, ut navem applicueris; ut v. 377. *appulit*.

617. 618 Secundum versus Iliad. β, 820. 821. Sic Nympharum partus ad fluminum ripas collocant plerumque poëtæ. Exempla dat Germanus.

619—626 Teucer, a Troja redux, a patre Telamone non admissus (cf. Horat. I. 7. 21.), cum Cyprum petiisset, accessisse ad Belum, Sidonis ac Tyri regem, putandus est, ut, cum ab eo copiæ in Cypro haberentur, earum

Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli: Genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat:
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, juvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat: simul Æneam in regia ducit
Tecta; simul divom templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos,
Munera lætitiamque dii.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo;

auxilio adversus incolas insulæ ipse uteretur, quos in nova sibi sede, Salamine, paranda alienos et infestos experiebatur. *Opimam C.* dixit, quam in prosa, *opulentam*, et *laude ferebat* pro efferre laudibus. 624. *reges Pelasgi*, pro Achivorum ducibus, etiam hoc licentius et seriorum poëtarum Græcorum exemplo; nam Homero Pelasgi diversus ab Achivis sunt populus. *Teucros*, Trojanos; ab antiquiore illo Teucro, a quo Dardanus fuit exceptus, eum in terram Trojanam e Samothrace trajecisset. Ab his originem ducere videri volebat Teucer Telamonius, propter maternum genus. Erat enim ex Hesione Laomedontis filia natus, quam Telamon a sodali Hercule muneris loco acceperat.

630 Nobilissimus versus; gravissima sententia; cujus, cum v. 628. 629. vi percepta, si adolescentem non voluptate gestire videas, nec illum a poëtæ lectione statim abigas, suadeo. Sensus: ipsa *ἐκ ἀπειράκαιος*, ipsa tot adversa experta, animum habeo pronum ad succurrendum aliis, qui et ipsi fortuna adversa jactantur. *disco*, teneo, novi. 632. *Simul divom templis i. h.* Si de supplicatione diis propter felicem Æneæ hospitiis adventum decreta intelligas, nec aliam rationem iniri posse video, a more antiqui sæculi recedere dicendus est poeta et deflectere ad suæ ætatis viam. Nam, ut ex toto Homero satis constat, heroicis temporibus, hospitis adventu in domo statim sacrum fit, cæditur victima, et ex ea epulo sacro hospes excipitur.

634 *Horrentia* setis seu pilis, et *terga suum* pro suibus. In toto loco ante oculos poëta habuit Od. 3, 59. sqq. 636. Mittit Dido pecudes quæ pro munere sint, et quarum epulis dies hilariter exigatur: *lætitiam dici*. Solent sic *gaudia* dici de rebus quæ faciunt, et Val. Fl. IV. 534. Phineas *nova miratur gaudia mensæ*.

637 Jam Catullus dixerat LXI. 46. *quacunque opulenta recessit Regia—Tota domus gaudet regali splendida gaza*. cf. reliqua. *luxu* præclare pro apparatu regali.

639 Brevitatis, utpote in narratione, et poëticæ elegantiæ studium omissionem verbi peperit: *sunt*, vel *instruantur*. int. autem vestes stragulas purpureas magna cum arte textas. *Ostrum superbum*, splendidum; inf. 697. et 700. *aulæa superba* et *ostrum stratum*.

Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad navis præmittit Achaten,
Ascanio ferat hæc; ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera prætерea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ: quos illa Mycenis,
Pergama quum peteret inconcessosque Hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Prætерea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxuma natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad navis tendebat Achates.
At Cytherea novas artis, nova pectore versat

640 Vasa magna argentea et aurea, eaque cælata e more veterum admodum frequentato, et h. l. quidem factis majorum Didonis anaglypho opere, seu extantibus figuris, expressis; de quo quidem constanter *cælare* et *cælatura* dici observavi. *ducta* non ad opus e metallo, sed ad *seriem* spectat.

643 *Ferat*, nuntiet omnia hæc, quæ accidissent. In v. sequ. τὸ *stat* pro *est*, vulgari verbo. *cari patris* φίλου πατρός, h. l. pro amantis.

647—656 Apud Homerum munera fere ξένια hospitibus advenis dantur ab iis, qui excipiunt. Hoc loco jubet Æneas apportare e navibus, quæ Didoni donet. *palla signis auroque rigens*, intextis rerum vel hominum formis ex auro. Æn. XI. 72. *Tunc geminas vestes auroque ostroque rigentes Extulit Æneas:* quas Dido—*tenui telas discreverat auro. rigentes togas* ex nostro duxit Claudian. I. 205. *Et c. c. velamen acantho*, prætextum acanthi foliis, vestis oram ambientibus. De *acantho*, *branca ursina*, vel capitulorum in columnis ornatu nobili herba, v. ad Ecl. III. 45. ubi in poculis ansæ acantho circumlitæ. *croceum* quidem ejus genus est; nam vulgare est flore albo. *velamen* de peplo accipiunt; Servius *cycladem* reddidit; forte quod hoc inter feminea vestimenta imprimis est lautum. Non satisfacit; est κρήδεμνον vel καλύπτρα, qua caput et velari et, si complicaretur, coma religari poterat. Homerico vero more v. 650—652. commendatur *velamen* illud ab Helena in cujus mundo fuerat. Abstulerat autem cum Helena (Ἀργείην Ἑλένην latiore sensu, etsi Spartanam jam Homerus appellaverat.) Paris multas vestes et ornamenta, κειμήλια, quæ ipsa cum Helena repetebant Achivi. v. Iliad. γ, 70. et al.

653 Habes sceptrum h. e. hastam vel scipionem, insigne puellæ regiæ, ut omnino hominum genere vel honore insignium. Sic ap. Eurip. Troad. 150. Hecuba Σκήπτρων Πριάμου διεισθμάτων choros se celebrasse dicit. *Ilione* e Priami filiabus fuit.

655 Coronam intelligo duplici materia, h. e. diadema, nam de eo agitur, aureum, gemmis distinctum, quo in monumentis, inprimis Italorum, sæpe deas ornatas videas. Ovid. Met. XIII. 704. *Dant pateram, claramque auro gemmisque coronam.* neque aliter dictum, quam ad Virgilii imitationem (sententia tamen ex Homero expressa Iliad. χ, 470. l.) apud Valer. Fl. VIII. 235. ubi Venus Medeam ornat: *ipsa suam duplicem Cytherea coronam Donat;* nam ipse Flaccus sese interpretans subjicit: *et arsuras alia cum virgine gemmas;* et paullo antecesserat similis forma: *ipsa suas illi c. s. vestes I.*

657 sqq. Scilicet Venus, filio suo Æneæ timens, ne Junonis fraude Didonis ac Poeno-

Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus inplicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis;
Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoïa temnis;
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi; et nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo se Junonia vertant
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor; ne quo se numine mutet:
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.

rum voluntas mutetur, Didonem amore ejus inflammat; eodem metu impulsa in nuptias consentit inf. IV. 107. sqq.

659. 660 *Donis furentem* vix nisi dure admodum dicas. Melius ut *donis incendat reginam furentem*, ut amore furat; quo Servii interpretatio spectat. *ossibus inplicet ignem*, exquisitiore forma, quam *ossa implicet igni* h. e. ipsis ossibus ac medullis flammas inserere, immittere, insinuare: pro vulgari admovere: dictum, ut *involvere omnia flammis, incendio;* quoniam etiam in vulgari oratione *flamma involvit domum*.

661. 662 *Domum ambiguam, domum* pro stirpe, gente, ad fraudulentum Pygmalionis ingenium respicit. Recte jungitur ipsius adeo populi ingenium, *Tyriosque bilinguis* eodem sensu, h. e. fallaces. *Urit* infesta *Juno*, cogitatio de Junonis in Æneam odiis et consiliis eam cruciat. *sub noctem:* narratum de dea secundum humanum morem, quo nocte ingruente curæ recrudescunt. Vesperi hæc geruntur. v. inf. 726.

664—666 *Meæ vires, mea m. potentia*, splendide pro, per quem ego valeo et potens sum. Petiere hinc alii, ut Statius I. Silv. II. 137. *tu mea, summa potestas;* adde Ovid. V. Met. 365, quod a poëta forte Græco Virgilius sumserat. Contemtus, quo Amor Jovis fulmina habet, elegans poëtarum et artificum veterum lusus, suavi cum varietate expressus passim occurrit, etiam in gemmis. *tela Typhoia*, quibus Jupiter usus est in Typhoeum, *εἰς Τυφωέα*. *tua numina posco*, tuam opem et auxilium, quod per *potentiam* et *numen* declarat.

667—672 *Nota tibi* sunt (ut Græci pro, notum tibi est,) quemadmodum Æneas fr. Magna autem cum arte et cum dilectu singula orationis membra sunt efficta; ut illud: *frater tuus*.

671. 672 Sollicita est Venus et metuit, ne hospitium hoc Æneæ in Junonia urbe ad ejus exitium vertat (cf. IV. 96. etc.), Junonis in Æneam odiis. *tanto cardine rerum*, in articulo, *ἀκμῇ*, in tanto rerum momento, dum res summa agitur, an Trojani ab Italis fatalique regno averti possint, illa sc. Juno *non cessabit*, sed novas adversus Æneam machinas parabit, quo eum perdat.

673 *Cingere flamma;* ut X. 119. *manus cingere flammis*. Sic *flamma involvere, circumdare*. h. l. amore, ut *amore irretiti, illaqueati*, tenentur. *ne quo se numine mutet:* ne Junonis machinatione aliqua animus ejus mutetur. cf. ad I. 8. 675. *Sed magno Æneæ mecum teneatur amore. teneatur mecum*, ut *magno* pro epitheto ornante sit, ita sensus esto: amet Æneam, quem ego amo, tuor, tamquam mater.

Qua facere id possis, nostram nunc adcipe mentem:
Regius adcitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Trojæ:
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium, sacrata sede recondam;
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit;
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus:
Ut, quum te gremio adcipiet lætissima Dido,
Regalis inter mensas laticemque Lyæum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis caræ genetricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans conplectitur umbra.
Jamque ibat, dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.

677 *Ascanius* designatur per *regium puerum*, quatenus *Rex Æneas* sæpe dictus. *maxima cura*, h. e. amor, carus Veneri. 679. Cf. 647.

680 Inf. X. 86. *Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera.* Cythera, τὰ Κύθηρα, insula ipsa, Laconicæ objecta, h. l. *alta* quatenus montosa est, hinc etiam *super*; nisi forte aliquis montes in ea designari malit, ut et Idalium τὸ Ἰδάλιον ὄρος; in Cypro; et sequuntur utique v. 692. *alti Idaliæ luci*; etsi et ipsa urbs *Idalium*; τὸ Ἰδάλιον. 693. *Idalia*, Ἰδαλία χώρα, ut *Venus Idalia*, dicta. Urbem saltem altero loco intelliges X. 86. quia cum Papho Idalium memoratur; et ante v. 51. erat: *Est Amathus, est celsa mihi Paphos atque Cythera, Idaliæque domus.* Sic Γόλγοι καὶ Ἰδάλιον ap. Theocr. XV. 101. Erat autem templum in monte positum. Sed *super alta Cythera*, pro, super Cytheris (ut I. 295. *sedens super arma)*, est pro *in*: ut ἐπὶ simili modo dictum occurrit. Nisi malis ad motum referre, ut latent notio τῷ *abductum* super Cythera et Idalium. *sacrata sede*, ἐν τεμένει. *ne qua*, ratione ac via, *scire* pro rescire dictum. *medius occurrere*, in medio negotio, sup. 348. *Quos inter medius venit furor.* h. l. de eo, qui impedimentum affert. *faciem falle*, mentire, simula, falsam exhibe. *facies* pro toto corpore et habitu. *notos vultus*, ex more poëtarum, pro vultu cujusque suo ac proprio. *laticem Lyæum* pro vulgari: latex Lyæi. Sed poëtarum more pro derivato adjectivo, *latex Lyæius*, quod ipsum vix usus ferret, ponitur. *inspires ignem*, nonne paullo durius hoc? et jungitur etiam nova rei imago: *fallasque veneno*, h. e. per fraudem venenum instilles. Quod autem hoc ita adstruit poëta, ut Didonem inter convivii hilaritatem, quæ animum relaxat, amore inflammet, naturæ humanæ convenienter comminiscitur.

690—694 *Gaudens* suaviter adjectum ut alias, *lætus paret*, h. e. lubens, et mox 696. *duce lætus Achate,—quietem inrigat*, ut *somnum infundere*, et, vulgatiore ratione, *per-*

Quum venit, aulæis jam se regina superbis
Aurea conposuit sponda mediamque locavit.
Jam pater Æneas, et jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere Penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerant, et pocula ponunt.
Nec non et Tyrii per limina læta frequentes

fundere somno, irrigare membra quiete, habet, ab antiquioribus poetis, Lucretio et Furio Antiate. Et hi duxere ex Homerico ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευαν. περὶ δ' ἀμβρόσιος κέχυθ' ὕπνος. Nata autem loquendi forma ex notione humoris primum *nocti*, tum *somno* adjuncta; unde ὑγρὸς ὕπνος. Ex eo ipso artificum ratio ducta, quod Somnus cornu defundit quietem vel somnia; non inverse, ut vulgo creditur. *fotum gremio*, ornatius quam, *positum*. hærent interpretes. cf. 718. *interdum gremio fovet*. *amaracus*, sampsuchum vel *majorana*, quæ inter coronarias est. v. Plin. XXI. 11. s. 35. 39. *in Cypro laudatissimum, et odoratissimum*, ibid. c. 22. s. 93. et, ut *umbram* h. l. efficiat, luxuriantius ibi nasci debet. Suaviter autem singula in v. 693. 694. *complectitur adspirans*, adhalando odores, ἰδύνων. 695. 696. *Duce lætus A.* ornate pro habens ducem. cf. 690.

697. 698 Accumbebat jam mensæ in toro Dido cum falsus Iulus advenit. *Aulæa* sunt vestes stragulæ: v. 639. et subjicitur *sponda*. *se conposuit*, pulchre pro conserdit. *sponda aurea* jungendum, ne *sponda* nude sit posita. Dicta autem *sponda* exquisitius quam lectus. *mediamque locavit*, inter Æneam et falsum Iulum, in triclinio, aiunt. Verba tamen tantum hoc suppeditant: eam consedisse in lecto; et *mediam* se *locavit* ad poeticum sermonem referendum. sunt quoque mox sedes Trojanorum diversæ. 700. *Strato ostro*, super toro purpurea veste, stragula. strato. cf. 639.

701. 702 *Post discubitum* hoc loco aqua affertur ad manus lavandas; afferuntur ad eas tergendas χειρόμακτρα lævia ac mollia simulque instruitur mensa pane e canistris depromto et apposito. Apud Homerum panis in canistris apponitur, quod pressius sequitur noster Æn. VIII. 180. 181.

703. 704 In interiore ædium parte erant feminæ, quæ panem in canistris struerent, ut circumferretur et distribueretur convivis: quod v. 701. fiebat. Nam hoc est, iis curam fuisse, *struere penum*. *longo ordine*, quoniam L numero. *et flammis adolere Penates*. Penates aut pro aris ac focis, aut pro ipso penetrali, omninoque pro domo accipi possunt. Jam *eos adolere flammis* dixit Virgilius poetico orationis more, pro, flammas adolere in Penatibus, s. ædibus, h. e. in aris ad P. ut VII. 71. *castis adolet dum altaria tædis* pro tædas in altari, exquisitiore ratione, ut passim alibi, *adolere focos* et alia. Eodem modo Ge. IV. 378. 379. *Panchæis adolescunt ignibus aræ*: h. e. tura in aris adolescunt vel ardent. Jam autem quæras, quorsum, in vita utique heroica, inter epulas in foco ignis incendi solitus sit? Non sane frigoris depellendi caussa; nec ad carnes coquendas: Verum perpetuus ille, etiam per sequiora tempora, religiosus mos fuit, ut in festis saltem epulis focus igni luceret, in deorum utique honorem, Penatium maxime vel Genii vel Laris; facta quoque in focum libatione vini, seu ture cremato; heroica vita etiam carnis prosectis in ignem injectis. De ture testatur Ge. IV. 378. 379. *adolere*. Videtur *olere* ab initio omnino notionem augendi habuisse, sed substitisse tandem in uno rerum genere, quod incrementum habet continuum, seu quod continuatur, scilicet flammæ in fomite nutritæ; unde *adolere* est cremare; tum fumi et odoris ex cremata victimæ carne vel ture; unde *olere* est odorem emittere.

705. 706 Ducentis aliis ministerium depum et vini apponendi mandatum. *pares ætate*, int. pueros, ex more. Valer. Fl. II. 653. loco hinc expresso: *centumque pares* primæva *ministri Corpora*.

707. 708 *Per limina læta*, simpl. in domo. Mox *tori picti* iterum sunt vestes stragulæ.

Convenere, toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ; mirantur Iulum,
Flagrantesque dei voltus, simulataque verba,
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infelix, pesti devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa, et pariter puero donisque movetur.
Ille, ubi conplexu Æneæ colloque pependit,
Et magnum falsi inplevit genitoris amorem;
Reginam petit. Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret; et interdum gremio fovet, inscia Dido,
Insidat quantus miseræ deus! At memor ille
Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sychæum
Incipit, et vivo tentat prævertere amore
Jam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ;
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.

710 *Flagrantes dei voltus.* Arbitror *oculos fulgentes* indicari, utpote Amoris: sæpe ap. Ovidium *ignes, ignis fulgore micantes, item flagrantes oculi, flagrantia lumina amantum.* Mox *pictum* int. h. l. *circumtextum*, ex 649.

712—714 *Pesti devota futuræ* θυτῆς, pro amori exitiabili destinata, eo amore jam contacta. Vis poëtica mox in eo, quod *mentem* addit, et quod *ardescit* et quod *tuendo* pro intuendo. Mox *movetur* cum dilectu plus quam, *delectatur, tenetur.*

715 Desiderium ex absentia, quo pater tenebatur, dixit *amorem magnum*, quem puer nunc explevit, satiavit, amplexu.

717 sq. *Hæret* in puero—*gremio fovet*, noli ex nostro sedendi more æstimare. Accumbentium situs animo repræsentandus est: qui alteri proxime accumbit, applicat se ejus sinui ac gremio. Iulus jam tum pubescere debuit, si quidem ante septem annos patris ductu e Troja egressus est. Idem IV. 56. exultat inter venantes; et lib. IX. ei summa rerum creditur in castris, absente patre. *miseræ* pro *sibi*, quanta cum vi! et ex poetæ cogitatione et sensu, egregie est insertum: *inscia D.—deus. Acidalia* Venus ab Acidalio fonte, qui est in Orchomeno Bœotiæ civitate, in quo se Gratiæ lavant, quas Veneri constat esse sacratas. *abolere Sichæum*, h. e. Sichæi memoriam, desiderium, amorem. *prævertere* exquisite pro simplici, occupare amore. Nam, quod occupamus, in eo simul prævertimus alios, ne occupent. *amore vivo*, ut *flamma viva*; opp. *resides animi*, animus ad amandum iners, et qui desuevit amare.

723 *Postquam prima quies* e., h. e. cum primum epulandi finis esset factus. Nam *libatio* ad finem cœnæ fiebat, v. ad v. 705. VIII. 184. et 273. 279. 280. *mensæ remotæ* cf. ad v. 216.

724 Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔον ἔντο, Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσι (quod quidem hic aliter v. 729.) Iliad. α, 470. 471. Alter versus etiam alibi repetitur ut Odyss. α, 149. β, 339. Meminisse autem necesse est ex Homero, statui ad cœnam majora vasa, crateras, et minoribus poculis ex iis hausta vina distribui inter singulos convivas, apud Homerum quidem per præconem ad singulos convivas accedentem. Sedebant enim convivæ in soliis parietem ambientibus, et unicuique apponebatur mensa cum cibo. *Vina coronant.* quo sensu dictum a poeta sit, vix satis definiri potest. Si ad Homeri locum unde reliqua adumbrata sunt respiciendum est, et si Κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο expressum est: aliter quam de impletis usque ad ora poculis intelligi nequit. Altera interpretatio est mi-

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Inplevitque mero pateram: quam Belus, et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:
Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona Juno.
Et vos, o, cœtum, Tyrii, celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus adtigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans. Ille inpiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas

nus recondita, ut coronata sint pocula, sertis impositis. Hoc si teneamus, dicendum, poetam maluisse sui temporis morem inferre quam antiquum retinere.

725 Comparant illud: Μνησῆες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα, Odyss. α, 365. et alibi repetitum. Lectissimis verbis usus et noster, inprimis in *volutant:* loquuntur quæ audiri possent per totum cœnaculum.

726 sq. Continuatam in multam noctem cœnam indicare vult poeta. Observa et hic v. 726. 727. summum ornatum verborumque dignitatem in re tenui. Non lucernas vel candelabra posuit, sed *lychnos, funalia,* h. e. funiculos cera illitos; h. e. faces.

730 *soliti,* sc. implere, h. e. qua usi fuerant. A Belo autem Tyriorum regum stirpem ducebant Græci.

731—735 Præces inter libandum ad Jovem ξένιον, hospitalem, factæ. *hospitibus te dare jura,* præesse, sub tutela eos habere. Illud *nam* caussam interponens Homericum esse satis constat. *minores,* nepotes, *bona Juno,* propitia, χρηστὴ, ἀγαθή. Invocatur ante hic, ut patrium Tyriorum numen. cf. sup. v. 15. 735. *cœtum celebrate,* bene Serv. convivium; *faventes* intersitis huic convivio.

736—740 *Laticum,* laticis, *honorem,* h. e. vinum in deorum honorem ac cultum libatione effusum. *libato,* h. e. postquam libatum erat, vel libato laticum honore, alteri tradit poculum, unde primo loco gustaverat regina, ut et ille libatione facta biberet; quod et is lætus lubensque facit. πρόπιον illa et *dedit,* propinavit. Is enim vitæ heroicæ mos, ut singulis convivis deinceps poculum repletum præbeatur, unde libatur, tùm vinum ebibitur. *increpitans,* simpl. adhortans, invitans, ut et ipse biberet; nil amplius. *Bitias* Punicum nomen, quod et alibi occurrit. *pleno auro se proluit,* poculum vini plenum epotavit, quod tantum labris attigerat Dido; *proluere se,* gulam, dictum puta, ut *vino perfundi, madere, tingui,* de ebriis; quæ omnia notiora sunt. *Multa prolutus vappa* Horat. I. Serm. 5. 16.

740 Ad Homeri imitationem, inprimis Odyss. θ, 62. sq. Heroicis temporibus semper δαιτὸς conviviis, quæ fere cum re divina erant conjuncta, aderat. *crinitus:* proprius is citharœdorum habitus, comam alere; forte Apollinis exemplo. Traduxisse tamen ex suis temporibus ad vetera videtur Virgilius. *personat,* canit cithara ea, *quæ docuit,* cecinit prior, *Atlas.* Sic poetis *sonare,* et *docere,* διδάσκειν. Præclare et hoc ad illorum temporum, quibus omnis philosophia naturæ qualicunque contemplatione continebatur, rationes, quod carminis argumentum ex cosmogonia et ex physicis petitum est. Quod autem Atlantem cantus magistrum facit, fabulam alicujus poetæ Græci exquisitiorem redolet, veluti quod Ecl. VI. Silenus physica docebat. At-

Personat aurata, docuit quæ maxumus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber, et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, et a prima, dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,
Erroresque tuos: Nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus æstas.

lanti vulgo tributa siderum notitia ac sphæræ inventum. Quamquam hæc omnia ad solum astronomiæ studium referri possunt. Cum Iopas Tyrius, nunc Poenus, citharoedus inducendus esset a poeta, acute Atlantem, e vicinis Mauretaniæ montibus auctorem carminum, quæ caneret, ei arcessivit. *maxumus Atlas*. Æn. VIII. 136. *maximus Atlas— aetherios humero qui sustinet axes*. Est autem simpliciter dictum pro magnus. Sic *maxima Juno*, et alia.

742—746 *Errantem lunam*, pro *lunæ errores* seu cursus. *solis labores*, defectus, eorumque causas. *imber, et ignes*, h. e. fulgura, ex nubium afflictu. *Arcturus* stella pone caudam majoris Ursæ, posita in signo Boötæ, et *Hyades* stellæ in fronte Tauri. *geminique Triones*: sunt Helice et Cynosura, Ursa major et minor, *teriones*, h. e. boves, dictæ, quia ab antiquis hominibus sub boum, jugo junctorum, forma sidera hæc comprehensa fuisse videntur; hinc iisdem, et interdum majori Ursæ soli (ut Odyss. ε, 273.), tributum nomen ἅμαξα, *plaustrum*; et hinc *Bootes*, qui deinde, Ursarum formis et nominibus subjectis, *Arctophylax* dici cœpit. Usus etiam tulit hoc, ut septem in altero horum *teriorum*, Ursa majore, stellæ clarissimæ *septentriones* appellarentur. 745. 746. Cur dierum spatia decrescant ac crescant per diversas anni vices.

747. 748 *Ingeminant plausu*, exquisitius dictum, quam *ingeminant plausum*. ductum ex eo, quod *ingeminare* absolute quoque dicitur. 748. *Noctem sermone trahebat* doctius quam alterum, *sermonem trahere in noctem*. *longum bibebat amorem*, imbibebat, quasi longo haustu. Metaphora per se frequens.

751. 752 Ornate pro: super Hectore, Memnone, Diomede, et Achille. Debuit autem in armis Memnonis aliquid memorabile esse, quemadmodum in cæteris quoque.

753 *A prima o.* excidium Trojæ a simulato inde Achivorum reditu equoque fabricato.

755 Annorum numerum vel ex ipso Æneæ vel ex Teucro scire potuit. Ceterum Homius c. XXII. Elem. Crit. reprehendit libri clausulam, cum ipsa πραγματεία nullum hic ad quod illa incidi potuerit monumentum suppeditet. Monitum hoc, ut plura a summo viro, subtilius quam verius. Cum Æneæ narratione novus plane rerum ordo exsurgit, adeoque memorabilem interquiescendi locum subjicit.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Didonis voluntati morem gerens Æneas, excidii Trojani seriem narrat; ea est hujusmodi: Græci decimo belli Trojani anno attritis jam viribus, virtutique diffidentes, ad dolum confugiunt: nocteque ea, quæ urbis incendium antecessit, fugam simulantes, circa Tenedum latitant, relicto in agro Trojano equo ligneo tantæ magnitudinis, ut portis urbis recipi non posset, ejus utero lectissimum quemque procerum includunt. Trojani partim fraude Sinonis impulsi, partim Laocoontis supplicio territi, diruta muri parte, equum in arce statuunt 1—249. Nocte intempesta Græci a Tenedo profecti, per eam muri ruinam, qua equus erat introductus, urbem invadunt. Sinon reserato equi utero armatos emittit: omnia ferro flammisque fœdantur—267. Æneas interim ab Hectore in somnis admonetur, ut sibi fuga consulat, deosque patrios incendio eripiat—297. Ille tamen, honestam mortem turpi fugæ præferens, frustra in arma ruit: satis feliciter primus impetus succedit Trojanis, donec Corœbi consilium secuti, sumtis Græcorum armis, suorum telis obruuntur—437. Interea Priami regia oppugnatur, Priamusque ipse a Pyrrho Achillis filio interficitur—558. Æneas itaque frustra tentatis omnibus, cum jam nihil spei reliquum esset, sacra Anchisæ patri committit, eoque in humeros suos sublato, assumtisque Ascanio filio Creusaque uxore, fugam arripit—728. Græci a tergo insequuntur. In eo tumultu Creusam uxorem amittit: cujus quærendæ causa per totam urbem oberranti obvia fit uxoris Umbra, virumque mortis suæ certiorem facit—794.: ipse ad socios reverditur; quo jam magnus virorum mulierumque numerus confluxerat, ejus auspicium, quocunque terrarum abducere vellet, sequi paratus.

CONTICUERE omnes, intentique ora tenebant;
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:

Hic et tertius liber Episodium de Trojæ excidio Æneæque erroribus complectuntur, quod præclare poëta intexuit, quippe cum Æneæ fatis inprimis conjunctum, et ad admirationem excitandam natura sua et magna rerum inter homines fama eximie aptum. Quod autem Æneæ narrantis partes tradidit, in eo illud commodi assequutus est poëta, ut tota narratio habeat majorem auctoritatem, magisque miserationem faciat, cum ab eo exponantur res, qui earum *pars magna* fuit ipse; Delectus porro rerum ita relictus erat poëtæ, ut proferre tantum ea liceret, quæ vel movent inprimis vel ornatum admittunt; Tandem ipse audientium consessus post sollennes epulas, et Didonis in Æneæ hærentis vultus, habet, quod legentis animum quodammodo afficiat. Noctem ipsam, jam provectam, habere quoque, quod mentem teneat, putabat Trappius. Est hic liber inter perfectissimas operis partes ipsius poëtæ judicio habitus; quippe quem cum quarto et sexto Augusto speciminis loco prælegerit.

1 *Intenti ora tenebant*, ornate, erant in-

Infandum, Regina, jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai; quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulixi,
Temperet a lacrimis! et jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojæ supremum audire laborem;
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit;
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi,
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Ædificant, sectaque intexunt abiete costas;
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim

tenti; habebant vultus et oculos intentos et conversos in Æneam. Mox v. 2. *altus* tantum ornat. Et erant tricliniares lecti magnificentiæ caussa alti; accedebant pulvini.

3 Cf. Odyss. ι, 12. sqq. et κ, 241. 242. sed in Virgilio omnia ornatiora; ut v. 4. ornate pro, ut *regnum Trojanum everterint Achivi*, *eruerint* et *Trojanas opes* dixit, et *regno* adjecit epitheton *lamentabile*, quod lamentabile exitium habuit.

6 sq. Reluctatur Æneas narrationemque principio deprecatur; nimium enim sibi animum iri commotum harum calamitatum recordatione, quas ne Achivi quidem, cladis auctores, sine lacrimis narraturi sint; noctem præterea extremam vix adhuc longam narrationem ferre—*quorum pars m. fui*, quarum calamitatum magna pars me ipsum attingit, ad me spectat. Nam præcedit *miserrima*. Alias is, qui princeps in rebus agendis est, erit pars rerum. *Myrmidones* et *Dolopes* ad Achillem et Neoptolemum ejus f. spectant. *durus* autem Ulysses, ut *sævus* III. 273. (melius h. l. quam, si *patiens*). *miles Ulixi*, h. e. Ithacensium aliquis.

8. 9 Nox descendit in Oceanum, quasi cursu per medium cœlum ab occidente ad orientem facto; inde et sidera *cadunt*, occidunt. cf. IV. 351. 352. *Suadent sidera cadentia* somnum elegantius, quam invitant ad somnum.

11 *Supremum laborem*, cladem, ipsum urbis excidium. Mox *refugit*, ad formam aoristi, exquisite, cum in re, quæ per plura momenta durat, etsi vulgari usu præsens frequentetur, præteritum tamen non minus locum habeat. Locum expressere alii, v. c. Seneca Agam. 416. sqq. E Cicer. Phil. XIV. expressum esse versum volebat Muret. Var. Lect. V. 3. Saltem similia sunt: *Refugit animus P. C. eaque formidat dicere, quæ*—.

13 *Fatis repulsi*: quoniam fatale erat, non nisi post novem annos Trojam capi. v. Iliad. β, 313. sqq.

15. 16 De Equo Trojano vid. Excurs. ad h. v. *Instar montis*, ad montis magnitudinem; breviter magnam imaginem rei animo objecit, statim ab initio. *Palladis arte*, ὑπὸ Θεμοσύνης.—τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ. Odyss. Θ, 493. *intexunt costas abiete sectâ*, h. e. trabibus abiegnis, tantum ad declarationem ulteriorem τῷ ædificant spectat. *intexunt* simpl. est *texunt*. *Texere* autem de trabibus junctis et in fabrica e ligno, inprimis navium, frequens est.

17 Sparserant famam, equum hunc Palladi esse positum, votis pro reditu susceptis. Hoc, ut poëta, extulit. Servius *votum* pro participio habet, id est, vovisse pro reditu. Ibidem: *Accius in Deipholo inscriptum dicit: Minervæ donum armipotenti Danai abeuntes dicant.* Quod hic ex voto equus dicatus dicitur, non repugnat iis, qui ad Palladem placandandam exstructum dicunt. In idem etiam consentit Virgil. infra v. 162. sq.

18—20 Ductores Danaum *sortiti*, sorti-

Includunt cæco lateri, penitusque cavernas
Ingentis uterumque armato milite conplent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis.
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.
Panduntur portæ; juvat ire, et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles;
Classibus hic locus; hic acie certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi; primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.

tione facta, *includunt huc cæco lateri*, h. e. in latus, h. e. corpus equi occultum, in quo occulti latere poterant, *delecta virorum corpora* exquisite pro, *viros delectos;* hoc idem declarative exornavit in iis quæ subjicit: *penitusque c.—conplent*. Ornate omnia pro, equo huic includunt delectos viros. Fuerunt autem Ulyssis præcipuæ ea in re partes. Odyss. Θ, 494. Ὅν ποτ' ἐ; ἀκρόπολιν, δόλον, ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς, *duxit, fecit, ut duceretur in arcem*. Tandem observasse non pœniteat, quam ornate poëta equum extulerit ejusque notionem quam mirifice variaverit; ut *cavernam, uterum, latebras, curvam compagibus alvum* et sic porro.

21—23 *Tenedos* insula, olim *Leucophrys*, agro Trojano prætenta XL stadiis a continente abest. *dives opum* propter incolarum divitias: nisi ad templum maxime Apollinis Sminthei respicit, quod in insula erat, Iliad. α, 38. Eodem, quod *notissimam (fama* poëtice ornat) vocat, pertinere puto. nunc tantum *sinus et st.*, h. e. ea vastities in insula facta, ut ea hoc uno nota sit, quod *naves* tempestate jactatæ in littorum recessu, quem *sinum* appellat, *stationem*, etsi *parum tutum*, habeant. Eodem mox spectat *desertum littus*, quo condunt se Achivi.

25—30 *Mycenas* exquisitius quam Græciam. *vento*, vento secundo. *omnis Teucria* sc. *gens* ait Serv., omnes utique Trojani. Malim de regione accipere. Sic *Dardania*, v. c. 282. pro ipsis Teucris. *solvit se luctu* exquisitius quam solvere, deponere, finire luctum. *solvere* autem de *luctu* dictum, quoniam dolor, tristitia, mœror, congelare, contrahere, adstringere, vincire, dicuntur. *Dorica castra*. Habet hoc a serioribus poëtis. Homerus Achæos, Argivos, vel Danaos memorat. *Dorum* nullæ fuere opes, nisi postquam cum Heraclidis in Peloponnesum descenderant LXXX annis post Trojam captam. Porro observa poëticum ornatum v. 27. 28. pro, *castra deserta et relicta*. Homerus etiam hoc addit, castris ab ipsis Achivis fuisse ignem subjectum, Od. Θ, 501. Sequitur id Quint. Cal. Tryphiod. et cæteri. 30. *classibus* h. e. navibus in terram subductis. *Dolopum* v. ad v. 7. Sequitur autem poëta eos quos Eustathius memorat Dolopes Myrmidonibus Achillis accensos credidisse. v. Iliad. ι, 480. et β, 684. 480. *tendebat*, tentorium habebat. militare verbum. Cæterum comparandus cum poëtæ verecundia notus Ovidii lusus Epist. I. 31. sqq. *Atque aliquis posita monstrat fera prælia mensa—Hac ibat Simois* etc.

31—34 In *stupet—miratur* male argutantur; est poëtis utrumque idem, et jungunt talia, modo ad varietatem orationis et copiam, modo ad ornatum vel vim addendam, eadem notione aliter atque aliter exposita. *innuptæ*, epitheton manifeste expressum ex Eurip.

At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisve urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.
Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce;
Et procul, O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error; Equo ne credite, Teucri.
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.
Sic fatus, validis, ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam conpagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.

Troad. 536. χάριν ἄζυγος (h. e. ἀγάμου, παρθένου), h. l. tantum ornat; ad rem nihil facit. *donum Minervæ*, h. l. quod oblatum Minervæ. sapientius autem Virgilius de equo consilia inire Trojanos facit, antequam in arcem deductus erat, quam apud Homerum deducto jam in arcem equo: Odyss. θ, 504. sqq., e quo loco pleraque hic expressa. *Thymœten* nominat ex auctoritate Euphorionis, quantum quidem ex Serv. ad h. l. constat: fuit is inter senes Iliad. γ, 146. recensitos. *arce locari*, puta in templo, tanquam manubias.

35—39 Ornate singula. Capys et quibus melius consilium placebat. *tentare* exquisite pro explorare equi cavitatem. *Volgus scinditur in studia contraria*, in diversas partes; additur ad ornatum, *incertum*. *Capys* videtur esse is, qui mox inter Æneæ comites fuit: sup. I. 183. X. 145.

40 De Laocoonte v. inf. 201. sqq. *primus ante omnis* quia sequitur, *magna c. caterva*, quam turbam ille decursantem *ardens* ira antevertebat. *Arx*, Πέργαμος ἄκρα. unde prospectus versus littus.

46 Ut sit pro turri rotis subjectis muro admoveri solita, ut demisso ponte escensus fiat in murum. 47. Ut, qui inclusi sunt, ex ea, tanquam ex turri, speculari urbem et desuper ex altiore loco in muros desilire possint. *error* mox pro fraude, exquisite.

49 H. e. habeo Danaos suspectos, etiam cum ultro offerunt dona.

50 *Validis viribus* pro magnis. Mox ornatissime iterum equum ligneum declarat. In *latus* et *alvus*, quæ in unum juncta, non est argutandum. Junguntur a poëtis synonyma sine omni subtilitate. Etiam Tryphiod. 61. Ποίει δ' εὐρυτάτης μὲν ἐπὶ πλευρῆς ἀραρυῖαν Γαστέρα. Infra v. 231. *tergum* ponitur. In partium ac formarum generumque designatione summam libertatem orationis poëticæ indoles ac ratio fert. *ferum* exquisite dixit pro equo. *alvus curva conpagibus* h. e. ex compage lignorum curvorum. *stetit tremens*, pro contremuit. *utero recusso*, repercusso. *cavernæ* doctius quam caverna h. e. equus cavus, κοῖλον δόρυ. Odyss. θ, 507. *gemitus* pro sonitu resultante.

54 sq. *Et—Inpulerat*, Et sane impulisset Trojanos, effecisset, ut equi latera refringerent, puta securi impacta etc. et interiora

Et, si fata deum, si mens non læva fuisset,
Inpulerat, ferro Argolicas fœdare latebras;
Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque inludere capto.
Adcipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnis.
Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Adcipere? aut quid jam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus; et super ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, conpressus et omnis
Inpetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; memoret, quæ sit fiducia capto.

aperirent. Enimvero, *ecce manus juvenem* etc. *si fata deum non fuissent* h. e. si non fatale fuisset (Αἶσα γὰρ ἦν etc. Odyss. Θ, 511.) *mens læva*, stultitia Trojanorum v. Ecl. I. 16. Forte tamen melius junxeris; *mens non læva* h. e. sana, si fatum et mens sana fuisset. *si fata fuissent* inf. v. 433. cf. III. 16. *Argolicas latebras*, equus quo latebant Argivi. *fœdare*, exquisite pro lacerare, ut aliis in locis de vulnere, aut mutilato corpore, ut αἰσχύνειν, λωβᾶσθαι, sed et simpl. pro vulnerare: v. inf. III. 241. et ibi not. VII. 575.; unde et cum ea voce jungitur: II. 286. h. l. diffringere et dissolvere machinæ compagem.

58 Eum *trahebant*, cum festinatione adducebant, ut VI. 753. *Conventus trahit in medios.*

59—62 Qui se iis ultro obtulerat. Reliqua amplificandi et ornandi studio adjecta. *hoc ipsum ut strueret*, sc. ut adduceretur ad regem. *struere* voc. insidiarum et doli. *fidens animi* exquisitius quam, *animo*; et hoc pro prosaico: animo fidenti; vel fidens, confidens, *versare dolos*, ut consilia, curas, h. e. agitare, h. l. cum adjuncta notione, efficere, ad exitum perducere.

63. 64 Ornatius quam Quintus Cal. XII. 356. ἄλλοθεν ἄλλοι Μέσσον ἐκυκλώσαντο περιςαδόν. *circumfusa ruit*, ornate, pro circumfunditur. *certant inludere capto*, h. e. certatim illudunt, contumeliis afficiunt, αἰκίζουσι.

65 *Ab uno crimine Disce omnis*, exquisite pro vulgari, ex unius scelere, et h. l. quidem fraude, ex uno exemplo, cognosce, quales, quam perfidi, omnes Danai sint. Ita simpliciter accipio.

69 Quorsum confugiam?

71. 72 Et quem, tamquam hostem, insuper ipsi Trojani extremis afficient suppliciis. *pœnas cum sanguine*, h. e. vita ipsa, *poscunt*.

73 *Conversi* h. l. mutati. 75. *quæ sit fiducia capto* pro *ei*; num habeat, quod ad veniam impetrandam afferre possit. Similis

(Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur.)
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque fatebor
Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris
Belidæ nomen Palamedis, et incluta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent;
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis: et nos aliquod nomenque decusque

oratio inf. III. 608. sq. Ex v. 59. 60. 61. sensum infert Burm., qua fiducia se ipse captivitati obtulisset. At *fidens* animi ibi alium sensum habet.

77 Hæc Sinonis oratio eximio artificio est composita, quod facile in singulis declarabit interpres, vel unusquisque sibi lector. A veris incipit dicere et in falsa desinit, ut bene Serv. Nota enim erant et confessa, quæ de Palamede et Ulyssis odiis narrat; verum, etiam Calchantis responsum; sed a Tragicis fere ad Polyxenæ sacrificium in Achillis tumulo tractum. Præterea, ut animi audientium tanto magis capiantur, etiam miserationem movet; inprimis v. 137. sqq., quos sine motu animi vix perlegas. Videtur hæc oratio, nisi ex tragœdia est ducta, tota Virgilio deberi. Certe in iis, quos habemus, Quinto Calabro et Tryphiodoro, qui exscripsere veteres, Quintus quidem propius ad nostrum, a Sinone ea, quæ in fraudem finxerat, simpliciter exponuntur. *Cuncta fatebor vera*, vere, *fuerit quodcumque* h. e. quicquid evenerit, mihique exinde acciderit. Bene Serv. *i. e. quicunque me sequatur eventus.*

79 *Hoc primum* sc. verum fatebor. Sic junge. Reliqua ex Accio in Telepho sumta Macrobio teste Sat. VI. 1. *Nam si a me regnum Fortuna atque opes Eripere quivit, at virtutem non quiit.*

81—85 *Fando* h. e. narrando, aliorum narratione. Formula exordii etiam apud alios obvia. *gloria incluta* adjecto *fama* ornatum est. *Pelasgi* h. l. Achivi, seriorum Græcorum more. Nam Homerus nunquam ita: agnoscit ille tantum Pelasgos in Thessalia Larissam incolentes Iliad. β, 840.: porro Pelasgos inter Trojanorum socios cum Lelegibus, Cauconibus et aliis: Iliad. ε, 429. *bella vetabat*, dissuadebat bellum et oppugnationem *Trojæ*. *demittere neci*, exquisite, ad similitudinem alterius formæ: *demittere Orco*, *umbris*, h. e. ad loca infera, ex Homerico: ψυχὰς Ἄϊδι προϊάψειν, ubi v. Clark. *falsa sub pr.* h. e. sub falso crimine proditionis, ut bene Serv. nam litteras ejus ad Priamum datas, sed a se fictas, protulerat Ulysses. *cassum lumine*, privatum vita, antique et docte. *Palamedes* hic Nauplii f. *Belides* h. l., quoniam ejus avia Amymone, Danai filia, Beli neptis. Quæ ad h. l. illustrandum faciant, possunt fere ex Ovid. Met. XIII. 56—60. peti; nisi quod ibi alia odii causa.

86 Ita plures apud Homerum comites dati heroibus. Sic Achilli Phœnix, Ajaci Telamonio Teucer. Versus 87. eximii artificii. cf. inf. III. 614. sq. et copiosiorem locum Ovidii Met. III. 583—596. *misit in arma*, h. e. ad bellum. Quod *pater pauper* est, ad amplificationem Homericæ similem pertinet; uti aliis in locis, quod *pater dives* est; nec in eo argutandum. *primis ab annis*, ab initio belli.

88. 89 *Dum stabat regno incolumis* Palamedes. Durior oratio: dum erat ipse incolumis, *regno*, per regnum, h. e. potestatem seu auctoritatem, quam habebat; aut *dum regnum ejus stabat, erat, incolume*, ut *regnum* sit auctoritas, qua quis *regnare* dicitur, hoc est, potens esse, opibus valere: nam, ut regnum sit dignitas regia, multo durius fieret. Esto ergo: quamdiu ille erat incolumi inter

Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens; et me, fors si qua tulisset,
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem; et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In volgum ambiguas, et quærere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro—
Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror? si omnis uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; jamdudum sumite pœnas.
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari et quærere caussas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgæ.

cæteros Achivorum principes auctoritate, unde ille quoque *vigebat*, valebat, *in conciliis regum;* etiam ego propter P. cognationem in aliqua dignatione fui habitus. *stare* dicuntur, qui florent rebus prosperis, auctoritate, opibus; ut notum. Summa autem Palamedis erat sapientiæ ac consilii in principum consessibus auctoritas; quippe σοφώτατος ἀνδρῶν, et multarum rerum, etiam litterarum, inventis clarissimus. etiam nos *aliquod nomen* ac *decus*, h. e. honorem, *gessimus*, habuimus.

90—93 *Pellax* Ulysses exquisitius quam fallax, qui in fraudem pellicit. Est Homer. πολύμητις. ποικιλομήτης. *superis ab oris*, e vita, ad loca infera. sup. 85. *Demisere neci*. v. 92. 93. pulchri versus. *in tenebris*, inclusus domi, vitatis hominum conventibus.

96 *Promisi ultorem*, minatus sum: ut alibi quoque. *verbis odia aspera movi* exquisite pro, Ulyssis odium exasperavi, exacerbavi.

97—99 *Prima mali labes* elegantius quam origo vel caussa. κακῶ δ' ἄρα οἱ πόλεν ἀρχή Iliad. λ, 603: sive ut labes serpentis ulceris vel morbi primam maculam et notam denotet, sive ut primam compagis solutionem, antequam ruina fit. Explicat Justinus (XVII. 1.): *Hæc* prima mali labes, *hoc* initium impendentis ruinæ *fuit*. *Criminibus terrere novis*, eleganter pro crimina nova proferre, eum criminationibus exagitare. *et quærere conscius arma*. *Arma* esse possunt consilia, quæ agitabat Ulysses ad depellendum imminens sibi a Sinone periculum, sic *conscius* sc. periculi inminentis; possunt etiam esse fraudes et insidiæ, quas in Sinonem parabat, *conscius*, tacite intra se; aut *conscius* est cum aliis, communicato scilicet cum aliis consilio. Hoc verum videtur, cum statim Calchantem consiliorum socium assumsisse dicatur. *Neque* sane (δὴ, *enim*) *requievit* etc. *Arma* autem dicta de consiliis et insidiis, fere ut *machinæ*, μηχανήματα, μηχαναί, τεύχεα. Mox reticere Sinonem summa cum arte, tum, quum maximam expectationem excitasset, facile quisque sentit.

102—104 *Uno ordine*, pro vulgari, *uno loco*. Servius *uno reatu*, et a caussarum classibus vel ordinibus explicationem nimis docte petit. *idque audire sat est*. Varie et hoc exponitur et exponi potest. Placet, *audire id*, esse me unum ex Achivis; et ad primam enuntiationis partem refero: *si sat est*. Mox *jamdudum* ita positum, ut possit per *quam primum* exponi, ut sæpe. Vulgo diceremus: jamdudum sumere debebatis p. Versus 104. illustratur ex Iliad. α, 255. Ἦ κεν γαθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαρόατο θυμῷ, Εἰ—*Ithacus* pro Ithacius Ulysses, ut *Itala gens* et similia. Alias Ἰθακήσιος, *Ithacensis*. *mercentur* elegantius quam magno emant.

Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! sæpe illos aspera ponti
Interclusit hiems, et terruit Auster euntis.
Præcipue, quum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, isque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos et virgine cæsa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica. Volgi quæ vox ut venit ad auris:
Obstupuere animis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quæ sint ea numina divom,
Flagitat. Et mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat

107 *Ficto pectore*, ad fraudem composito animo, h. e. subdole et fraudulenter. Mox 108. 9. *moliri fugam* grave vocabulum pro parare, v. sup. I. 404.; et *fessi longo bello* eleganter adjectum τῷ *discedere*.

111—113 *Terruit euntis*, ire volentes, deterruit, vel quo minus irent, navigarent, ut Græci etiam poëtæ. Mox *trabes acernæ*, supra v. 16. ex *abiete*. *contextus* (v. sup. v. 16.). *staret*, esset; ut mox *sonuerunt nimbi*, orti sunt turbines. Omnia ad ornatiorem orationem spectant.

114—119 *Suspensi*, solliciti, dubii, quid facerent. *Eurypyli* plures; celeberrimus Telephi f., qui Trojanis auxilio venit et poëtis cyclicis atque etiam tragicis argumentum nobile suppeditaverat. At h. l. intelligendus is, qui fere apud Homerum occurrit, Euæmonis filius, ex Ormenio Thessaliæ copias ducens. v. Iliad. β, 734. sqq. *virgine*: expetita victima Iphigenia, substituta tamen mox cerva. Sed, cum hæc fabula post Homerum demum adscita et varie olim tractata fuerit, videntur etiam fuisse, qui Agamemnonis filiam vere immolatam traderent. Quod et Lucret. I. 85. sequitur: *Aulide quo pacto Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine fœde* etc. cum *venistis*, venire volebatis. *animaque litandum Argolica*, verba cum dilectu, ex religionum formula.

121 *Cui fata parent*, h. e. metuentium, cui hoc fatis, h. e. oraculo, destinatum sit, ut mactetur pro victima. Ut *parent* sc. mortem, suppleas, fieri non potest; nam *mortem* omitti non potuisset. Dictum uti: *quid fata parent*, et, *in quem*. Mox *poscere* proprium de fatis, oraculis, deorumque voluntate.

123 *Quæ sint ea numina divom*, quod numen, h. e. quæ voluntas Phœbi et sententia oraculi sit. Recte Servius *numina divom* pro oraculis posuit, id est, ut ambiguitatem oraculi interpretetur; et quærit modo, non quid dicant, nam planum; sed, quis debeat immolari. Nolim Burmannum sequi, qui malebat: quænam sint tam crudelia numina, quæ iterum sanguinem poscant. Nam hæc esset et otiosa quæstio, et responsio parum consentanea, v. 129. et 127.

124 *Multi canebant*, vaticinabantur, divinabant, ut *videbant*, providebant; *taciti*, apud se, secum; aut etiam secreto inter se.

126 *Tectus*, ornate additum, est dissimu-

Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Conposito rumpit vocem, et me destinat aræ.
Adsensere omnes; et, quæ sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi;
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela, darent si forte, dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulcis natos exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos, et conscia numina veri,
Per, si qua est, quæ restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum; miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios;

laus, ut sæpe etiam apud Ciceronem; scilicet tamquam qui rem horrendam et in aliorum exitium vertentem eloqui detrectaret. mox *prodere* cum dilectu pro edere, nominare.

129 *Vocem rumpit*, ut ῥήσσει, emittit. Sic sæpe Græci et Latini, v. Burm. et Cerda, qui et illustrant τὸ *destinare*, voc. proprium de damnatis. exquisite etiam *composito* pro *ex* vel *de composito*. Cæterum Calchantis tergiversationem adumbrasse videtur ex Iliad. α, 69. sqq.

131 *Conversa tulere*; exquisite pro *converterunt*. 133. *Salsæ fruges*, mola salsa, h. e. far tostum contusum sale adsperso. Σποδιάς τ' ὐλοχύτας τι μάλ' ἰσουμένους ὑπαλύξας Quintus Cal. XII. 375.

134 sq. *Vincula* non sunt vittæ, sed, quibus ligatus servabatur, et ad aram adducebatur, etsi jam vittatus. v. infra 156. Ante aram vero soluta stabat hostia.

137 Sequentia egregie ad miserationem ficta. In quibus respexisse videri potest Iliad. ε, 408. 409. *patriam antiquam*, pristinam. nihil amplius. Omnibus colonis, exsulibus, transfugis prior patria est *antiqua patria*. *Ob nostra effugia*, plenius quam exile: ob fugam meam—*piabunt*, h. e. expiabunt, pro punient, ulciscentur, exquisite.

141 *Quod*, qua in re, ut sæpe transitui servit. propter quod te oro. Est ex Gr. ὃ pro καθ' ὅ, διὰ τοῦτο ὅ. *conscia numina veri*, inspectores ac testes me vera narrare. Mox 143. *fides*, *quam* hic inclamat, est justi rectique observantia, h. l. juris divini et humanitatis.

145 *His lacrimis*, propter has lacrimas. quod vulgare esset, ipsi cum lacrimis narranti. *ultro* est libenter, facili promtoque animo. Mox *levari* est laxari proprie, sed tum poëtis omnino de demtis vinculis. Sic et χαλᾶν.

148 *Hinc*, porro, in posterum, *amissos Graios*, quorum contubernio nunc privatus est, dixit ut liberos, amicos, *amissos*, quibus privati sumus, exquisite.

Noster eris; mihique hæc edissere vera roganti.
Quo molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?
Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait; vos aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque deum, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem; si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaum, et cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Inpius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulixes,
Fatale adgressi sacrato avellere templo

149 Iliad. x, 384. et aliis locis: Ἀλλ' ἄγε μοὶ τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον.

151 An fuit aliqua religio, qua permoti equum statuerunt? Quid in equo fabricando spectarunt? num religionis caussa, ut deo alicui consecrarent, an ut machina bellica esset, fabricati sunt? Mox v. 152. *dolis instructus* Homericum κακοῖσι δόλοισι κεκασμένος, καρπαλίμοισιν Iliad. δ, 339.

154 *Æterni ignes* vix alii esse possunt quam sol, luna, et sidera; nam paullo ante: *Sustulit ad sidera palmas.* Iis æternitatem, numen, et locum in jurejurando tribui, jam satis notum, et docuit Burm. ad h. l. Etiam *non violabile* bene ad perjurii ultionem retulit; per quos nemo impune pejerat. De Penatibus aut Vestæ igne, qui Trojanorum esse deberet, vix Sinon loqui sine aliqua affectatione potuit, inprimis cum *aræ ensesque, quos fugit*, sequantur, qui cum istis nihil commune habebant. *Enses*, μάχαιρα, σφαγίς, invidiose pro singulari.

157 *Sacrata Graiorum jura* sunt, nostro judicio, civitatis jus, saltem jus commune popularium, quod *resolvere* se dicit, ut patriis legibus solutus in civitatem Trojanam transeat, amplius jam Græcus non sit, sed unus e Trojanis. itaque subjicit: *patriæ teneor nec legibus ullis.* In hunc fere sensum, ut a sua quasi patria tamquam familia se abdicet. Burmannus multo etiam argutius de conscripto sacra lege exercitu, quia jurabant se non redituros domum nisi victores. Sed *sacrata jura* simpl. pro *jus sacrum*; *resolvit* jus, qui eo se liberat; quale illud sit, declarat v. 159. Mox 158. debebat sequi: Fas mihi sit ex justo odio in eos omnia arcana (hæc sunt, *si qua tegunt*) proferre. In inversione agnosces poëtam.

160 *Servata* egregie adjectum, ut, quod *revelaturus sit*, ad Trojanorum salutem pertinere videatur. *si v. feram*, pro vulgari, dicam.

162 Fabulam instruxit Sinon hunc fere in modum: Equum esse donarium Minervæ destinatum ad deam placandam, quod Palladium ex ejus templo fuerat subreptum. Iram deæ fuisse declaratam prodigiis 171—175. Omni jam Trojæ capiendæ spe sublata, Calchantem monuisse ut domum redirent, novisque captis auspiciis Palladium Trojam reveherent novamque profectionem instituerent 182. Interea dea videri debuit donario Equi sibi dicato acquiescere. *Fiducia* est eadem quæ spes certa; *belli* docte adjectum, de belli exitu, ut et *stetit* pro vulgari, *posita fuit in.*

164 Diomedes h. l. *inpius* propter Palladium ablatum.

165—168 Gravissime singula—etiam quod

Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Conripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractæ vires, aversa deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscæ
Luminibus flammæ adrectis, salsusque per artus
Sudor iit; terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas;
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis;
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Inprovisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio, moniti, pro numine læso
Effigiem statuere; nefas quæ triste piaret.

vittas virgineas deæ memorat; nam est nihil aliud quam deam virginem (supra *innuptam*) attingere, contrectare, manibus impuris. *Vittæ* h. l. esse debent in capite Minervæ; adeoque fuit sine casside: nam, ne vittas signo vel aræ injectas intelligas, vetat epitheton *virgineas*, quod ad ipsam deam spectat.

169. 170 Ornate, ut jam Georg. I. 200. Ex illo tempore spes bona Achivorum evanuit. *fluere*, diffluere, dilabi. *retro sublapsa referri* pro prosaico, retro ferri, labi, de mole, quæ in altum erat evecta.

170—175. Unde *Tritonia* Pallas dicta sit, jam veteres ignorarunt. E pluribus, quæ memorantur, caussis maxime probabilis est, quod a τριτὼ, quod Æolibus caput est, sit appellata Τριτογένεια, capite Jovis nata. Alii modo ab amne, modo a palude seu Libyæ, seu Bœotiæ, seu Thessaliæ, seu Argolidis ductum nomen esse volunt. *monstra* h. l. ostenta—*arsere coruscæ Luminibus flammæ adrectis*, ornate, oculi Palladii exarsere ira; *lumina arrecta* exquisitius quam erecta; ut semper poëta, v. c. v. 206. *erigere oculos, vultus*, ut contra, *demittere, dejicere*. porro Palladium sudavit, subsiliit clipeo hastaque mota; quibus ipsis ejus habitus a poëta declaratur.

176—179 *Tentanda fuga æquora*, ornate, pro revertendum esse. *Omina ni repetant Argis* ductum videtur, ut Servius et Pomponius jam notarunt, ab imperatoribus Romanis, qui ad auspicia repetenda ac renovanda Romam nonnunquam ex castris reverti solebant, si v. c. malum omen inciderat. Itaque similiter statuit, esse Achivis Græciam repetendam, auspicia ibi instauranda, et cum ipso Palladio avecto, ut restituatur in sedem suam, revertendum.

180. 181 Et nunc quod in Græciam redierunt, hoc eo pertinet, eo consilio factum est, ut parent—sed poëta exquisite medium orationis membrum neglexit. *arma parant*, h. e. opes et copias bellicas instaurant, *deos parant comites* factis sacris placatos.

182 *Ita digerit omina C.*, h. e. Ita *omina*, monstra v. 171. h. e. ostenta, simulque eorum procurandorum rationem, *digerit*, ordinat, interpretatur Calchas.

183 Interea *moniti*, Calchantis monitu, Palladii vice, quo rapto deæ sibi iram conflavere, ad sacrilegium expiandum, *hanc effigiem*, hoc equi signum, statuerunt. At Sinon rem hunc in modum interpretatur: Achivos ait hanc fraudem machinatos esse,

Hanc tamen inmensam Calchas adtollere molem
Roboribus textis, cœloque educere, jussit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit;
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem;
Ultro Asiam magno Pelopea ad mœnia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis perjurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miseris multoque tremendum
Objicitur magis, atque inprovida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,

ut Trojani vicissim ad sacrilegium committendum pellicerentur, donario Minervæ violato: quo facto ira deæ ab Achivis in Trojanos verteretur.

185—188 Quam ornate, si singula expendas! Ne tamen votivus hic equus in urbem inferri, et pro numine tutelari statui possit, ad tantam magnitudiuem Equum fieri (ad tam ingentem molem, trabibus contextum, extollere et tantam, ut ad cœlum pertingere videatur) jussit Calchas. Etiam in membrorum ordine et collocatione poëtam agnoscis. *antiqua religione*, h. e. ea, qua surreptum Palladium antea coluerant; ne nunc pro Palladio Equus haberetur, quo cultu demerita et propitia reddita Pallas eandem, ut ante, tutelam colenti populo præstaret.

192—194 Sin a vobis in urbem inductus esset equus, Trojanos, conversis fatis, Argos esse bello petituros et excisuros.

195—198 Egregium epiphonema, inclusam sententia aliqua inprimisque ad miserationem aptum. *Achilles Larissæus* simpl. Thessalus; alias non satis accurate; nam Larissa tum Achilli non parebat, sed Lætho; et a Pelasgis habitabatur. v. Iliad. β, 840. sqq. *mille carinæ* numero paullo crassius expresso, ut solent poëtæ. v. Popium ad Iliad. β.

199 Sequitur locus de *Laocoonte*, in quo animadvertendum, quam accommodate poëta omnia ad terrorem extulerit, quem ostentum hoc injicere Trojanorum animis debebat. Vide v. 288. sqq.

199 Homericum locum Iliad. β, 305. sqq. quo Nestor ostentum Achivis Aulide occlusis objectum memorat, Virgilio ante oculos fuisse, conjectura est ingeniosi viri, *Herderi*. Res ipsæ inter se satis dispares esse videntur; formulæ tamen, qua orditur uterque narrationem, est aliqua similitudo. *objicitur* eleganter, ut de ostentis et rebus miris vel inopinatis, pro, *evenit*. *inprovida pectora*, h. e. Trojanos, qui tale quid non præviderant. Repentinum et inopinatum prodigium, quod adeo tanto magis animos turbat ac percellit.

201. 202 *Ductus sorte*. Sive ex historiis hoc habuit, interemto enim Neptuni sacerdote, ex aliis, ut mos erat, sacerdotibus Laocoon, qui Apollinis Thymbræi erat, sorte obtingente, Neptuni sacra curabat, cf. Serv. ex Euphorione; sive unum sacerdotii adipiscendi modum e pluribus posuit, ut poëta. Quod autem in his adjunctis paullo copiosior est, in eo artem poëtæ agnosce; facit enim expectationem. *aras sollemnis* dixit docte, ad quas sollenne sacrificium parabatur; ut *sollennis circus*, in quo sollennes ludi habentur, Ovid. V. Fast 697.: *sollennia theatra*, I. Art. 133. *campus solennis* Claudian. de VI. Cons. Hon. 5. Cæterum, quod in primo statim lætitiæ publicæ tumultu de sacro, Neptuno faciendo, cogitatur, mirum

Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) inmensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus adrecta jubæque
Sanguineæ exsuperant undas; pars cetera pontum
Pone legit, sinuantque inmensa volumine terga.
Fit sonitus, spumante salo: jamque arva tenebant,
Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt. Et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Inplicat, et miseros morsu depascitur artus;
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Conripiunt, spirisque ligant ingentibus; et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.

videri potest. Videtur hoc Servio obversatum: *mactabat*, inquit, *scilicet, ut Græcis mala naufragio provenirent*. Potest tamen simplicior ratio reddi, ut soluta obsidione inter cæteros deos Neptuno sacra parata sint χαριστήρια, et quidem in ipso littore, ut et ap. Hygin. 135. *ut sacrum faceret Neptuno ad litus*; et sic alibi ap. Homer. Neptuno sacra fiunt.

203—209 Ornatissimus locus, *incumbunt pelago*, præclare pro innatant, sed cum significatione magnitudinis. *jubæ sanguineæ*, φόνιαι, hydrorum, nam hoc genus intelligendum, fulvæ barbæ seu comæ. Ap. Homer. Il. β, 308. δράκων δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινός. *exsuperant undas*, eminent supra mare. *legit pontum* egregie de vestigiis incessus lenis vel tractus in superficie. *sinuantque i. v. terga*, h. e. pars posterior serpentum sinuat se in immensum volumen, spiram.

209—211 Etiam hæc valde ornata. *arva* pro littore. *suffecti*, h. e. habentes oculos suffusos sanguine, rubentes. Omnino erant ii oculis fulgore rubenti infectis, tinctis. *ora sibila*, ut Ge. III. 421. *colla sibila, συρίζοντα. Lingua vibrans* et *lambens*, λιχμῶσα, in præcipuis est ornamentis poëticis, quoties de serpentibus agitur: De hoc ipso serpente, de quo noster loquitur, sed minus ornate, Quintus XII. 448. ἐπισμαράγησε δὲ πόντος Νισσομένων, καὶ κῦμα διίζατο· τοὶ δ' ἐφέροντο, Αἶψα λιχμώοντες. Cæterum similia de ingentium draconum allapsu plura sunt poëtarum loca, ut de draconibus ab Hercule puero et a Cadmo interemtis, comparanda illa quidem non sine fructu, si otio abundes, ita tamen, ut judicium in cognoscendo rerum dilectu, varietate narrationis et suavitate, acuas, non, ut inanem lectionis copiam ostentes jejunamque inde verborum rerumque similium copiam memoria comprehendas.

212 *Agmine certo*, exquisita Latinitate, pro uterque simul destinato in eum lapsu.

215 *Inplicat*, circumdat spiris seu nodis ac voluminibus. *morsu depascitur*, ἐπινέμεται, ornate pro, admordet, devorat (sic poëtæ, *morsu lacerare, consumere*); nec aliter intelligendus Lycophronis παιδοβρὼς Πέρσης. *tela ferentem*, cum telo in manu approperantem. *bis circumdati collo squamea terga*, cum uterque serpens corpus et collum ejus, h. e. omnino superiorem corporis partem, tractibus inferioris corporis sui bis circumdedissent, super ejus caput eminent, emicant suis capitibus. *bis* ita proprie accipio. At si *collo* proprie dictum habeas, quod *bis* ab utroque serpente circumdari vix potuit, *bis* esset, binis spiris, seu binorum serpentum spira.

Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Qualis mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sævæque petunt Tritonidis arcem;
Sub pedibusque deæ clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor; et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis.
Adcingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,

220—224 Pro serpentibus docte *nodos* ponit; et egregie ad miserationem facit v. 221. quod *vittas*, infulas sacerdotis, narrat. *Clamores:* super his v. Excurs. ad h. v.; sunt autem præclare comparati ad terrorem animis injiciendum. *incertam securim* non satis certo et valido ictu depressam. Sapienter autem bove non quacunque, sed, ut dignitatem res haberet, bove victima in compassione usus est; quod jam in sacro Neptuni Heliconii fecerat Homerus loco, quem ante oculos habuit, Iliad. *v*, 403—405.

225 *Lapsu effugiunt* ornate pro labuntur, serpunt; ne *lapsu* nude stare putes. *delubra ad summa*, Minervæ templum in arce summa. Minerva h. l. *sæva*, irata Trojanis. At Palladium ex arce abreptum supra vidimus, v. 164.: unde ergo h. l. Palladis signum? dicendum scilicet, fuisse aliud ac diversum ab illo arcanæ religionis Palladio. *sub pedibus* h. e. inter pedes, et post clipeum. Egregie hoc a poëta adumbratum ex eo, quod Palladis signa (ξόανα) interdum draconem pedibus adporrectum habent: ut in ipso illo præstantissimo Phidiæ signo in arce Athenarum. Illud tamen satis portentosum, quod a mari per campum Trojanum ad urbem et arcem hydri se volvendo pervenerunt. Modestius quod Il. *v*, 147. bellua marina (τὸ κῆτος) persequitur Herculem a littore in planitiem ἀπ' ἠϊόνος πεδίονδε.

228—232 *Scelus expendisse*, exquisite, pœnas meritas pro scelere, sacrilegio, in equum, Minervæ donum, commisso. *tergum*, v. sup. ad v. 50. ubi *latus* et *alvum* dixerat. At variavit ut poëta; et patet *tergum* latius. *ad sedes*, deæ, h. e. templum, quod in arce erat. *simulacrum*. Homericum μεγ' ἄγαλμα θεῶν θελήτερον Odyss. Θ, 509. *orandaque divæ Numina*, numen ejus exorandum, placandum.

234—237 *Dividimus muros*, exquisite pro dissolvere et dirumpere, ut aditus fiat, aut ut h. l. latius pateat; nam de porta Scæa agitur, a qua non longe stabat equus; ἐν πύλαις, ut Eurip. Troad. 521. *mœnia* h. l. proprio significatu, ut ædificia intra muros sint. *rotarum lapsus* egregie pro simplici, *rotas*, quæ *labentes* dicuntur poëtis, quando volvuntur—sic et *intendunt* exquisitius, quam illigant, innectunt. cf. IV. 506. In *collo* nolim argutari: cum fune ex eo nexo trahi equus vix commode posset. Intellige simpl. funem ex anteriore parte aptum. Cæterum poëtam ad thensas Romanorum suorum sacramque pompam respexisse non improbabile est.

237—240 *Scandit muros*, h. e. transcen-

Feta armis. Pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans inlabitur urbi.
O patria, o divum domus Ilium, et incluta bello
Mœnia Dardanidum! quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen inmemores cæcique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei jussu non unquam credita Teucris.
Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cœlum, et ruit oceano Nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia Teucri
Conticuere; sopor fessos conplectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat

dit, major imago quam si portam *intrat*, quæ, murorum impositorum et attingentium parte dejecta, erat latior facta, conf. inf. VI. 514. 515. et *machina fatalis*, exitium fatale Trojanis afferens, et *Feta armis*, plena armatis viris: ut jam ἐγκύμον' ἵππον τευχέων ap. Euripidem Troad. 11. h. e. ἔνοπλος, ut ibid. v. 520: supra 20. *uterum* dixerat. *gravis* inf. VI. 515. *et armatum peditem gravis attulit alvo.* Locus autem ex Ennianis expressus apud Macrob. VI. 2. *nam maximo Saltu superavit gravidus armateis equus— Qui suo partu ardua perdat Pergama. Sacra canunt* h. e. hymnos, ut bene Serv.; scilicet quemadmodum alias apud poëtas, *canere dulce, ferale. mediæ urbi*, omnia media dicuntur post initia, adeoque tota urbs intra muros; etsi utique per mediam urbem ad arcem ductus est equus, ut Palladis in templo collocaretur. *minans* simpl. ad altitudinem ref. Nam, quæ altitudine sua super cætera eminent, minari iis dicuntur. cf. Æn. IV. 88. et Serv. Melius autem jungitur *inlabitur urbi mediæ, minans;* quam *minans mediæ urbi*, quod tenuius.

241—243 *divum domus*, incertum esse potest, quo sensu dixerit poëta. Proprie tamen urbs ita appellari debet propter augusta templa et religiones; et ex persona pii Æneæ hæc acceptio est convenientissima. Cæterum v. 241. totus Enneanus esse fertur apud Servium. Scilicet in verbis *O pater, O patria, O Priami domus.*

244 *Instamus tamen.* Quintus Cal. XII. 419. οἱ δ' ἅμα πάντες Εἶλκον ἐπιβρίσαντες, etc. *inmemores* h. l. improvidi, incogitantes, quippe quos monuerant dii tali omine, nec tamen Trojani eorum monitum intellexere. *monstrum infelix* præclare de Equo portentosæ magnitudinis, qui exitium urbi erat allaturus. Sic Ciceroni *fatale prodigium portentumque* pro pernicioso homine.

246 De Cassandra vate, cui ne nunc quidem creditum et fides habita, copiosius Quintus Cal. XII. 516. sqq. *dei jussu*, Apollinis, cujus amores illa eluserat. res nota. *tunc etiam* int. pro *etiam tunc.* alias languet.

248. 249 *Velare* proprium hac in re, suspensis super templorum postibus coronis ac sertis, etiam frondibus, infulisque. Traduxit aliis locis poëta ad quodcunque coronandi genus, etiam victimarum vel sacerdotum, supplicum quoque, sola corona vel infula ac vitta.

250—253. *Vertitur cœlum.* Circumacto cœlo (ad oculorum fraudem judicio facto quasi hoc singulis noctibus fiat). *ruit* exquisite pro venit, surgit. *umbra magna*, v. ad Georg. II. 338. *M. dolos*, quam ingeniose adjectum et vere tamen! *per mœnia*

A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ,
Litora nota petens: flammas quum regia puppis
Extulerat; fatisque deum defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus; lætique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulixes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam;
Cæduntur vigiles, portisque patentibus omnis
Adcipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono divum gratissima serpit.
In somnis, ecce, ante oculos mæstissimus Hector

nunc est per urbem dispersi. *sopor f. c. artus.* Non moratur poëta in comissationibus Trojanorum, quas adtingit tantum v. 265.

254. 255 *Phalanx* docte pro classe. *tacitæ per amica silentia Lunæ* ornate pro noctu. *Silentia noctis* sæpe apud poëtas; eadem *tacita, silens, taciturna.* Nunc Virgilius *silentia* ad *Lunam* transtulit; quod magis etiam poëticum; cumque *silentia Lunæ* per se dici recte possint pro *nocte*, sive Luna fulgeat sive lateat; poëta tamen versu 340. *oblati per Lunam*, satis declarasse videtur, se *lunam* cum ratione posuisse, adoptata eorum opinione, qui Trojam plenilunio excisam tradiderant. Sunt sane etiam *silentia maris et ventorum*, et possunt illa cum silentio noctis conjuncta esse; de his tamen poëta nunc nihil memoravit. *amica s.* h. e. grata et faventia insidiis Achivorum.

256. 257 Fax sublata, signum profectionis, e navi prætoria; nunc reditus versus littus Trojanum. *fatisque d. d. i.: fata deum* ex more. Nam modo fatis ipsi dii tenentur; modo deorum imprimis Jovis voluntate constituuntur, et pro *diis iniquis* fata iniqua dixit, sc. Trojanis infesta. *defensus*, servatus Sinon a Trojanis. 258. *Danaos et claustra* (in latere fores) *laxat*, solito more, uno verbo duobus nominibus adcommodato, proprie diversis; aperit et Danaos emittit. ἐκλύσας apud Lycophr. 343. pro illustratione esse potest: γαστρὸς ἐκλύσας ζυγὰ, est *soluta alvi compage.*

259—264 *se promunt.* prodeunt ἱππόθεν ἐκχύμενοι, κοῖλον λόχον ἐκπρολιπόντες Odyss. Θ, 515. Thessandrus, seu verius Thessander, Polynicis et Argiæ f. secundum Serv. Desideratur sane inter cæteros heroes nomen aliquod clarum; verum Thersander Polynicis f. locum vix tueri potest; cum ubique ille tradatur in pugna cum Telepho in principio b. Trojani cecidisse. Et sic Cypria carmina tradiderant. Aut itaque alius hic Thersander habendus, aut *Tisandrus* verior est lectio. In Homero neutrum nomen occurrit. De *Acamante*, altero Thesei filiorum et Demophoontis fratre, v. *Interp.* ad Hygin. f. 108. et h. l. Heins. *Demissum lapsi per funem*, h. e. delapsi fune demisso. Ex historia hoc acceperat; at egregie ad magnitudinem equi declarandam accommodavit. *primusque M.* intelligo, qui primus, inter primos, egressus est. *doli fabricator.* Sic δόλον pro equo ad insidias facto Hom. Odyss. Θ, 494.

268 sqq. Locus, cui similes e pluribus poëtis excitari possint, quoties per somnum species objicitur, adumbratus videtur ex Iliad. ψ, 62. sq., ubi Patrocli Umbra Achilli apparet. Virgilium plane expressit Stat. V. Theb. 265. sq. *mortalibus ægris*, sane ut alias miseris, οἰζυροῖς, πολυπόνοις, proprie tamen infirmis. Burmannus festos laboribus et curis diurnis fatigatos interpretatur. *serpit*, quando latenter membris infunditur. *Visus adesse*, adstare sic, *ut quondam* visus erat *raptatus*, cum raptabatur: v. sup. I. 483. *ater*

Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentis
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignis!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crinis,
Volneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Adcepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Conpellare virum, et mæstas expromere voces:
O lux Dardaniæ, spes o fidissima Teucrum,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus! quæ caussa indigna serenos
Fœdavit voltus? aut cur hæc volnera cerno?
Ille nihil; nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troja.
Sat patriæ Priamoque datum. Si Pergama dextra

plus quam respersus, inquinatus. cf. versus Homericos Iliad. χ, 401. sqq. *tumentis*: οἰδῶν similiter in fabula Œdipodis.

274—279 Nobiles versus ex eo loco ducti, qui magnos adfectus habere solet, fortunæ pristinæ et præsentis comparatione. Ennii esse Servius docuit. Quam diversus ab ea specie, qua redibat victor Patrocli, et una jam antea nave Achivorum incensa. *qui redit* pro qualis redibat, paullo insolentius; inf. 279. *adcepit*, pro acceperat; poëtica, etiam Græca, saltem Homerica, structura. *exuvias A.*, arma Achillea Patroclo detracta. *Danaum puppibus*, in naves Achivorum. respicit ναυμαχίαν Iliad. ν, sqq. et π, 122. τοὶ δ' ἐμβαλὸν ἀκάματον πῦρ Νηῒ θοῇ—*concretos sanguine crinis*, fœdum quidem, sed quod horrorem non minus quam miserationem facere queat. Porro *volnera* omnino in pugnis cum Achivis factis acceptа interpretabar; nunc intelligo hæc non convenire cum cæteris, quæ miserationem facere debent; meliusque referri ea ad τὸ ἀμύξασθαι, *vulneribus fœdato corpore cæsi Hectoris ab accurrentibus Achivis*: v. Il. χ, 369. adjunctis tamen lamentationibus tracto circa muros corpore: quandoquidem adjectum *circum muros patrios*.

282—286 Quasi immemor cædis Hectoris, eum objurgat, quod tam diu abfuerit et nunc demum ad auxilium Trojanis ferendum adveniat. Etiam in his Ennium ante oculos habuit, cujus versus ap. Macrob. VI. 2. *O lux Trojæ, germane Hector! Quid ita cum tuo lacerato corpore miser? Aut, qui te sic respectantibus tractavere nobis? Lux* autem non ad gloriam referendum, sed de *salute* accipiendum, si quidem ex Homerico φάος expressum, quo is hoc sensu plerumque utitur; excepto forte loco Iliad. Ϡ, 282. *ut te p.*, ὡς, h. e. quomodo. *defessi* cladibus, ut eleganter poëtæ v. c. Horat. II. Carm. 4. 11. *Tradidit fessis leviora tolli Pergama Græiis. serenos fœdavit v.*, quoniam et *fœda tempestas* proprie dicitur.

290 *Ruit alto a culmine T.* (etiam inf. v. 603.) ex Homerico, quod sæpius occurrit, κατ' ἄκρης. Videtur tamen hoc paullo di-

Defendi possent: etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi conmendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites; his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto.
Sic ait; et manibus vittas Vestamque potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur mœnia luctu;
Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisæ domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus: armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero, atque adrectis auribus adsto:
In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
Adcipiens sonitum saxi de vertice pastor.

verso modo dictum. Ad 292. cf. inf. XI. 288. 289. Habet patria et Priamus omnia, quæ a te ad ipsum defendendum fieri ac præstari poterant. *etiam hac*, δεικτικῶς, Hectoris manu, h. e. mea.

293 *Penates* sunt Trojæ publici, patrii dii, urbis tutela. *Sacra* et *Penates* possunt pro eadem re haberi, ut illa, quibus generis notio inest, declarentur per hos. Sic mox v. 320. *Sacra manu, victosque deos—trahit.* Et sic sæpe *sacra* universe, de deorum simulacris, etiam de his ipsis Penatibus. Mox tamen v. 296. 297. *vittas Vestamque et ignem sacrum* memorat, quæ cum Penatibus asportavit; an hæc per *sacra* declarare voluit? Potuit sane! Est tamen prior ratio præferenda, quippe poëtis solennis, ut primo ponant genus, tum adjungant speciem synonymice: Ita oratio ipsa fit ornatior. *Vittas* religiose posuit, cum *Vesta vittata* aut *cum vittis* dicenda esset. vide sup. ad v. 168. *Virgineas ausi divæ contingere vittas. Fatorum comites* quanto potentius, quam, *errorum, viæ, casuum! Mœnia* int. urbem Lavinum. *magna* dixit respectu Romæ inde oriundæ; ut et III. 159. 297. *adytis penetralibus effert:* Visus est Hector ex ipsa Vestæ æde deæ simulacrum cum igne sacro efferre.

298—301 Interea *urbs miscetur luctu*, h. e. in urbe miscetur *luctus*, ejulatus, clamor, (mox v. 301. *sonitus*) *diversus*, a diversis urbis partibus. *domus secreta recessit* ornate pro, est secreta, remotior a littore et porta Scæa, eaque parte, qua Achivi urbem ingressi erant.

302—308 *Adscensu supero*, pro adscendo, ornate, in re tenui. Comparantis et comparati ratio primo intuitu non satis aperte declarata esse videtur. Latet autem in illis: *adrectis auribus adsto*, et *stupet adcipiens sonitum:* ut sic componas: *adsto adrectis auribus*, aures arrigo, veluti pastor *accipit stupens sonitum, quum flamma in segetem incidit.* Quæ sequitur, comparatio adumbrata est ex Iliad. β, 455. 456. λ, 155. sqq. et Iliad. δ, 452—455. Argutantur in locis comparandis Macrob. Scalig. Cerda. Dicendum simpliciter, poëtam Homeri inventa egregie suis verbis reddidisse et ornasse. Nisi forte in hoc reprehendendus videri potest, quod *ex Æneæ narrantis persona* talis comparatio non satis commode intexta sit. Quod et Wartono ita visum video. Sed illius narrantis recordationem suavitas narrationis jamdudum animis audientium excussit. *furentibus austris* dicit ut poëta pro, ventis flantibus. *torrens*, χείμαῤῥος, *rapidus montano flumine*, auctus aquarum colluvie e montibus. 308. Iliad. δ, 455. Τῶν δέ τε τηλόσε δῶπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν.

Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiæ. Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Volcano superante, domus; jam proxumus ardet
Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis.
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi. Furor iraque mentem
Præcipitant; pulcrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom,
Panthus Othryades, arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniæ. Fuimus Troës; fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Juppiter Argos

309—313 *Tum vero m. fides* ornate, uti *rebus fides fieri* dicitur eventu: manifesta jam res erat. Alii interpretes aliter. *Deiphobi* domus prima incensa; duxerat is Helenam post Paridis mortem. Proxima domus Ucalegontis, qui e principibus erat et in consilio Priami Iliad. γ, 149. *Sigea relucent*, prospicienti ex urbe per tenebras. *lata* cum dilectu h. l. positum: nam late relucet mare circa promontorium Sigeum. Denique *tubarum clangor*, Euripidis et Tragicorum exemplo, memoratur, etsi Iliacis temporibus nondum fuere tuba et lituus.

314—317 *Nec sat rationis*, h. e. parum consilii, *in armis*, nec mihi satis ipsi constabat, quantum his armis profuturus essem captæ et incensæ jam urbi. *ardent animi glomerare manum bello*, ardeo, hic unus impetus erat, colligere milites ad pugnam, et cum iis *(cum sociis)* in arcem ad regem concurrere. 317. et illa una cogitatio animum subit, quam pulcrum sit, fortiter pugnando mori. cf. Georg. IV. 218.

318—321 Panthus sacerdos Apollinis, cujus templum erat in arce. Ponunt autem poëtæ primo loco continens, tanquam latius: *arcis Phœbique s. Panthus* inter primores Trojanorum est Iliad. γ, 146.; filii ejus Polydamas et Euphorbus, Πανθοΐδαι, sæpe Homero commemorati. Nunc Othryos filius ipse editur. Sacerdotis persona ducta ex Iliad. ε, 522. ubi Apollo Panthi filium, Polydamantem, tuetur. Adde inf. v. 430. Etiam mox genus primo loco, *sacra*, et tum finitius, *deos*, h. e. simulacrum Apollinis. ut v. 293. *Sacra suosque—Penates*. Non ignoro, vasa et utensilia sacra ab aliis intelligi. At *victos* quam invidiose! Deorum autem simulacrum in excidio templi et urbis ex more secum ferre et servare studet sacerdos, ut Æneas Penates, ne in hostium potestatem veniant. Nota res est, sed semel monenda. *trahit* cum dilectu positum pro ducit. *ad limina*, Æneæ.

322 Frustra laborant in interpretatione, qui *arcem* de Pergamo accipiunt. Optimum factu, ut *arcem* pro perfugio accipias: quo confugimus?

324 sqq. Admirabilis oratio, gravitatis et doloris plena, et ea quidem sacerdotis Apollinis, et in tali rerum conditione! Euripidis illa Troad. 581. si respexit poëta; Πρὶν ἐνθ' ἦμεν. Βίβασιν ὅλβος. Βίβασις Τροία, quantum ille de suo attulisse videri debet! *ineluctabile*, fatale. Euripideum τύχα, τύχα δυσπάλαιστος ἕξει. Alcest. 892.

326 *Ferus Juppiter*. ut alias *saevus*, h. e. iratus, crudelis. *omnia Argos transtulit*, Argivis victoriam et rerum summam permisit, Troja nunc eversa.

Transtulit. Incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet,
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis umquam venere Mycenis.
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci; vix primi prœlia tentant
Portarum vigiles, et cæco Marte resistunt.
Talibus Othryadæ dictis et numine divom
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat, et sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Rhipeus, et maxumus armis
Epytus; oblati per lunam Hypanisque Dymasque;
Et lateri adglomerant nostro; juvenisque Corœbus
Mygdonides. Illis ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore;
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in prœlia vidi;
Incipio super his: Juvenes, fortissima frustra

328—335 *Mediis in mœnibus*, in media urbe, nam in arce. cf. 240. 252. *incendia miscet*, plus, quam promiscue, passim, facit. ita *miscere cædes*. hærent in h. v. interpretes. *alii,—millia quot*, h. e. tot millia, quot eorum etc. pro vulg. reliqui omnes. *portis bipatentibus*, variatum pro simplici: patentes, apertæ. Intelligendæ autem portæ Scææ. cf. sup. v. 266. *portisque patentibus omnes Accipiunt socios. Obsedere oppositi* ornate et hoc adjectum. *stat—stricta* pro stricta est; *stat*, quippe sublatus et erectus ensis. *cæco Marte*, nocturno prælio, quo cerni ac discerni hostis nequit.

336—338 *Numine divom* tamquam a deo aliquo actus—in medium incendium et pugnas ruit Æneas. *Erinnys*, quæ ante *Furor*, h. e. animi impetus.

340—346 De Æneæ pugna lege Quintum XII. 300. sq.—per *lunam* docte adjecit poëta. *Adglomerant*, docte, se adjungunt. sup. 315. *glomerare manum*, adjungere manus, sociare. Suaviter rerum miserabilis facies distinguitur episodio brevi de Corœbo Mygdonis filio. *gener* autem h. l. spe. *præcepta* h. l. sunt monita vatis a deo actæ: scil. ne communi Trojanorum cladi ipse tamquam pars accederet, nec suas nuptias speraret. *Infelix* suaviter, ut sæpe poëtæ per epiphonema. Sic νήπιος, ut statim Iliad. β, 38.

347—354 *Audere in prœlia* exquisite, cum audacia procedere in pugnam. *super his*, simpl. pro posthæc, inde. Quæ sequuntur, sic ordinare juvat: O juvenes, frustra fortes! si vobis cupido certa est, sequi audentem extrema, h. e. s. me, s. omnino aliquem, qui extrema mortis pericula adeat, agedum! moriamur, et in media arma ruamus; nam videtis, quæ sit rerum fortuna et conditio; videtis, deos tutelares ac præsides Trojæ nos plane deseruisse; *succurritis urbi incensæ!* sero ad patriam defendendam properatis, quippe *jam captam et incensam*

Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi (quæ sit rebus fortuna videtis:
Excessere omnes adytis arisque relictis
Di, quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi
Incensæ): Moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.
Sic animis juvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostis
Vadimus haud dubiam in mortem; mediæque tenemus
Urbis iter. Nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et religiosa deorum
Limina. Nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

Nihil superest, quam honeste mori. Moriamur, etc. v. 351. ex veteri superstitione satis nota interpretandus, qua urbes captæ vel capiendæ a diis deseri credebantur. 354. *Una salus*, int. honestam mortem, qua se ab hostium potestate liberent. 355. *Furor additus.* incensi sunt eorum animi. Laudat Burm. Stat. V. Theb. 33. *O miseræ, quibus hic furor additus.*

355—360 Homerus comparatione luporum sæpe utitur v. c. Iliad. λ, 72. οἱ δὲ, λύκοι ὡΐς, Θῦνον. inde et alii, ut Apollon. II. 123. sqq. *lupi raptores* ex epitheto σίνται Iliad. π, 353. natum videtur. et π, 56. λύκοι ὡς, Ὠμοφάγοι. item Odyss. ζ, 133. de leone: κίλεται δέ ἑ γαστὴρ Μήλων πειρήσοντα—ἰλδῆν. Propius tamen est: λύκοι ἁρπαλέες. *quos inproba* (magna) *ventris Exegit* (egit, quia prodeunt ex latebris) *cæcos rabies;* quantum ornatius! ut etiam reliqua: *atra in nebula*, ex observatione sagacitatis in talibus animantibus. Sic Apollon. II. 124. ἤματι χειμερίῳ lupos prædari facit, et Homerus Βάν ῥ' ἴμεν, ἦτε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν Ἀμφίνομ, ἀντιτύας, διά τ' ἴντεα καὶ μέλαν αἷμα (*per tela, per hostes*) Iliad. ν, 297. 298. Comparatio autem tantum ad impetum et rabiem irruentium referenda; nil amplius, ne cum Trappio hæreas. *Vadimus*, impetum et furorem notat verbum. ita et ire, et ἰλδῆν et alia. *Nox circumvolat*, quippe alata: inf. VIII. 369. ut Somnus, Somnia. *cava umbra*, quatenus ipsi ea circumdantur, quasi tecti; puto equidem.

361 Odyss. γ, 114. τίς κεν ἐκείνῳ πάντα γε μυθήσαιτο κατὰ δῆτον ἀνθρώπων.

364 *Inertia corpora*, possunt esse sine vita et motu, si modo *sternuntur* est, *strata sunt, jacent;* verum *sternuntur corpora inertia*, inertium hominum, malim accipere de imbellibus, senum, infantum, feminarum. Bene hactenus Serv. et Pompon. exponunt "non repugnantia," ut *inertia pecora*, inf. IV. 158. Mox *pœnas dant* pro cæduntur, moriuntur.

367 Sententia eadem, aliter tamen expressa, Iliad. ξ, 480. 481.

368. 369 *Crudelis luctus*, ut, *sævus dolor*,

Primus se, Danaum magna comitante caterva,
Androgeus obfert nobis, socia agmina credens
Inscius; atque ultro verbis conpellat amicis:
Festinate, viri, nam quæ tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?
Dixit; et extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit, medios delapsus in hostis.
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit,
Adtollentem iras, et cærula colla tumentem:
Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat.
Inruimus, densis et circumfundimur armis;
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus! Adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Corœbus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus: Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem

qui in nos sævit. *plurima mortis imago*, h. e. *ubique* cædes facta cernitur; passim cæsorum cadavera projecta. Magis hoc accommodatum antecedentibus, quam varias cædis formas et genera intelligere.

370 *Androgeus* alibi non occurrit in Troicis. Pomponius Sabinus: *miles Mnesthei, ducis Athenarum;* nescio unde habeat. Diversus est Minois filius VI. 20. 373. *nam quæ*, quæ tandem v. ad Geor. IV. 445.

374 *Rapiunt, feruntque*, ἄγουσι καὶ φέρουσι, ut notum. Quænam segnities tam *sera*, quæ seros facit, id est, tardos. Serv.

376 *Responsa non fida satis*, quibus fides haberi non potest, quæ fidem non faciunt, adeoque suspecta. Respexit versum Statius Theb. II. 535—537. *sensit delapsus*, ᾔσθετ' ἐμπεσὼν, ut notum, ad formam Græcam, intellexit se in hostem incidisse.

379—381 Comparatio ab Homero petita, sed variata Iliad. γ, 33. sqq. Hinc alii certatim. Propius ad Homerum Juven. I. 43. noto versu: *Palleat; ut nudis pressit qui calcibus anguem. humi nitens*, pedem figens. *adtollentem iras*, h. e. caput iratum, adeoque simpliciter, erigentem se vel caput præ ira et rabie. III. Georg. 421. *tollentemque minas et sibila colla tumentem.*

388 *Qua ostendit se dextra:* fortuna *se dextram*, faventem ac propitiam, ostendit. 389. *insignia* nimis argute de clipeorum insignibus ac sculpturis vel de galeis et crista; Poëtica tamen ratione vel ipsi *clipei* sunt *insignia*, quatenus Danai his ipsis insigniuntur, ut mox *clipei insigne;* vel, ut malim, omnino arma, quibus Trojani a Græcis dignosci poterant. Illud tamen verum est, in tragicis, forte et in cyclicis, Achivorum et Trojanorum clipeos insignia habere: et ex tragicorum usu dictum esse 392. *clipei insigne*, pro clipeo qui insigne habet.

390 *Dolus, an virtus* adhibeatur. Mox *comantem galeam* ἵππουριν—et *clipeum induitur*, loro super humeros injecto et inserta manu ansæ, ὀχάνῃ. ut ἐνεδύσατο, ἐνδῦνε. cf. inf. 671. 672.

Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum adcommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus inmixti Danais haud numine nostro,
Multaque per cæcam congressi prœlia noctem
Conserimus; multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad navis, et litora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Corœbus,
Et sese medium injecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes,
Armorum facie et Graiarum errore jubarum.
Tum Danai, gemitu atque ereptæ virginis ira,
Undique conlecti invadunt; acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.

395 *Spoliis recentibus*, exquisitius quam, novis, aliis, quam quæ habuerant, armis.

396 *Haud numine nostro*, h. e. averso, nobis non propitio. *at si—Audiat aversa non meus aure deus* Tibull. III. 3. 28. Mox v. 402. *invitis divis*, ἀέκητι θεῶν. *nox cæca*, in qua nihil cerni potest, ut jam supra.

401 *Scandunt rursus equum*. Forte dictum nolis a poëta: nimis enim portentosum hoc; et abhorrens a fama virtutis Achivorum; etsi *formidine turpi* adjecit. *fidere* absolute pro audere; nimium rebus confidere.

403—406 Vim Cassandræ ab Ajace Oilei f. coram Pallade illatam esse vulgo memorant. Ita *trahi* potest doctius dictum videri. Potest tamen poëta simpliciter declarare voluisse, eam captivam vi abductam fuisse. Tenendum autem est, eam ad templum Minervæ confugisse, supplicem deæ factam. ἱκετεύουσαν. *arcebant*, antique, continebant, coërcebant, εἶργον. Versus 405. præclarus est: at 406. *Lumina; nam t.* Ovidiano lusui propior est; Ovidius tamen castior nunc ipso Virgilio, Met. XIII. 410. 411. *tractata comis antistita Phœbi Non profecturas tendebat ad æthera palmas.*

409 *Densis i. armis*, vel ipsi densis ordinibus, denso agmine, vel irruimus in hostium densum agmen. cf. v. 383.

410 *Delubrum* int. Minervæ, ex quo Cassandra erat abducta. cf. v. 425. Erat autem illud in acropoli; ad hanc igitur jam pervenerat Æneas, mediam per urbem v. 359.

412 Quod arma, quæ induerant, Græca erant, et cristæ Græcæ.

413 *Gemitu*, h. e. dolore, *atque ira ereptæ virginis*, propter Cassandram sibi a Corœbo cæterisque ereptam, *invadunt undique*,

Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et lætus Eois
Eurus equis: stridunt silvæ, sævitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Adparent; primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero. Primusque Corœbus
Penelei dextra, divæ armipotentis ad aram,
Procumbit; cadit et Rhipeus, justissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus æqui:
Dis aliter visum: pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,

collecti. Ajax est idem ille qui Cassandram abduxerat, Oilei f. Mox *gemini Atridæ*, διοσὶ Ἀτρείδαι ap. Eurip. *Dolopes* v. sup. II. 7.

417—419 Ad Homeri ductum Iliad. ι, 4—7. sed multo ornatius et variate; porro Homerica cum arte, in comparationibus ei solleuni, effectum rei attexuit: *stridunt silvæ* etc. *Eurus lætus Eois equis*, ad ornatum spectat. *equi*, ut ἵπποι, Homerico usu, pro curru. Bigis vecti venti apud poëtas et sculptores. Nec Ζέφυρον ἱππάσαντα Eurip. Phœniss. 220. et *Eurum equitantem Siculas per undas* Horat. IV. Carm. 4. 44. aliter accipere debebant quam de curru invectis. Commune enim hoc omnibus diis, quoniam prisco illo tempore, quo religiosæ hæ notiones primum in hominum animos venerunt, bigis vecti reges vel quadrigis, nunquam equis insidentes, conspiciebantur. Itaque nemo vidit equitantem Jovem et sic porro. Vana adeo Spencii ad h. l. subtilitas. *lætus* autem, ut superbus, gestiens, ἀγαλλόμενος. pro tenui vectus. cf. I. 690. 276. et sæpe. *Nereo* h. l. tridens tribuitur, quod notandum. *Spumeus* h. l. spuma maris adspersus, spumosus. *sævit tridenti* eleganter, ut alias *flagris*, *verbere*, infert tridentem mari, ad impellendum illud et fluctus excitandos.

420—423 *Illi etiam*, v. sup. 370. 383. sqq. *mentita tela*, fal-a, quæ nos Græcos esse mentiebantur. Mox 423. *signant* h. l. agnoscunt. Sic *notare* etiam vulgari sermone, et σημειοῦσθαι, τεκμαίρεσθαι. Porro *ora sono discordia*, ad poëticæ orationis genium, pro discordia et discrepantia sermonis; quippe qui Trojani essent, diversaque uterentur dialecto.

424—430 *Divæ a. ad aram*, in ipso adeo templo Minervæ sup. 403. nisi ante templum in προναῷ vel in περιβόλῳ. *Peneleus* hic alius esse debet, quam Homericus Bœotorum dux: nam is ab Eurypylo fuit occisus, Telephi filio: Pausan. IX. 5. f. Dictys IV. 17. Eurypylum Antenoris filium memorat Pomponius ad h. l.; non video quo auctore. *cadit et Rhipeus, justissimus unus* omnium—*et servantissimus æqui*, qui adeo cadere non debuisset, communi hominum judicio; sed *dis aliter visum*, de caussis et rationibus, quæ nos homines latent. Laudant etiam Homericum Odyss. α, 234. Νῦν δ' ἐτέρως; ἐβάλοντς θεοὶ, κακὰ μητιόωντες.

431—434 Quanto cum affectu, egregia orationis inflexione, se incolumem abiisse narrat! Potest dubitari, *Iliaci cineres* et *flamma extrema meorum* sintne de rogo, an de incendio urbis accipienda. *Iliaci cineres* ex loquendi usu ad Ilium in cineres versum ducunt: tum, et vos, *o mei*, quibus incendium urbis pro rogo fuit. *in occasu vestro*, sup. I. 238. *occasum Trojæ tristisque ruinas*. Est tamen usui magis consentaneum, *flammam extremam meorum* de rogo et funere, seu morte accipere; est quoque solenne, *jurare et obtestari per cineres, rogum, flammam*, ce-

Testor, in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices Danaum; et, si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde:
Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi:
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt: prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contra turris ac tecta domorum
Culmina convellunt: his se, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt; alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis,

rissimorum. Testatur funus patriæ et funera suorum. *vices* fortunæ, casus, et quidem h. l. pugnæ: quæ, ut vidimus, modo secunda modo adversa fuerat. *manu meruisse* pugna, virtute, strage, quam inter hostes edebat. Ita Serv. *id est, fortiter dimicasse, hi enim merentur occidi.* Centies autem *manus* pro pugna. Junxere alii *manu ut caderem.* Ita erit interpungendum: vitavisse vices; Danaum et,—*ut caderem, meruisse, manu. si fata* s. cf. sup. 54.

436 Gell. IX. 12. laudato loco: *quum diceret vulnus, non quod accepisset Ulyxes, sed quod dedisset.* Sunt autem hic Iphitus et Pelias diversi ab iis, quos Homerus memorat. Jung. *Iphitus et Pelias vocati.*

438 *Ceu nulla prius lamenta, nec atri Manassent imbres* Statius III. Theb. 122.

441 Haud facile est speciem locorum assequi qualem poëta apud animum suum finxerit. Puta ad ipsum ædium aditum fuisse, e more veterum, turrim eductam quam 460. nominat; hæc oppugnatur et e Trojanis desuper propugnatur. Aditum appellat nunc *limen.* *Acta testudine* scutorum haud dubie; *συναστισμῷ.* nimis enim alienæ forent ab illa ætate machinæ bellicæ. Mox *hærent,* in prosa, admotæ sunt.

442 *Postesque sub ipsos Nituntur gradibus.* Cum *scalæ* memoratæ sint: *gradus* vix alii esse possunt quam scalarum; per quos *nituntur,* enituntur, *postes sub ipsos,* simpliciter, in foribus ædium. *Fastigia* pro ipso tecto dicta esse possunt; aut pro turris summa parte. ita ἐπάλξεις ut murorum, sic turrium, sunt. alioqui erant *fastigia* in templis et palatiis in fronte ædium. Voluit poëta cumulare uno in loco plures pugnæ species. *objiciunt sinistris clipeos ad tela protecti,* ut adversus tela superne missa protegerent se.

445 *Culmina domorum tecta,* docte pro ipso tecto iisque rebus, quibus superior domus pars tegitur, h. e. tegulis. *tecta penetralia* eodem modo I. Georg. 397. Etiam *turres* pro eodem tecto dicit, quia altum est. Agitur autem de una Priami domo: cui magnificentiorem speciem adjecit, quam quæ apud Homerum erat. 449. Videntur hi stetisse intra fores. cf. inf. 484. 485.

451 Hoc ipso rerum adspectu renovatum

Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri jactabant inrita Teucri.
Turrim, in præcipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaum solitæ naves, et Achaïa castra,
Adgressi ferro circum, qua summa labantis
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, inpulimusque; Ea lapsa, repente ruinam
Cum sonitu trahit, et Danaum super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt: Nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.

in Ænea consilium ac propositum, quod jam pridem ceperat (v. 315. *concurrere in arcem)*, ut regiæ Priamoque succurreret.

453—458 Cum aditus ad regiam obsideretur ab hostibus, postica porta eam intrat Æneas et a tergo pervenit ad tectum regiæ, qua parte versus aditum a fronte domus pugnatur. Illa porta postica cum ornatu, quem tam vulgaris res vix videbatur capere posse, designatur per quatuor determinationes; est *limen*, sunt *cæcæ*, h. e. ignotæ aliis nec cognitu faciles et obviæ, *fores—pervius usus tectorum Priami inter se*, h. e. qua commeare et convenire se invicem commode poterant, qui inhabitabant regiam; h. e. familia regia per plures domos, ut apud Homerum est, vel patrii partes dispersa. *postes relicti a tergo*, h. e. porta, quæ a tergo erat, opposita illi, quæ est in ædium fronte. *ad soceros*, Priamum et Hecubam,—*trahebat*, accommodatum brevibus pueri gressibus; pro ducebat. Sic sup. v. 320. *parvumque nepotem Ipse trahit. evado*, sc. hac porta ingressus regiam.

460—467 *In præcipiti*, turrim in editiore loco positam, eandemque altissimam, hanc sive ipse adscenderat, et culmen in hostem dejicit, sive e vicinis locis, ut equidem arbitror, ferreis uncis et contis quassatam et labefactatam *altis sedibus*, e fundamentis, tandem in obsidentes dejiciunt. *qua summa tabulata dabant juncturas labantis.* Scilicet turres habebantur quatuor et plurium tabulatorum adeoque et *contignationum*; quarum tigna vel trabes, capitibus suis, immissæ esse debent parietibus. Jam h. l. *summum tabulatum*, cur proprie dictum nolis, causa idonea non est: hoc facile admittebat uncos et contos in *juncturis* suis (h. e. qua parte trabes insertæ et fultæ erant pariete), quæ facilius cedebant et insertum uncum recipiebant, quam solidus paries; itaque *labantis*, cedentes, laxantes se. Servius bene: *faciles ad resolutionem*: et *dabant juncturas*, plus quam *habebant*; præbebant scilicet aggredientibus turrim ferro. Quibus convulsis superior turris pars in oppugnantium capita decidit. *ruinam trahit* exquisitius quam *facit*; et solenne hoc: solutis enim juncturis et evulsis trabibus evelluntur et convelluntur reliqua, ut ruentia sequantur. Ἕλχ', ἡ δ' ἵστατο πᾶσα Iliad. μ, 398. qui locus comparandus in τειχομαχίας narratione. Subeunt tamen alii in cæsorum locum v. 467. et interea ex posterioribus ordinibus tela e longinquo ingeruntur. Narratio inde in solo Neoptolemo subsistit. v. 461. *unde omnis T. v.* illustrant imprp. ex Iliad. ν, 13. 14.; etsi ipsa turris poëtæ ex Iliad. φ, 526. sqq. nata esse videtur, ubi Hectoris fatum ex ea prospicit Priamus cum Trojanis. Egregia

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat, telis et luce coruscus aëna.
Qualis, ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat;
Nunc, positis novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos conrepta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Æratos; jamque excisa trabe firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Adparet domus intus, et atria longa patescunt:

autem cum arte hæc inserta sunt a poëta ad rerum faciem variandam, quod etiam Wartono observatum.

469 sqq. Expugnatur tandem regia per Neoptolemum Achillis f., qui ipsas fores erat aggressus. Nam hoc est *ante vestibulum ipsum*, h. e. januam, qua illud intratur, *primoque in limine*. Egregie autem eum repræsentavit: *exsultat*, pro pugnat. *telis et luce coruscus aëna*, h. e. armis, thorace, clipeo, et galea, æreis splendentibus; ut sæpe ap. Homerum λαμπόμενος simili in re. Iliad. ν, 341. ὅσσε δ' ἄμερδεν Αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἀπὸ λαμπομενάων.

471—475 Respexit locum Nicandri Ther. 31—34. simul tamen ad Homeri ductum, sed ornatius et cum variatione, Iliad. χ, 93—95. Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῆ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ' (*mala*, noxia et venenata, ut sæpe, *gramina pastus*) ἔδυ δέ τε μιν χόλος αἰνὸς, Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν, ἑλισσόμενος περὶ χειῇ (*lubrica convolvit pectora*). ὣς Ἕκτωρ—οὐχ ὑπεχώρει. At apud Virgil. Pyrrhus non sustinet hostem sed aggreditur. Porro *in lucem* trahendum aut ad *exsultat*, aut ad *convolvit*; sed v. var. lect. *tumidum*, quoniam *g. pastus*, quibus novum vigorem sibi paravit, ut apud Nicand. 33. 34. at gramina *mala pastus*, succis venenatis repletus ex vulgari hominum opinione. Ap. Nicandr. 285. ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς at in Homero sunt κακὰ φάρμακα.

476—478 Occurrit Periphas apud Homerum, sed non hic; Automedontis ἱππηλάτου, aurigæ Achillis, sæpius fit mentio. *Scyro*, insula de Cycladibus una, copias adduxerat Pyrrhus, ab avo Lycomede acceptas, cujus filia, Deidamia, Pyrrhi mater ex Achille. cf. Iliad. τ, 326. sqq. Odyss. λ, 505. sq. Sed fabulam de Achille apud Lycomedem latente Homerus non habet. *succedunt tecto*, h. e. fores adoriuntur.

479—482 *Ipse*, Pyrrhus, quis dubitet: ex 469. 470. et 491. *dura limina*, ipsas fores e dura materia, ilice, factas; eas etiam per *postes*, et quidem ære obductos, *æratos*, intelligo, quos *vellit*, movet, labefactat, *a cardine*, e cardine ut emoveat annititur. Nunc enim adhuc de conatu agitur. cf. 492. 493. Quintus Cal. X. 388. similibus fere verbis; Ὥρμηναν δὲ πύλῃσι θεηγενέος Πριάμοιο Ἀθρόοι ἐγχριμφθέντες ὑπ' ἀμφιτόμοις πελέκεσσι Ῥῆξαι τείχεα μακρὰ, πύλας δ' εἰς οὖδας ἐρεῖσαι Θαιρῶν ἐξερύσαντες. Tandem perruptæ et perforatæ fores laxata asserum vel tignorum coagmentatorum compage: *jamque cavavit robora firma*, fores roboreas, *excisa trabe*, assere, et *dedit*, effecit, *fenestram*, aperturam, *ingentem lato ore*, foramine, quo prospectus intra atrium efficitur.

483 sqq. Ad affectum hæc magna cum arte traducta esse, jam alii post Scaligerum viderunt. 485. *Armati* sunt, qui v. 449. 450. memorabantur.

Adparent Priami et veterum penetralia regum:
Armatosque vident stantis in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur; penitusque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Inmissi Danai, et late loca milite conplent.
Non sic, aggeribus ruptis, quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnis
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas.
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignis.

486 sqq. Proprie *clamor*, *lacrimæ*, *gemitus miscetur*, quatenus promiscue a pluribus vel diversis fit; hinc, si quo in loco hoc factum significatur, ut h. l. in domo ipsa, *domus miscetur gemitu*, pro pedestri: *impletur*. Mox *cavæ* cum dilectu positum epitheton ad sonum. *ululant* exquisitius quam *resonant*; exemplo Græcorum βοᾶν in re simili. Quod *matres* familias *errant*, discurrunt, per tecta, id ex veterum moribus tanto magis ad affectum, quod thalamo inclusæ alias latebant. *osculantur postes* (cf. Ovid. Met. XIII. 412. 413.), quippe ultimum vale dicturæ, jamjam ab hoste abstrahendæ. Apollonium IV. 26. jam Servius huc advocavit; et Ariosti locum egregium (*Cant.* XVII. *Stanza* 13.) Wartonus.

491—493 *Vi patria.* πατρὸς ἰῇ καταίμονος ἀλκήν Quint. Cal. XIII. 219. *sufferre*, sustinere Pyrrhi impetum non potuere nec *claustra*, h. e. fores roboreæ v. 481. 482. firmitate sua, *nec ipsi custodes*, qui v. 485. et 449. adstant foribus, pugnaturi. *arietem* nolim accipere proprie; quippe quod inventum Trojanis temporibus serius est. cf. ad 441. Sed de arietatione et pulsatione ac concussione forium ad arietis instar. 494. *Rumpunt aditus*, faciunt sibi aditum; at quanto potentius illud!

496—499 Irruunt fluminis instar exundantis rupto aggere. v. sup. ad 305. ubi hujus comparationis semina in locis Homericis et Lucret.: sed ornatius omnia Virgilius suoque more. Expende singula. *fertur cumulo* aqua cumulata. v. sup. 105. *insequitur cumulo præruptus aquæ mons.*

499. 500 Καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον— τοῖσδε δ' εἶδον ὄμμασιν Αὐτὴ καταφαγόντ' ἐφ' ἑρκείῳ πυρᾷ Eurip. Troad. 481. sqq.

501 *Centum nurus* latius dictum, quinquaginta enim erant filiæ, totidem filiorum uxores seu nurus. Mox 503. *quinquaginta thalami* secundum Homer. Iliad. ζ, 243. sqq.

502 In toto loco ante oculos Enniana illa apud Ciceronem Tusc. Qu. I. 35. ex Andromacha *O pater! o patria! o Priami domus— Vidi ego te, adstante ope barbarica* (ut hic v. 504.) *Tectis cælatis laqueatis, Auro, ebore, instructum regifice—Hæc omnia vidi inflammarier,—Priamo vi vitam evitari, Jovis aram sanguine turpari. fœdantem* plus quam cruentantem. *Sacraverat*, accenderat diis Penatibus.

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi,
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
Forsitan et, Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis uti captæ casum, convolsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem;
Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit; juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbra conplexa Penates.
Hic Hecuba et natæ nequidquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, et divom amplexæ simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit: Quæ mens tam dira, miserrime conjunx,
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede; hæc ara tuebitur omnis:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit

503—505 *Q. illi thalami*, illi tam magnifice exstructi, prostrati jacent. *Barbaricum aurum*, h. e. Phrygium, ut sæpe poëtæ; et modo Ennius, quem Maro expressit. Nec in eo argutandum, quod h. l. verba Trojani illa sunt: utitur enim ille sermone Romano, adeoque usum ejus sermonis sequitur. Petiere eum usum Romani a Græcis, quibus Trojani, et hinc Phryges, inprimis dicti barbari. Non sunt iidem thalami, sed de tota regia accipiendi sunt. *postes spoliis superbi*, ornati, Romanorum notissimo more. v. inf. VII. 183—186. *Tenent D.*, h. e. occupata habent loca, quæ ignis nondum pervadit.

506. 512 Cf. Excurs. XI. de Priami nece. Tota narratio, intexta inprimis Politis cæde, egregia cum arte elaborata est ad summam miserationem cum horrore: notatis scilicet cum delectu et ante oculos positis iis, quæ in fato multis communi propria tamen inprimis huic seni et summopere miseranda. 512. Græcis poëtis erat ara Jovis Hercei in atrio ædium Priami, ἐν αὐλῇ, v. Exc. laud.; eam aram Virgilius in impluvium transtulit, *nudo sub ætheris* axe, sub æthere, sub dio, ut Penatium ara esset; propius hoc ad Romanum morem. 513. Notabis morem, aras sub arbore poni solitas; alibi in *media* area. 517. *Sedebant* ἱκετεύουσαι. unde 523. hæc ara *tuebitur*, jure ἱκετείας—at sedebant *nequidquam*, nullum fructum salutis e loci sanctitate habituræ. *Præcipites*, devolantes ad loca tuta. 519. *mens dira*, quæ dira, male ominata, abominanda consilia agitat.

522 *Eget*, non locus est—525. *Sacra sede*, ara, v. 513. et *altare*, 515. 526. *Polites* inter Priami filios jam ex Homero notus; celeritate pedum insignis statim Iliad. β, 791. memoratus idem inter pugnantes. Ejus filium, Priamum, videbimus inter Æneæ socios inf. V. 564.

Ad sese, et sacra longævum in sede locavit.
Ecce autem elabsus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostis
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto volnere Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,
Persolvant grates dignas, et præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios fœdasti funere voltus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo; sed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clipei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, et nuntius ibis

528—530 *Porticibus longis.* Si Homerica et non sua potius tempora sequutus est, αἰθουσαν expressit, quæ αὐλὴν ab utraque parte ornabat. Mox *lustrat* h. l. discursu, et *vacua* cum dilectu, ut significet Trojanos jam fuga dispersos. *infesto volnere insequitur*, infeste, hostili more, ut vulnus inferat; sed alterum multo magis poëticum, *volnere infesto*. *premit hasta*, exquisitius quam transfigit. cf. IX. 330. Proprie *premit hastam* is, qui eam infigit, adigit, ἐμβιβάσας. Polites igitur vulneratus fugit, alter insequitur, novum vulnus illaturus. In 531. 532. miseratio ad summum affectum adducta: quod concidit ille in parentum conspectu.

533—543 *Media morte*, præsenti mortis periculo. *abstinuit* exquisite, continuit se. 536. *pietas* h. l. respectus ac miseratio ejus, qui indigna patitur. *grates* h. l. pœna: et sic *præmia* frequentius. *patrios fœdasti funere voltus*, gravissimis verbis et atroci spectaculo accommodatis. Re funebri pollui et contaminari homines, religiosa erat opinio; et adsperso ejus, qui cæditur, cruore, fœdatur, cruentatur, aliquis. h. l. ipsi *vultus*, tantum non adspersi et contaminati *fuere*, cæde, sanguine. *in hoste* exquisitius quam *in hostem*. Respicit autem redditum Priamo cadaver Hectoris Iliad. extr. *jura fidemque supplicis*, τὸ ὅσιον τῆς ἱκετηίας, sanctitatem supplicis, nam de *fide* proprie dicta et supplici data h. l. agi nequit: sed est *fides* quam supplex habet in religione ejus cui supplex fit. Tum supplex *in fidem alicujus*, h. e. tutelam venit: debetur itaque ei incolumitas. Nunc *fides* est id, quod alter facit, aut facere debet, propter fidem ab alio in se positam. *sepulcro*, ad sepulturam. *in mea regna*, in regiam.

544—549 *Sine ictu*, quod vulnus non faceret, non penetraret; sed perforato corio,

Pelidæ genitori. Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo labsantem sanguine nati,
Implicuitque comam læva; dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam, et prolabsa videntem
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. Jacet ingens litore truncus,
Avolsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum sævus circumstetit horror.
Obstupui; subiit cari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli volnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.

quo scutum erat inductum, (nam mox, *pependit*) ab ære resiliret. *κοφὸν βέλος* dixit Hom. Iliad. λ, 390. *rauco ære*, æreo clipeo, qui percussu raucum sonitum edebat—et, *nequidquam*, sine effectu et vulnere. *pependit* in clipei pelle, qua æs clypei inductum erat. Sin æream superficiem fuisse malis, dicendum est, hastæ aciem æs penetrasse quidem, sed impetu debilitato hæsisse, nec ulterius provectam. Sæpe de ictu imbelli talia apud Homerum, v. c. Iliad. γ, 347. sqq. *tristia facta*, atrocia h. l. Mox de sarcasmo ex Homero ducto: *Refires ergo hæc* etc. videndus est Popius ad Iliad. XIII. Obs. 31.

550 sqq. In ipsa ara tamquam victimam immolavit Priamum Neoptolemus. *Implicuit comam*, ergo cum cæteris armis v. 509. sq. galeam non sumserat. *extulit ensem*, non, vagina extraxit, sed sustulit, intentavit. Versu 529. 530. *hasta* utebatur Pyrrhus; cum eminus peteret Politen.

554—559 Epiphonema ad commiserationis affectum præclare compositum; simplex tamen et obvium. Placet non minus illud de Achille ap. Ovid. Met. XII. 615. 616. *Jam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam. sorte*, fatali necessitate abstulit. *Asiæ*, magnæ saltem partis Asiæ minoris. *regnatorem populis*, pro populorum: nisi melius est, *regnatorem Asiæ superbum tot populis terrisque*, pro vulgari, tenentem terras. *Jacet ingens litore truncus.* Scilicet insepultum projectum fuit Priami corpus. Adjiciunt alii *littoris* notionem, ut adeo corpus *ad littus tractum, et illic relictum sine capite* fuerit, quæ unice vera interpretatio. Manil. IV. 64. 65. *Priamumque in littore truncum, Cui nec Troja rogus*, et Seneca ex hoc eodem loco Troad. 140. *magnoque Jovi victima cæsus Sigea premis littora truncus. Littus* de Troja, tamquam *littorali plaga*, accipere, durum arbitror. *sine nomine corpus*, sine nota, qua agnosci posset, quatenus sine capite et vultu erat.

559 sqq. Hic artem poëtæ agnosce. Priami casu conspecto patris Anchisæ reminiscitur. Quis Æneæ in patrem, omninoque in suos, pietatem nunc eum rerum cardinem fore expectabat, quo narratio ad id, quod rerum caput erat, Æneæ discessum, converteretur? Et quam accommodata hæc Æneæ personæ! et quam apta ad studia nostra animosque in virum tam eximiæ pietatis convertendos?

563 *Direpta domus*, in prosa, direptio domus meæ animo objiciebatur, quasi jam facta. *casus Iuli:* quid Iulo accidere possit. Mox 564. *copia* docte pro copiis, notant Grammatici.

Respicio, et quæ sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere aut ignibus ægra dedere.
[Jamque adeo super unus eram; quum limina Vestæ
Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaum, et deserti conjugis iras,
Præmetuens, Trojæ et patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Ulcisci patriam, et sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet, partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque, etsi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem;
Extinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis
Laudabor pœnas; animumque explesse juvabit
Ultricis flammæ, et cineres satiasse meorum.

565 Æneam e turri pugnantem meminisse necesse est, supra v. 458. 460. sqq. incendio jam per regiam Priami sparso desiliunt alii in terram; alii, dum vires ad fugam capiendam deficiunt, igni absumuntur. *corpora ægra*, quia *defessi* pugnando, exhausti viribus.

567—574 Sequuntur versus XXII a codicum parte exulantes, quos narrant a Tucca et Vario recisos. *Super unus eram.* οἰώθην Homericum, ut Iliad. λ, 401. *Erranti:* ergo Æneas jam de turri vel tecto regiæ desiluerat, et per regiam errabat vacuam, ut sup. v. 528. *invisa*, abdita. Sic melius, puto.

575 sqq. Sequentia ex Euripideis expressa in Oreste v. 1132. sqq. *Exarsere ignes animo* pro vulgari *animus ira exarsit. subit ira* h. e. impetus ex ira, ut ulciscerer excidium patriæ. *sceleratas pœnas*, paullo insolentius, pro, pœnas a scelerata femina sumtas: nam, ut sint pœnæ per scelus exactæ, alienum a loco est. 579. *conjugium*, conjugem pristinum. *patres*, parentes. *Phrygiis ministris*, Trojanis captivis illi in servitium addictis. *sudarit sanguine*, madefactum, humectatum. Ex Enniano: *Terra sudat sanguine* apud Nonium in *sonere*.

583—587 *Non ita, ὁ δῦτα.* Vulgo *absit hoc! Nequaquam. nullum m. nomen*, nulla gloria. *tamen laudabor*, quod extinxerim. *nefas* h. e. nefariam feminam Helenam. *animumque explesse juvabit Ultricis flammæ.* Duriter dictum videtur de ulciscendi ardore, sive jungas *animum ultricis flammæ* pro, flammam animi, ulciscendi cupiditatem; sive,

Talia jactabam, et furiata mente ferebar;]
Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Cœlicolis et quanta solet; dextraque prehensum
Continuit, roseoque hæc insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius adspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet conjunxne Creüsa,
Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiæ
Circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
Jam flammæ tulerint, inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris; divom inclementia, divom,
Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam.
Adspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortalis hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam. Tu ne qua parentis

quod præstat, *animum explesse flammæ* U. h. e. flamma s. ira ultrice, h. e. ultione. *pœnas merentis*, ut v. 576. *p. sceleratas*, a merente.

588—593 Æneæ Venus apparuit, non nube obducta, aut alia forma assumta, sed specie sua divina. Imitatio Homeri manifesta Iliad. *α*, 193. sqq., ubi Minerva Achilli soli in conspectum venit eumque ab ira et impetu revocat. Ad 592. 593. cf. ibidem v. 361. Erat autem is temporis rerumque articulus, qui deæ præsentiam postularet, et quidem, ut tanto major consiliorum auctoritas esset, ipsa divina specie occurrentis.

595—600 *Nostri cura* pietas esse videtur matri Veneri præstanda in eo, ut Anchisen, ab ipsa amatum, tueatur ac servet. Nisi reverentia est, quam Venus exigit in hoc, ne Helenæ, quam ipsa tuebatur, filius injuriam faceret. Verum sequentia ad prius illud revocant. *adspicies*, ut poëta pro *circumspicies*. *quos hauserit ensis*, ut passim poëtæ, pro confodere, transigere, *ἀφύσσειν* Homer. ut Iliad. *ξ*, 517: primum hauritur sanguis ense: hinc ipse ensis haurit; ut hauriat, penetrat, transfigit latus, corpus, ut X. 314.

601. 603 Non tam Paris et Helena Trojæ eversæ auctores sunt, quam repetenda calamitas a deorum ira. Sententia ex Priami verbis ap. Homerum petita Iliad. *γ*, 164. 165. adde Odyss. *α*, 347. 348. et frequens apud veteres. *Tyndaridis f. i. Lacænæ* ornate pro Helena, Οὐ γάρ τοι Ἑλένη πίλας *αἰτία* etc. v. ap. Quint. Cal. XIII. 412. *culpatus*, pro graviore voc. nefandus, scelestus. Sic culpa pro scelere. *a culmine*, *κατ' ἄκρας*. v. sup. 290.

604 sqq. Pulcherrimus, qui sequitur, locus dum causæ occultæ magni eventus a diis repetitæ oculis subjiciuntur tanquam manifestæ (v. 622. 623.) partim Homeri auspiciis Iliad. *s*, 127. 128. ubi Minerva Diomedis visum acuit et in vss. 608. sq. Iliad. *μ*, 13. sqq. 27. sqq. ubi Neptunus et Apollo vallum Achivorum diruunt, partim aliorum poëtarum ductu elaboratus. Nam in Trojæ excidio diis manifesta aliqua opera ab antiquioribus poetis est tributa, ut ex imitatoribus patet. *nubem* int. caliginem, ut Hom. *κέφος* l. l. et Iliad. *o*, 668. *υ*, 341. 342. Imitationes sublimis hujus loci passim in recentioribus observes. Miltonum lib. XI. 411. et Tassum *Cant.* XVIII. *Stanza* 93. Wartonus laudavit.

606. 607 *Tu ne qua p. Jussa time:* prop-

Jussa time, neu præceptis parere recusa.
Hic, ubi disjectas moles avolsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit; totamque ab sedibus urbem
Eruit. Hic Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro adcincta vocat.
Jam summas arcis Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone sæva.
Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit; ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque inpone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat; et spissis noctis se condidit umbris.
Adparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deum.
Tum vero omne mihi visum considere in ignis
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja;
Ac veluti, summis antiquam in montibus ornum
Quum ferro adcisam crebrisque bipennibus instant

ter illa, quæ v. 619. sqq. subjunget. Mox *undantem* pulere, v. VIII. 257.

610 Ex loco Iliad. μ, 27. sqq., ubi Neptunus vallum Achivorum diruens describitur: h. l. æquat urbem solo. Sunt autem hi ex infestis Ilio diis præcipui, Neptunus, Juno, Athene. Vide vel Iliad. υ, 33. sq.

612—614 Juno præit dux,—*prima* quippe in urbis ingressu—*sociam agmen* Achivos—*vocat* ut apud Homerum Neptunus Iliad. ν, 83. sqq. et Apollo apud eundem Trojanos de muris Trojæ inclamat.

615. 616 Pallas insidet arci Pergamo, ut ap. Homerum Apollo Iliad. ε, 460., sed ibi ad tuendum, h. l. ad evertendum; *nimbo effulgens et Gorgone sæva;* ægide. Si utramque eodem modo dictum est, ut illa fulgeat, ut ægide, ita nimbo, *nimbus*, qui de obscura fere vel atra nube dicitur, h. l. de candida et lucida nube accipiendus erit, quod alibi non facile occurrit; nisi unum locum inf. IX. 110. 111. huc trahas: *Hic primum nova lux oculis affulsit, et ingens Visus ab aurora cœlum transcurrere nimbus.* Verum *effulgens* est pro conspicua; aut *effulget illa ægide*, quia fulgentem ægidem tenet, a qua relucet *nimbus*, nubes obscura, qua illa cingitur: quod sollenne est, ubi de diis iratis agitur. De nimbo capita deorum ambiente in poëta nostro cogitare non licet. 617. *vires secundas*, ut eventus sit optatus et ex voto. Mox possis forte *sæva Pallas Gorgone*, jungere, h. e. sæviens, vibrans ægidem: sed hoc nimis argutum. Sæva est Gorgo jam per se, truculento ore. 618. *in Dardana arma*, adversus Trojanos pugnantes.

619 *Eripe* pro *fugam rape*, raptim capesse, accelera. *labori*, pugnæ, discede ab armis. Ego te per hostes medios tutum reducam domum tuam. cf. 634. 622. Dum illa loquitur, Æneæ cernuntur dii occupati in urbe evertenda. Grande et mirabile phantasma!—*diræ facies*, non monstra, sed, dirum visum. 626—631. Similia ex Homero

Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Volneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avolsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis
Expedior; dant tela locum, flammæque recedunt.
Atque, ubi jam patriæ perventum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montis, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troja,
Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam:
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia, et captæ superavimus urbi.
Sic o, sic positum adfati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam. Miserebitur hostis,
Exuviasque petet. Facilis jactura sepulcri.
Jam pridem invisus divis, et inutilis, annos
Demoror: ex quo me divom pater atque hominum rex

Il. δ, 482. sq. sed ad occisos, non ad urbis excidium, instituta, verborumque ornatu cum h. l. neutiquam comparanda. Ab initio deficit commoda transitus formula: *Ac veluti*. non enim sequitur apodosis; quæ facile expectari poterat. Nunc explendum; *visa Troja verti*, everti, *ac* ruinam trahere, *veluti ornus traxit*, trahit, *ruinam*. Ornatum illud *Volneribus supremum ingemuit*: et *traxitque jugis avolsa ruinam*, plus quam *duxit*, *fecit*; et hæc pro, *evellitur arbor*, *prorsit*.

632. 633 *Descendo* de arce; non de turri; nam hoc jam factum v. 570. 588. *expedior*, liberum iter habeo inter hostium tela et flammas: ut contra *impedimur*, obstante turba. Vulgari sermone *via* ipsa *expediri*, *expeditum iter*, dicitur. *ducente deo* ex Gr. ὁ θεός, sæpe exquisite pro dea, aut *deus* absolute τὸ θεῖον, numen; *dant tela locum*: intactus telis et igni iter facit. cf. Æn. VI. 110. 111.

638—640 *Exsilium pati*, ut φυγεῖν, graviter de patria relinquenda. Negat se esse Troja discessurum. *integer ævi sanguis*, h. e. integri ævi, juventæ, adeoque pro, juvenilis vigor. Mox *agitare* (animo) *fugam* proprie est, de fuga deliberare.

642 *Satis superque una excidia vidimus*, exquisite; satis superque est, quod semel Trojam (ab Hercule propter Laomedontis perfidiam) expugnatam vidi et urbi captæ supervixi, ne bis idem experiar.

644 *Sic positum corpus*, pro me, *κείμενον*, quasi jam funus, sive jam efferendum, sive jam sepultum, *sic*, ut sum, me *adfati* extremum illud Vale! Vale! Bene Pompon. Sab. *præstate mihi funebre officium; et ubi effati estis ultima illa verba, quæ dici solent mortuis, discedite*. cf. ad Tibull. III. 2. 15.—Vide tamen, an vividior exeat oratio: *sic, sic discedite*, sic, ut estis.

645 *manu*, non mea, sed hostis. *miserebitur hostis*, ut vel miseratione motus me supplicantem, ut vita liberet me, occidat; vel *exuvias petet*, et occidet me, ut spoliet me. Cadaver insepultum abjici, quod aliis tam horrendum, mihi grave non est.

647—649 Fundus fabulæ in Hymno in

Fulminis adflavit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra, effusi lacrimis, conjunxque Creüsa,
Ascaniusque, omnisque domus ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus hæret in isdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium aut quæ jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuosque juvat: patet isti janua leto;
Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, juxtaque Creüsam,
Alterum in alterius mactatos sanguine, cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.

Venerem v. 287—289.: afflatus fulmine et secundum alios excæcatus, juxta nostrum tantum debilitatus membrisque captus, Anchises, quod consuetudinem cum Venere evulgarat. *annos demoror*, quasi festinantes diu vivendo detineo. Dictum pro morari in vita, *morari vitam*, (ne decurrat) *annos*, ut: *morari mortem, fata, Orcum, animam. fulminis adflavit ventis*, pro fulmine, quandoquidem aër fulminis jactu impulsus et rarefactus intercludit spiritum; saltem motus et impetus aëris cum fulmine sentitur: recte enim monet Meierotto V. C. in Dubiis p. 56. nostram subtilitatem physicam in vetere poëta locum non habere: verum docebat ipsa res, cum aëris impulsu fulmen cadere: hinc noto usu loquendi dicta *aura fulminis*: unde ipsum *adflare* ductum. 650. *fixus*. affixus loco, non discedens domo. cf. 699.

651—654 Lugubris sane et miseranda rerum facies, si singula cogites; sed an Wartono assentiaris, qui Lebrunium melius hoc argumento usurum fuisse putat, quam Darii tentorio, forte dubitea. Major utique rerum fortunæque conversio in hoc rege cernitur, quam in familia privati hominis, Æneæ. *Nos contra* orare non desistimus *effusi lacrimis*, exquisite pro *in lacrimas*. *ne vertere s.* h. l. evertere, perdere, *fatoque urguenti incumbere*, vellet: h. e. exitium, quod vel sic imminebat, accellerare. *Urgent*, quæ instant: ut, quæ casum minantur, his si *incumbimus*, ea impellimus, ut proruant. Bene Servius: " Simile est, ut: *currentem incitare, præcipitantem impellere.*"

657 sqq. Ad patrem Anchisen conversus hæc dicit. Affectus nota impetum, pulcre expressum abruptis etiam sententiis. *tantum nefas*, ut suaderet rem tam nefariam. 661. *patet isti janua leto*, ad talem mortem ab hoste accipiendam via patet; ea mors facile obtineri poterit. Idem quod 645. ipse *manu mortem inveniam*.

662. 663 Refellit ista v. 645. 646. *miserebitur hostis* etc. *multo de sanguine*, cum dilectu positum epitheton, quem effudit sine omni senis miseratione, et 663. respicit v. 529. sqq.

668 *Arma, viri*, sc. quæ ingressus domum deposuerat. *vocat lux ultima victos*,

Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Prœlia. Numquam omnes hodie moriemur inulti.
Hinc ferro adcingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjunx
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et conjunx quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter, mœstorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit, et cœlo palmas cum voce tetendit:
Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos; hoc tantum; et, si pietate meremur,

quanto potentius! quam, manet *nos* mors; moriendum est. Vocant nos, quæ nos expectant vel excipiunt. 669. *Reddite me Danais.* Idem color inf. X. 61. *Xanthum et Simoenta Redde oro miseris.* Mox 670. *numquam* pro non, ut Ecl. III. 49. Sententiam gravius extulit Homer. Iliad. χ, 304. 305. Μὴ μὰν ἀσπουδί γε, καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. et 672. *manum insertabam clipeo*, loro clipei vel ansæ. v. sup. 393.

672 sq. Ante oculos fuisse h. l. Homerum, notarunt jam viri docti: v. Iliad. ζ, 394. etc. 399. sqq. *tendebat* doctius, quam *ostendebat*, et *patri*, quam *mihi*. Apollon. I. 558. φίλῳ διδόσκετο πατρί. 676. *expertus* additum: ex pristinis virtutis experimentis, factis.

678 *Conjunx quondam tua dicta*, h. e. quæ eram. Non argutandum. ut notum illud: καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν, h. e. esse. *cui relinquor*; cum notione tutelæ. inf. IV. 323. *cui me moribundam deseris, hospes?*

680—684 Mutat Anchises consilium omine oblato. Flamma e capite micans ostenti et præsagii regiæ dignitatis genus vel ex narratione de Servio Tullio notum. Conf. inf. VII. 73. sqq. Doctus autem Anchises auguralis scientiæ Veneris munere. *apex*, flamma in apicem acuminata, visus is est *fundere lumen de vertice Iuli*, h. e. lucere; ut Ovid. Fast. VI. 636. *inque coma flammeus arsit apex.* Hanc rationem damnare equidem nolim et sic *levis* bene de flamma. *flamma visa lambere tactu*, contactu, ita ut innoxia esset, pro innoxie. *Lambere, pasci*, pro ardere quam ornate! ex ignis natura. *fontibus*, docte pro fonte, et hoc pro aqua. Ornate autem singula dicta. cf. imitationem Valerii Flacci I. 570. sqq.

690 *Adspice nos*, pro vulgari, *respice*, ut animum ad Trojanos advertat; nam adhuc

Da deinde auxilium, pater, atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore
Intonuit lævum, et de cœlo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere silva,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Adfaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Jam jam nulla mora est. Sequor, et, qua ducitis, adsum.
Di patrii, servate domum, servate nepotem!
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille; et jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque æstus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici inponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe servet vestigia conjunx.

aversus ab iis esse videbatur. *hoc tantum*, sc. plura a te non peto. cf. Burmann. *hæc omina firma*, secundum auguralem disciplinam. Hoc statim fit, dum lævum tonat.

693—698 Stella cadens inter prognostica Georg. I. 365. sqq. at nunc inter auspicia habitum, et h. l. quidem lætum fugæ suscipiendæ. Respexisse videtur poëta Homerum Iliad. Δ, 75. sqq. Mirum tamen, quod h. l. cum tonitru conjuncta est, nec modo cum sulfureo halitu. Ad Luciferum, Veneris stellam, Æneæ conspectam, traxerant alii. v. sup. ad I. 382. Nec de fulmine *stella* accipi potest. Non autem *cucurrit multa cum luce*, sed *stella ducens facem multa cum luce*, h. habet speciem facis longæ. Hinc 697. *longo limite sulcus Dat* lucem.

699—704 *victus*, expugnata tandem voluntate. *se tollit ad auras* pro simplici, e strato se attollit, surgit. *adfatur deos*, precatur. *vestroque in numine Troja est* dubiam admodum interpretationem habet, et insolens est: *in numine esse*. Cum hæc verba conjuncta sint cum illis: *Vestrum hoc augurium*, poëta declarasse videtur, *numen* ipsi simili significatu esse dictum, h. e. pro *augurio*, *omine*, ut inf. VII. 119. Simplicissima itaque ratio hæc est: Troja hæc, quam ego deserere, cui ego superstes esse nolui (sup. 637.) vestro hoc augurio declaratur mihi esse deserenda. *Troja est*, Troja mihi erit, non hæc, quæ nunc incensa est, sed, quocunque vestrum augurium, o dii, ducet nos. Nam, ut novum Trojæ ortum ostendi sibi Anchises putet, multo argutius, quam illud, esse videtur, quasi sit: *Troja est in v. n.* h. e. Troja altera promittitur hoc omine, ut III. 86. *Serva altera Trojæ Pergama*.

705 *Clarior ignis* h. l. clarior strepitus ignis, *propiusque incendia volvunt æstus*, h. e. calorem, *incendia volvunt*, ornatissime, pro flamma, incendium, propius adserpit.

711 *Longe servet vestigia*, h. e. observet gressus meos; e longinquo autem, ne, si multi una exirent, deprehenderentur ab hostibus. Itaque et famulos per diversas vias

Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertæ Cereris, juxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos:
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello e tanto digressum et cæde recenti,
Adtrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus latos humeros subjectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis;
Succedoque oneri. Dextræ se parvus Iulus
Inplicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
Pone subit conjunx. Ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auræ; sonus excitat omnis;
Suspensum et pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse vicem: subito quum creber ad auris
Visus adesse pedum sonitus genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentis clipeos atque æra micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum

dimisit. Mox 712. pro vulgari *advertite animos ad ea*, quæ dicam.

714 *Deserta Ceres* exquisite dicta, cujus templum erat desertum vetustate vel belli decennalis tempore. *ex diverso*, ex diversis partibus ac viis, quibus dimittuntur.

717 *sacra et Penates*, ut sup. II. 293. sive ut *sacra* sint genus, complexum cum Palladio, Vesta, igne sacro, inprimis Penates; sive ut sint diversæ res.

721—723 Instravit Æneas humeris vestem, vestique pellem. Superinsternor veste et pelle leonis (ante oculos habuit Iliad. ν, 326. sqq., ubi Agamemnon simili habitu inducitur) humeros et colla subjecta, h. e. collum, quod subjicio, submitto oneri imposito.

726—729 Suaviter et ex affectus veritate! *glomerati ex agmine* (v. sup. 414.) doctior ratio; quamvis et ipsi in *agmen* colligebant se, ex hostilibus tamen copiis confluxerant.

730—734 *Portis*. Est porta ab hoste aversa, ad Idam ducens, et ad partes australes, unde littus peti poterat, et in eo Antandrus III. 6. *omnem vicem*, fortunam, periculum. *adesse ad auris* dictum potest videri pro accedere, vel accidere ad aures, allabi auribus, ut inf. IX. 474. Poëticæ tamen dictioni convenientius jungere: *creber ad auris* sonitus, qui crebro, clarius clariusque, auditur. *prospiciens*, quippe in humeros filii sublatus. Non ad metum referendum. *ardentis clipeos*, relucente flamma, quippe æreos.

735—740 *numen male amicum*, inimi-

Confusam eripuit mentem. Namque, avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum,
Heu! misero conjunx, fatone erepta, Creüsa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum; nec post oculis est reddita nostris;
Nec prius amissam respexi, animumve reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris sedemque sacratam
Venimus: hìc demum conlectis omnibus una
Defuit; et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Conmendo sociis, et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnis, omnemque reverti
Per Trojam, et rursus caput objectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portæ,
Qua gressum extuleram, repeto; et vestigia retro
Observata sequor per noctem, et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. Inruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur; exsuperant flammæ; furit æstus ad auras.
Procedo, et Priami sedes arcemque reviso.

cum, infestum δαίμων τις κακός. *mentem confusam eripuit*: duo jumxit, quæ fere sigillatim poni solent. *eripere mentem*: ἐξελέσθαι φρένας; *mens confusa*, perturbata: σὺν δὲ γέροντι νόος χύτο, utrumque Homericum. *nota regione viarum* pro excedo, deflecto, de viis notis, frequentibus, tum pro *via* poni possunt *loca*, *partes*, *regiones*, per quas viæ patent; hinc *regio viarum* poëtis ducta. Jungi possunt: *fato erepta Creüsa, substititne an erravit via.* " Non enim dubitat fato esse sublatam; cf. inf. 777." Ita Servius. Melius tamen: *conjux mihi erepta Creüsa fatone substitit an erravit de via, an lassa resedit?*

742 *tumulum, antiquæ Cereris sedem*, collis, in quo antiqua Cereris erat ædes, sup. 713. Male de sepulcro Potter. *Gr. Ant.* T. I. p. 174. Mox 746. *crudelius*, h. l. quod magis doleret.

749—755 *Ipse urbem repeto—Principio muros repeto.* Quod in verbis ingratum est, mutaturus erat Maro. Declarat autem prius illud consilium generatim; constitutum ei erat urbem repetere. 750. *Stat*, decretum est apud me, ut sæpe. 752. *obscura limina portæ*, porta per noctem obscuram oculos fallens. sup. v. 725. *per opaca locorum.* 754. *lumine lustro*, simpl. circumspicio. 755. horror noctis ubique terret me.

Et jam porticibus vacuis Junonis asylo
Custodes lecti Phœnix et dirus Ulixes
Prædam adservabant. Huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Inplevi clamore vias, mæstusque Creüsam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quærenti, et tectis urbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creüsæ
Visa mihi ante oculos, et nota major imago.
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjunx? non hæc sine numine divom
Eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creüsam
Fas; aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia, et vastum maris æquor arandum;
Et terram Hesperiam venies: ubi Lydius, arva
Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris.
Illic res lætæ, regnumque, et regia conjunx
Parta tibi; lacrimas dilectæ pelle Creüsæ.

761—766 A domo sua quam expilatam et incensam ardere videt, ad arcem et regiam tendit: hic vero hostem videt asservare prædam et captivos; Creüsa itaque nec hic reperta, discedit. *Porticibus vacuis*, cf. sup. 528. *Junonis asylo*, simpl. pro templo, quod in arce fuit. cf. sup. ad 567. Eurip. Troad. 32. simpl. ὑπὸ στέγαις ταῖσδ'. *pueri et matres* captivæ abducendæ. Notatum tamen in h. l. Trojanis jam temporibus prædam non temere cuique pro se parare licuisse, sed unum in locum fuisse congerendam, mox certis legibus dividendam; unde munera ἐξαίρετα locum habebant. Id quod inter cultioris vitæ elementa referri solet. Porro nondum illa ætate religioni habuisse victores fana expilare et incendere.

771. 772 *tectis urbis*, intra urbis mœnia. *simulacrum*, εἴδωλον, *infelix*, infeliciter amissæ Creüsæ. 773. *nota major i.*, h. e. pristina; igitur jam dea facta. Nota veterum opinio.

774 Ex Iliad. ω, 358—360.

777 Iliad. ε, 185. Οὐχ ὅγ' ἄνευθε θεοῦ τάδε μαίνεται. Et similia alibi. Omnino hæc oratio est affectus plena.

779 *Fas*, fatum, seu voluntas deorum.

780—784 *exsilia* pro *exsilium*, et hoc pulcre pro longo itinere vel errore, adjuncta notione, quod extra patriam fit. Ductum ex φυγή. et ex *arandum* adsumendum verbum latius: *obeunda*, ut jam Serv. *Lydius Thybris* pro Etruscus, ex vetere opinione originis Etruscorum a Lydis ductæ. *arva virum* signate, exemplo Græci ἀνδρῶν. *leni fluit agmine*. Supra Georg. I. 322. *agmen aquarum*

Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Adspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divæ Veneris nurus:
Sed me magna deum Genetrix his detinet oris.
Jamque vale, et nati serva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrimantem, et multa volentem
Dicere, deseruit, tenuisque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque virosque,
Conlectam exsilio pubem, miserabile volgus.
Undique convenere, animis opibusque parati;
In quascumque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum; nec spes opis ulla dabatur.
Cessi, et sublato montem genitore petivi.

dixerat; at h. l. absolute Ennii exemplo Annal. V. *Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen* apud Macrob. VI. 4. Acceptum igitur novum vaticinium a Creüsse umbra de sedibus in Italia quærendis. 784. *parta tibi*, nunc fato destinata. *Lacrimas Creüsæ*, propter C., ut alia.

785—789 Præclari versus; metuere autem debuit, ne illa in hostium manus incidisset; et captiva abduceretur. Similitudinem habent inf. III. 321. sq. Andromachæ verba; et quoties non decantata est hæc calamitas in Tragicis! Memorat autem Neoptolemi regiam v. 785. tanquam præcipui inter Achivorum duces. *sedes superbas*, regiam superborum dominorum. 788. Magna deum Mater. Videtur innui: a Cybele eam in consortium esse assumtam tanquam Nympham in patrio solo. 789. plenus affectus versus.

792—794 Versus ducti ex Homero Odyss. λ, 205—207. Unde petierunt et alii. cf. sup. Georg. IV. 500. 798. *Conlectam exsilio*, ad fugam. *pubem*, juvenes quoque. Mox 799. *opes*, fortunas ad naves faciendas, instruendas et sic porro.

801 Noto poëtarum more sidera de montibus proximis oriuntur et occidunt; re ab oculorum sensu petita. Ida autem Trojæ imminens. *Lucifer*, stella Veneris accommodate.

802—804 *Limina portarum*, portas. *Spes opis*, auxilii patriæ ferendi, Serv. Est simpl. salutis. Igitur discessi. *montem*, int. Idæi jugi partem, qua ad Antandrum via ferebat. cf. IX. 80.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Eversa Troja, Æneas collectis suorum reliquiis, quæ cædi flammisque superarant, parataque apud Antandrum viginti navium classe, primum in Thraciam defertur: ubi, cum futuræ urbis fundamenta poneret, territus Polydori a Polymnestore cæsi prodigiis, Delum petit 1—77. Consultoque ibi Apollinis oraculo, cum antiquam gentis suæ matrem, hoc est, primam originis suæ terram repetendam didicisset, falsa Anchisæ patris interpretatione adductus, Cretam contendit—120. Verum cum ibi quoque, positis jam mœnibus, gravissima peste exagitaretur, in somnis monitus a diis Penatibus, relicta Creta, Italiam petit—192. Ibi subito oborta tempestate, primum ad Strophades insulas appulsus, ab Harpyiis infestatur—269. Mox Actium delatus, in honorem Apollinis ludos celebrat—290. Inde, Corcyram prætervectus, Epirum tenet: quæ id temporis Heleno Priami filio parebat, cui post Pyrrhi cædem Andromache in conjugium cesserat. Helenus Æneam hospitio excipit, omnique humanitatis genere complectitur, imminentiumque terra marique periculorum certiorem facit—505. Æneas, relicta Epiro, Tarentum primamque Italiæ oram prætervectus, ad eam Siciliæ partem, quæ Ætnæ monti adjacet, appellitur. Ibi Achemenidem, ab Ulysse in Cyclopis antro desertum, supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum feritate, inde ancoras solvit—681.: memorque præceptorum Heleni, vitatis Charybdis et Scyllæ periculis, Siciliæ littora longo circuitu circumvectus, tandem Drepanum advehitur, ubi Anchises, tum senio tum longæ navigationis jactatione fatigatus, fatis concedit—713. Inde Italiam petiturus, immissa ab Æolo subita tempestate in Africam ejicitur: quam partem libro primo exsequutus erat poëta.

POSTQUAM res Asiæ Priamique evertere gentem
Inmeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troja:

Rerum varietate et doctrinæ copia hic liber cæteris facile præstat, totus ille ad Odysseæ exemplum conscriptus. Quod tamen minus vulgo lectores suavitate sua detinet, non tam id facit, quod Segraisius judicabat, quod liber secundus gravissimi argumenti, nam de Trojæ excidio agit, antecedit, et Didonis amores suavissima narratione sequuntur; sed potius hoc, quod multarum rerum, inprimis quæ ad mythos veteres et geographiam antiquam spectant, notitiam habere debet is, qui omnia, quæ poëta leviter tantum attingit et perstringit, intelligere velit.

1—3 Splendidum exordium, pro: Postquam Troja in hunc modum fuerat eversa. *res Asiæ*, regnum Asiæ v. sup. ad II. 556.

Diversa exsilia et desertas quærere terras
Auguriis agimur divom, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiæ molimur montibus Idæ;
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat æstas;
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat:
Litora quum patriæ lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troja fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus et magnis dis.
Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Trojæ, sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis;
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.

4—8 *Diversa exsilia, desertæ terræ*, ad miserationem satis graviter, pro terris novis ac *diversis*, longinquis, inhabitandis. *Auguriis divom* sup. II. 691. sq., nisi addere malis prodigium flammæ v. 682. et Creüsæ monitum v. 780. In *Antandro* tenendum, versus meridiem ab Ilio, ad sinum Adramyttenum, fuisse saltem serioribus temporibus, urbem Antandrum, navale, ad Idæi montis radices. Nihil igitur mirum, si poëta naves Æneæ in tam nobili et commodo loco ædificatas tradit. Materies classi ædificandæ ex monte Ida, et quidem ex jugis in mare procurrentibus Gargaris (τὰ Γάργαρα sunt), suppetebat.

8 *Vix prima* i. *æstas* s. æstatis prima pars, h. e. ver. Nam Troja eversa fertur sub initium veris. 9. *Fatis*, propter deorum jussa et monita, de quibus ad v. 5. dictum. *Vela dare fatis*, tertio casu, i. e. permittere, ut *velis*, vix Romanum esset.

10—12 Notabilis est Servii nota: "*Amat poëta, quæ legit, immutata aliqua parte, vel personis, ipsis verbis proferre. Nævius enim inducit uxores Æneæ et Anchisæ, cum lacrimis Ilium relinquentes, his verbis:* Amborum uxores noctu Troiad exibant, Capitibus opertis, flentes ambæ, abeuntes Lacrimis cum multis. *Hoc iste Æneam eodem in tempore eusdem rei caussa inducit fecisse, cum dicit:* Litora quum p.—relinquo." *Et campos ubi T. f.* pathos in brevitate jam Macrob. miratus est, V. 1. *cum sociis* v. sup. II. 796. Apud Pompon. servatum est antiquum Scholion: "Cum sociis: versus est Ennii, et sunt verba Pyrrhi." *Penatibus et magnis dis:* hi inter se discernendi quomodo sint, vix dicere habeo, cum et perpetuo pro iisdem habeantur, et nullos alios Æneas secum Troja abstulisse memoretur. Explicative igitur alterum adjectum: cum *Penatibus, magnis diis;* aut *cum magnis diis*, qui *nostri Penates* sunt: inf. v. 148. *Effigies sacræ* divum *Phrygiique* Penates. Niai simplicissimum est accipere dictum, *cum magnis diis Penatibus*. Nam *dii Penates* vulgari quoque sermone dicti sunt.

13—18 Primum Thraciam universe designat, *Terra Mavortia* (nam, Thraciam Marti sedem tribui jam ab Homero, notum est, et cf. inf. 35.). *vastis campis—Thraces arant, acri*, sævo (v. h. l. Guellium), *quondam regnata Lycurgo* e fabulis de Baccho noto, v. Homer. Iliad. ζ, 130. sqq. *regnata:* passive. Mox dum *hospitium antiquum Trojæ* memorat, regem Thracum hospitii jure cum Priamo junctum indicat: neque *socios Penates* aliud, quam declarationem ejus hospitii esse puto; debuerunt enim hospites eosdem deos tutelares habere: Certe societate junctos reges innuit. Docte quidem, nimis tamen subtiliter, Pompon. Sab. ad communem Thracum et Phrygum originem refert. Regem Thraciæ, qui tum erat, sequentia v. 49. declarant esse Polymnestorem. Jam hunc Chersonesum Thracicam tenuisse fabula vulgo narratum erat; quod imprimis Euripidis auctoritate constat in Hec. v. 8. Itaque Virgilius dum ad Hebri ostia urbem ab Ænea, qui adeo in iis locis esse debuit, conditam memorabat, fabula a

Sacra Dionææ matri divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum; superoque nitentem
Cœlicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.
Adcessi; viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbor
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor, et caussas penitus tentare latentis:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestis,
Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis:

vicina regione petita narrationem ornare facile potuit. Quid? quod Polymnestoris ditio ad Hebrum usque extendi potuit. Certe Plinius IV. 11. *Oppidum Ænos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio. fatis iniquis* sive propter ea, quæ sequuntur, satis sinistra, sive quod iniqua fortuna decedere patria et alienis terris sedem quærere coëgerat.

19 sq. Sacrum parans Æneas diis, imprimis Veneri et Jovi, dum frondes, quibus aram ornet, petit, ecce prodigium offertur: Surculi quos solo evellit cruore stillant. Parat autem sacrum Æneas in *novæ urbis* primordiis et auspiciis: quorum religio ad Apollinem potissimum refertur.

20 *Nitentem* candidum potius quam pinguem intelligo; candor enim spectatur in victima Jovi ferenda. Etsi etiam pro altero laudare possis Homerum Iliad. β, 403.

22—25 Ornata oratio. Sentis, si in vulgarem transferas: *in cujus vertice cornus et myrtus talent. Cum inde frondes coronandæ aræ peterem.* Porro *tumulus* h. l. simpl. collis; nam insepultus fuerat projectus, ut ex v. 62. sq. apparet, et cf. 45. 46. Arena autem, ventorum fluctuumque impulsu aggesta, in colliculi speciem, corpus erat tectum. In mare projectum corpus in littus fluctu ejicitur, apud Eurip. Hec. v. 26. 697. sqq. quem sequi maluit Ovid. Met. XIII. 437. sqq., ubi pleraque ex Euripide expressa. *horrida* noli aliter accipere, quam myrtetum horrere densis virgultis; uti omnia prominentia *horrere* dicuntur. *hastilia* pro virgis myrti, unde hastas et jacula faciebant veteres; quod jam vidimus Georg. II. 447. *At myrtus validis hastilibus, et bona bello Cornus.* Jaculis enim confixus Polydorus inf. v. 45. 46. quæ infixa terræ radices egerant. Myrtus autem bene in littorali plaga. Georg. II. 112. *Littora myrtetis lætissima. tegerem:* tegere, velare, proprium in re sacra de coronis ac sertis; cf. sup. II. 248. 249.: myrtea serta utpote in sacris Veneris.

28 *Huic a. l. s. guttæ* ornate pro, ex ea manant guttæ sanguineæ, pro succo scilicet: proprie sanguis liquitur, *τήκεται*, solvitur in guttas. Ge. II. 187. *liquuntur amnes rupibus*, fluunt. Et mox: *terram tabo maculant*, quanto ornatius, quam, cadunt in terram! atque sic porro. Mox *tentare* est explorare. Cæterum fabula, quam Virgilius et ipsam, ut tot alia, a poëtis cyclicis accepisse videtur, satis probabilis videri debuit olim iis, qui in arbores mutari puellas, Nymphas Hamadryadas cum arboribus nasci, sacris arboribus succisis guttas sanguinis manare, legissent.

34—38 Valde animo æstuans super prodigii caussis adoro Nymphas Hamadryades et

Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nisu
Adgredior; genibusque adversæ obluctor arenæ:
Eloquar, an sileam? gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris:
Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troja
Externum tulit; aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threïcio regi; quum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrum, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monstra deum refero, et, quæ sit sententia, posco.
Omnibus idem animus scelerata excedere terra;

Martem Indigetem, ut malum omen avertant. *visus* pro visum h. e. ostentum, portentum, quod *secundum*, felix esse et *levari*, in bonum converti vult. Mox 38. *obluctor*, ἀντιβαίνω, aut *ἀντεμάχομαι*.

41—43 *Jam* tandem *parce s. parce scelerare*, h. e. noli, (ut apud Horat. et al.) polluere scelere manus. Male alia Servius; at recte idem *sepultum* h. l. vidit esse fortuita obrutum terra. cf. ad v. 22. *me tibi non externum Troja tulit*, protulit, genuit, h. e. Trojanus sum. Non cruor *de stipite*, sed de meo corpore manat.

45. 46 *Seges telorum increvit jaculis acutis*, h. e. tela, ut emissa erant in me, in hoc tumulo excreverunt in arbores, unde jacula petuntur. Ita *jaculis* est casus tertius, pro *in jacula*. Alioqui copia otiosa dictum esset, *seges telorum increvit ex jaculis*, h. e. *telis*. (Igitur telis erat confossus; aliter atque apud Euripidem qui eum ferro concisum narrat.)

47 *Pressus formidine*, puta positum pro vulgari, *oppressum*.

54 Rem et causam Agamemnonis potiorem factam; partes Agamemnonis.

55 *Fas omne abrumpit*, paullo audacius dictum videtur, divina humanaque jura infringit, violat. Mox 56. *quid non—cogis* pro *ad quid*. Sed præpositio eleganter omittitur. sic τί pro πρός τι.

Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.
Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Adgeritur tumulo tellus; stant Manibus aræ,
Cæruleis mæstæ vittis atraque cupresso;
Et circum Iliades crinem de more solutæ.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras: animamque sepulcro
Condimus, et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii navis, et litora conplent.
Provehimur portu; terræque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri et Neptuno Ægæo:
Quam pius Arcitenens, oras et litora circum
Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit,
Inmotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror; hæc fessos tuto placidissima portu
Adcipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,

61 *Dare classibus austros* non est hypallage, quam vulgo jactant, ut perversa ratione res efferantur; sed, ut vulgo *navis vento tradi* dicitur, sic exquisitiore ratione *navi ventus*, ut vela ventis pandantur et sic porro.

62 sqq. Locus *de inferiis* classicus. Nota rerum ac verborum proprietatem. *Instauramus funus*, religioso vocabulo, pro facimus. *tumulo*, ut tumulus vere dictus et rite paratus isque, e more priscorum hominum, altissimus, fieret, non temere aggestus, ut v. 22. *stant aræ*, doctius, quam, ara statuitur. *cæruleæ* vittæ sunt nigræ. *mæstæ vittis* mœstitiam declarantes, exquisite, cum *ornatæ*, *velatæ*, dicere deberet. *cupressinis* frondibus coronatur h. l. ara. *Cupressus atra* non nativo colore; sed quia funebris arbor, Diti sacra. Matronæ Trojanæ solutis crinibus circumstantes tumulum plangunt et lamentantur. *inferimus*, ἐνηφέρομεν χοάς, *cymbia lactis* cf. Ecl. V. 67. *sanguinis*, victimæ cæsæ. *animamque sepulcro condimus*: Manes placamus, ut quieti suæ reddantur; *et supremum voce ciemus* h. e. vocamus. Ter acclamatum; Vale. Have. Corpore enim insepulto vagatur anima, sepulto autem redit ad quietem sepulcri, ut bene Servius.

69—72 Ornati versus. Cum primum ineunte vere navigari posset, iterum naves conscendimus. *auster* h. l. non proprie, nam ex Thracia evectis is non potest esse secundus ventus; sed h. l. pro vento omnino. *Vetti dant maria placata*, quatenus ipsi sunt placidi.

73—77 Delus olim mari vaga tandem inter Gyarum Myconumque, Cyclades, consedit, ἱζάμεναι, fixa est. nihil amplius. *mari medio* seu quia Cycladum media habita, seu simpliciter, in alto; modo loquendi Homerico Odyss. ε, 844. ut mox de Creta v. 104. *Nereidum matri*, Doridi, et *Neptuno (Ægæo* dicto, quod ejus sedem in Ægæo mari poëtarum narratio consecravit.) *Gratissima* iis Delus ex antiqua fabula. *pius*, gratus erga insulam, φίλων τιθήνην, in qua erat natus. Res vel ex Callimachi hymno in Delum nota. *Arcitenens* vox jam Nævio aliisque poëtis ante Virgilium frequentata. *oras et litora circum Errantem* illustrant illa apud Callimach. l. c. v. 41. sqq. De *Anio* v. Excurs. I. Est autem ille inter exempla regum, qui

Vittis et sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchisen adgnoscit amicum.
Jungimus hospitio dextras, et tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto.
Da propriam, Thymbræe, domum! da mœnia fessis,
Et genus, et mansuram urbem! Serva altera Trojæ
Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli!
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium; atque animis inlabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad auris:
Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Adcipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.

iidem, ex prisco more, sacerdotio fungebantur. 79. προσυπόμνημα.

82 Ex antiqua fabula repetendum, cujus vestigia servavit Servius. *Ad Anium Anchises ante Troicum bellum consultum venerat, an Salamina peteret comes Priamo; unde et agnoscitur* ac. nunc ab Anio. Eadem sequitur Ovid. Met. XIII. 641. sq.

83 *Jungimus hospitio dextras* hospitii pristini jure, propter hospitium, quod jam inter Anchisen et Anium fuerat, cf. XI. 65.

84—89 Notabili cum brevitate, sed quæ exemplo non caret (vide v. c. inf. v. 265. ubi etiam defit: *inquit*), significat poëta Æneam esse ingressum templum, adorasse deum et preces fecisse. Latius evolvere Virgilii verba videtur Ovid. Met. XIII. 633—637. *Templa saxo structa vetusto*, quis dubitet esse *vetustum templum! Da*, indica, ut Serv.; data fata sup. I. 382. *propriam*, perpetuam, stabilem, firmam. *Thymbræum* h. l. appellat nulla alia quam poëtica ratione; etsi patrius erat deus. *Thymbra* erat Troadis vicus cum Apollinis lucoac templo. Et *genus* inter cætera: *domum*, *mœnia*, *urbem*, aliud esse nequit, quam locus generi futuro, sedes stirpis, a qua nova posteritas originem ducat. Respondet igitur, *τοῖ domus*, quæ sine certa sede esse potest nulla. *reliquias Danaum*, cf. sup. I. 30. *Da pater augurium*, exemplo Priami iter in castra Achivorum parantis Iliad. ω, 310. sqq. *animis illabere nostris*. Proprie Phœbus descendit in mentem vatis sui; insinuat se, suam vim, ejus animo; h. l. etiam illis, quibus sorte data rem obscuram explicat et illustrat, φράζω. *augurium* vero h. l. pro oraculo, ut etiam alibi. Oraculo autem proprie erat locus, veteri more, in novis sedibus quærendis.

90—93 Sollenne scilicet hoc, tamquam numinis sortem edituri præsentia, ut tota natura numen sentiat: commune ἐπιφανείας deorum, etiam in festis et sacris, quæ in eorum honorem celebrantur. *omnia* deinde per species redduntur: *liminaque laurusque*. *Mons circum*, Cynthus. Nam templum in campo situm; v. Exerc. de Delo in Misc. Obss. *cortina*, δμως, operculum tripodis, *mugit*, vento subterraneo e specu, cui imposita est, surgente, siquidem credere licet, ad Delphici tripodis instar hæc fuisse adumbrata. *adytis reclusis*, ipso templi penetrali per motum terræ patefacto.

93 *Submissi petimus terram*, exquisite, pro volvimur; Lucretiano loquendi more.

94—98 Oraculum, magna cum arte verbis sententiisque ambiguis et obscuris conceptum,

Hæc Phœbus: mixtoque ingens exorta tumultu
Lætitia; et cuncti, quæ sint ea mœnia, quærunt;
Quo Phœbus vocet errantis, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras.
Creta Jovis magni medio jacet insula ponto;
Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium, et arces
Pergameæ steterant: habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelæ, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus; hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominæ subiere leones.
Ergo agite, et, divom ducunt qua jussa, sequamur:
Placemus ventos, et Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu; modo Juppiter adsit,
Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,

rebatur, respicit, vid. inf. 163.: atque hinc *Dardanidas*, non *Teucros* aut alio nomine, nunc appellatos vult Macrob. *duri*, labores tot experti, πολυτλήμονες. *Uber terræ* antiqua loquendi forma in ornatum versa v. ad I. 531. h. l. pro ipso solo. Versus 97. 98. nobilissimi illi Homerici sunt Iliad. υ, 307. 308. Νῦν δὴ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει, Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται, ex Neptuni persona dicti: nunc feliciter in sortem Apollinis versi.

102 *Volvens*, revolvens animo veteres historias. Quod autem Anchisæ interpretis hujus oraculi partes tribuuntur, etsi nunc parum sollerter ea in re est versatus, fit illud idonea de ratione: quoniam sive senectutis auctoritate, sive munere Veneris singulari hoc sibi præcipuum habet Anchises.

103 Comparant illud Odyss. β, 229. Κέκλυτε δὴ νῦν μευ, Ἰθακήσιοι, ὅττι κεν εἴπω.

104 Expressus locus ex Odyss. τ, 172. sqq. *cunabula*, origines vulgo: quæ communes fuere inter Cretam et Troadem.

106 *Centum urbes*. ἑκατόμπολις Iliad. β, 649.; res nota.

108 Ad promontorium igitur Rhœteum escendit Teucer, sive ex antiqua narratione, sive ut poëtice pro Trojano littore omnino sit dictum.

109. 110 Ex Iliad. υ, 216.—218. Dardanus Κτίσσε δὲ Δαρδανίην· ἐπεὶ οὔπω Ἴλιος ἱρὴ, Ἐν πεδίῳ πατόλις-ο, πόλις μερόπων ἀνθρώπων· Ἀλλ' ἔΣ' ὑπωρείας οἶκεον πολυπιδάκου Ἴδης (hoc est, *habitabant vallibus imis* ad Idæ radices). *optavit*: ut I. 425. *Pars optare locum tecto*: deligere, destinare.

111—113 Ex Creta traducta in Troadem sacra Cybeles, declarata ea per partes: *Mater* deum, quæ *colit*, inhabitat, *montem* Phrygiæ, *Cybelen*, *Corybantum saltationes*, cum *cymbalis*; ex Ida Cretæ nomen ductum montis Idæ in Troade, in quo illa sacra habebantur, ipsa *mysteria* Idæa (hæc sunt *fida silentia sacris*; in s., hoc est, sacrorum), et in iis *Cybeles leonibus vectæ* repræsentatio.

115 *Placemus ventos*, sacra diis maris præsidibus faciamus! cf. v. 119. et petamus Cretam!

118 *Honores*, docte pro victimis, quæ in deorum honorem mactantur in aris, ad aras.

Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretæ;
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donusam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cycladas, et crebris legimus freta concita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor;
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis,
Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco, et lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque adtollere tectis.

119. *Neptunum* et *Apollonem* memorari, tanquam Trojanorum deos patrios, putarunt nonnulli inter veteres. Videtur tamen a sorte data et navigatione facienda causa sacrificii esse petenda.

120 *Tempestatibus* sacrum fieri agna videbimus Æn. V. 772. quod autem nigra, e natura earum petitum. Sed et Neptuno ταμείλιναις ταύρους mactant Pylii Odyss. γ, 6. Verba versus 120. fere eadem ac Iliad. γ, 103. et v. 119. ex λ, 727.

121—123 Idomeneus in Cretam redux factus iterum a suis fuit exactus, tandemque, ut inf. v. 400. videbimus, in agro Sallentino extremæ Italiæ consedit. Res et caussa varie in Νόστοις tradita esse videtur. *adstare* pleniore ore quam *esse*. Neque vero sine consilio hæc de Idomeneo sunt adjecta: nam alioqui Trojanis Cretam adire vix tutum fuisset.

124 *Ortygia* unum ex vetustis nominibus Deli. Cæterum discessum Æneæ ornatius exhibet Ovid. Met. XIII. 679. sqq., qui in cæteris Maronem ante oculos habet, et totum Æneæ cursum ex eo mutuatur.

125 *Naxon*, insulam, in qua vel ipse Bacchus, ex India redux, aliquando *est bacchatus*, h. e. egit chorum bacchicum, vel in qua insula, Baccho frequentari solita, Bacchica turba *bacchari* solet, h. e. sacra Bacchica celebrare, in jugis insulæ, inde et ipse locus dicitur poëtis bacchari, βακχεύεσθαι, βακχευθῆναι. v. Georg. II. 487. Imitatur Claudian. XXXIII. 205. *ululatibus Ide Bacchatur*, et Valer. Fl. III. 20. *Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis:* loca jam aliis notata. *Donusam* insulam simpl. silvosam vel herbosam, qua specie prætervehentibus illa occurrere debuit. Et sic mox *niveam Paron*, a candidis marmoribus, quæ in montium passim jugis longe conspici possunt; et ita *Cyclades* omnino *nitentes* et *fulgentes* Horatio III. Carm. 28. 14. I. 14. 20.

127 *Crebris freta concita terris*, Sporadas esse volunt. Sufficit respici angusta maris inter insulas spatia, quæ fluctus impediunt, quo minus explicari late possint; ut adeo illi tanto altius assurgant: hæc sunt *freta* concita propter insulas, *terris crebris*.

130 Est ventus secundus, οὖρος, φέρων, ὄμενος. *surgens*, flans. Mox *Curetum oræ*, Creta. Varii de *Curetibus* et obscuri mythi: incerta interpretatio. Satis est tenere, spectare eos ad antiquissimas Cretæ origines, forte ad Phœnices incolas; fuisse auctores et interpretes sacrorum, quæ cum saltatione celebrabantur; et narratas de iis fabulas circa Jovis natales; dictos eosdem Dactylos Idæos. Traductum hinc nomen ad similia sacra Magnæ Matris Phrygum, quæ cum furore sacro peragebantur, et habitos Curetes, qui Corybantes dicti; hinc confusas religiones Creticas, Phrygias, Samothracicas. Altera ex parte confusi cum iis Curetes, Ætoliæ populus; et argutati sunt alii in etymologia. *adlabimur* jam Serv. ait ostendere, prosperam navigationem

Jamque fere sicco subductæ litore puppes;
Connubiis arvisque novis operata juventus;
Jura domosque dabam: subito quum tabida membris
Conrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut ægra trahebant
Corpora; tum sterilis exurere Sirius agros;
Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiæ Phœbumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat; quo vertere cursus.
Nox erat, et terris animalia somnus habebat.
Effigies sacræ divom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troja mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare jacentis
Insomnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras;
Tum sic adfari, et curas his demere dictis:

fuisse; etsi malim simpliciter accipere: adnavigamus, accedimus, *antiquis oris*, ut solent poëtæ, de locis antiqua fama celebratis.

132—134 Locum designat novæ urbi, Pergamo dictæ. *gentem*, socios a Troja profectos, *lætam cognomine*, nomine urbis a pristina sua patria petito, *hortor amare focos*, domicilium sibi parare et privata tecta; sed major vis inest τῷ *amare*, libenter incolere, ut sedem perpetuam futuram. *arcemque adtollere tectis*, acropolim condere. Proprie *attolli* de ædificiis in altum eductis. cf. sup. II. 185. Attolluntur *tecta arcis*, et tandem *arx ipsa tectis*.

135—137 *Puppes*. Cum a parte sua declarandæ essent naves, proprie *puppis* dicta, subductarum *in siccum* navium; prora spectante in altum. *operata* non ad rem sacram est trahendum; sed simpl. operam dare. *jura domosque dabam*. domos h. e. locum domiciliis statuendis, agrosque assignabam; et dabam *jura*, h. leges et instituta, utpote in nova civitate, condebam. Argutum nimis esset, ad jus publicum privatumque referre. Aliter *jura* I. 426.

137—142 Ornati versus inprimis v. 140. qui tamen ex Lucretio V. 987. et Ennio est adumbratus. *Venit* (quod fere de malis calamitatibusque ingruentibus ponitur) *membris arboribusque satisque lues* (quod eleganter, ut mox *seges ægra*, ab aëris miasmate, ad arbores segetesque tetro solis æstu exustas tractum). *Conrupto cœli tractu*, aëris plaga, regione, ut alibi, h. e. aëre. *anima* dicitur *relinquere nos*, et *nos animam*. Sed exquisitius hoc, adeoque poëticæ dictioni adcommodatius. Canicula autem et h. l. pro æstu cœli, qui cum ejus ortu ingruit, v. sup. ad Ge. IV. 425. et hic pro pestilentiæ caussa; quod toties apud veteres occurrit.

143—147 Forma est similis Iliad. α, 62. sq. *veniam precari*, placare deum, cf. ad I. 519. ut ille vere edicat, *quam finem fessis rebus*, calamitatibus, *ferat*, oraculo monstret, *unde jubeat tentare auxilium laborum*, qua ex re petere remedium malorum, scilicet pestilentiæ.

147 Viso nocturno a Penatibus edocetur Æneas, non Cretam, sed Italiam fatis ipsi esse destinatam sedem. Sunt *divi* iidem qui Penates, et declarative dictum: *Penates* et *effigies sacræ divom*.

152 *insertas fenestras* simpl. dictum accipe pro: fenestras, quæ sunt in pariete. Videri potest vocabulum nimis exile pro epica dignitate. Verum tenendum illud, fenestras

Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit; et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor:
Idem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. Tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ sedes. Non hæc tibi litora suasit
Delius, aut Cretæ jussit considere, Apollo.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ;
Œnotri coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem;
Hæ nobis propriæ sedes; hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terrasque requirat
Ausonias. Dictæa negat tibi Juppiter arva.
Talibus adtonitus visis, ac voce deorum,
(Nec sopor illud erat; sed coram adgnoscere vultus,

esse aperturas in pariete: non quæ nos diximus prætenta iis specularia. cf. II. 482.

155 *tua ad limina.* atqui servabantur jam in Æneæ domo? Scilicet de ipso cubiculo *limina* accipienda.

156—160 *Nos—Iidem tollemus* etc. *tua arma*, non proprie, sed imperium, ductum; melius quam si turbam, quam ducebat, accipias; mox, *sub te*, h. e. te duce. *tollemus in astra* non ad Cæsaris apotheosin, sed quod docet adjectum: *Imperiumque urbi dabimus*, ad summum potentiæ fastigium refero: quod fere cum gloriæ ac famæ summo fastigio conjunctum esse solet, de quo proprie illa dicuntur. *mœnia* refer ad Lavinium, ab Ænea conditum. *magna* enim sunt, propter magnarum rerum seriem ex hujus urbis primordiis aptarum; si tamen, quia *Urbi*, quod modo antecedit, ad Romam potius spectare videtur, etiam *mœnia magna* de Roma acceperis, etsi hæc Æneas non condidit, potest tamen *parare* ea a poëta dici, quatenus ea omnia exsequitur, quæ condendam urbem eventu antecedere fatale erat. *magnis* h. e. nepotibus, ad tantam imperii opumque magnitudinem perventuris: (nisi ducas a neutro, *magnis rebus, eventis)* nec, propter molestias, detrecta navigationem ad ulteriora loca. Mox v. 162. *Cretæ considere* pro in Creta, docte.

163—166 Iidem versus intexti erant supra lib. I. 530—533. ubi vide.

167—171 *Hæ n. propriæ sedes.* Supra ad Apollinem v. 85. *Da propriam, Thymbræe, domum. Iasius pater* si de Dardani patre accipias, habet tum *a quo* expeditam interpretationem. Sed e Servio qui e vetustioribus fabulas servavit, adparet, sequutos esse Italos hac in re Græcos mythos, qui Iasium Dardani fratrem tradidere, cum quo is in Samothraciam abiit, ut adeo *pater* posteritatis respectu dictus sit. Igitur cum *a quo* necessario ad *Dardanum* referendum sit, sic locum expono, ut dictum sit pro: *a quibus*, seu: *Dardanus, cum Iasio, a quo Dardano* etc. *princeps* h. l. auctor stirpis vel generis. *Corythum* de ipso rege ac conditore Cortonæ accipit Cluver. Ital. Ant. p. 592. Scilicet dictus conditor pro ipsa urbe et h. l. pro tota Italia, saltem Etruria ac finitimo Latio.

Velatasque comas, præsentiaque ora videbar.
Tum gelidus toto manabat corpore sudor.)
Conripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto lætus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Adgnovit prolem ambiguam, geminosque parentis;
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto, hæc generi portendere debita nostro;
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phœbo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait: et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Adparent terræ, cœlum undique et undique pontus:
Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris.

174 *Velatæ comæ*. Erat adeo Penatium caput vitta redimitum.

177 *munera intemerata*, vinum purum, pure, rite libatum. quod *munus*, mox *honos*.

180. 181 Agnovit duplicem Trojanorum ortum ac stirpem: alteram a Dardano, alteram ductam a Teucro; adeoque *ambigua proles* ipsi sunt Trojani, qui et Dardani et Teucri (et hi sunt *gemini parentes)* genus erant. Agnovit porro Anchises in interpretando Apollinis Delii oraculo, cum *antiqua mater* et *prima tellus* esset exquirenda, *se deceptum* esse *novo errore veterum locorum*, h. e. errore circa loca vetera interpretanda; quod duas terras, a quibus stirpis Trojanæ auctores olim originem traxisse vetus fama erat, nunc non distinxerat, sed alterius adventus, Dardani scilicet, ex Italia immemor, in altera terra, unde Teucer venit, tantum hæserat. Igitur *vetera loca*, terræ vetere aliqua fama celebratæ, tamquam eæ, unde Trojani originem haberent; et *novus error*, quatenus a se nunc, adeoque seriore ævo, erratum est circa hæc loca interpretanda: etsi *novus* solito more post *vetus* ornatus causa adjectum.

183—188 Cassandræ vaticiniis nunquam creditis egregie utitur poëta. *talis casus* hanc nostri generis fortunam, ut ad Hesperiam, unde Dardanus generis auctor erat oriundus, nobis sit revertendum. 184. 185. Nunc bene *repeto* memoria, eam *portendere*, prædicere, hoc esse *debitum*, fato, *generi* nostro, eam et multum memorare Hesperiam et novum regnum in Italia.

190 *paucis relictis* recte. Nam mansit urbs Cretæ, Pergamum.

191 Ἡ δ' ἴδιεν κατὰ κῦμα aliquoties Homerus. v. ad Iliad. α, 483.

192—195 Homius, P. III. c. 21. in his tautologiam inesse arbitratur. Videtur vir sagacissimus parum probare, quæ pleniore copia a poëta elaborata sunt. Sane hæc: *et inhorruit unda tenebris* de mari nigre-

Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Æquora; dispersi jactamur gurgite vasto.
Involvere diem nimbi, et nox humida cœlum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et cæcis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere cœlo;
Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.
Tris adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago; totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se adtollere tandem
Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis insurgimus; haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Adcipiunt, Strophades Graio stant nomine dictæ,
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.

scente, et illa: *Noctem h. ferens* h. e. tenebris cœlum obducens, conjuncta sunt; nec tamen sunt eadem. Sed quis, nisi omni carminis suavitate sublata, poëtæ neget hoc, ut rem primum simpliciter exponere, mox eandem ornatius, gravius, copiosius, declarare possit? modo illud teneas, fieri id non posse nisi in notionibus seu orationis partibus eminentibus inter cætera. *inhorruit unda tenebris.* Mare horret, exasperatur, fluctibus motis: quatenus ii nigri sunt, dicti sunt *tenebræ.* Tempestatem autem ortam puto cum flexu circa Peloponnesi promontoria; exemplo Homeri in Ulysse Odyss. ι, 80.; nam ibi mare undosum, æstus et procella, ex Ægæo Ionium mare petentibus etiamnunc sollicitudinem faciunt. *cæruleus,* niger, *supra caput adstitit imber,* ex Hom. Odyss. μ, 405. sq. item ξ, 301. sqq. explicandum, unde totus locus hic et inf. V. 8. sqq. expressus, Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔςησε Κρονίων Νηὸς ὑπὲρ κεφαλῆς. Etiam alias κατ' ἀκρης, *a vertice,* ἐνέπεσον ἅλλα, vel τὸ κῦμα. v. sup. ad I. 114. Mox *magna æquora,* grande voc. h. e. magni fluctus. et *gurges* de mari sup. I. 118.

198—202 *Involvere d. n.* Procellæ adspectum cœli, lucemque ac solem, eripiunt. *nox humida,* tenebræ ex pluvia. cf. sup. I. 88. 89. fulmina *ingeminant* se *abruptis nubibus.* Fulmine *nubes, cœlum, rumpi, abrumpi, scindi, findi,* dicitur. Alias ipsum *fulmen rumpit* sc. se, erumpit. Hæc semel tenenda in poëtis. *cæcis in undis,* ignoto in mari, incerto. *meminisse,* pro noscere, tenere cursum navis.

203 *Incertos soles, dies,* dixit, propter iter incertum. Servius obscuros, ut Æn. VI. 270. *incerta luna:* quod melius, adjuncto *cæca caligine.* Ante oculos autem locus Odyss. ε, 388. seqq.

205—208 Pulchri versus ad sensus veritatem in prospectu terræ ex alto. Terra *aperit* montes dum in conspectum eos admovet, ex quo ipsa visa est. *volvere fumum.* incensis passim ignibus in littoralibus habitationibus: ut fieri solet. *Vela cadunt,* demittuntur, ut, tamquam in locis vadosis, remis ad terram agatur navis. *remis insurgimus,* dum elevatur corpus magnum ad nisum. exquisitius quam innitimur, incumbimus. cf. inf. 560. V. 189. Græcis ἐμβαλεῖν ταῖς πώπαις sc. τὰς χεῖρας. *spumas, cærula,* pro mari.

210—215 *Strophades* insulæ duæ in mari Ionio, ex adverso Peloponnesi ante Zacynthum sitæ; olim *Plotæ* dictæ. Sed, propulsis ex Phinei domo ad eas usque insulas Harpyiis, Boreæ filii ἐπέςρεφον ἂψ ἐπὶ νῆα, unde

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum voltus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, et pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus: ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbas.
Inruimus ferro, et divos ipsumque vocamus
In partem prædamque Jovem. Tum litore curvo
Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Inmundo; tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris.
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
Rursum ex diverso cœli cæcisque latebris
Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis;
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac jussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt ensis, et scuta latentia condunt.
Ergo ubi delapsæ sonitum per curva dedere

Στροφάδες dici cœperunt. v. Apollon. II. 285. 296. sq. Mox in *magno* non argutandum. Dictum ut omnino *mare magnum*, *terra magna*. 213. *clausa domus* h. e. ex domo Phinei expulsæ a Zetho et Calai. 215. *ira deum* h. l. res, quæ ab ira deum venit, a diis iratis immittitur.

216—218 De Harpyiis earumque facie in anaglyphis et gemmis obvia v. Exc. VII. *ventris proluvies* sic satis honeste pro sordibus effusis. *uncæ manus*, ungues; γαμψώνυχες; enim Harpyiæ. inf. 233. *pedibus uncis*.

219 sq. Habuit poëta ante oculos episodium Odyss. μ, 262. sqq., qui locus conferendus, de armentis in insula Solis. *læta armenta*, adspectu læta, καλά; ut *seges* et alia. *caprigenumque pecus* ex Pacuvio et Attio ductum pro capris. *nullo custode*, scil. erant armenta consecrata alicui numini, ἀνιμένα, ἀφυλαγμένα, h. l. Harpyiis ut apud Homerum Soli. Unde Harpyarum ira inf. 247.

223 *In partem vocamus* honestius quam, *participem facimus*. *In prædam vocamus*, parte carnium tostarum religiose apposita: ut in epulis mos erat carnium tanquam ἀπαρχάς; diis consecrare. *toros*, ornat rem tenuem, cespitem.

225 *lapsu*, volatu, ut sæpe, *adsunt*, advolant. Mox *vox dira*, stridor.

231 *aris* simpl. focis; sed alterum voc. gravius.

234 *Polluit* plus quam *contingit* devorando.

Litora; dat signum specula Misenus ab alta
Ære cavo. Invadunt socii, et nova prœlia tentant,
Obscenas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec volnera tergo
Adcipiunt; celerique fuga sub sidera lapsæ
Semesam prædam et vestigia fœda relinquunt.
Una in præcelsa consedit rupe Celæno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
  Bellum etiam pro cæde boum stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias insontis pellere regno?
Adcipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames nostræque injuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
  Dixit; et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit; cecidere animi; nec jam amplius armis,
Sed votis precibusque jubent exposcere pacem,

238—241 *Sonitum* clangorem alarum. *Misenus* tubicen classis. *tentant nova prœlia, fœdare*, Græce, ut fœdent, cædant, vulnerent, *obscenas*, fœdas visu olfactuque, *volucres pelagi*; ex alto enim advolant. Servius eo refert, quod Ponti et Terræ, seu, secundum alios, Neptuni proles habitæ fuerint. Sed Ponti dicendæ erant neptes, secundum Hesiodum, et hoc sequi possumus, nec impedit, quod *Stygiis undis* v. 215. provenisse dixerat. Est enim hæc poëtica forma, ubi de malæ rei origine agitur.

245 Quem poëta in hoc sequutus sit, ut unam Harpyiarum fatidicam induceret, non liquet. *infelix vates* simpl. dira, sinistra. Servius: nuntia infelicitatis, ut Iliad. α, 106. Μάντι κακῶν. *rumpit vocem* sup. II. 129.

247 Ingeniose ex eo, quod sup. 220. armenta mactaverant Trojani, petitur cum epularum fœdatio, tanquam pro vindicta et pœna, tum prædictio famis futuræ. 250—252. Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι Iliad. α, 297. et alibi. Porro Apollinem, quæ dicit, a Jove habere, res nunc nota. Verba ex Æschyli fabula, Ἱέρειαι inscripta, petita esse vult Macrob. V. Sat. extr. Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός, et ταῦτα γὰρ πατὴρ Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα. *Furiarum ego maxima*, scilicet confusæ tandem fuere Harpyiæ cum Furiis.

253—257 *ventis vocatis* doctius quam ventum secundum nacti. Scilicet *vocant* ventum nautæ, dum velis excipiunt; ut apparet v. c. inf. V. 211. VIII. 707. 708. *datam*, fatis concessam, vel prædictam. Sic I. 382. *data fata sequutus*. 255. Sedes certas non invenietis, antequam mensas comederitis. Eventum res habuit lib. VII. 116. *nostræ injuria cædis* dictum cum vi; assumenda enim animo ultio et pœna huic injuriæ debita.

260. 261 *Exposcere pacem*, veniam, eorum, quæ, in Harpyias peccaverant; placare eas sive deæ sint, seu monstra, et quidem *votis preci-*

Sive deæ, seu sint diræ obscenæque volucres.
Et pater Anchises, passis de litore palmis,
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Di, prohibete minas! di, talem avertite casum!
Et placidi servate pios! Tum litore funem
Deripere, excussosque jubet laxare rudentis.
Tendunt vela Noti: ferimur spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Jam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna,
Et terram altricem sævi exsecramur Ulixi.
Mox et Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvæ succedimus urbi.
Ancora de prora jacitur; stant litore puppes.

busque: non *armis*. De pace proprie dicta, quæ et *armis* peti potest, hic non agi potest. Itaque ea forma orationis est, ut non quidem ellipsis sit inferenda, verum de inversa et immutata oratione sit cogitandum. Principio poëtæ animo insidebant hæc verba: *nec jam armis, sed votis precibusque esse agendum;* alterum hoc sic extulit: *sed votis precibusque deorum pacem esse exposcendam.* Nam *pax* est propitia, propensa, voluntas.

263—267 *Honores* ut modo v. 178. nunc, ut diis supplicet et vota faciat. *minas*, malum sinistro vaticinio denuntiatum. *et placidi servate pios*, ornatus in tenui, pro *servate nos. funem*, τὰ πρυμνήσια vel τὰ πείσματα, at *rudentes excussi*, evoluti, antennarum sunt, ad vela pandenda. Cæterum, quod jam sup. 102. vidimus, nec hic nec inf. 471. 472. sine judicio Anchisæ auctoritate res parari facit poëta. *Tendunt vela Noti.* Ἔπρησεν δ' ἀνέμος μέσον ἰστίον Odyss. β, 427. et al.

270—273 *Nemorosa Zacynthus Dulichiumque Sameque.* Δουλίχιόν τε Σάμην τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος Odyss. ι, 24. ἐν ὑλήεντι Ζακύνθῳ occurrit et alibi. Σάμη lectum fuit a Virgilio, contra atque Apollodorus volebat ap. Strab. X. p. 453. D. Sane communius nomen *Samos* etiam apud Homerum, quæ deinceps Cephallenia. *Dulichium* est prope Cephalleniam, unde etiamnunc *parva Cephallenia* vel *Teaki* appellatur. *Neritos* Virgilio videri potuit diversa ab Ithaca insula: ut Meliæ II. 7. et hoc malim; potest tamen etiam Neritos, qui Ithacæ mons est, primo loco ad designandam Ithacam positus esse, quæ mox. diserte et ipsa memoratur. *scopulos Ithacæ* Iliad. γ, 200. 201. Λαερτιάδης πολύμητις Ὀδυσσεύς, Ὃς τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης, κραναῆς περ ἐούσης. Ex eodem itaque loco fluxisse videntur *Laërtia regna* —*Et terram altricem Ulixi.*

274. 275 Leucates, ὁ Λευκάτης, nobile amantum saltu promontorium Leucadis, seu Leucadiæ, olim peninsulæ, postea insulæ. *Hoc aperitur*, in conspectum venit (cf. inf. ad 411.), *et Apollinis fanum.* Manifestum, poëtam hæc inseruisse in Augusti gratiam, a quo in victoriæ Actiacæ memoriam ludi Actiaci quinquennales instituti erant. Actium igitur, non Leucas, commemorandum erat. Quocunque me vertam, quæ hic sequuntur: *quod ad hoc fanum appulerint, urbemque intraverint, ludosque Actiacos celebraverint;* meo qualicunque judicio ad alterum promontorium ipsis sinus Ambracii faucibus prætextum ducunt: in hoc sinu Actium oppidum et portus tutus et fanum Apollinis Actiaci. Quod si, hoc posito, alia difficultas suboritur, quod Actium promontorium, intra sinum Ambracium situm, et intra exteriorem portum recedens, ex alto conspici et formidari nautis nequiit: reputandum est: Trojanos *littus legisse:* ita pervenisse ad promontorium Anactorium, quod os exterioris sinus est; hinc prospectus Actii promontorii habetur. Erit igitur oratio v. 274. et 275. *progressiva:* ut non copulentur, sed deinceps enumerentur

Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii. Juvat evasisse tot urbis
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostis.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.
Ære cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.
Linquere tum portus jubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
Protenus aërias Phæacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti adcedimus urbem.

Et Leucatæ—Et (sc. ulterius progressis) *f. n. aperitur Apollo.* Fuit autem nobile templum Apollinis Actiaci, idque, ut nunc ex h. l. intelligitur, in loco edito, ex more templorum. Itaque bene Pompon. Sab. *Apollo, id est, pars illa saxea, in qua templum Apollinis erat.*

279 Antequam ludorum sollennia rite celebrari possint, expiatione et lustratione opus est. *Lustramur Jovi*, invocato Jove, cui sacrum piaculare offertur. Quæritur tamen, cur Jovi, non Apollini? cui ludi ipsi instituti esse debuere. Varia commenta vides in Servianis. Sed primum ad observandum in promtu est, sollenne fuisse priscis hominibus, ut in sacris cuicunque deorum factis Jovem in partes vocarent. Porro expiationes et lustrationes proprie ad Jovem referuntur, quippe ultorem et vindicem cædis omnisque piaculi, quod expiandum est. conf. Apollon. Rhod. IV. 699. 700. sq. Piaculum in Harpyias commissum potes cum Servio sigillatim huc trahere. *votis incendimus aras*, forma Horatio quoque frequentata ut I. 4. 7. docte, pro, vota in aris vel impositum thus et victimam; uti dona de victimis, de libatione, et reliquis in sacris fieri solitis. alii, *votis*, votorum persolvendorum caussa. Nam εἰς εὐχαριστίαν instituti ludi, ideo subdit: *juvat evasisse tot urbis* etc.

280 Proprie ludi Actiaci celebrari dicendi erant. Sed exquisitius, quoniam locus hominum frequentia *celebrari* et ipse dicitur, *littus Actium* h. e. Actiacum, memoravit, et *ludos Iliacos* Trojano ritu habitos. Videntur autem jam antiquitus ludi ad Actium celebrati esse, quos poëta commode in rem suam vertit. Successere celeberrimi ludi Actiaci ab Augusto, ut diximus, in victoriæ Actiacæ memoriam instituti.

281—283 *Palæstras*, pro ludis gymnicis dixit. *oleo labente*, exquisite, quod dilabitur, diffluit, corpori illitum. *fugam tenuisse*, ut inf. 686. *cursum tenere*. Bene Serv. *feliciter navigasse.*

284 *Sol circumvolvitur m. annum*, εἰς vel κατὰ, sic ut annus absolvatur, peracto annuo solis cursu. *magnum annum*, simpl. ad ornatum, quoniam multos dies intra se continet; ut jam alias notatum. *asperat*, exasperat, ἀγρίοι procellarum ira.

286—288 De clipeis votivis, cum titulo inscripto, inter donaria suspensis res nota. *adversis*, ornat; in templi aditu. *carmen*, de uno versu, tenere te non debet. *hæc arma*, hunc clipeum consecravit: Αἰνείας ἀπὸ τῶν Δαναῶν ut in simili re sæpe.

289—293 *portus* Portum Actiacum. v. ad v. 274. 275. *considere transtris.* sæpe Homer. ἐπὶ κληῖσι κάθιζον. Mox *feriunt mare*, ut toties τύπτειν ἅλα. *abscondimus* prætervehimur Corcyram, eaque a tergo relicta adnavigamus littori Epiri. Proprie dicendum erat: *insula absconditur nobis*, oculis nostris. Dictum *abscondere* eodem modo ut sup. v. 275. *aperitur*. cf. inf. ad 411. *aërias Phæa-*

Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbis,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum:
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroque incensum pectus amore,
Conpellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classis et litora linquens.
Sollemnis tum forte dapes, et tristia dona,
Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, et Troïa circum
Arma amens vidit: magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio; calor ossa reliquit.
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, et omnem

cum arces, montes Corcyræ ὄρεα σκιόεντα Γαίης Φαιήκων Odyss. ε, 279. *portu Chaonio.* est portus Pelodes ad Buthrotum Epiri Chaonibus quondam habitatæ.

296. 297 Audito, Helenum has terras tenere ad eum visendum pergit Æneas; incidit in Andromachen inferias Hectori suo ferentem; comperit ex ea fortunæ casus, quos illa subierat, et ex Heleno vate navigationis suæ ordinem usque ad novas sedes in Italia obtinendas. Mirationem facit, Helenum Trojanum Græcas urbes tenere et regno ac conjuge Pyrrhi, qui Trojam everterat potitum esse. Est hoc Episodium inter felicissima et pulcerrima ad affectum et ad ornatum. Tragicum spiritum facile agnoscas. Converte narrationem in drama; finge Andromachen inferias ferentem te videre, finge loquentem audire. Si perveneris ad illa: *aut si lux alma recessit, Hector ubi est?* palpitare pectus in sinu senties. *patrio marito*, ejusdem originis, sc. Trojanæ. Erat Helenus frater Hectoris. In *cessisse* argutantur interpretes. Nil aliud est, quam matrimonio teneri, haberi, vel relinqui, venire in potestatem alterius viri. 298. *amorem* esse poëtæ cupiditatem et studium, noli animo dimittere.

301—305 Ornati versus. *Andromache inferias ferebat Manibus Hectoris. dona* h. l. in re sacra de libatione. *Simois* erat simulatus, cf. inf. 349. sq. et 336. ut solebant coloniarum conditores patriorum locorum ac fluminum nomina transferre ad novas sedes. Hectori cenotaphium exstruxerat. *geminas aras*, sive ut Ecl. V. 66. *Ecce duas tibi Daphni*, sive unam marito, alteram filio, Astyanacti. Ad posteriorem referri potest, quod *caussam lacrimis*, adjectum est. Nisi ad religionem nescio quam, spectavit, quod duæ aræ positæ sunt in inferiis; ut modo in Daphnidis inferiis vidimus. In his illa effundit χεὰς inter lacrimas.

306—309 *Troïa arma*, viros Trojanos. *monstris*, adspectu, qui ipsi monstri et prodigii instar erat. 309. Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε—Ὀψὲ δὲ δή μιν ἔπεσσιν ἀμειβομένη προσέειπε Odyss. δ, 706.

310—313 Tune vere ades ipse? *affersne te* (cf. inf. 346.) *mihi* tamquam *vera facies* viri, cujus speciem habes? tamquam *verus nuntius* tui? ut vere ille sis, quem vultus nuntiat? *aut si lux alma*, vita, *recessit*, et hæc umbra Æneæ est, quæ mihi apparet, *Hector ubi est*, qui et ipse inter umbras ver-

Inplevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco.
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis Fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit voltum, et demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum,
Servitio enixæ, tulimus; Qui deinde, secutus
Ledæam Hermionem Lacedæmoniosque Hymenæos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, et scelerum Furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

satur, *dixit*, *lacr. eff.* etc. In hoc Andromaches πάθει, piissimæ in mariti memoriam feminæ, quis non magnum poëtam agnoscat?

313. 314 *furenti*, impatienter dolenti, ut bene Serv. Omnino *furere*, μαίνεσθαι, infinitis locis simpl. est commoto esse animo, quacunque de causa. *Subjicio*, ὑποβάλλω, respondeo. *hisco* exquisitius quam *loquor*.

315—319 *extrema per omnia*, ad pericula et discrimina refer. 317. *dejectam*, δυνόντερον quam privatam, viduatam, Hectore. Nam *dejicimur* gradu, spe, honore omninoque magna aliqua re, quando ea privamur. *quis casus te excipit*, ad quam fortunæ conditionem redacta es? *Excipiunt nos* ea, quæ nobis alia post alia accidunt et eveniunt. *digna satis* s. te s. priore illa fortuna. cum illa videatur meliore, quam pro captivæ sorte uti. *connubia servas*, accipio, ut Gr. φυλάσσειν, pro ἴσχειν, de iis, quibus tenemur et obnoxii sumus; pro, matrimonio juncta es, haberis. Versus pulcerrimus habet tamen quod offendat: Rogat Æneas, an Pyrrho juncta sit Andromache. Atqui 296. jam audierat Heleno eam cessisse.

320 sqq. Andromache, casta et pudica femina, virique amantissima, non nisi per ambages respondet. Felicem prædicat Polyxenam, quæ ad Achillis tumulum cæsa servitutem morte anteverterit. Versuum 321. sqq. color similis illi, qui erat lib. II. 785. *non ego M.* In v. 324. *nec—tetigit c. cubile* potuit respicere Homericum illud λέχος ἀντιβίωσαν Iliad. α, 31. (h. e. κατὰ, πρός, λέχος.) et similia. Solet fortuna captivarum plerumque a tristi hac necessitate designari.

325—327 *diversa æquora* longinqua v. sup. v. 4. *enixæ* de partu accipiendum. Nam Andromache serva Neoptolemo filium Molossum pepererat.

327 Is deinde Hermionem Helenæ filiam Sparta conjugem adduxit, meque Heleno in conjugium dedit. cf. Eurip. Androm. 1244.

330 Pyrrhum autem Orestes, cui Hermione illa, Helenæ filia, Ledæque adeo neptis, jam olim promissa fuerat, interemit *patrias ad aras*, Delphis, ante aram patri Achilli, tamquam heroi, factam.

333—335 *pars reddita* simpl. data. *pars* autem, respectu alterius partis Phthiæ in Thessalia. In v. 334. 335. Poëta inseruit argumento, ut Trojanorum nomen per totum

Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno; qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?
Quid puer Ascanius; superatne, et vescitur aura?
Quem tibi jam Troja * * * *
Ecqua tamen puero est amissæ cura parentis;
Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis
Et pater Æneas et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longósque ciebat
Incassum fletus: quum sese a mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert,
Adgnoscitque suos, lætusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Adgnosco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex adcipiebat in amplis.

terrarum orbem clarum ac celebre habeatur, dum fabulam hanc de Chaonum nomine amplectitur. Chaones enim longe ante Chaonem Trojanum et Helenum fuerunt ex antiquissima scilicet Pelasgorum stirpe.

336 *addidit*, imposuit monti arcem Pergami nomine, tamquam in novo Ilio.

337—343 Affectus hæc muliebris plena et Andromaches ingenio consentanea! De Ascanio sollicita est, ex tacita Astyanactis sui memoria. cf. inf. v. 489. sq. *superatne et vescitur aura* ex antiquo sermone. cf. sup. I. 546. Sane interrogationem illam v. 431. de desiderio amissæ matris Creüsæ per se non malam (cf. Eurip. Hecub. 992. *εἰ τῆς ταλαίνης; τῆσδε μέμνηταί τι μου*) tamen hic forte abesse malis; vix enim Andromache Creüsæ fatum rescivisse aut poterat, aut post illa v. 310. sq. 337. sq. debebat. Manifeste tamen poëta ponit, Creüsæ fatum Andromachæ jam aliunde innotuisse; et recto ordine procedit interrogatio primum de pietate in matris memoriam, tum de exemplo patris et avi, quam illud ad pueri animum vim habeat! *Parentem* de patria accipere, importunum. 342. 343. generosi versus! ex communi illa sententia, ut, qui magni viri filium se esse meminerit, plus ad virtutem incitamenti habeat. *in*, h. e. ad, *antiquam virtutem* int. majorum. *avunculus Hector*, latius dictum pro consanguineo. Nam Ilus et Assaracus, a quo Hector et Æneas genus ducebant, erant Trois filii. Notatu dignum, quod hic in Servianis: *Quidam* avunculus *humiliter* in *heroico carmine dictum accipiunt.*

345—348 *a mœnibus*, via ex urbe. *se adfert* v. sup. v. 310. inf. VIII. 477. ut *ferre se, inferre se, efferre se, offerre se. suos*, populares. Recte Serv. addit: *Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit, ne frigeret; sicut in libro V. Acestæ* (v. 41.).

349—351 Cf. sup. v. 302. Trojam alteram adstare putasses. *simulata magnis*, assimilata. cf. inf. IV. 512. *amplector* ac. ut exosculari solent postes in patriam reduces.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Inpositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Jamque dies, alterque dies processit: et auræ
Vela vocant; tumidoque inflatur carbasus austro.
His vatem adgredior dictis, ac talia quæso:
Trojugena, interpres divom, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ,
Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, et terras tentare repostas;
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, et tristis denuntiat iras,
Obscenamque famem) quæ prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?

354. 355 Nec moratur in convivii descriptione poëta, nec plane intactum dimittit, sed obiter intexit pauca, quæ ad convivii magnificentiam declarandam valere possint: et quidem religiosam rem, libationem, et vasorum πολυτέλειαν. Ultima tamen *patcrasque tenebant* vereor ne frigeant, etiamsi ad sacrum factum revoces. Porticus autem puta aulam circumdedisse.

356. 357 *auræ Vela vocant*, invitat ventus secundus, ut vela expandantur. Male hypallagen advocant; Variat hæc oratio poëtica: modo *vela*, aut *nautæ* (ut sup. 253.), *vocant auras* vel *ventos*, modo *auræ vela* vel *nautas*; et inf. 454. ipsa navigatio et *cursus vocat vela*. Conf. sup. 61. inf. 454. 455. *tumidoque* i. c. a. Iliad. α, 481. Ἐν δ' ἄνεμος πᾶσιν μέσον ἱζάνεν. et similiter aliis locis.

359—361 Helenus οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος jam Homer. Iliad. ζ, 76. *qui sentis*, intelligis, ad plura h. l. refertur, de quibus singulis diverso modo dicitur. Aliter sentit aliquis deum, aliter sidera et avium cantus. *sentit vates Phœbum*, cum deum pectore recipit, seu, dei afflatu tactus, divinoque furore plenus, futura prædicit et oracula edit; hoc poëta exornavit: *qui numina Phœbi, Qui tripodas*, (tripodi insidens Delphis Pythia vaticinabatur) *Clarii lauros* (quatenus, ut fere omnia antiquissima fana, religionis et caloris caussa, sacro luco inclusum erat templum Apollinis Clarii apud Colophonem,) h. e. qui vim divinam animo capis, quam Delphis Pythia, et apud Claron sacerdos, mente recipere solet. *sentis sidera*, nosti quæ ex iis ad futura prævidenda intelligi possint. Hoc in Homericis occurrere in vatum laudibus non memini; neque astrologiæ omnino studium in vita heroica est frequentatum: at ostentorum et διοσημείων observatio fuit; Licet adeo suspicari, *sidera* pro cœlo et aere esse posita. Reliqua ad auguria cum ex oscinibus tum ex præpetibus, h. e. ex avium cantu ac volatu, spectant.

362—364 *namque omnem cursum mihi prospera dixit Religio*: etiam hoc per hypallagen explicare volunt, pro, omnis religio prosperum dixit cursum. Perperam. *Religio* accipienda est h. l. de oraculo et omnino de vaticinio; *prosperum* vaticinium est, quod prospera nuntiat. Totum, qui superest, cursum, quo ille instituendus sit (hoc v. 363. 364. ulterius declarat) jam satis definiverunt prædictiones, quas adhuc accepi, lætæ illæ et secundæ. *numine*, etiam hoc pro effato divino et sorte. *repostas* exquisitius quam remotas, et *tentare* quam petere.

365—367 *dictu nefas*, abominandum. *Prodigium*, eventum rerum prudigii similem. *iras* h. e. calamitatem, malum ex *ira* Harpyiæ, boum cæde et Trojanorum armis læsæ, pœnasque et ultionem parantis. cf. sup. 234. sq. 245. sq. *obscenam famem*: quatenus ad ultima redacti etiam ea comedunt, quæ nauseam faciunt. Sic, *obscenus cibus*, et *obscena pastu avis* upupa apud Plin. X. 29. s. 44.

Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divom, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit;
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea; nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata deum rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo;
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcæ
Scire, Helenum farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.

369—373 *pacem* benevolentiam dei, ut jam supra vidimus; dum oraculum expetiturus est. Sacrificantium et vatum habitus *vitta* vel *infula: Solvitur* h. l. illa, religioso more, sive animi respectu, quem jam ab omni terrena fæce vacuum deo soli vacare significabant, vel quatenus furor divinus et corporis agitatio vincula non ferebat. At, inquit Cerda, in aliis locis vates jam vaticinium edituri *vittis ligant, implicant*, caput? Recte; scilicet vates non perpetuo vittæ ornatu usos esse credendum est, nec eas sumsisse, nisi rem sacram facturos; itaque instante jam furore divino modo vittas sumere modo solvere narrantur. *ad tua limina, P.* Erat igitur templum Apollinis in nova Troja ad exemplum Pergamei fani. *Suspensum* h. l. modo minus vulgari pro perturbatum, percussum, dictum puto; adeoque *multo suspensum numine*, turbatum, horrore ex præsentia dei. cf. inf. VI. 45—54. *numen*, majestas, vis manifesta dei, quæ horrorem ac reverentiam facit. Sic *multum inesse, adesse, numen*, alibi dicitur. Satis quidem expeditum et illud, ut *multum numen* sint multa oracula, quæ jam ante acceperat (vide v. 362.), quibus *suspensus* h. e. sollicitus ac dubius ejus animus sit; mihi tamen hoc minus arridet.

374—376 Circes ap. Hom. μ, 37. sqq. exemplo, Helenum hic fata ac casus navigationis Æneæ prædicere facit. Ipsos autem casus omninoque Æneæ errores ad Ulyssis errores compositos esse, facile animadvertas. Inest tamen forte in his major suavitas ipsa rerum novitate et probabilitate: nam Homericis temporibus nondum illa maria Græcis multum erant frequentata; qua in re victus Virgilius ornatu et doctrina suæ causæ consulere necesse habuit. *majoribus auspiciis*, quam vulgo hominibus contingere solent; sunt simpl. *magna* h. e. magnarum rerum; adeoque magna fata; quod Livius pr. *ad majorum rerum initia ducentibus fatis*. Argutatur Servius. Melius idem *sortitur*, disponit, ordinat, *volvit vices*, moderatur vicissitudines rerum. *is ordo* fatorum *vertitur*, ita succedunt sibi fata.

377—380 Fata scire *prohibent*, h. l. Parcæ; apud Homerum Erinnyes. *tutior*, tutius, minore cum periculo, si rescivit, quæ evitanda sint. *hospita æquora*, maria navigantibus amica, quæ navigantes tutos ac salvos transmittant. *prohibent* te *scire* etc. Nam, ut Lucan. V. 176. *Nec tantum prodere* vati, *Quantum scire, licet*. vid. h. l. Servium, qui bene addit: *prohibet autem scire mortem patris—tempestatem ab Æolo immissam: amorem Didonis* (qui sane vix commode memorari poterat). *Novimus autem Junonem hoc agere, ut, si possit fieri, regnum Italiæ Libycas averteret oras. Inopinatum vero dolorem etiam Æneas conqueritur*, ut inf. v. 712. *nec vates Helenus—Hos mihi prædixit luctus.*

381—383 Poterat Æneas statim in orientali Italiæ extremæ littore considere, ex adverso Epiri. At totum illud littus a Græcorum coloniis tenebatur. cf. inf. 398. sqq.

Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Ææææque insula Circæ,
Quam tuta possis urbem conponere terra.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt mœnia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos

longa via dividit Italiam h. e. Italiæ illa pars, quæ Æneæ petenda est, divisa, remota est, *longis terris*, sc. longo illo tractu inferioris Italiæ, *invia* vel difficulter emetienda; vel, quod præstat, plane non pervia, non adeunda Æneæ, terrestri itinere, si eam partem adiisset, quæ Epiro opposita est, quod fata vetabant. Comparant illa Iliad. α, 156. ἐπειὴ μάλα πολλὰ μεταξὺ Οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα. Cæterum in Virgilii verbis lusus inesse videri potest, *via invia—longa longis*. Allitterationi huic vetus sermo non tantopere adversabatur, ut noster; quin in ornatu ille habebatur: *amabam amantem*. φιλέων φιλέοντ', ἄγων ἄγοντα in ipso lyrico carmine est Pind. P. 10. 103.

384—387 Ornate. Mare Siculum et Tyrrhenum est peragrandum. *lentandus remus*, agendus, sed exquisitius; curvatur enim et flectitur vi undarum et nisu remigis. Sic Apollon. II. 593. ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι, Ἠΰτε καμπύλα τόξα, βιαζομένων ἡρώων in trajectu Symplegadum. Quoniam enim, *lenta* quæ sunt, facile flecti possunt, hinc *lentus* pro flexilis, et *lentare* flectere. *inferni lacus*, Avernus inf. lib. VI. *Circes insula* VII. 10. sq. *Ææa*, Colchica, ab Æa, Colchidis urbe. *urbem conponere*, nove dictum esse debet, pro ponere, condere; ut *templum componere* Ovid. I. Fast. 708. Nisi est quod vulgo res urbis componere, pacare, ordinare.

388 Ut ap. Homer. Σῆμα δέ τοι ἐρέω et illud: σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σύνθεο, vel βάλλεο σῇσι.

389—393 Cf. inf. VIII. 42. sqq. 81. sq. Usus et hic poëta est oraculo sua natura non adeo commendabili, celeberrimo tamen inter populares suos. Res ipsa multis in monumentis antiquis, gemmis, numis exhibita, ut exempla singula laudare velle ineptum sit. *secreti fluminis* h. e. in parte secreta, ab hominum frequentia remota, fluminis Tiberis inf. VIII. 82. *per silvam—viridi in littore*. Cæterum observandum, qua verborum dignitate ignobile argumentum poëta ornaverit.

395 Harpyiæ prædictionem sup. 255. 365. respicit. *viam*, rationem et exitum oraculi, ipsæ res dabunt, et propitius erit Apollo, oraculi auctor.

397 *Nostri maris*, Ionii inter Epirum et Italiam.

399 *Locri Epizephyrii*, in Brutiis, ad littus Italiæ extremæ exterius, Locrorum Opuntiorum colonia, quorum erat urbs Naryx vel Narycium, ex adverso Eubœæ insulæ. Sequitur vero poëta eam narrationem, qua ex Locris, Ajacis Oilei sociis, fuisse crediti sunt, qui dispersa ad Caphareum promontorium classe, in Bruttios essent delati.

400. 401 *Sallentinorum*, qui ex antiquis Messapiis fuerunt, tractus erat in peninsula Calabria. Insederant eum mox Cretensium coloniæ; atque has ad Idomeneum Troja re-

Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetæ subnixa Petelia muro.
Quin, ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat, et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,
Læva tibi tellus, et longo læva petantur
Æquora circuitu; dextrum fuge litus et undas.
Hæc loca vi quondam, et vasta convolsa ruina,

ducem, sed mox patria ejectum nonnulli retulerunt. *Lyctus* aliquando inter insigniora Cretæ fuit oppida. Plin. IV. 12.

401. 402 *Petilia* vel *Petelia* in Bruttiis supra Crotonem a *Philoctete*, Herculis comite, condita (hoc enim est *subnixa muro*), cum Troja redux, urbe patria, *Meliboea* Thessaliæ, per seditionem fugeret, cf. Strabo VI. p. 254. A, quo loco apparet, Lucanorum deinde primariam urbem eam fuisse. Philoctetes dux Miboeus pro Meliboeensis.

403—409 Expectandum erat, ut in hac Italiæ ora appellerent Trojani, et ex voto sacrum diis facerent. Hoc igitur certo ritu, velato capite, qui Romanorum mos erat, facere præcipit Helenus. Religionis sanctitatem cum judicio et hic intexit carmini Virgilius; mira enim talis loci suavitas debuit esse, si Romanorum quis in religiosi ritus originem incideret. Illustrationem loci pete ex inf. 543. 545.; subest tamen et hic antiqua fabula de Diomedis vel Ulyssis in his locis occursu, quam Serv. ad h. l. attingit et olim variis modis tractasse videntur poëtæ et scriptores.

404 Scilicet appulsa classe ad Italiam, in qua sedes habituri erant, vota solverent diis sacro facto inf. 543. sq. *in litore*. ad Castrum Minervæ, supra promontorium Iapygium. v. inf. 531. *velare* sc. memento; Græca ellipsi. Verius fortasse imperativa forma: ut inf. 545. *Et capita ante aras Phrygio velamur amictu*.

407 *omina turbet*, captata ante rem sacram. Turbari malis ominibus sacrificii religionem, et, ut id caveatur, adoperto capite esse sacrificantes, notus Romanorum mos fuit, cujus originem poëta sive ex antiqua fama, sive ex ingenioso commento ab Trojanis repetit.

409 *in religione*, in observatione religiosi ritus, et *caste*, ἁγνῶς, ut sæpe, rite.

410—413 Flectendum in aditu freti Siculi cursum et, ut tanto tutior ille sit, Siciliam ab oriente circumeundam monet. Fretum appellat ex more *claustrum*. Proprie ea, quæ densa sunt, transitum occludunt, hinc *densa* poëtis, quæ clausa plane, ut Gr. πυκινόν v. c. πυκινὸν πῶμα· Odyss. κ, 283. πυκινὼς κευθμῶνας de bene occlusa hara; adeoque, ea, quæ laxantur, aperiuntur, patent, *rarescere* dixit poëta. Poëticæ orationis genius ad oculorum sensus omnia revocat. Simili modo *coire*, *conjungi*, et rursus *discedere*, *sejungi*, et *disjungi*, dicuntur loca, quæ ingressum habent. Ita et *aperiuntur* ea, quæ e longinquo in conspectum veniunt, ut sup. 275. *aperitur Apollo*, et inf. 531. *portusque patescit jam propior*. Contra ap. Lucan. III. 7. de discedente: *et dubios cernit rarescere montes:* ubi idem est quod vanescere vel evanescere. *Cresci*, *attolli*, *attollere se*, *surgere*, dicuntur ea, quæ alta sunt, iis, qui accedunt; ut *recedere*, si discedas. cf. inf. 552. et *abscondi* sup. 291. *dextrum litus* Italiæ. Servius *nam de Ionio navigantes, si fretum petant, dextrum teneant littus necesse est. Pelorum angustum* docte dixit pro freto ipso promontorium illud alluente.

414—419 De Italia ac Sicilia magno motu terræ diremta vide loca ap. Cluver. Sicilia I. 1. *ruina*, motu terræ. *protenus*, continue, διηνεκῶς, cum esset una continens. 417. *venit* pontus in medium cum vi. Val. Fl. I.

Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas!
Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbis
Litore diductas angusto interluit æstu.
Dextrum Scylla latus, lævum inplacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et navis in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus; postrema inmani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero conmissa luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circum flectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, et cæruleis canibus resonantia saxa.
Præterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris inplet Apollo,

390. *cum flens Siculos Œnotria fines Perderet et mediis intrarent montibus undæ.* 419. *litore*, mari, jam disjunctas, *æstu angusto*, h. e. freto, quoniam in iis angustiis mare æstuat.

420—423 Ex Homero adumbrata esse nemo dubitat, Odyss. μ, 73. sqq. 234. sqq. Spallanzani cum aliis docuit, *Charybdin* nihil aliud esse, quam impetuosiorem undarum fluxum a septentrione in Austrum, ortis vehementioribus flatibus ab Austro, qui illum repellant; *Scyllam* autem scopulum, humanæ forte olim formæ, ad littus Italiæ, versus Scyllæum oppidum. Canum latratum assimulant fluctus scopulo illisi, et lupos belluasque ex ea nasci narrare potuit antiquitas, quoniam loca plena sunt monstris marinis. De locorum facie agunt fere omnes, qui ea loca adiere. *Dextrum* freti Siculi. *inplacata*, pro implacabilis, ut solent poëtæ, sæva. *sorbet*, ἀναῤῥοιβδεῖ, *in abruptum*, profundum adeoque præceps. conf. sup. I. 105. sq. *erigit*, ἀνίστιν, emittit, sed cum vi. v. Odyss. l. c. μ, 105. ubi *ter in die*, τρὶς ἐπ' ἤματι, id fieri ait: sed hoc idem omisit altero loco 239. sq., ut adeo nec in Virgilio omissum mireris: in quo sufficit, *ter deinceps* hoc fieri.

424—428 Cf. ibid. 93. 94. 99. 100. *Prima* superiore corporis parte. *postrema*, inferiore. *pistrix* omnino pro bellua marina, *commissa caudas Delphinum utero luporum*, h. e. habens conjunctas D. caudas lupinis corporibus, in quæ virgineum pectus desinit; simpliciter dic, virgineo corpori subjunctos lupos marinos fuisse protomis suis inter caudas delphinorum prominentibus, ut versu 432. elicias. *Canes* autem *marinæ* videntur intelligendæ. Cæterum ad Virgilii de Scylla versus Miltonum suos *de Peccato (of the Sin*, Ἄτην dixeris) formasse, jam alii monuerunt.

429—432 Variavit Homerica l. c. v. 109. 110. *metas Pachyni* docte h. e. promontorium Siciliæ australe, *cessantem*, morantem, plus temporis in navigatione consumentem. *vidisse*, modus loquendi ab Homero ductus l. c. v. 87. 88. et sæpe. *Canes* sunt qui paulo ante lupi.

433 sqq. Magno cum apparatu monitum a vate et inferri et enuntiari observa. cf. inf. v. 546. sq.

Unum illud tibi, nate dea, præque omnibus unum
Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Junonis magnæ primum prece numen adora;
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: Sic denique victor
Trinacria finis Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumæam adcesseris urbem,
Divinosque lacus, et Averna sonantia silvis:
Insanam vatem adspicies; quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quæcumque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent inmota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis quum cardine ventus
Inpulit, et teneras turbavit janua frondis,
Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ.

438—440 In præcepto hoc de Junone omni studio placanda respexit poëta religionem, qua Romani aliquando Junonem præcipuo honore prosequuti sunt, et in Capitolio cum Jove et Minerva coluerunt: quo spectare videbimus et illa XII. 840. *nec gens ulla tuos æque celebrabit* honores. *canere vota*, facile apparet, esse, facere vota, preces. Dixisse videtur poëta ad eam rationem, qua vota formula sollenni, adeoque *carmine*, suscipiuntur. *libens* est in formulis sacris προθύμως, adeoque nec parce, nec supine. *dominam*, deam, δέσποιναν. *supera*, expugna sacris factis; hinc *victor*. *finis Italos mittere*, dimitteris, discedes, Italiam adibis. Est Græcum πέμπεσθαι de navigatione. Vides in his poëtæ artem. Præstruit enim et præparat sibi descensum partim ad tempestatem lib. I. Junonis fraude excitatam, partim ad Didonis amores, quibus Juno impeditum Æneam retinere in Libya volebat, et ad incendium classis lib. V. 604.

441 sq. Cf. inf. VI. pr. *divinos lacus*, Avernum, ut statim addit: *Averna*; Jam *A. s.* pronum est *in silvis* intelligere. Sed de lacu, non de flumine, agitur. Itaque accipiendum, sonantia silvæ strepitu, qua ille lacus erat inclusus; nam inf. VI. 238. *lacu nigro nemorumque tenebris*; et sic VI. 704. *virgulta sonantia silvis*, adeoque est quod in vulgari; *Avernus inter sonantes silvas* (uti inversa ratione in Orph. Argon. 1131. παταγεῖ δὲ παρ' ὄχθαισιν ποταμοῖο Δένδρεα, malim intelligere arbusta in ripa, Acherontis strepitu resonantia). Hoc malim quam dicere, poëtam Avernum lacum, qualis nunc erat, repræsentasse, continuatum cum Lucrino, et infuso per hujus fauces mari; unde Georg. II. 163. *Julia qua ponto* longe sonat *unda refuso*, *Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis*, v. ibi not. *divinos* autem *lacus* vel omnino sacros, consecratos, cum Servio, accipies, vel propter vicinam Sibyllam divinam vatem; mox 443. *insanam* ἐνθουσιάζουσαν, ἔνθεον, quod semper substituendum, ut semel moneamus, cum de furore, insania, vatum agitur. *rupe sub ima*, in antro, mox 450. *cavo saxo*. *notas*, literas, et *nomina*, verba, adeoque quod in vulgari sermone, *verba scribit*. cf. Georg. III. 158. *Continuoque notas et nomina gentis inurunt*. De re cf. ad v. 457.

445—452 *Digerit in numerum*, ordinat, disponit in ordinem, ut bene Servius, et ut patet v. 447. atque antro includit. *ventus tenuis*; ornat epitheton, a natura, puto, venti sumtum, saltem hoc dignius poëta, quam ut sit: si vel parum venti immissum fuerit.

Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti;
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus inplere secundos;
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas.
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,
Et, quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet; cursusque dabit venerata secundos.
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Imperat ad navis ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasque comantis,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces;
Remigium supplet; socios simul instruit armis.

janua mota, motaque cum ipsa, aura. *situs* positus et ordines foliorum, reponere ea in sua loca. *inconsulti* h. l. quibus consultum, responsum non est.

453—457 Colorem orationis illustrabit comparatio loci Callim. in Del. 318. seqq. Οὐχ ἅτερ etc. *Dispendia* proprie sunt temporis. *Vocant auræ vela* supra v. 356. cum ventus secundus spirat. Quoniam talis ventus cursum facit, et ad navigationem instituendam vocat, h. l. ipse *cursus* vela vocat *vi* ex βίῃ, βίηφι, h. e. σὺν βίᾳ, βιαίως, vehementer. *sinus secundos* velorum docte dixit vento secundo inflatos. *ipsa*, non foliis vaticinia mandet. Natam autem hanc fabulam antiquissimis temporibus puta, quando scribendi materia erant palmarum aut aliarum arborum folia. Tum etiam antra erant pro domibus.

458—460 V. inf. VI. 83. sqq. Non tamen satis diserte hæc ibi videri possunt exposita, *Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem*, nisi forte in illis: *Tu ne cede malis—via prima salutis—Graia pandetur ab urbe*. Mox 460. *venerata*, poëtarum more passive, ex antiquo sermone, vel invocata ac rogata, ut cursum secundum *det*, h. monstret, doceat, quomodo ille obtineri possit, vel simpl. si eam adieris et vaticinium petieris, ut v. 456.

463—471 Munera hospiti ab hospite data animo tene: cf. Odyss. α, 309. sqq. imprimis ν, pr. *auro gravia*: signatur pondus ac perinde pretium. *secto elephanto*, πρισὸν ἐλέφαντος Odyss. σ, 195. τ, 564. h. e. ebore in lamellas secto adeoque omnino elaborato, polito, *gravia* nunc in ebore simpliciter copiose instructa, ornata; quod in generaliori notione continetur. *stipat* plus, quam in navim imponit, ut inf. 485. *onerat*. Tum ornatum verborum et munerum commendationem observa. *ingens argentum* pro vulgari, *ingens argenti pondus*, aut, ut sequentia declarant, *vasa ingenti a. pondere—lebetas Dodonæos*, h. e. quales sunt in templo Jovis Dodonæi. Hoc, puto, simplicissimum. Porro 467. *Loricam consertam hamis*, h. e. catenulis se invicem mordentibus, ἀλυσιδωτὸν, *auroque trilicem*, h. e. iisdem hamis triplicatis et quidem aureis. Ductum a textura, cum trinis filorum ordinibus textum fit, τρίμιτον. cf. inf. ad V. 259. adde VII. 639. *clipeumque auroque trilicem Loricam induitur*, qui locus me revocat, quo minus, quod malim, jungam: *Loricam trilicem, consertam hamis auroque*. 468. ornate galeam designat a partibus, quæ inprimis eam commendant. *parenti* Anchisæ. *duces*, magistros equorum,

Interea classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus: hanc adripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est;
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate! quid ultra
Provehor, et fando surgentis demoror austros?
Nec minus Andromache, digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestis,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; nec cedit honori;
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Adcipe et hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachæ testentur amorem,
Conjugis Hectoreæ. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.

agasones. *remigium*, est ipse remorum apparatus, ut l. l. VIII. 80. et Ge. II. 201. *remigiis*, remis actis.

472. 473 *Anchisæ* auctoritate etiam h. l. res geritur. cf. ad v. 266. 267. *velis* sexto casu accipias, ut sit naves instruere, adornare, velis vento excipiendo expansis. Sic *biremes remigio aptare*, inf. VIII. 80. Sequitur autem in hoc historiæ fidem. Nam ex Epiro Trojanos colonos viam Æneæ ad Italiam monstrasse, antiqua ferebatur narratio.

474—481 *honore*, verbis honorificis, alias *honor verborum*. *Conjugio*, honesto voc. utitur. *bis*, semel excisa ab Hercule Troja, propter Laomedontis perfidiam. *adripe velis*, versus hanc ab Epiri littore dirige naves, cf. inf. 532. ut tamen nunc quidem littora modo legas. *quam pandit*, oraculo designat. *provehor*, sermone progredior. *demoror austros* orientes, h. e. vos demoror, quo minus *austris* utamini.

482—485 Poterat hæc supra subjicere v. 470. Mira tamen cum arte utitur Andromaches affectu. cf. sup. ad 337. *digressu supremo*, exquisite, proprie est supremum, ultimum, digressus momentum. 483. *picturatas auri subtemine vestis* utrum de textili an de acu picto opere accipias, dubitare possis. Nam utroque modo *picta vestis* dicitur, interdum adeo simpliciter pro distincta coloribus et variegata. Si de textili opere accipis: *subtemen aureum* proprie dictum est; et Phrygia *chlamys* acu picta; *vestes* autem erunt stragulæ. Sin *pictas acu*, scilicet Phrygio opere, vestes accipere mavis: erit in illis ipsis *Phrygia chlamys*; *subtemen* autem simpliciter pro filo; et *textilia dona* (ex Homerico ἐσθῆτά θ' ὑφαντὴν) mox ab his diversa.

484. *nec cedit honori*, si verum est, aut cum Servio explicandum, *tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius: hoc enim est* honori non cedere, *parem esse meritis accipientis*; aut *non cedit honori* sc. munerum, quo prosequutus erat Helenus Anchisen; ut Andromache Ascanium nunc non minus honorifice muneribus hospitalibus impertiat. Possis etiam *verborum honorem* huc advocare ex v. 474.; est tamen hoc longius petitum.

486—491 Reminiscitur et hic mater dulcissimi pueri, atroci morte sibi erepti. Locus inter paucos dulcissimi affectus, etiam sententiarum ac verborum dilectu, inprimis adjuncta declarantium, et multo magis si parentis sensum et affectum habeas. *manuum*

Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
Vivite felices, quibus est Fortuna peracta
Jam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris æquor arandum;
Arva neque Ausoniæ, semper cedentia retro,
Quærenda. Effigiem Xanthi Trojamque videtis,
Quam vestræ fecere manus; melioribus, opto,
Auspiciis, et quæ fuerit minus obvia Graiis.
Si quando Thybrim, vicinaque Thybridis arva
Intraro, gentique meæ data mœnia cernam:
Cognatas urbis olim, populosque propinquos,
Epiro, Hesperia, (quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus) unam faciemus utramque
Trojam animis. Maneat nostros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus: fessos sopor inrigat artus.

monumenta mearum, cum dignitate, pro manuum mearum opere ex Od. ο, 126. Μνῆμ' Ἑλένης; χειρῶν etc., qui locus Virgilio obversabatur. *dona e. tuorum*, popularium et amicorum. *super*, quæ superes, περιοῦσα, περιγεγενημένη. *Sic o. sic* ex Hom. Odyss. δ, 149. 150. ubi Menelaus de Telemacho Ulyssi comparato: κείνου γὰρ τοιοῦδε πόδες etc. est autem exquisite dictum pro, *tales oculos halebat, tales manus* etc. v. 491. *pubesceret* ornatius quam *esset*; Eurip. Ion. 354. Σοὶ ταυτὸν ἦβης, εἶπερ ἦν εἶχ' ἂν μέτρον.

492—496 Durum habeat pectus necesse est, cui hi versus miserationem nullam faciant. *fortuna peracta*, proprie fortunæ cursus. 496. *semper cedentia retro*. inf. VI. 61. *Jam tandem Italiæ fugientes prendimus oras.*

497—499 Cf. sup. 349. sq. *quæ fuerit minus obvia Graiis*: h. periculis a Græcorum hostili impetu exposita. Sensum recte exponit Serv. *id est, quæ nullum patiatur excidium; obvia Graiis*, h. e. obnoxia, exposita eorum furori.

500—505 Ingeniose poëta alludit ad ea, quæ paullo ante evenerant. Post pugnam Actiacam Octavianus Nicopolin condidit, contractis in eam Acarnanibus, eamque liberam et cognatam civitatem esse jussit. Hæc tamquam ab Ænea in antecessum constituta exponuntur. *data* sc. fato *mœnia*, v. sup. 255. Mox *cognatas urbis populosque pr. E. H.*— *utramque* (retulit ad sequens, pro utrosque, ex utraque civitate, Buthroto et Roma, a Lavinio oriunda) *faciemus unam animis Trojam. Populos Epiro, Hesperia*, accipio, populos in Epiro h. e. Epiri et Hesperiæ. Vides me apodosin post *cernam* statim auspicari.

506—511 Postquam Buthroto solverant, legendo littus ad montes Ceraunios procedunt. Hic sub noctem descendunt in littus, scilicet, ut, cum mutandus jam esset cursus, ventum secundum excipiant. *umbrantur* ex σκιάσθαι vel σκιάζεσθαι Homerico. cf. Odyss. γ, 497. et al. Quæ sequuntur, ex Odyss. ι, 168. sq. illustrantur. *Sortiti remos*, per sortem divisi ad officia remigandi. *Serv.* ut adeo pars in navi ad remos pernoctaret: aut quod verius esse arbitror: nos qui eramus

Necdum orbem medium Nox horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnis
Explorat ventos, atque auribus aëra captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cœlo constare sereno:
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis;
Quum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona

sortiti remos, qui diem remos agitando exegeramus, *sternimur* etc. *inrigat* sup. I. 692. Venus *Ascanio* placidam per *membra quietem irrigat*, infundit. At nunc est, perfundit membra somno.

512—517 Trajectum ex Epiro ad Italiæ littus justa temporis quod ille poscebat mensura ut declararet poëta: media de nocte classis solvitur. *Necdum Nox subibat orbem medium*, evecta erat cœlum, *acta horis*, exquisite pro horis exactis. Quem poëtici sermonis usum nisi teneas, possis *Noctem*, sive ejus *bigas ab Horis actas*, suavi rerum imagine, intelligere. Media autem nocte, quando scilicet aura, inprimis in plagis maritimis, oriri vel mutari solet, ventus recte exploratur a gubernatore; et *auribus* auram *captat*, ex leni aëris motu in fluctuum ac velorum strepitu. At Servius: *naturale enim est, ut, a qua parte flaturus est ventus, ad eam auris admota frigidior fiat. tacito cœlo*, quia noctu. et *notat* λοιπόν. *gemini Triones*, utraque ursa. Sed de hoc et de toto versu 516. v. sup. ad I. Æn. 744. *Armatum auro Oriona*, χρυσάορα, quia, *et balteus et gladius clarissimis fingitur stellis*. Commentarii loco sit Aratus a Germanico versus: *Primus in obliquo rapitur sub pectore Tauri Orion: nonnulla magis vicina notabit Stella virum, sparsæ quum* (f. *sparsæque in*) *toto corpore flammæ. Tale caput, magnisque humeris sic balteus exit, Sic vagina ensis, pernici sic pede fulget.* Lucanum I. 675. jam Servius laudavit: *Ensiferi nimium fulget latus Orionis.* Posuit autem poëta uno loco sidera, non quæ uno tempore conspicua sint, oriantur et occidant, sed e quibus partim tempestatis mutationes omnino ac vices veteres augurabantur, partim quorum conspectus, nisi puro ac sereno cœlo nullus est. cf. v. 518.; adeoque, cum ea sidera omnia nunc Palinuro in oculos incurrant, securitatem cœli sereni inde captat.

518—520 *Cuncta videt constare*, composita et tranquilla esse; nihil quod inconstantiam et varietatem cœli ominetur, occurrere. Lucret. IV. 462. *Et sonitus audire, severa silentia noctis Undique cum constent.* At Servius sic reddit: *omnia videt habere cœlum quæ significant serenitatem.* 519. *dat clarum signum.* quale hoc fuerit, quærunt interpretes, num face sublata, an tuba. hoc haud dubie verum, et probat Burmann. *castra* exquisite de copiis nauticis in littore tendentibus. *velorum alas* h. e. extremas velorum partes, lacinias, angulos. Vulgo exponunt: quia vela navis alæ esse videntur.

521 sq. Ad castrum Minervæ appellunt Trojani, sub Hydrunto; quo loco planum ac molle littus; hinc *humilem Italiam:* sive quia procul ex alto visentibus terra semper humilis videtur. cf. sup. ad v. 76.

525 sq. Aliter quam de corona vera crateri ex more sacrorum imposita vix hæc videntur posse accipi; etsi dubitatio animum subit, unde in alto florum copia fuerit. Sed hoc forte calumniari est. cf. sup. ad I. 724. Cum toto autem loco comparandus Pindarus in divino de Argonaut. carmine Pyth. IV. in nona Strophe; ἐπεὶ δ' ἱμβόλου πρύμναν ἀγκύρας etc. vss. 344. sq. Quod autem *in puppi* stat, hoc inde illustrandum est, quod in puppi tutela collocata erat, h. e. signum numinis, cujus tutelæ navis erat credita; una cum foculo aut ara. Ad hanc igitur libatio et preces fiunt.

Induit: inplevitque mero; divosque vocavit
Stans celsa in puppi.
Di, maris et terræ tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit
Jam propior, templumque adparet in arce Minervæ.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Objectæ salsa spumant adspargine cautes:
Ipse latet; gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.
Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas;
Bello armantur equi; bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, et frena jugo concordia ferre:
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima adcepit ovantis;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;

529 Afferte, date, *viam*, navigationem faustam *vento* h. e. vento secundo immisso; et adspirate, favete, propitii. Verba singula cum dilectu. Mox *portus patescit*, ad oculorum sensum. v. sup. ad 411. *Portus* est *Portus Veneris*.

531 *Arx* pro monte (ut sup. 336. v. sup. ad 521.), in quo templum Minervæ erat, quod Idomeneus condidisse ferebatur.

532 Ad verba cf. sup. v. 208.

533—536 *Portum Veneris* describit satis ornate: situs est versus Orientem. Efficitur ille sinuoso maris flexu, scopulis utrinque procurrentibus in mare et incurvantibus se, ut utrinque pro mole sint portui prætenta, ad quam maris ex alto allisi fluctus extrorsum franguntur. *Euroo fluctu* ab Euro, ut, Arctous. *scopuli turriti*, in turris modum alti, *demittunt brachia muro gemino*, ab utroque portus latere procurrentes in mare sensim decrescunt; Eadem fere sup. I. 162. sq. *Hinc atque hinc vastæ rupes* etc. *brachia* bene tribuuntur scopulis, quoniam ambiunt portus latera, eumque a fluctibus et procellis tutum præstant. iidem *murus*, cujus speciem habebant. *refugitque ab litore templum*, dum ab alto intuentibus in ipso littore situm videbatur, propius accedentibus retrocedebat quasi, *quia situm est in colle, qui sensim crescit a litore*. ut bene Serv.

537 sq. Anchisæ interpretatio ostenti et hic tribuitur: Equos *candidos* quod fausti ominis est, conspectos interpretatur per bella primo in Italiæ aditu gerenda, quæ tamen pacata rerum conditio excipiet. Remotiora sunt, si bella Italiæ cum Romanis gesta, ut olim faciebam, interpreteris; et 541. de Italis Romanorum armis pacata. Cæterum ornate pleraque. *Tondentis c. late*, pascentes late vagando. *bello a.* ad bellum. *curru* h. e. currui. Fundus interpretationis, quam Anchises facit, in eo est, quod equi etiam jugum ferunt.

543. 544 Palladi sacrum faciunt, cujus templum in eo portu. v. sup. 531. Hunc intrant, et terram capiunt, ita ut ea, tamquam hospitio, eos excepisse videri posset. *ovantis* ornantius quam *nos*. Mox 545. spectat ad sup. 403. sqq.

Præceptisque Heleni, dederat quæ maxuma, rite
Junoni Argivæ jussos adolemus honores.
Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Grajugenumque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Adtollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Ætna;
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad litora voces;
Exsultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: Nimirum hæc illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii; pariterque insurgite remis.

546. 547 *Dederat quæ maxuma* respicit sup. 435. *unum illud—præque omnibus unum. præceptis* pro e præcepto Heleni. *Argivæ* v. sup. I. 24. sed h. l. tantum ornat.

548—550 Item ex præcepto Heleni sup. v. 396. sq. Potest sacro hoc facto occupatio Italiæ facta videri. Sed similes Juris gentium aut publici notiones inter veteres non fuere; fuit sacrum χαριστήριον. *obvertimus* sc. pelago, ut VI. 3. *Obvertunt pelago proras;* nam si e sequ. versu, *domibus G.* h. e. littori; tum potius esset *avertere vela, antennas.* pro his doctius *cornua antennarum, κεραίας. velatarum*, h. e. velis indutarum, ut alias *veliferæ*. Obscurum est, quorsum illa spectent: *si vera est fama.* In *Herculeo T.* subesse necesse est fabulam, nunc obscuram, de Tarenti originibus ab Hercule ductis; cum vulgo ad Tarantem, Neptuni f, eæ referantur.

552 Tarentinum sinum a dextra prætergressis in prospectu erat *promontorium Lacinium*, tum *Caulonia* in monte sita, et *Scylacium.* Liv. XXIV. 3. *Sex millia alterat ab urbe* (Crotone) *nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniæ Junonis: sanctum omnibus circa populis.* v. ibi plura. *Adtollit se*, quia appropinquantibus aut recedere montes videntur aut surgere. cf. sup. ad 411.

553 Versus austrum navigantibus primo loco *Caulonis arces* apparent, h. e. Caulon, vel Caulonia, in alto littore vel colle condita Achæorum colonia. Mox *Scylacium* vel *Scylacium*, olim *Scylletium*, in conspectum venit, in interiore sinu, *navifragum* h. l. dictum sive propter scopulosum littus, ad quod urbs illa sita, Atheniensium colonia, sive propter tempestates inter tria promontoria Iapygum et Cocintum, frequentes et graves. Nam promontorium Scylacium frustra, puto, ponitur.

554—557 Scylacium sinum prætervectis jam e longinquo, tamquam in medio mari *(e fluctu)* Ætna Siciliæ *cernitur* h. e. ex fumo et igni cognoscitur; auditur jam fragor maris ad scopulos Scyllæ allisi, jamque (557.) apparet et oculis cognoscitur ingens maris æstus, quo Charybdin in propinquo esse intelligit Anchises. In toto loco ante oculos Ulysses Od. μ, 201. sqq. sed, ut recte hæc teneas, cogitandum est, littus legendo Trojanos jam ad interiora freti Siculi pervenisse; ibi et Scylla et Charybdis haud longe aberant. Nunc vide ornatum verborum: *Saxa pulsata* fluctibus. 556. *fractas voces*, maris fragorem; inf. 669. *sonitus vocis.* 557. *vada exsultant* h. e. mare ex imo fundo sublatum in altum egeritur. τῇδ' ἄμοτον βοάασιν ἀναβλύζουσα Χάρυβδις. Apollon. IV. 923. Mari e fundo exæstuante, *æstu*, arena miscetur aquæ.

558—560 *Hos scopulos, saxa* int. Scyllam. *Eripite* nos. Vulgaris orationis tædium excutit poëta et in hoc, quod pronomina omittit; interdum ad nostros sensus satis duriter. Sed lenius hoc quam supplere *remos:* ut sit: Eripite remos, expedite. *insurgite remis*, v. sup. ad v. 207.

Haud minus ac jussi faciunt: primusque rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas;
Lævam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in cœlum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manis imos desidimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere:
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viæ Cyclopum adlabimur oris.
Portus ab adcessu ventorum inmotus, et ingens
Ipse; sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem picco et candente favilla;
Adtollitque globos flammarum, et sidera lambit:
Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.

561—563 A littore Italiæ, cum in medio freto jam versarentur, cursum deflectunt, adeoque a dextra in lævam, ne in interiora freti æstu impulsa navis rapiatur. *rudentem proram*, ἠχώμενον, ut *gemere*, βοᾶν, *clamare*, h. e. stridere, impulsu fluctuum, ac sonare. Vox et inf. occurrit VII. 6.

564—567 Maris æstuantis et magnos fluctus moventis, propter vicinam Charybdin et Scyllam, agitationem et motum concitatissimum in transcursu sentiunt Trojani. Sed aucta hæc omnia in rerum miracula. Videntur autem v. 564. 565. ad Charybdin, et 566. 567. ad Scyllam sigillatim spectare. *desidere*, ut *sidere*, *subsidere*, proprie de navibus mersis vel depressis. 566. Fluctus cum fragore in cavernas littoris irruunt æstu maris propulsi; unde retroacti in alios fluctus supervenientes incidunt; quibus allisi undam in medio pressam ejaculantur. *Spumam elisam*, fluctuum ad cautem allisorum, ἐπιβλύει ὕδατος ἀχνή, Apollon. IV. 1238. *rorantia astra*, aqua in altum sublata roris instar guttatim destillante, probasse videtur sæculi Augustei genius. Nostris hominibus vix placeant! Ita tamen veteres sæpissime. v. c. mox v. 574. *et sidera lambit*, de flamma Ætnæa.

568 Quam ornate! vesperi ventus, aquilo, cessat.

570 Subeunt Trojani Portum Cyclopum. Proprie aqua est immota a ventis: inde eleganter portum ventis inaccessum extulit: *Portus ab a. v. inmotus.* Portum autem hunc, ut totum de Cyclopibus, eorumque terra, locum Homero sublegit: Odyss. ι, 136. sqq. Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος etc., qui versus hujus sunt interpretatio. Portus ille Ætnæ profluviis totus nunc est oppletus. Cæterum e Virgiliana narratione apparet, poëtam fuisse inter eos, qui insulam Caprariam et Cyclopum sedes ante Ætnam in littore occidentali collocarent; non ad Drepanum et Erycem, ut alii et forte ipse Homerus.

571—577 Ad poëtæ nostri ductum Justin. IV. 1. *horrificis tonat Ætna ruinis* h. e. fragore resonat; satis graviter. *prorumpit*, emittit, ἀναπέμπει, antiquo loquendi modo. conf. sup. I. 246. 573. *Turbine f. p. et c. favilla*: h. e. globis fumi, cum cinere permistis, φλόγας καὶ λιγνῦς. Aliter non accipiam. *favilla candens*, ut *canus cinis*; ornans epitheton a rei natura ductum. *Erigit eructans* ornatius quam eructat, ἐρεύγει, emittit, extrudit. *liquefacta saxa* h. e. in vitrum conversa, interdum admixtis metallis; unde ῥύακες illi, rivi igniti *(lava)*. *fundo*, ἐκ μυχῶν ut Pindarus: *volvuntur ab imo fundamenta*, Auctor Ætnæ 197.

Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgueri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Inpositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis inmania monstra
Perferimus; nec, quæ sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus; obscuro sed nubila cœlo;
Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Quum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira illuvies, inmissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Graius,
Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.

578—582 Nota vel ineptis hominum commentis fabula, quæ ex antiquo physica phænomena adumbrandi modo profecta est, cum ignem subterraneum cum fulmineo igni compararent: hunc itaque ignem in monstro, quod fulmine percussum erat, vivum ac perpetuum durare. Pro Encelado, quem tamen et alii agnoscunt, alterum gigantem Typhoëum vel Typhonem memorant Pindarus et Æschylus; at Virgilius hunc sibi servavit ad similem locum subterraneo igni notabilem inf. IX. 716. idque Homeri exemplo Iliad. β, 783. v. ad Hygin. f. 152.: Pari exemplo ad Phlegræos campos magno terræ motu collapsos gigantum pugna fuit traducta. Diod. V. 71. 579. *Ætnam insuper inpositam*, ὑπερθεν ἐπιτεθεὶν ὄρος, *exspirare flammas caminis ruptis* h. e. cavernis et receptaculis flammæ subterraneis, quæ nove *caminos*, fornaces, dixit. 582. *Trinacriam intremere* (nam vix *intremere* pro tremefacere posuit poëta, ut Ætna subjectum esset) et (illum Enceladum) *cœlum subtexere fumo*, exquisite, ut *suffundere*.

583—587 *Monstra* h. l. monstrosum phænomenon, rem portentosam. 584. *sonitum*, fragorem montis. 585. *nec lucidus polus æthra Siderea* h. e. sideribus; nec cœlum stellis fulgentibus lucebat. 587. et *in nimbo*, nubilo sëre, *tenebat*, occultabat, *lunam nox*. Ἀὴρ γὰρ περὶ πυσι βεβηκεῖ ἦεν, οὐδὲ σελήνη Οὐρανόθεν προφαινε· κατείχετο γὰρ νεφέεσσιν Odyss. ι, 143. 144.: quem totum locum Virgilius ante oculos habuit, laude tamen hactenus integra, quod Achemenidis persona inducta magnam legentibus mirationem rei novitate facit. Imitatorem nostri habes Ovidium XIV. Met. 158. sqq., ubi ad Cumas alius Ulyssis socius substiterat.

588—592 *Primo Eoo*, Lucifero, mane, ἠῶος ἀρχὴ, cf. Georg. I. 288. *umbram humentem*, uti amant poëtæ *noctem humidam* propterrorem.

593—595 Cf. vet. poëta de Thyeste ap. Cic. Tusc. Qu. III. 12. *inmissa* in faciem, adeoque exquisitius quam *promissa barba*. *Consertum spinis tegumen*, vestem laceram ac detritam habebat, et, ne panni diffluerent, spinis pro filis consutam et sartam. cf. Ovid. Met. XIV. 166. ubi multa ex Virgilio adumbrata. Ex his ipsis tamen pannis agnoscebatur *Græcus* esse: scilicet si totum vestitum et habitum hominis reputares. 595. *patriis ad Trojam missus in armis*, Homerica oratio,

Isque ubi Dardanios habitus et Troïa vidit
Arma procul: paullum adspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum; mox sese ad litora præceps
Cum fletu precibusque tulit. Per sidera testor,
Per superos, atque hoc cœli spirabile lumen:
Tollite me, Teucri; quascumque abducite terras;
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates:
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque inmergite ponto.
Si pereo; hominum manibus periisse juvabit.
Dixerat; et genua amplexus, genibusque volutans
Hærebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; quæ deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat juveni; atque animum præsenti pignore firmat.
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achemenides, Trojam, genitore Adamasto,
Paupere (mansissetque utinam Fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Inmemores socii vasto Cyclopis in antro

nam saepius similis forma, aliquem a patre ad bellum esse missum occurrit. Adjicit Serv. *ex sequenti ejus confessione hoc didicit Æneas.*

599—606 *Testor*, quaeso, obtestor. *hoc cœli spirabile lumen*, vitale, de quo (l. quo) spiramus: *Serv. lumen* autem pro æthere, aura; ut etiam poëtæ: *luminis aura*, quandoquidem lucem transmittit. *Danais* (pro Danaicis) *e classibus* pro unum e Danais. *si sceleris tanta est injuria nostri*, ornate, si scelus meum tantum est. *Spargite*, cum vi, discerptum dispergite.

606—609 *Genibusque volutans Hærebat:* ad genua provolvens se inhærebat, προσφὺς; ἱκέτευε. *dat juveni*, ut evitaret tenuem vocalem *ei*. *præsenti*, certo, *pignore*, quod manum dat, adeoque fidem, tamquam λαβήν.

613 sqq. Hoc de Achemenide episodium totum Virgilii ingenio deberi videtur, scilicet ut ita Homerica de Cyclope intexere suis versibus posset. Nam delectare solet et hoc, si fabulas, notas quidem nec novas, nova tamen cum variatione, novo cum ornatu, et in novo rerum vel narrationis ordine legimus. Temporum rationi quidem adversatur hoc episodium: Ulysses enim inter initia erroris sui ad Cyclopas venerat, at Æneas multo serius. Sed in talibus, quæ lectorem non offendunt, nisi molesta subtilitate uliena a re presenti admiscentem, male poëtas reprehendas. *genitore paupere:* cum genitorem pauperem haberem. sup. II. 87. *Pauper in arma pater primis huc misit in annis.* Nescio tamen, annon poëta sua potius tempora, quibus militia inter vitæ genera quæstuosa erat, quam Homerica respexerit; nam addit: *mansissetque u. Fortuna!* Cæterum hoc dictum est elegantius quam: utinam pauper, adeoque domi, manere maluissem!

616 Cum Ulyssis socii, ne Polyphemus injuriam ulcisceretur, fuga se proriperent, Achemenides forte remansit. *trepidi*, bene adjectum, præ festinatione. 618. *domus saxie*, pro saniosa, usu casus sexti paulo duriore.

Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altaque pulsat
Sidera, (Di, talem terris avertite pestem!)
Nec visu facilis, nec dictu adfabilis ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud inpune quidem. Nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul, expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Inmensus, saniem eructans ac frusta cruento
Per somnum commixta mero: nos, magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phœbeæ lampadis instar:

620 sq. *Pestem*, pestilens et exitiosum hominum vitæ monstrum. *nec visu facilis* h. e. cujus adspectum non facile aliquis ferat (ἀπροσόρατος voce Orphica, δυσαντίβλεπτος. Bene Serv. "*cujus possit etiam adspectus inferre formidinem*") nec sustineat alloquium.

623—627 Cf. Odyss. ι, 288. sqq. *corpora*, elegantius quam viros. *resupinus*, bene nisum jacientis exprimit, dum ad colligendas vires corpus reducit ac recurvat. Homerus notionem magnitudinis et roboris in monstro tuitus est: Σὺν τε δύω μάρψας, ὥς τε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ Κόπτ'. tantæ erant vasti corporis vires! Reliqua a Virgilio ornatius exposita. Nisi et ipsum voc. *resupinus*, cum Servio, de jacente humi Cyclope accipere mavis: quo ipso magnitudo virtutis appareret, quod resupinus hoc facere potuit. Conf. Ovidii versus XIV. Met. 205. sq. ex h. l. expressos. *exspersa* doctius, quam aspersa. *membra fluentia tabo*, oratio poëtica pro vulgari, defluente tabo. Cæterum hæc ad nostrum palatum haud esse comparata, facile sentias.

628 sq. *Oblitusve sui est; sui*, cum vi, h. e. suæ astutiæ ac calliditatis; quæ ista ætate eadem cum sapientia habita, ut ex Homero observare in promtu est; ibid. v. 420.; Αὐτὰρ ἐγὼ βούλευον—πάντας δὲ δόλους, καὶ μῆτιν ὕφαινον, Ὡς τε περὶ ψυχῆς· μέγα γὰρ κακὸν ἐγγύθεν ἦεν. *in discrimine tanto*. 630. ex eod. l. v. 296. 297. Κεῖτ' ἔντροσθ' ἄντροιο ταναοσάμενος διὰ μῆλα. add. 371. *sepultus*, motu et vita privatus erat. 631—633. v. ibid. 372. 374. κεῖτ' ἀποδυχμώσας; παχὺν αὐχένα—*inflexam* pro vulgari reflexam. *jacuit immensus* præclare, cum notione vasti corporis. 634. *sortiti vices* h. e. quod unicuique esset agendum. vide ibid. v. 331. sq. 634. 635. vide ibid. v. 378. sqq.—636. *latebat* quanto ornatius quam *erat!* vides eadem voce simul torvam frontem, horridas palpebras, hirsutum supercilium, λασία μὲν ὀφρῦς ὑπὲρ παντὶ μετώπῳ Ἐξ ὠτὸς τίταται Theocr. Idyll. XI. 71. 637. *Argolici clipei*: erat is Argivorum inventum: Fuit sane clipeus inde in communi Græcorum usu, aliquando etiam a Romanis receptus pro scuto: potuit tamen Argolicus clipeus peculiare quid habere; quod rotundus erat, cum alii clypei essent oblongi; scuta etiam oblonga quadrata. Etiam Dionys. Halic. IV. (p. 221. c. 16.) Ἀργολικὰς ἀσπίδας Servius rex ferre jubet cives primæ classis. *Phœbeam lampa-*

Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam, qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,
Centum alii curva hæc habitant ad litora volgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia jam Lunæ se cornua lumine conplent,
Quum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami, et volsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia conlustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quæcumque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocumque absumite leto.
Vix ea fatus erat: summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem:
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat.

dem esse Solem, non Lunam, in aperto est. Ex Virgilio sua sumsit Ovid. XIII. Met. 851. 852. Mox 638. *ulciscimur* ad ductum Homeri l. c. v. 475. sqq.

641—644 Ornatum (partim ex Hom. l. c. 337. 341.) vides: *Qualis* Polyphemus *est, tales* Cyclopes multi in vicinia *sunt, habitant.* Est autem is poëtarum mos, Græcis inprimis admodum frequentatus, in Pindaro vel centies observatus: ut evitetur tenuis oratio per verbum substantivum *est*, statim attributa substituunt; itaque h. l. pro *qualis est Polyphemus*, ornatius dixit poëta; *qualis claudit atque pressat;* plenior oratio erat: *qualis Polyphemus est, qui claudit.* Tenendum hoc est in aliis locis, in quibus eadem orationis forma occurrit. Sic sup. I. 498. erat: *Qualis exercet* pro qualis est, cum exerceat. An vero talis verborum ornatus trepidanti Achemenidi satis conveniat, dubitare forte possis. Sed in his cum poëta quodammodo tacite conventum est in hoc, ut ii, quos loquentes inducit, poëtica oratione utantur. Quod nisi ita se haberet, quomodo tragœdia scribi posset?

647 *Domos* sc. *ferarum* non otiosum post *lustra;* nam speciem rei clariorem exhibet, quam voc. proprium dabat. *ab rupe Cyclopas* junge; prospicit in monte errantes. modo v. 644. *et altis montibus errant;* et inf. 655. *summo cum monte videmus;* item 675. Mox 649. *Victum infelicem*, simpl. miserum, tenuem. Argutum puto, de infelici arbore accipere. *lapidosa corna* ab osse, quod in se habent.

653 *Addixi:* signato verbo exprimit desperationem, ait Serv.; at quatenus? sc. est pro, me tradere decrevi, ut alias morti, servituti, malo, se quis addicit. Addicunt se proprie, qui se vendunt, ut gladiatores.

658 Πίλωρ, πελώριον δαῦμα apud Homerum l. c. *informe*, ut ἀμορφον, deforme. *cui l. a.* h. e. excæcatum; deformitas nova præter naturalem. 659. In *manu* truncus

Lanigeræ comitantur oves: ea sola voluptas,
Solamenque mali.
Postquam altos tetigit fluctus, et ad æquora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu; graditurque per æquor
Jam medium; necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito; tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus æquora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo,
Clamorem inmensum tollit: quo pontus, et omnes
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque inmugiit Ætna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora conplent.
Cernimus adstantis nequidquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentis,
Concilium horrendum: quales quum vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterunt, silva alta Jovis, lucusve Dianæ.

pineus *regit* eum, et *vestigia firmat*, firmum incessum præstat. Mox vero 662. *ad æquora venit*, ubi ad altum usque mare processit: pro vasti scilicet corporis modo; 663. *inde*, ex æquore, aqua marina.

666. 667 Cum Homericis certavit l. c. v. 471. 472. adde Odyss. κ, 126. sqq. *Sic merito*, εἰκότως. Nam supplicem, ἱκέτην, quis aspernari ausit! sive ut *merito* sit adverbium, sive quia meritus erat sic recipi. Mox 669. *sonitum vocis*. *Vox* novo exemplo pro strepitu vel remorum vel undæ remis impulsæ, ut sup. 556. *fractæ voces* pelagi. Cum poëta plura audacius extulerit, facile et hoc feras. Sin ferendum esse neges, cum Burm. *vocem* de hortamine et celeusmate accipies. Discesserant quidem *taciti*, sed *certantes remos* ad hortamen, certe mutum, referri posse ille observat. *vestigia* pro ipsis gressibus, notum; et 670. *dextra adfectare* appetere, attingere, navem nostram.

671 *ubi—nec potis est, æquare fluctus I. sequendo*, accipi aliter non potest, quam de altitudine maris profundiore, quam pro monstri proceritate: qua æquus, par, ei non est. Nec, dum nos insequitur, par est molis suæ magnitudine altitudini maris, quæ eo major est, quo longius a littore proceditur. Porro ad 672. cf. Odyss. ι, 395. Vides poëtam ad miraculum et prodigium res augentem.

676 *ad portus* cf. v. 570. *adstantis nequidquam*, quia nocere (nunc) non poterant. *Æ. fratres*, populares, gentiles. Mox *cœlo*, ad cœlum. *concilium*, exquisite pro turba.

680. 681 *Coniferæ cyparissi*. Cupressus mas fert conos nuci pineæ non absimiles. *silva Jovis*, declarant quercus, itaque *lucus Dianæ* ad cupressos erit referendus; adeoque de Diana infera vel Hecate aut Proserpina agi necesse est. Nam cupressus feralis arbor, alias Diti sacra. Potuisse dicas a poëta sic simpliciter ornari voc. *luci*, ut *Dianæ* esset, cui omnino saltus curæ sunt: esset tamen sic usus insolens cupressorum.

Præcipites metus acer agit quocumque rudentis
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
*Contra jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
*Inter utramque viam, leti discrimine parvo,
*Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
Missus adest. Vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, Thapsumque jacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.
Sicanio prætenta sinu jacet insula contra
Plemmyrium undosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare: qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

682. 683 Nos metu agitati quocunque malumus cursum dirigere, quam in portu manere. *rudentis excutere*, evolvere, explicare et intendere, v. sup. 267. *ventis secundis*, int. quo ventus ferret; non exspectare ventum, quem cursus postulabat.

684—686 E pluribus verborum juncturis, quas hic facere possis, illa videtur verborum locique naturæ cæteris adcommodatior: *Ventos secundos*, qui tum a tergo spirabant, fac fuisse Notum vel Austrum; ab hoc rejici debuere versus Charybdin et Scyllam; *Contra Heleni jussa* (monuerat is ne per fretum navigarent) *monent, ni (h. e. ne) teneant* (naves) *cursum inter Scyllam atque Charybdin, utramque viam leti discrimine parvo* (per appositionem; utraque, et Scylla et Charybdis, esset iter periculosum, si per eam navigatio fieret); Tamen, cum ventus versus has partes ferret, scilicet ab australi plaga spiraus, *certum est dare lintea retro*, h. e. jam decreveramus, iterum mare Adriaticum repetere; cum, ecce, Boreas exoritur. *Heleni jussa*, v. sup. v. 410. sq. 429. sqq. *ni*, antique pro *ne*. *teneant* sc. naves. In simili re Od. γ, 172. ubi præcesserat—Ἠτίομεν δὴ ἔπειτα—ὄφρα φύγοιμεν—, sequitur v. 176.: Ὦρτο δ' ἐπὶ λιγὺς οὖρος ἀέλλαι· αἱ δὲ μάλ' ὦκα Ἰχθυόεντα πέλασθαι δίδρεμεν. Hactenus versus infeliciter procusos interpretatus sum, quantum licuit.

687 *Venti* poëtis a montibus, tamquam sedibus, petuntur; itaque h. l. Aquilo a promontorio Peloro, ad fretum Siculum: hinc *angusta ab sede—Missus:* puto exprimi Ἰάμενος vel *Ἰίμενος*: is navem fert secundum littus Siciliæ orientale versus austrum.

688. 689 *Vivo ostia saxo Pantagiæ. Pantagias* (nunc *Fiume di Porcari*) parvus fluvius, brevi cursu, infra Leontinos, cujus ostium præruptis utrinque rupibus includitur: *vivo saxo*, ut I. 167. *vivoque sedilia saxo. Saxa rotantem Pantagiam* dixit Claudian. de R. P. II. 57. in loco hinc expresso. *Megara* sunt h. l. Hyblensia, quia olim Hybla parva dicta, non longe a Syracusis, in sinu Megarensi, *Golfo di Augusta*, quem ab australi parte includit *Thapsus*, peninsula in mare procurrens, *plana, parve fluctibus par*, ait Servius, qui insulam appellat, unde *jacentem* dixit poëta, h. e. humilem, non altam montibus.

690. 691 *relegens retrorsum*. nam cum Ulysse a Lotophagorum inde insula, littori Africæ prætenta, Siciliæ littus orientale ad Cyclopas usque prætervavigaverat. itaque *Litora* jam *errata*.

692—696 Insula *Ortygia*, et ex adverso *Plemmyrium* promontorium, ad aditum sinus et portus Syracusani. In eadem fons Arethusa, de quo et de fabula super ejus cum Alpheo Elidis fl. congressu v. sup. Ecl. X. 1. et 4. *undosum* h. l. περιῤῥύμον, quod æstuantis maris fluctibus alluitur; unde et ipsum nomen πλημμύριον. *occultas e. v. subter mare*, τὴν τε θάλασσαν Νίῤῥθεν ὑποτρεχάει

Jussi numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero præpingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni
Radimus; et fatis numquam concessa moveri
Adparet Camarina procul, campique Geloi,
Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimum quoñdam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus;
Et vada dura lego saxis Lilybeia cæcis.

Mosch. Idyll. VIII. *ore tuo*, eodem fonte; unde Pindaro Arethusa ἀμπνυμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ Nem. I. 1.

697 *Jussi*, admoniti, sed a quo? vel ab Achemenide, vel ab Heleno, vel ab Anchise, ait Serv. Hoc ultimum verum puto. Nam per totum librum ese sunt Anchisæ partes, ut religiones et auspicia curet; at Helenus tantum de Junone placanda monuerat vs. 436. *Helorus* fluvius in littore orientali paullo supra Pachynum promont. Primum ille inter specus et exesas rupes procurrit, unde Silio *clamosus Helorus*; mox, ubi ad littus accessit, placido ac leni cursu incedit, et hieme, clauso maris fluctibus ostio, frequenter excrescit stagnatque, unde agri vicini pinguescunt plurimum (Nunc *Atellaro* et in inferiore arte *Aliso*). *Exsupero*, h. l. prætervehor.

699 *Pachynum*, promontorium Siciliæ ab Australi parte *(Capo Passaro)*. *projecta saxa* expressit Gr. προβλῆτες σιδηλοι.

700. 701 *Camerina numquam concessa moveri*: accipio, palus, quam deus consultus vetabat movere, cum Camarenses canali ducto eam exsiccare vellent. *moventur* ea, in quibus aliquid molimur, novamus, mutamus. Servii verba apponam: "Palus est juxta ejusdem nominis oppidum: de qua quodam tempore, cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit: Μὴ κίνει Καμαρίναν· ἀκίνητος γὰρ ἄμεινον. quo contemto exsiccaverunt paludem, et carentes pestilentia, per eam partem ingressis hostibus, pœnas dederunt." Sed quæ illa urbis expugnatio fuerit, nusquam declaratur. Ter Camarinam fuisse conditam, ex Thucydide aliisque docetur. Cæterum poëtam hæc ex sua potius, quam Æneæ narrantis, persona dixit: quod de toto hoc loco non minus tenendum. Nam omnes illæ urbes et locorum nomina Æneæ temporibus recentiora sunt.

701. 702 De situ urbis et fluvii *Gelæ* camporumque res parum explorata. Acquiescit Dorvillus in Cluverii sententia, esse Gelam, qui nunc *Fiume di Terra Nuova*, campos autem Geloos, egregiæ fertilitatis planitiem, latius cis et ultra fluvium patuisse, quam vulgo creditur. Sed, quorsum *Inmanis* spectet, dubitari potest. *magnam* interpretantur; sed urbis amplitudinem nemo veterum memorat. Proclive est, ad dominos referre, ut sæpe in urbium epithetis fit, ut ab incolarum vel dominorum moribus et ingeniis ducta sint. Gelæ tamen tyrannos sævos et immanes fuisse, unde doceri possit, mihi non satis constat. Igitur de tyrannis Gela oriundis, Hierone et Thrasybulo, Gelonis fratribus, Syracusarum tyrannis, erit accipiendum.

703. 704 *Agrigentum* in monte Acragante situm, maximis quondam opibus ex agri fertilitate et Carthaginiensium mercatu refertum; hinc civium magnificentia et luxus. Aluere iidem equos ad certamina Græciæ, et inter Olympionicas fuit Theron Agrigentinus a Pindaro celebratus. quamquam ad hunc solum respici a poëta non dixerim. Gratius Cyneg. 526. *per illos* (equos) *Cantatus Graiis Acragas*. *quondam* paullo incautius adjecit poëta, contra temporum ordinem.

705 *Selinuntem* palmis agrestibus abundasse, ex Cicer. Verr. V. 87. satis constat. Ex nostro expressit XIV. 200. Silius Ital., quem in toto hoc loco comparare juvabit. *datis ventis*, orto vento.

706 *vada dura saxis cæcis* h. e. latentibus. *dura* (ne *dira* conjectes) *vada* dixit, h. e. locum vadosum fundo saxeo, quoniam extrema Lilybæi promontorii ἄκρα plana atque depressa, ad III M. passuum sub undis protenditur, in trium circiter cubitorum altitudinem tecta.

Hinc Drepani me portus et inlætabilis ora
Adcipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ casusque levamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus adpulit oris.
Sic pater Æneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat divom, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

707 *Drepani—inlætalilis ora.* Ager Drepanitanus sterilior, et fere arboribus et herbis destitutus; solum enim arenosum; et præterea multos in tractus aqua marina exæstuat stagnandoque salem profert; et ob hunc ruris illius mœstiorem adspectum non minus, quam ob Anchisæ hic locorum amissi memoriam, ab Ænea Drepanitana ora vocari *inlætalilis* videtur.

712 Comparant Homerica Iliad. ϱ, 407—410.

715 Redit ad Lib. I. 34. *Vix e conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti.* Ex Odyss. ι, 276. 277. Mox *unus* sc. inter cæteros *omnes intentos.*

718 *factoque h. f. q.* ornate: et narrationis finem fecit.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Dido amore Æneæ insaniens, animi sui morbum sorori aperit: ejusque consilium secuta, ad nuptias animum adjicit 1—89. Juno quoque, ut Æneam facilius ab Italia averteret, agit cum Venere, ut ejus bona cum venia liceat Æneæ Elisam uxorem ducere: quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam ostendit—128. Postridie Æneas et Dido venatum proficiscuntur. Ibi omnibus jam præda intentis Juno subitam immittit tempestatem: comites alius alio diffugiunt: Æneas et Dido in idem antrum conveniunt, ibique infaustis ominibus conjunguntur—172. Interim Jupiter, Iarbæ Gætulorum regis, qui advenam sibi præferri iniquo animo ferebat, precibus fatigatus, Mercurium mittit ad Æneam, mandatque, ut relicta Africa, in Italiam naviget—278. Ille Jovis imperio morem gerens, quæcunque ad navigationem erant necessaria, clam per socios parari jubet—295. Cæterum Dido, ubi classem instaurari sensit, suspicata id quod res erat, graviter cum ipso expostulat, precibusque et lacrimis tum per se ipsam, tum per sororem, eum ab incepto revocare conatur. Æneas, nave jam conscensa, iterum in somnis a Mercurio admonitus, intempesta nocte ancoras solvit, 554—583. Illa doloris impatiens mori decreverat, 450—473. et celans sororem quod meditabatur, exstructa in editiore sedium parte ingenti pyra, sacrum magicum, quo ab amore se solveret, paraverat, 474—521. Ubi recrudescente per noctem dolore furens, 522—553. Trojanos discessisse vidit, diris Æneam devovet, 584—629.; ablegataque Barce, Sichæi nutrice, ne quid destinatæ morti impedimenti adferret, necem sibi consciscit.

Libri hujus præstantiam quis non sensit? quis non laudibus prædicavit? Est enim ad communem hominum affectum comparata res, amor infaustus et successu carens. Si de iis partibus carminis quæritur, quæ Virgilio propriæ sunt, et ex quibus ejus ingenium et ars inprimis spectari simulque illud intelligi possit, quantum ad cujusque poëtæ indolem ætas et temporum, in quæ incidit ejus vita, genius faciat: librum hunc primo loco excitandum esse arbitror. Nihil enim, in Homero certe, habuit, quod sequeretur; nam alienissima res ab Homeri sæculo et moribus, delicias in amore facere, aut exquisitiorem aliquem affectum suscipere. Euripidis Alcesten in nonnullis ante oculos habere potuit. Etiam ex Nævii bello Punico eum nonnulla retinuisse suspicor; v. Macrob. VI. 2. extr. p. 588. ed. Zeun. et Serv. ad IV. 9. Sed communi opinione Apollonium Rhod. sequutus esse fertur jam in Servianis ad lib. IV. pr. et Macrob. V. 17. Scilicet Medeæ amorem ad Didonem transtulit. Quæ tamen alia inde tollere potuerit, præter pauca, quæ ad primos libri versus et passim alibi notavimus, vix quicquam occurrit; et Medeæ amor admodum diversus ab amore Didonis; in qua secundarum nuptiarum pudor, et regia dignitas, imperiumque in novo regno, inprimis vero animum superbia et ira exstimulant. Cæterum hunc Didonis amorem a tot aliis muliercularum amoribus, et a recentiorum studiis, quæ toties in tali argumento occupata fuere, admodum diversum esse facile intelliges. Quod qua potissimum ratione a poëta effectum sit, si forte quæras, quæri autem

At regina gravi jam dudum saucia cura
Volnus alit venis, et cæco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos; hærent infixi pectore voltus,
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;

hoc potest, causse rei mihi ex eo potissimum ducendæ esse videntur, quod amor a Didone et Ænea non leviter suscipitur, sed post multas magnasque molitiones ad amorem extinguendum frustra a Didone factas, et consociata Junonis ac Veneris ad eam impellendam opera, suscipitur; porro, quod partim novæ urbis incrementum, partim aerumnosæ navigationis finis ex eo captatur; quod is amoris adfectus cum aliis, iisque gravissimis, affectibus conjunctus est; quod Didonis non modo decus ac fama, sed salus ac vita in eo agitur; quodque miserationi terror ipse est admixtus. Æneas quidem nostris moribus idonei amatoris personam male sustinere videri potest; nec potest negari, vix te ad libri quarti finem legendo pervenire, quin Æneæ feritatem et immanitatem exsecreris. Subsidit tamen ira, si fatorum necessitatem, vaticiniis et oraculis Æneæ satis declaratam, cogitas. Sed omnino res nostris moribus ac sensibus non est judicanda; et ex veteribus vitæ institutis multas excusationes res habebat, si amicam desereres. Quid? quod majorem ex ipsa Æneæ truculentia et asperitate dignitatem carmen duxit; et deorum voluntate, fatorum ordine, ipsa in Didone amoris impotentia, et facta in eum finem Æneæ oratione v. 332. sqq. culpa ejus elevatur. Dignitati herois sui poëta providit etiam in hoc, quod, quo amoris æstu ille arserit, nusquam memorat, etsi is tantus esse debuit, ut Æneas omnem de monstrata a fatis in Italia sede cogitationem animo dimitteret. Dolorem vero ac sollicitudinem super discessu suo ac discidio paullo liberius manifestat. Vide v. 279. sqq. 393. sqq. 448. sqq. Et ipse discessus non nimis acceleratus, nec nisi novo Mercurii monitu factus v. 554. sqq., tacitam reluctantis affectus habet significationem. In quo vero summam artem declaravit poëta, est, quod episodium hoc, per se alienum a re, ut multi adeo conquesti sint, illud ad animum ab Æneæ persona ac rebus gerendis avocandum valere, cum consilio suo et cum ipso argumento tam arcte coagmentavit, ut Junonis fraudes ac consilia actionis epicæ, quod aiunt, novum nodum faciant, utque, ne interruptus et omnino interceptus Æneæ in Italiam adventus sit, jam metuere incipias. Mox vero, sublato eo quidem metu, Didonis diræ, quæ vaticinii speciem habent super odiis perpetuis, quæ inter Romanos et Carthaginienses intercessura erant, novam et inexspectatam suavitatem habent.

1—5 Splendida libri frons, et eximia gravissimi amoris declaratio: *At* respicit ult. vers. sup. libri: Æneas finem dicendi hic fecit (nam *quievit*, dormitum ivit, jejunius dictum esset); regina vero ex narratione multo magis fuit incensa amore viri, *cura*. *Volnus*, quod ut alias, pectore, ossibus, nunc alitur *venis*, propter sanguinem amoris æstu concitatum, et occultus *ignis* (quem ne alienum putes a vulnere, Cupidinis *λαὺς πυρφόρους* cogites necesse est, et Apollonius in oculis fuit lib. III. 286. 287.) et *quod multum animo recursat* Æneæ virtus et Trojanorum clarum nomen, amoris scilicet et causæ et excusationes, ne contra dignitatem susceptus esse videretur. Amor autem hic, ut in memoriam revoces, is est, quo Venus et falsus Ascanius Didonem incenderant sup. I. 672. 712. sq.

6. 7 *Auroram* pro die, ut Homero Ἠὼς dicta est, propter reliqua accipio. *Lustrare* in his et similibus est obire. *Lampadem* pro face. *Humentem umbram*, v. sup. II. 8. Duo hos versus reprehendebat, tamquam alieni et nimii ornatus, Ill. Homius P. III. c. 21. *Principior. Crit.* Videntur tamen ejusmodi temporis declarationes, quandoquidem

Quum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum inmotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non pertæsum thalami tædæque fuisset:
Huic uni forsan potui succumbere culpæ.
Anna; fatebor enim; miseri post fata Sychæi
Conjugis, et sparsos fraterna cæde Penatis,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Inpulit. Adgnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit; ille habeat secum servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis inplevit obortis.

apud Homerum et Virgilium toties recurrunt, in propriæ et simplicis orationis loco esse habendæ, et probandæ etiam hactenus, quod narrationis jejunitatem vel tenorem variant et ornant.

8 *male sana*, insana, *μαινομένη*. Etiam amantissimam sororem exquisito vocabulo *unanimam* dixit. In oratione, quæ sequitur, observa amoris et pudoris pugnam, et inanem pervicaciæ ostentationem victamque jamdudum ab affectu mentem. Quod Annam sororem Didonis inducit, non nutricem, ut fere Græci in tali re solent, admodum placet. Sed debet id Virgilius Apollonio Rhodio, qui Chalciopæ Medeæ sorori, simile officium tribuerat; a quo et insomnia habet Didonis et amoris confessionem sorori factam. v. Apollon. III. 616. sqq. 645. sqq. *Annam* jam Nævius memoraverat.

9 *Suspensam* ornate adjectum, ad metum pertinet.

13 Invertit orationem: credo eum prolem deæ esse, quandoquidem fortitudo ac constantia in ferendis laboribus ac periculis generosam ac divinam originem arguit.

15—19 Eximio cum artificio singula posita. *deceptam fefellit* poëtica venustate plenius pro, morte mariti me fefellit, spem destituit. *potui* exquisite pro possem, post, *si non pertæsum fuisset—culpæ* cum dilectu h. l. pro amore.

20 sq. De Sichæi cæde cf. sup. I. 349. sq.

23 Agnosco amoris, qualem olim expertus sum, signa.

24 *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών* Iliad. *β*, 182. et al. cf. Iliad. *ζ*, 464. *ρ*, 416. *prius —ante quam*, ut Homer. *πρὶν—πρὶν ἤ*. Egregie ad majorem vim versus 26. adjicitur;

Anna refert, O luce magis dilecta, sorori,
Solane perpetua mærens carpere juventa?
Nec dulcis natos, Veneris nec præmia noris?
Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?
Esto: ægram nulli quondam flexere mariti;
Non Libyæ, non ante Tyro; despectus Iarbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gætulæ urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infreni cingunt, et inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcæi. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dis equidem auspicibus reor et Junone secunda

mox *jura pudoris* int. vim et potestatem in se: qua a novo amore, et a secundis nuptiis deterrita est. Vss. 28. 29. dulcissimi sunt affectus et magnæ dignitatis. Uni suo marito amorem suum se addixisse ait. *sinum* v. 30. manifeste pectoris sinus. δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι Iliad. ι, 566. Hæ autem *lacrimæ* magnum facile poëtam arguunt. Dum vult constans et aspera et ab amore intacta videri, ecce obortæ lacrimæ laborantem occulto affectu animum produnt. cf. Horat. IV. 1. 33. sqq.

31 sqq. Egregium suasoriæ orationis exemplum in poëta. *Anna refert* verba, respondet.

32 Proprie *carpitur*, consumitur, *ætas*, *juventa*, *vita*, φθίνεται, κατείβεται αἰών. Simplex oratio esset: *consumesne ætatem vidua*; at ornatior; *consumerisne ipsa exigens ætatem perpetuo vidua?* Jam melius dictum; *juventa* pro ætate, et *mærens perpetua juventa*, pro mœrens perpetuo in solitudine, *sola*. Imitatio Virgilii in Seneca Hippol. 446. sqq. *Ætate fruere—cur toro viduo jaces?*

33 *Veneris præmia* possunt per appositionem ad ipsos *natos* referri, tamquam matrimonii munera. Si tamen memineris δῶρα Ἀφροδίτης, quo sensu dicantur, melius voluptates et oblectamenta conjugum intelliges.

34—36 *Manis sepultos* ex opinione, puto, de Manibus compositis et placatis, ubi justa persoluta essent; adeoque pro vulgari: Manes sepultorum. In v. 35. *mariti* pro procis. De *Iarba* v. inf. 196. et Justin. XVIII. 6. In *ægram* latet causa spreti adhuc amoris, quod recenti dolore erat adflicta, qui nunc resedit. *mariti Tyro*, a Tyro, Tyrii, ut sæpe alibi.

37 Multa igitur bella ab Afris feliciter gesta fuere. Declarat simpliciter gentem bellicosam. *terra Africa* antique.

40—44 *Gætulæ urbes*, ad terrorem *urbes* posuit, nam in mapalibus habitabant. Ita Serv. conf. Sallust. B. J. 21. Melius dices, poëtam commune illud, et jam Homericum, πόλεις expressisse, quod simpliciter sedem et habitationem designat. Homericum est quoque illud *urbes—genus*; nam is, et ejus exemplo alii, sæpe πόλεις pro incolis vel populis, et vice versa populos pro insula, vel terra et urbe. cf. sup. lib. I. 339. *fines Libyci*, *genus* etc. *Numidæ infreni*, equis sine frenis; res nota. *Syrtis* int. Afros Syrtium accolas. sup. I. 539. 540. *fines Libyci*, *genus intractabile bello*. *deserta siti*, inhabitabilis raritate aquæ. Significat autem Anna, a nulla parte quicquam auxilii ac præsidii Pœnis posse sperari. *Barcæi* a Barce, Cyrenaicæ urbe, per prolepsin hic nominati; nam multo seriores fuere urbis origines, quippe a Batti demum nepotibus conditæ. v. Herodot. IV. 160. et ibi not. *late furentes Barcæi*. Insederant ergo jam tum has terras barbari ferique populi late vagantes. Servius: "Hi, secundum Titianum in Chorographia (quæ Julii Honorii Oratoris fuit) Phœnicem navali quondam vicere certamine." *Germani minas*. cf. I. 361. sq.

45 Junonem potissimum propitiam nomi-

Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quæ surgere regna
Conjugio tali! Teucrum comitantibus armis,
Punica se quantis adtollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, causasque innecte morandi:
Dum pelago desævit hiems, et aquosus Orion,
Quassatæque rates, dum non tractabile cœlum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentis
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo;
Junoni ante omnis, cui vincla jugalia curæ.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

nat, sive quia inter principes deos Carthaginiensium erat: cf. sup. ad I. 15. et mox v. 59.; sive quia conjugiis illa præest.

49—53 *quantis rebus*, opibus, potentia. Mox *deos veniam poscere*, eos placare ac propitios reddere jubet; causam in illis quære: *quæ me insomnia terrent;* ad expianda scilicet insomniorum omina. *sacris litatis*, nove hoc dictum (nam proprie litatur diis per sacra s. sacris, victimis), sed Virgilii exemplo et alii dixere *litare victimas*. *indulge hospitio*, hospitalitati, benevolentiæ in hospitem, da operam hospiti benevole habendo. Versus 52. 53. ad tempestatem spectant. *desævit*, ἀπομανῇ. *aquosus Orion*, qui imbres et nimbos affert ortu suo. Sic *Piscis aquosus* Georg. IV. 234. *Orion* bene memoratur, cf. I. 535. dum *rates quassatæ* (v. I. 551.) et nondum refectæ sunt; dum *non tractabile cœlum*, alias sævum, asperum, procellosum.

55 *solvitque pudorem* male accipitur, quasi ad impudentiam sit prolapsa. Sed effecit, quo amori eam jam minus puderet succumbere.

56—59 Ut hæc rite perspicias, tenendum, primum de utraque sorore, tum de sola Didone agi; et a v. 60. duo esse, in quibus occupata est Dido, ut victimis cæsis deos sibi propitios reddat; et a v. 63. ut exta inspiciat. *pacem*, veniam deorum, benevolentiam, v. 50. *Legiferæ Cereri*, Δήμητρι Θεσμοφόρῳ. Vitæ cultu meliore invento jura ac leges sunt natæ, legitimaque cum his connubia. Cur *Phœbo* et *Baccho* nunc sacra fiant, tantum conjectando causa reddi potest; forte tamquam diis Carthagine olim cultis; etsi inter conjugales deos referri solent ex hoc loco. *Bacchum* jam lib. I. 734. memoratum vidimus. *Phœbum*, ut Solem, patrium Pœnorum numen esse puto, quod idem Saturno assimulabant Romani; etsi Apollinem etiam Carthagine cultum tradunt. De *Junone* cf. ad lib. I. 15. Accommodavit Deæ Cœlesti, quod Romani ac Græci Junoni suæ tribuebant, quæ ζυγία et γαμηλία erat.

62—64 Spectant ad extispicium, cujus causa victimæ cæduntur. Illa incedit ad *pinguis aras*, pinguibus victimis, τὰ πίονα μηρία Homeri; ipsa adstat victimis extispicii causa cæsis. *Instaurat diem donis*, h. e. sacrificiis; proprie *instaurantur sacra*, quæ iterum curantur, seu repetuntur; et est voc. sacrum; sic V. 94.: sed h. l. *dies*, h. e. dies festus, quo sacra erant facta; nova subinde

Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore volnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictæos; hæret lateri letalis arundo.
Nunc media Ænean secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quærit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.

sacra in alterum diem indicuntur: sc. ut exta meliora sibi contingant. Hinc *diem instaurare* Virgilii exemplo dixit etiam Statius et alii. Et tandem *instaurare* poëtis omnino est facere, instituere; sic funus sup. III. 62. epulas VII. 146. VIII. 283. choros IV. 145. *spirantia exta*, palpitantia. Impatientiam expectationis τὸ *inhians* exprimit. *Consulit* autem Dido *exta* super felici amoris successu.

65—67 *vatum* ad extispicium v. sup. refer; suntque adeo extispices, sacrifici: qui h. l. fausta omina renuntiant. *ignaræ mentes!* cujusnam rei? infelicis puta exitus et eventus consiliorum et amoris Didonis. Vide enim ne de amoris medela deos aditos esse existimes: quod alienum esset a loco et more; ab amore solvunt sacra magica; ad quæ Dido recurrit inf. 478. sqq. At vates, et in his extispices memineris consultos esse super pace deorum exposcenda, malis ominibus, ut somniorum, ostentorum averruncandis et mentis curis ac terroribus placandis; tum de consiliorum cœptorumque successu, et eventu. Conjuncta hæc cum sacris, quibus id ipsum efficeretur, ut propitii curis et consiliis essent dii. *delubra*, aditus delubrorum sup. v. 56. Exclamationem hanc ex poëtæ persona jam olim nonnulli reprehenderunt. Quod tamen in epico poëta reprehendi possit, non tam illud est, si ex sua persona affectum interponat, quam si *de sua persona* quicquam intertexat, quippe quæ a carmine epico, quod enthusiasmum spirare, adeoque in una re, quæ argumentum facit, occupata esse debet, aliena sit necesse est; nisi forte poëtæ persona ad augendam carminis vim et ipsa valere possit, aut ille nova Musæ invocatione animum lectoris advertat. *mollis flamma*, levis, adeoque mobilis. *vivit* pr. de vulnere crudo.

68—73 Egregia perditæ amantis comparatio, in qua ornanda recentiores passim poëtæ laborarunt. *agens telis*, agitans, urgens, ornate, ut alias, v. c. Georg. III. 412. *Nescius*, sc. non viderat telum vere in cervam descendisse; sed, frustra emissum credens, reliquerat. Capra forte melius a poëta fuisset memorata, quandoquidem ex Solino c. 17. constat, *agrum Creticum silvestrium caprarum copiosum fuisse, cervo egnisse*. Excusanda tamen talia in poëta, etsi non commendanda. 74. Totus locus, qui sequitur ad v. 89. super amoris æstu, inter consummatissimos est et unicus, etiam post Apollonii insignem sententiarum copiam, et Valerii acumen, lib. VII. ac post innumeras recentiorum poëtarum in hoc argumento contentiones. *Brevitatem* in summa rerum copia et *dignitatem* vix quisquam est assequutus, si forte affectum movere et aliis contigit.

75 *Sidonias*, Tyro advectas, v. I. 368. *urbem paratam*, egregie, ut non opus esset, novam quærere per longos errores. *convivia quærit*, desiderii nota inest, moram impatienter fert, dum cœnæ hora illuxerit.

Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque.
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ adsurgunt turres; non arma juventus
Exercet; portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri

90—93 De nocte sera agi, qua a convivio, sub noctem, *labente die*, instructo, sunt digressi, dubitari nequit: hinc et *cadentia sidera*, occidentia exeunte nocte. Itaque *lumen obscura vicissim Luna premit*, de occasu lunæ sub exeuntem noctem accipiendum esse manifestum fit: *premit*, occulit illa lumen suum, postquam per totam noctem illuxerat. 92. *Stratisque relictis incubat*: non uno modo hæc accipi possunt; aut de lecto, ad quem dormiendi causa illa se confert, aut de triclinio in quo accubuerat. simplicissimum est dicere: de nocte agitur, convivis jam dimissis, unde *domo vacua*. Nunc *sola* illa *mœret stratis*, lecto, *incubans*; hoc ut poëta enuntiavit: *mœret et incubat stratis*, et quidem: *relictis* a se; ut adeo amoris æstu jactata lectum suum reliquerit, mox iterum repetierit. Sane ea, quæ antecedunt: *Sola domo mœret vacua*, eam per thalamos ac triclinia discursitantem indicare videri possunt; adeoque illa in eo triclinio, quo antea erant cœnati, lectum, quo cum Æneа adcubuerat, agnoscit, iterumque ei incubat; quod amantes facere solent, et quod toties amantibus a poëtis tribuitur. Epist. Ovid. X. 51. sqq. *Sæpe torum repeto, qui nos acceperat ambo— Et tua, qua possum pro te vestigia tango, Strataque, quæ membris intepuere tuis.* strata de toro convivarum dicantur. Sic v. c. Ovid. Met. V. 34. ubi de convivio agitur, *ut stetit hasta toro*, stratis *tum demique Perseus Exsiluat.* Est quoque *strata* lectus, ut inf. 392. dictus, quo sedent aut recubant in thalamo seu cubiculo: quandoquidem priscæ vitæ simplicitas eundem torum in eodem cubiculo et sedentibus et dormientibus destinabat. Fatendum tamen, etiam hanc poëtæ rationem plus artis habituram esse quam simplicitatis; ut malim præferre id, quod primo loco apposui. Præclare autem illud subjicitur: *illum absens absentem auditque videtque.*

94 *gremio*; accubantium mensæ habitum animo repeta.

96—99 *arma exercet* exquisitius quam, se in armis; et mox *pendent* pro sunt, et *minæ murorum*, muri alti, quasi altitudine sua minantes, hoc simplicissimum et usu poëtæ frequentatum. sup. I. 102. *Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur In cœlum scopuli.* De eminentiis murorum ac pinnis, ἐπάλξεσιν, acceperunt jam veteres, sed hoc sensu *minæ* technicum, adeoque vix poëticum, et seriorum quidem scriptorum vocabulum fuisse videtur. *machina* simpl. moles, ædificium: sic melius puto, quam de tignis statutis et colligatis, quibus insistunt, qui muros conficiunt.

90 sqq. Habuit poëta Apollonium Rhod. quem sequeretur in consiliis Junonis et Veneris conferendis. v. lib. III. pr., sed suo argumento et consilio præclare accommodavit singula. Juno tantum abesse videt, ut ex tempestate commota Trojanisque in Africæ littora ejectis quicquam sibi res procedant, ut potius Trojanis hoc ipsum hospitium saluti sit. Mutatis igitur ex re consiliis, servatos hos se invita Trojanos arcere saltem studet ab Italia, idque agit, ut Trojani cum Pœnis una civitate jungantur. Hoc se effecturam sperat, Æneæ cum Didone conjugio inito. Approbare hoc consilium parat Veneri; quæ, cum satis teneret, fatale esse Æneæ, ut in Italia considat, et de Jovis voluntate omnia comperta haberet: sup. I. 258. *cernes urbem et promissa Lavini mœnia*, etc. dissimulat tamen et dubitationis tantum loco hunc fatalem rerum ordinem memorat; cæ-

Cara Jovis conjunx, nec famam obstare furori;
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,
Una dolo divom si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta?
Quin potius pacem æternam pactosque Hymenæos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotalisque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Juppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis,

terum rem Junonis arbitrio permittit, utque Æneas cum Didone congrediatur, facile patitur, cum ad summam causse nihil inde mali timendum esset.

90—92 *peste*, exitioso morbo, amore. cf. I. 712. *famam*, h. e. famæ curam; non illam jam malæ famæ metu revocari. cf. v. 170.

93—98 *spolia* ornate pro victoria. *puer*, παῖς, filius, res nota vel ex Horatio. *numen*, sc. erit vestrum, h. e. vos dii, si circumveneritis duo unam feminam! 96. *Nec* plane ignara sum *te* suspectam habuisse Carthaginem: ne Trojanis exitium inferrent Pœni. cf. I. 671. *certamine tanto?* sc. opus est.

100 *habes*, *t.* conf. sup. I. 675. sqq.

102 *paribus auspiciis*, bene Serv. *æquali potestate*. Non enim nunc nuptiarum auspicia intelligenda, sed a magistratibus, qui auspicia habent majora et minora, petitum et ab imperio militari; nunc par et æquale tutelæ jus Veneri et Junoni in Tyrios et Trojanos fore.

103. 104 Magno cum spiritu ac fastidio connubium Didonis et Æneæ expressit Juno: *liceat Didonem servire*, in potestatem venire, nubere, *marito Phrygio*, externo et exsuli; de Phrygum contemtu ex gentis mollitie nunc nolim cogitari; et liceat eam *permittere dotalis*, in dotem afferre, *Tyrios*, Carthaginis regnum, *dextræ tuæ*, tibi tamquam socrui a nuru.

105—107 *simulata mente*, δολοφρονέουσαν, ut Homerus aliquoties. *averteret* signantius quam transferret ad Libyam et Carthaginem. *ingressa* simpl. orationem.

109 *Si modo—factum fortuna sequatur*, si modo, facto hoc quod vis, eventus optatus sequetur, ἢν παραδραμεῖται vel συμδραμεῖται ἡ τύχη, adeoque si res ipsa votis tuis respondebit.

110—113 *Sed incerta sum super fatis*, propter fata, dubito, an Jupiter—qui fatorum auctor est—velit etc. Cum cæteris comparare solent Iliad. ξ, 211. sqq.

Miscerive probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjunx; tibi fas animum tentare precando.
Perge; sequar. Tum sic excepit regia Juno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Æneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem conmixta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca;
Speluncam Dido dux et Trojanus eamdem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit. Non adversata petenti
Adnuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora relinquit.
It portis jubare exorto delecta juventus.
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi

115 *Mecum erit iste labor.* Ex antiquo, puto, sermone. Imitatorem Burm. laudat Silium VIII. 330. *Mecum erit hæc prorsus pietas.* Puto, pro mihi, apud me erit, παρ' ἐμοὶ ἔσται, mihi incumbet, curæ erit. Epit. Iliad. 93. *mecum labor iste manebit:* etiam ex h. l. Alium usum insolitum τοῦ *mecum* vidimus sup. I. 675. Mox *miserrima* Dido, quoniam in magno amore proprie dicitur *miserum.*

120 Ergo habemus et hic Junonem κεραυνοβόλον. conf. sup. I. 42. de Minerva.

121 *alas.* Cum in venatione versemur, accommoda mihi semper visa est illa ratio, ut *alæ* de pinnis in formidine acciperentur; *hæ trepidant*, motu tremulo, *saltusque indagine* et plagis *cingunt.* Silii auctoritatem huic interpretationi laudari posse puto lib. II. 419. ubi h. l. respicit: *It clamor ad auras Latratusque canum subitoque exterrita nimbo Occultant* alæ *venantum corpora silvis* h. e. venantes latebant post alas indaginum. Possis etiam *Dum trepidant* absolute accipere, dum trepidatur, dum studio venandi omnes tenentur, dumque *alæ saltus indagine cingunt*, h. e. saltus retibus cinctus est: Ita interpunges: *Dum trepidant, alæ saltusque indagine cingunt.* Forte hæc ratio omnium est maxime expedita.

128 Venus risit insidiosa Junonis oratione, quum scilicet ejus consilia eventum non habitura esse bene nosset. v. ad v. 90. *dolis repertis, dolos repertos*, excogitatos a Junone, inventos, intellige, ut *consilia reperta* et similia. Et sic sup. II. 164. *scelerum inventor Ulixes. risit dolos* fuisset vulgaris ratio.

129 Homericum Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων Ὤρνυτο passim obvium.

130—132 *jubare* h. l. solis. *Massyli* h. l. simpl. de Afris. *odora canum vis*, nota forma Homerica βίη Πριάμοιο; proprie canes robusti. *fida canum vis* jam Lucretius præiverat. *odorus* nove, qui odoratu excellit, sagax.

133 *cunctantem.* Serv. morabatur studio

Pœnorum exspectant; ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites, et lætus Iulus,
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnis
Infert se socium Æneas, atque agmina jungit:
Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque inplicat auro;
Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat
Æneas; tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montis, atque invia lustra,
Ecce feræ, saxi dejectæ vertice, capræ

placendi. Nisi hoc nimis acutum est: accommodate ad illud Terentianum: *Dum moliuntur, dum comuntur, annus* est. Etiam hanc elegantiam Homerus non esset sectatus. addere poterat poëta ornatus causa, cum *exspectant* posuisset.

137—139 Chlamyde est induta purpurea, cujus ora ambit limbus acu vel radio pictus et variegatus. cf. inf. V. 259. *crines nodantur in aurum* doctius quam *auro*, aurea fascia, vel ut Serv. aureo retiolo, quod colligit comas. *Fibulam* περόνην, non nisi in tunica vel chlamyde locum habuisse satis, puto, constat: itaque h. l. *vestem* chlamydem intelligemus, venatoribus gestari solitam. Fibula autem in humeris colligebat ac retinebat tunicam, etiam chlamydem: hanc interdum in pectore. Nec tamen talis fibula bene *subnectere* eam videri potest. Dicendum itaque, fibulam hic esse in balteo seu cingulo, quo tunica succingitur.

141. 142 *pulcherrimus*, Veneris munere puta. lib. I. 589. sqq. *agmina jungit*, Trojanorum cum Tyriis. Scilicet dicendum est, esse exquisitiorem poëtæ formam: *jungere agmen* vel *agmina* pro adjungere se cum agmine suo. inf. XI. 145. *Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt agmina*, adjungunt. Comparatio autem ita fit: *ipse infert se*, talis, *qualis infert se* Apollo—; *Ipse graditur—Haud aliter.*

143—149 Locus exquisita doctrina expolitus. Æneas comparatur cum Apolline, festo die prodeunte ad choros ducendos: *instaurare* cum dilectu; est enim voc. religiosum et sacrum. Ducitur chorus ab iis qui vel sacra curant, vel frugum primitias Delum apportant: sunt Cretenses, Dryopes, et Agathyrsi seu Hyperborei: ii *fremuit* circa aram, saltant ac cantant. *picti Agathyrsi*, ut *picti Geloni*, Ge. II. 114. Mela II. 1. 2. 86. *Agathyrsi ora artusque pingunt; ut quique majoribus præstant*, ita magis vel minus: *cæterum iisdem omnes notis et sic ut ablui nequeunt.* Adveniens deus descendit de Cyntho, qui templo imminet, redimitus laurea vittæ aureæ innexa, et pharetra ex humeris pendente. Sed majus phantasma, quod *tela sonant ex humeris*, deo incedente, quodque crinem *fluentem*, effusum, qualis Apollinis est, ipse *premit fingens* fronde et *auro inplicat*, vitta aurea, diademate.

149. 150 Duplex igitur comparationis momentum et concitationis incessus et pul-

Decurrere jugis; alia de parte patentis
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montisque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo; jamque hos cursu, jam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure cœlum
Incipit. Insequitur conmixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Trojana juventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Trojanus eamdem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Juno
Dant signum: fulsere ignes, et conscius æther
Connubiis; summoque ululârunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit. Neque enim specie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat; hoc prætexit nomine culpam.
Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbis:

chritudinis: tam alacri gressu et ipse tam pulcher incedebat Æneas.

151—155 *dejecta* h. l. quæ se dejecerant, quæ desilierant. Cervos alia parte ex montibus decurrentes per campos agminatim fugere ait.

156—159 Juvenilem exsultationem facile sentis. Sed simul expendendus verborum dilectus: quam contemtim *pecora inertia!* Importunum est, illud in memoriam revocare, quod Ascanius Paphum a Venere avectus erat lib. I. 691. sqq. neque nunc eum rediisse poëtæ erat monendum, in re, quæ ministerio divino non amplius indigebat.

164 sqq. *Tecta* omnino loca, quibus tegimur: arbores, cavernæ etc. Quod honesto nuptiarum ac conjugii nomine furtum hoc amantium prætenditur, id ad servandam personæ dignitatem in Ænea et Didone pertinet.

166—168 Mala nuptiarum omina enarrare debebat poëta et videtur enarrare: motum terræ, æris fragorem vento concitati, fulmina, et per montium juga auditos clamores vel ululatus, quæ omnia, cum tempestate et procella magna interdum conjuncta, præclare ad deas pronubas, Tellurem et Junonem, et ad Nymphas, tamquam carmen nuptiale canentes, referuntur. *Prima* malim pro primum accipere. *Ululatum* Nympharum Apollon. III. 1217. memorat: αἱ δ' ὀλόλυξαν Νύμφαι ἐλασιάμοι παλαμηδές. ululant adeo præ terrore et sensu magni mali.

169 Dies ἀρχέκακος Homerico voc. Iliad. s, 63. Mox *species*, pro decoro positum videtur: fere ut, *speciosa res, speciosum nomen.* Non jam dedecoris vel infamiæ metu movetur.

171. 172 Nec jam clam amat, non celat amorem. *prætexit culpam nomine* exquisitius quam vulgare prætexere *nomen culpæ*, obtendere, ad excusationem. v. inf. 500.

173—188 Nobilissimus de Fama locus. Velocitatem monstri ait augeri ipso cursu; crescere et ipsam speciem; mox v. 180. addit esse illud alatum, toto corpore plumis, oculis, oribus, auribusque consitum; in cete-

Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox sese adtollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira inritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis.
Monstrum horrendum, ingens: cui, quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit auris.
Nocte volat cœli medio terræque, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbis;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Ænean, Trojano a sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regnorum inmemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim dea fœda virum diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.

ris v. 184. sq. assimulatur strigi. 173. Od. ω, 412. Ὄσσα δ' ἄρ' ἄγγελος ὦκα κατὰ πτόλιν ᾤχετο πάντη.

174. 175 Fama velocissima est: *malum*, ut pestis, res perniciosa, h. l. in personam versa, dea seu monstrum; est eadem *mobilis*, celeris.

176 Primum *parva metu*, metuens redargui ait Cerda; cohibet se, *quod initio cautius loquatur*, ait Serv. mox sumta licentia altius exsurgit. Nimis argute. Cogitandum est de fama sinistrum aliquem eventum aut malum imminens nuntiante, unde *metus* animos incessit. Respiciunt hæc incrementa rumoris ex ipso progressu. 178—180 Geneologia antiqua, Hesiodeæ similis. Cœum Terra ex Cœlo, vid. Theog. 133. 134. vel ex Tartaro peperit. Sic et Gigantes ex Cœlo: Apollod. I. 6. 1. in quibus *Enceladus*. Propter corporis magnitudinem Gigantum familiæ facile Famam adnumerare potuit. *ira deorum*, irata diis propter Titanos in Tartarum conjectos.

183 Ornate pro, tot ora ei sunt et aures; tota est oculata, aurita, et vocalis. Mox 184. sq. strigi similem cogita vel buboni.

193 *hiemem*. Non proprie accipiendum, ita ut Æneas totam hiemem apud Didonem exegerit. Verum, cum jam sub æstatem extremam hæc gererentur, ita ut hiemale tempus instaret, invidiose id jam fieri dicitur, quod fieri poterat; nisi alia incidissent. *quam longa*, h. e. hiemem totam, cf. inf. VIII. 86. *hiemem fovere* exquisite, hiemale tempus luxui dare. Proprie foventur amores per hiemem.

194 *Regnorum*, Carthaginis illa, hic Italiæ. *turpi c.* inhonesto amore. Mox 197. *aggerat iras* exquisite pro auget.

Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum latis inmania regnis,
Centum aras posuit; vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divom æternas; pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, et rumore adcensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divom,
Multa Jovem manibus supplex orasse supinis:
Juppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Adspicis hæc? An te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?
Femina, quæ nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Repulit, ac dominum Ænean in regna recepit.
Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu,

198—202 Iarbas itaque Jovi Ammoni patri novas in his terris Numidicis religiones et sacra instituerat. Cæterum poëta huic homini Mauro ritum sacrorum Romanum aut Græcum tribuit; quod poëtæ facere licet: faciunt idem historici sed minus perite. *Garamantis Nympha* simpl. pro Libyca. *rapta* ad stuprum. *posuit et sacraverat* pro posuerat; nota enallage; junctura mox paulo durior: *sacraverat* ille ignem perennem in aris, et *solum pingue cruore pecudum*, h. e. sacrificia magno numero, et *limina florentia sertis*, h. festos sollennesque dies. *centum* ut I. 416. Veneri Paphiæ *centum aræ* calent ture. *vigilem ignem, Excubias divom æternas*, egregie de igni perenni, ad quem alendum sacerdoti pervigilandum et excubandum est. Ignis hic æternus ex Jovis Ammonis religione petitus putandus. *et v. f. limina sertis* simpl. ad religionem in sollennibus sacris templorum fores corollis ornandi referendum. Mox 204. *media inter numina divom*, simplic. ante signa deorum.

206—210 Tales preces sæpius occurrunt; sed, quod tam impiam vecordiam Iarbæ tribuit, hoc calidissimis et ferocissimis Afrorum ingeniis accommodate fecisse videri debet. 184. *Maurusia gens*, Mauri, vel Mauretani, quibus h. l. Iarbas imperare traditur, Nomadum genus, sive improprie Mauri a poëta dicti (inf. 320. *Nomades*), sive ut illi ab initio illas terras tenuerint, quas temporum successu Numidæ occuparunt; quamquam et hi origine Mauri esse potuere. Nam Numidarum nomen non tam stirpem quam vitæ genus, h. e. Nomadum designat. *libationem* epulis factis omnino pro cultu sacro ac religione dixit, ut poëta. *toris pictis*. v. sup. I. 708. in domo Didonis, ubi tamen melius locum suum tueri videntur, quam inter rudes Mauros. *cæci ignes* h. l. plus quam occulti, invisi; sed, vel qui vani, inanes, sunt, vel qui temere et fortuito feruntur, quasi cæco impetu. tonitrua *miscent*, h. l. turbant, animos, aut ignes, fulmina, *miscent*, s. adjuncta habent, s. faciunt, *murmura*.

212. 214 *litus arandum*. Est littoralis plaga et ager in terra mari vicina. *loci leges dedimus*, jus, imperium: adeoque locum possidendum; ita malim, quam locum sub certa lege. *dominum* non maritum, ut alibi sæpe, sed invidiose, participem regni, quin solum regem et dominum.

215—218 *semiviro c.* dictum inprimis respectu sacrorum Cybeles. *Mæonia—Subnixus* respicit Phrygiam mitram, h. e. *pileum incurvum, de quo pendebat etiam buccarum tegimen*, binis vel ternis fimbriis seu fasciis

Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens, oculosque ad mœnia torsit
Regia, et oblitos famæ melioris amantis.
Tum sic Mercurium adloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis;
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbis,
Adloquere, et celeris defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promisit, Graiumque ideo bis vindicat armis;
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla adcendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem:
Ascanione pater Romanas invidet arces?

descendentibus, quæ subter mentum colligari solebant; adeoque *subnixus*, mento ac crine subnixo, mitra; scilicet mitra subligatum habens *mentum crinemque madentem* unguentis. *redimicula* sunt inf. IX. 616. *Mæonium* pro Phrygia dixit, ut poëta, a vicina gente. Nam proprie Mæones diversi a Phrygibus. *rapto potitur*, graviter pro stupro fruitur, ut Serv. *famamque fovemus inanem*, opinionem de potentia dei. Hæc multo magis invidiosa in religione nova, nuper demum inducta, vide v. 198. sq. Fundus in nobilissimo loco Hecubæ Euripideæ v. 488. sqq. Ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πῶς σ' ἀνθρώπους ἐμοὺς ἐῶν, etc.

219—221 *aras tenentem*, ex ritu precantium. *oblitos famæ melioris amantis*, egregie dictum, et ad sensum animi præclare. cf. sup. 170.

222 sqq. Ex Od. ε, 28. sqq. 43. sqq. ubi Mercurius ad Calypso mittitur, ut Ulyssem illa demittat, hæc expressa. 223. *voca Zephyros*. Ut *venti vocantur*, navi parata velisque expansis, sic h. l. *Zephyri* (omnino pro ventis), *pennis* sive alis aptatis a Mercurio pedibus, ad excipiendum ventum, quo per aërem feratur, volet.

225 *fatisque datas* (v. I. 382. et al. pro monstratas) *urbis*, urbem Romam.

227—231 Summa ἐπεύτης horum versuum, inprimis 229. sqq. *bis*, semel a Diomede Venus ipsa, Iliad. ε, 311. sqq. tum ab Achille Neptuni opera Iliad. υ, 291. sqq., *promisit—vindicat*, quandoquidem hæc tempora aliquid commune habent; *gravidam imperiis Italiam*, Poëtice imperiis dictum pro imperio, quo terrarum orbem complexura erat Roma. *gravida* igitur *imperiis* Italia, in qua magnum futurum erat imperium, ut inf. X. 87. *gravidam bellis urbem*, quæ bellum gerit. Licet quoque *gravidam imperiis* intelligere Italiam, quæ multos potentes et late imperantes populos protulit: Ita conveniunt hæc dicta cum lib. I. 257. sq. ubi *Bellum ingens geret Italia populosque feroces* contundet. Videtur adeo hæc ultimo loco posita ratio esse præferenda.

232—237 Omnia cum dignitate efferuntur. *Si nulla*, si non— si ipse labores suscipere non vult pro sua laude ac gloria. Bur-

Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?
Naviget. Hæc summa est; hic nostri nuntius esto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio: et primum pedibus talaria nectit
Aurea: quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentis; alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila. Jamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Præcipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit; avi similis, quæ circum litora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat æquora juxta.

manni ratio, ut *super* sit, insuper, admodum dura est. *invidet*, aufert, eum privat fatali sede. *prolem Ausoniam*, progeniem, cui fata imperium Italiæ decreverunt.

238 Classicus de Mercurii officiis locus hic. Omnia nota et vulgaria sunt, et a poëta diserte expressa—241. *pariter cum flamine:* Homericum ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο, ut Od. ε, 46. 242. *evocat* v. c. Protesilaum. *mittit*, ducit, Gr. τὰς ψυχὰς πέμπει, ψυχόπομπος. *dat somnos adimitque:* ex Od. ω, 4. *lumina morte resignat.* Quis verbi sensus sit, dubitatur. Ad sententiam loci tam accomodatum esse nihil quam Serviana ratio, qua per *claudit* redditum videas. Verum nec exemplum memoratur, in quo seu *resignare* seu simplex *signare* eo sensu adhibitum sit, nec alibi facile hoc Mercurii officium laudatur. Ad vulgarem verbi usum *resignat lumina* est, aperit, *morte* in *morte:* atqui hoc dices repugnare rerum naturæ, nam morte claudun-tur oculi. Forte ita accipiendum erit: *morte*, mortuis. Potest tandem resignare accipi pro solvere, ademtis et subductis viribus: ut in vet. Epigram. *Et postquam fatis morientia lumina solvit.* et inf. V. 856. Nulla ratio satisfacit: præ ceteris tamen media illa usui loquendi consentanea.

245 *Illa fretus*, ut toties Homerus πεποιθὼς, cum *illa*, habens illam. *agit* ante se.

246—251 *duri*, laboriosi, propter serumnas, quas tolerat. *Piniferum* vix proprie a poëta dici potuit.

252 *nitens* h. l. de volatu. *paribus alis*, leni volatu. Cogita de eo temporis momento, cum inhibetur volatus ut subsidat ales.

253—255 ante oculos Odyss. ε, 50—54. ubi avis λάρος expressa, quæ fulica esse putatur. *ad undas*, versus mare Mediterraneum, quod Carthaginem attingit, ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ.

* Haud aliter terras inter cœlumque volabat;
* Litus arenosum Libyæ ventosque secabat
* Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Ænean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit; atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice læna,
Demissa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro;
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum et terras qui numine torquet;
Ipse hæc ferre jubet celeris mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli

256—258 Si lectio sana esset, distinguere malim cum viris doctis post *Libyæ*; ut sit: *Mercurius volabat inter terras cœlumque* ad, vel versus, *Litus a. Libyæ*. ut v. 253. *ad undas*. Omissio præpositionis satis frequens poëtæ; et sic aurium etiam fastidio occurritur. *Materno ab avo*, per Maiam, Atlantis f.

259—261 *arces* pro munimentis urbis et pro ipsa omnino urbe. *fundantem*, fundamenta ponentem; proprie, fundamentis jactis inædificantem. *tecta novantem*, privatas ædes novas educentem.

261—264 *Conspicit; atque illi:* Offendit hæc oratio tanquam paullo jejunior pro tali carmine, nec accurata illa vestitus descriptio in medio rerum cursu expectabatur. Est quidem hoc Homericum, ut structura reliquæ orationis relicta externam rei vel hominis speciem sensibus objiciat poëta; verum hoc fit, quoties id ipsum vim habet ad augendum, amplificandum, vel illustrandum; nunc autem quam vim habere potest hic ensis, hæc chlamys in designando Ænea occupato in ædificandis ædibus! *stellatus* exquisite pro distinctus et fulgens, sc. in capulo et vagina. *iaspide fulva*, epitheton non urgendum. Non enim inter præstantiores sui generis fulvæ numerantur: nisi *fulva* pro subviridi accipienda, ut inf. V. 309. *fulva oliva. ardebat* ornate pro erat. *telas* int. stamina. Erat igitur vestis hæc crassa, χλαῖνα, ipsius Didonis manibus texta.

265 *invadit*. Habitum futuræ orationis ostendit. *Serv.* Malim tamen simpl. pro *aggreditur dictis, alloquitur*, habere dictum. 266. *uxorius* cum dilectu dictum, ad Didonis arbitrium. 268. sq. Versus ex Iliad. λ, 201. *claro Olympo*. Ὀλύμπου ἀιγλήεντος.

269 *torquet* exquisitius quam movet, moderatur. Sic XII. 180. *Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques*: regis. *numine* h. l. vi sua. *teris otia*, exquisite ut *consumitur, teritur tempus. surgentem* mavult dicere poëta, quam crescentem. ut I. 366. surgentemque novæ *Carthaginis urbem* et iterum VI. 864. *per spem*

Respice; cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortalis visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
    At vero Æneas adspectu obmutuit amens,
Adrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
Ardet abire fuga, dulcisque relinquere terras,
Adtonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quæ prima exordia sumat?
* Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
* In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Hæc alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum
Classem aptent taciti, socios ad litora cogant;
Arma parent, et, quæ sit rebus caussa novandis,
Dissimulent; sese interea, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, et quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio læti parent, ac jussa facessunt.
    At regina dolos (quis fallere possit amantem!)
Præsensit, motusque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. Eadem inpia fama furenti
Detulit armari classem, cursumque parari.

surgentis Iuli. 276. *tali ore*, oratione. 279. 280. Homerica: 'Στῆ δὲ ταφών. 'Ορθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν—θαλερὴ δέ οἱ ἔσχετο φωνή. cf. Il. ω, 358. sq.

281—284 Egregii versus rerum varietate et verborum dilectu. *Heu quid agat?* ut IX. 399. et al. *ambire* cum dilectu pro adire.

285. 286 *dividit* efficacius quam vertit, versat, volvit, ut V. 701. 702. *alternanti*, alternis animo versanti hæc.

288 seq. Forma orationis poëtam decet, pro, Hoc—optimum factu visum est, vocare Mnestheum—eosque jubere *naves clam instruere, socios navales convocare, expedire armamenta navalia, et dissimulare*, qua de caussa hæc præter expectationem faciant.

293. 294 Pro: *tentaturum aditus—tempora—et modum*, qui sit rebus agendis et consiliis accommodatus. *Aditus* ut inf. 423. de alloquio. *mollissima*, quando de discessu consilium ei exponi posset mollissime, cum minimo ejus dolore.

296 sqq. Egregie omnia hæc ad affectus amoris veritatem, multoque magis in Didonis a v. 305. sqq. oratione.

297—301 *excepit* auribus, sensu; animadvertit. *furenti* pro ei. *inpia fama*, h. l. sæva, dira. *Bacchatur* summa cum vi dictum pro discursitat.

Sævit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur; qualis conmotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Ænean conpellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres? et Troja antiqua maneret?
Troja per undosum peteretur classibus æquor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni

301—303 Hæc sunt vetustiora illa Bacchi orgia ac sacra τριετηρικὰ, tertio quoque anno a Thebanis celebrata, a Thracibus in Græciam illata, diversa ab Atheniensium Dionysiis, et inter sacra rudium hominum enthusiastica primo loco numeranda. Extra urbem in monte Cithærone nocturnis discursibus religio hæc arcana a mulieribus quoque frequentabatur. Hinc singula in his versibus illustranda. *commovere sacra* voc. proprium in sacris initio cærimoniæ facto. Scilicet proferuntur cistæ, vasa, instituuntur thyasi, chori. *Baccho audito*, dum clamatur, Io Bacche! *orgia stimulant* Baccham, incenditur ejus animus inter sacras cæremonias, quas parari videt et audit.

309 *hiberno sidere*, ut Ge. I. 1. *quo sidere*: quoniam ad siderum ortus et occasus navigatio fiebat: instante autem ea anni parte, qua tempestates et procellæ crebriores esse solent, classem ædificabat Æneas. cf. sup. ad 52.

311—313 Atqui hoc, mari procellis turbato navigare, ne tum quidem faceres, si reditus in patriam pateret.

315 *aliud nihil*, scil. quod sperare de me possis. *incepti H.* sunt recentes, nihil aliud, adeoque ipsa novitate dulces.

317 *aut si tibi fuit quidquam dulce* a me profectum, ex me, *quicquam meum*. Similis locus Pindari Ol. I. 121. Mox 320. *Libycæ gentes*, in his *larbas*, Numidarum *tyrannus*. v. sup. 196. sqq.

320—324 "Dicitur ingenti affectu hos versus pronuntiasse (Virgilius), cum privatim paucis præsentibus recitaret Augusto; nam recitavit primum libros tertium et quartum." Hæc Serv. et ex eo Pompon. Sab. et sunt sine dubio versus tales, ut vel legentis vel audientis animum conmoverant. Profecit ex iis Ovid. Epist. Didus v. 121. sqq. *Fama prior*, quam habui ante tuum adventum. *de conjuge*, hoc solum nomen (sc. *hospes*) mihi restat de te, qui fueras antea conjux.

Odere; infensi Tyrii; te propter eumdem
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior; cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Destruat, aut captam ducat Gætulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat. Ille Jovis monitis inmota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, numquam, Regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissæ;
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec conjugis umquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, et sponte mea conponere curas:
Urbem Trojanam primum dulcisque meorum
Reliquias colerem; Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.

325—330 *Quid moror?* quin statim moriar. *Pygmalion dum mœnia destruat:* propter illa v. 360. sqq. *Luderet* ornate et suaviter pro esset. *capta ac deserta* graviter pro relicta a te, cum respectu ad Iarbam v. 326. cui relinquitur captiva abducenda.

331 sqq. *inmota*, ut nec adspiceret et miserationem Didonis vultu argueret. Unde 369. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? curam*, h. l. dolorem. *tandem*, ὀψὲ δὲ δὴ Homericum. 335 Comparant Iliad. χ, 387. 388. verba Achillis de Patroclo—336. εἰσόκ' αὐτμὴ ἐν στήθεσσι μένῃ Homericum, ut Iliad. ι, 605. et alibi.

338 sq. *Prætendi*, accipiunt, prætuli. Sane nota res est τὸ διαδουχεῖν in nuptiis. Sed non ipse sponsus faces fert. Malim eo sensu positum, quo v. 172. *prætexere;* ut se nunquam *tædas*, justas nuptias, *prætendisse*, præ se tulisse, suæ cum Didone consuetudini nomen justi matrimonii tribuisse dicat; nec *hæc in fœdera*, h. e. in has leges, consensi, ut conjux essem.

340—344 *meis auspiciis* qs. meo ductu, idem quod *sponte mea*, sed ornatius, meo lubitu ac voluntate. *conponere curas*, exquisite, res ordinare: nam *curæ* pro studiis, negotiis. Si mihi vivere liceret, ubi vellem, tamen vel sic cæteris omnibus præferrem hoc, ut locum veteris Trojæ incolerem urbemque eversam reficerem; tantum abest, ut Carthagine vitam exigere malim. Argutantur interpretes. *Reliquias meorum* aliter vix intelligas, quam cineres et ossa, adeoque loca

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.
Hic amor, hæc patria est. Si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæque adspectus detinet urbis:
Quæ tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? Et nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchisæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago.
Me puer Ascanius, capitisque injuria cari,
Quem regno Hesperiæ fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam Interpres divom, Jove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeris mandata per auras
Detulit. Ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,

ac sepulcra in quibus illa condita sunt. *Priami tecta manerent*: superessent adhuc, scil. restituta a me. *recidiva Pergama*; delectatur hac voce Virgilius et alibi, sive a surculis sive a semine repullulascente petita; *recidiva ponuissem*, restituissem, iterum excitassem. Tribus autem modis eandem rem declaravit.

345. 346 Ad responsa Apollinis refer in utroque templo, et illo apud Myrinam Æolidis, et hoc ad Patara, accepto. Plura autem hujusmodi vaticinia ac sortes Æneæ in Italiam adventum prædixere. Ex iisdem priscis historiis ducta somnia v. 350. sq.

347 *Hic amor*, cum vi dictum de patria, quam amat, colit, cujus tanta caritas est, sup. III. 134. *Hortor amare focos.*

350 *Quæ invidia est?* quid vetat, quominus id fiat? ut passim φθονεῖν et invidere.

351 Comparant Iliad. ψ, 105. sq. *surgunt* oriuntur v. I. Georg. 440.

353 *turbida imago*, turbata, tristis, ut V. 695. ad v. 354. cf. sup. 234. sq.

356 sqq. *utrumque caput*, meum ac tuum. Hoc in verbis ad Didonem habitis magis consentaneum, quam si Æneæ et Ascanii intelligas. Formula jurandi satis est nota nec de ea quæritur. *manifesto in lumine*, ut solent dii mortalibus occurrere. ἐναργῆ, Homerica voce: ut Iliad. υ, 130. Odyss. π, 161.

360 Iliad. ι, 608. Μή μοι σύγχεε θυμὸν ὀδυρόμενος; καὶ ἀχεύων Ἀτρεΐδῃ ἔριδι φίλον χάζειν. *incendere*, quam opportune positum! commovere, luctu, dolore et ira exasperare.

362—364 Egregia animi tumidi repræsentatio. *aversa*, adeoque oblique, torve. *Luminibus tacitis*, h. e. ipsa tacens. Sic VII. 343. est *tacitum limen Amatæ*. Eodem sensu Apollon. II. 49. σῖγα δὲ αὐτὸν ἔχ' ὄμματα.

365 sqq. Orationis hujus, cum vehementissimis ac gravissimis affectibus insurgat, vim

Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quæ quibus anteferam? Jam, jam, nec maxuma Juno,
Nec Saturnius hæc oculis pater adspicit æquis.
Nusquam tuta fides. Ejectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi;
Amissam classem, socios, a morte reduxi.
Heu Furiis incensa feror! nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc et Jove missus ab ipso
Interpres divom fert horrida jussa per auras.
Scilicet is Superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido

ac virtutem omnes satis animadvertunt, et unusquisque facile percipiat. Primæ lineæ in Patrocli ad Achillem verba sunt: Νηλεί; οὐκ ἄρα σοί γε, Iliad. π, 33. sq. *Caucasus* et *Hyrcanæ tigres* poeticæ tantum Didoni, non veræ, conveniunt; nec Homerus ad talia deflexit.

368 Nam quorsum me contineo? quasi verendum sit, ne eum ira exasperem? an majorem ullam injuriam ac contumeliam accipere, gravius quicquam et durius ex hoc homine audire possum (hoc est: *quæ me ad majora reservo*, ad majores injurias)? In sqq. etiam hoc observa, quam egregie hoc ad dolorem et animi æstum valeat, quod repente tertia persona utitur!

371 *Quæ quibus anteferam?* scil. tamquam leniora durioribus? h. e. Annon hæc extrema sunt? durissima et gravissima, quibus contumeliosius quicquam ne cogitari quidem possit? ut adeo illud locum habere nequeat, ferenda esse hæc tamquam modica, ne graviora experiar. Hanc sententiam mihi quidem locus, verba, et ipse affectus postulare videntur. Vulgo accipiunt vel, quæ prius, quæ posterius dicam? vel quæ aliis majora dicam.

373—376 Divina plane hæc, sententiarum et verborum gravitate! Et omnino magna suavitas ad amantis deceptæ sensum in his querelis de perfidia et ingrato animo. Cæterum ante oculos fuisse videtur primum Calypso Odyss. ε, 130. sq. tum Eurip. Medea v. 476. sqq. *regni in parte:* sup. 214. *dominum Æneam in regna recepit. amissam classem* sc. renovavi et *reduxi Serv.*; classem, quæ in summo discrimine versabatur, ut jam pro amissa haberi posset, una cum Trojanis ad loca tuta reduci jussi. Cum hæc enumerasset in Æneam merita ac beneficia sua, dolore et furiis tantæ viri perfidiæ amens subjicit: *Heu Furiis incensa feror!* Nunc aliquamdiu oratione subsistere putanda; sicut omnino per intervalla singulæ sententiæ pronuntiandæ. Imprimis hoc tenendum v. 380. et post 381.

378. 379 *horrida jussa*, quibus parere aliquis horreat adeoque hactenus terribilia. *quietos* pro *eos;* at quanta cum vi! Consentit Epicureum dogma, nec tamen ad hoc respexisse dici debet Dido. In seqq. artem poëtæ animadverte in reddenda veritate sensuum amantis spretæ.

381 Comparant illa Agamemnonis: Φεῦγε μέλ' etc. Iliad. α, 173.

382 *mediis scopulis* vel in medio mari, vel potius poëtica ratione, inter scopulos, nau-

Sæpe vocaturum. Sequar atris ignibus absens;
Et, quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus Umbra locis adero. Dabis, inprobe, pœnas.
Audiam; et hæc Manis veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Ægra fugit, seque ex oculis avertit et aufert;
Linquens multa metu cunctantem, et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulæ, conlapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Æneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas;
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
Jussa tamen divom exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, et litore celsas
Deducunt toto navis. Natat uncta carina;
Frondentisque ferunt remos et robora silvis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantis cernas, totaque ex urbe ruentis,
Ac, veluti ingentem formicæ farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantque moras; opere omnis semita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus!

fingio facto. 383. Te *supplicia* esse hausurum, daturum pœnas. *pia numina*, a miseratione.

384 *Sequar atris ignibus*, Præstat Furiarum faces huc revocare, ut Servius primo loco: *Invocatas ibi immittam Diras.* Vocabis moribundus Didonem; tunc Furiæ sceleris in me commissi tibi obversabuntur; sive: ego, etsi absens, tibi occurram tamquam ex Furiis una et faces intentabo oculis.

385—387 *anima seduxerit artus*, exquisite, sejunxerit. Vulgare est, animam ab artubus. *Audiam* apud inferos, te dedisse pœnas. Qui loquendi modus et alibi occurrit. Apud Pindar. Ol. XIV. 29. Fama ad inferos parenti nuntiat victoriam filii.

388—392 Abrupto utique hoc sermone nihil disertius, nihil eloquentius, dici poterat. *auras fugit*, lucem: *tædet cœli convexa tueri* inf. 451. in thalamum se recipere putanda. *ægra* præclare, quippe mox deliquium animi passura; sed adhuc vires sumit ab iræ æstu. Reliquorum vide ornatum pro, suscipiunt eam et reportant in thalamum.

393—395 Ornate, quamquam eam solari cupiebat. Multum dolens (πολλά γ' ὀδυρόμενος) et amore ardens.

397 *Incumbunt*, non remis; sed omnino de studio: cf. inf. IX. 73. Mox *uncta*, pice delibuta. *fugæ*, celeris profectionis, ut poëtæ solent, etiam Græci in φυγὴ, φεύγειν.

402—407 Dignitate comparationem carere censuerunt multi. Forte quod cardinem comparationis non videbant in festinationis

Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor!
Inprobe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur; et supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore; circum
Undique convenere; vocat jam carbasus auras;
Puppibus et læti nautæ inposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miseræ hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri mollis aditus, et tempora noras.
I, soror, atque hostem supplex adfare superbum:
Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi, classemve ad Pergama misi;
Nec patris Anchisæ cinerem Manisve revelli:

notione verti, non autem in ipso animantis genere. Bene Serv. *ad studium respicit comparatio h. l., non ad personas.* A parvis rebus et animalibus exempla passim petuntur. Noster autem oratione et dilectu verborum, quæ ab hominum vita transtulit, rei dignationem fecit: *populant tecto*, pro caverna, *it campis agmen, prædam convectant, humeris obnixæ* etc. *Ac* supple, *ruentes ex urbe ac* tales videas, ita incedentes, *veluti* etc, *hiemis memores.* Notus Horatii locus I. Sat. 1. 35. *calle angusto*, proprie ex formicarum natura. *truduni*, quæ portare non possunt. *moras* exquisite pro tardos, morantes, et statim *opere* pro *iis*, quæ opus faciunt, formicis.

409 *litora fervere* (quod inf. 416. *properari*) doctius quam, Trojanos in littore; sic et v. 411. *misceri æquor* pro clamores misceri in æquore.

413 *ire in lacrimas*, quod vulgari ratione procedere, descendere, ad lacrimas. 414. *animos* non male pro *iras* accipiunt nonulli. Potest et altos, superbos, spiritus declarare. 415. Servius ita accipit, ut *frustra* ex poëtæ ingenio dictum sit: ut omnia experiatur; sed frustra! Alii jungunt: *frustra moritura*, sc. si quid intentatum relinquisset. Qui mala patitur, quæ opera et studio suo avertere poterat, subit ea nullo cum fructu: frustra.

416—440 Commentum poëtæ est ingeniosum, quod Annæ sororis ad Æneam allegatæ opera utitur Dido; tanto enim gravior esse debet dolor, quo magis omnia expertus fueris, etiam iis, quæ indigna essent tentatis.

417 *convenere* v. sup. 289. *vocat auras* velum v. sup. ad 223. *coronas* ex more in re læta et h. l. in discessu optato, uti alias ex victo hoste, vel salvo reditu, vel festo die, et in re sacra.

419 *si potui*; quod ad vulgarem modum diceres: *si delrà*. Quandoquidem dolor hic mihi ab initio expectandus, metuendus, erat (nam prævidere hunc Æneæ discessum poteram ac debebam, quippe qui in Italiam tenderet) itaque pectus puto satis me esse firmaturam ad eum perferendum.

423 *aditus* sup. v. 293. *Tentaturum aditus, et quæ mollissima fandi Tempora, quis rebus dexter modus.* Mox *hostem* graviter, ex affectu; infestum, odiosum virum.

425 Cf. Iliad. β, 303. sq. Similis locus sup. III. 602. 427 *cinerem Manisve revelli*,

Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentis.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori;
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam (miserere sororis):
Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam.
   Talibus orabat, talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris.
Ac velut, annoso validam quum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor; et alte
Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa hæret scopulis; et, quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus adsiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas.
Mens inmota manet; lacrimæ volvuntur inanes.
   Tum vero infelix fatis exterrita Dido

docte pro læsi, violavi. Proprie revelluntur sepulcra; cum his et urna cineraria; cum cinere violantur Manes. Mox *dicta* sunt preces, ut sæpe latius genus pro angustiore: ut 460. *voces*. *ventos ferentis* passim poëtæ pro secundis.

431 Non jam conjugii, cujus spem et opinionem *ab initio* mihi ostendebat, fidem ut servet, oro, quandoquidem illam *fefellit* jam. Graviter singula!

433. 434 Petit tempus ad leniendam amoris vim primumque impetum frangendum, donec ille cum tempore in dolorem subsidat; quod facere graves affectus solent; et ipsa mora discimus et adsuescimus, adversa perferre; docte dictum est *dolere* cum vi aliqua, moderate dolere, patienter ferre: ut oppositum sit, impatienter ferre.

436 Quam gratiam, quod beneficium, si mihi præstiteris, usque ad mortem grata ero; Hæc est sententia nude enuntiata, et ornatius, cumulatissime usque ad mortem gratiam referam. Hoc, ut poëta extulit: *cumulatam remittam* pro cumulate referam, et *morte*, in morte, antequam moriar, vulgo: per totam vitam usque ad mortem.

437—439 Pervicacia Æneæ in consilio exsequendo, cum verba nuda non sufficerent, comparatione declaratur. *fletus*, preces cum lacrimis fert ad Æneam plus vice simplici. Hoc puto, est *fertque refertque*. *placidas*, translato epitheto a viro. 441—446. Ornatus verborum notabilis: *velut cum Alpini Boreæ*, ex Alpibus spirantes, potentius quam venti omnino, *certant eruere—quercum validam annoso robore*, h. e. trunco. *it stridor* pro fit. De vv. 445. 446. vide sup. Ge. II. 291. Sunt Homeri ῥίζαι διηνεκέες.

448 *curæ* sunt animi æstuantis motus; at *lacrimæ* Didonis et Annæ.

450—473 Hunc locum facile inter felicissimos et elaboratissimos referendum esse

Mortem orat; tædet cœli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, turicremis quum dona inponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum:
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplicis se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes:

arbitror. Præsagia illa et ostenta, superstitio ad animos gravi mœrore perculsos tam accommodata, egregie his commemorantur, temperanter tamen ac prudenter, cum alias poëtæ in his luxuriari soleant; multo magis somnia v. 465—468. quæ ex recondita hominum gravi ærumna afflictorum observatione sunt depromta. Nil divinius illis: *semperque relinqui Sola sibi, semper* etc. *fatis exterrita*, consternata et mente dejecta malis suis: quæ doctius *fata* dixit, quippe jam certa. *orat* exquisitius quam optat, desiderat. *cœli convexa.* ut sup. Ecl. IV. 50.

453—455 Inter sacrificandum vidit vinum, in ignem libatum, in sanguinem verti; at quam ornate singula, etiam propriis verbis! *obscenum* de re mali ominis et alibi notatum: Ge. I. 470. Æn. III. 241. *turicremas aras* jam Lucret. dixit, II. 743.

457—461 Hunc locum ante oculos habere debuit Popius in plenissima affectus summi epistola Eloisæ v. 307. sqq. *Templum*, intellige sacellum Sichæi Manibus dicatum, forte cum ejus signo, ut Ovidius expressit Ep. VII. 99. Saltem fuit monimentum sepulcrale, quod religionem habuit. *antiqui*, prioris. *Velleribus niveis*, infulis ac vittis laneis. *fronde*, sertis.

462. 463 Plinius X. 12. s. 16. *Bubo funebris, et maxime alominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit; nec tantum desolata sed dira etiam et inaccessa; noctis monstrum; nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu.* Ex hoc loco illustra poëtam.

469. 470 Ex Eurip. ductum Bacch. v. 916. sqq. loco sublimi et terroris pleno, ubi contemtor Bacchi Pentheus in vesaniam actus, καὶ μὴν δοκῶ μοι δύο μὲν ἡλίους ὁρᾶν, Διπτὰς δὲ Θήβας, καὶ πόλισμ' ἑπτάστομον. *agmina E.* dixit ut poëta, agmen Eumenidum.

471—473 Orestes Agamemnonis f. Clytæmnestræ matris Furiis agitatus, dum matrem faces sibi et serpentes intentantem fugiens tecto prosilit, in foribus tecti Furias sibi occurrere, seque adeo undique terroribus mentis, parricidii in matrem commissi conscisæ, exagitari videt. Cætera sic expedienda:

Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.
Ergo, ubi concepit Furias evicta dolore,
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit, et, mæstam dictis adgressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam (gratare sorori),
Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem juxta, solemque cadentem,
Ultimus Æthiopum locus est, ubi maxumus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat, et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.

aut velut in scena Orestes furit a Furiis exagitatus, cum fugit m. etc.

474—477 *evicta*, ut poëta, pro simplici *victa* dixit. *exigit* bene pro constituit, quod fit re exacta ac deliberata. *spem fronte serenat*, exquisitius quam frontem serenat, et explicat spe nova, ac meliore concepta vel ostensa; hoc transfertur ad ipsam spem, quæ serenior et lætior affulgere potest: adeoque Dido spem serenat, sereniorem ac lætiorem ostendit vultu. Ut *spem vultu simulat*, lib. I. 209.

480 sqq. Simulat Dido, se parare sacrum magicum, quo aut Æneas iterum amori illigetur, aut ipsa amore solvatur. Est adeo sacrum quale in Ecloga VIII. vidimus. In toto hoc commento tam operose adornando et instruendo hæc respexisse videri debet Dido, ut sacrificio arcano parando, quo arbitris remotis sola operaretur, ad mortem sibi inferendam opportunitatem, silentium, et solitudinem, haberet. Sed et illud furorem misere amantis arguit, quod vestes Æneæ et torum conjugalem secum comburi vult, quodque Æneæ gladio in se jugulando utitur. Quæ a v. 504. sqq.—521. narrantur, ad præparandum et auspicandum sacrum pertinere puta: trahebat ac differebat illud sacrum suamque mortem regina, quamdiu Æneas præsens erat. Tenenda hæc, ut de summa et libri et narrationis constet. Quod sacerdotem arcani sacri ab Hesperidum hortis advocat, mirum videri potest, nisi forte Apollonii Medea, ad cujus amorem Didonis amor in Æneam accommodatus est a poëta, etiam hunc hortum cum draconte sacrisque magicis lib. IV. 109. sqq. accurate descriptis in poëtæ ingenio sevit et instruxit. Enimvero tenendum præterea est extremam illam Africæ h. e. occidentalem plagam antiquissimorum poëtarum fabulis esse celebratam. Accommodatissima igitur poëtæ consilio et hic fuit illa terra, inprimis in narratione, quæ ad Africam spectaret.

482—484 *torquet* ornatius quam cœlum sustinet; motu simul cœli diurno expresso; *aptum stellis*, exquisite; vulgari loquendi modo stellæ cœlo aptæ, h. e. affixæ sunt; tum et ipsum cœlum adfixum et aptum, alligatum stellis, h. e. distinctum. *Massylam* anum solito more poëta omnino pro Libyca dixit, certo nomine pro indefinito posito. *Hesperidum hortos* communi poëtarum opinione intra Cyrenaicæ fines positos in Mauretaniam ad Atlantis montis radices removit, quandoquidem antiquiores diverse de eorum situ tradiderant. *sacros in arbore ramos*, sc. cum pomis aureis ramos, Veneri sacros. Certe violari eos nefas erat. Narrat autem poëta, si non ipsas Hesperidas deas, hortos tamen earum, quos *templum* appellat, tamquam locum iis sacrum, illo adhuc tempore superfuisse, iisque præfuisse sacerdotem feminam.

486 Pro offa ac cibo offertur *μάζα*, placenta mellita, aut si proprie dicta accipimus, mel liquidum cum papavere. "*Incongrue*, jam Servius monuit, *videtur positum, ut so-*

Hæc se carminibus promittit solvere mentis,
Quas velit; ast aliis duras inmittere curas;
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro;
Nocturnosque ciet Manis; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam adcingier artis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Inpius, exuviasque omnis, lectumque jugalem,
Quo perii, superinponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta jubet monstratque sacerdos.
Hæc effata silet; pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychæi.
Ergo jussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice secta,

porifera species (papaver) *pervigili detur Draconi.*" Nec tamen adeo absurdum, cum melle antiquitas in quotidiano victu uteretur, et papaver certe posterior Græcia in deliciis haberet, cibum serpenti, lautiorem et dulciorem, inde paratum dici, ut pascatur ille offis mellitis papavere mixtis; ut *soporiferum* tantum ornet. *spargens*, h. e. objiciens, præbens, apponens.

487—491 *curas* et hic de amore, *solvere* animos, proprium hac in re, ut *defigere*. Referuntur enim in re magica ea, quæ ad amorem spectant, ad notionem illigandi et solvendi. *vertere sidera retro*, cursum astrorum mutare, errantium inprimis. Tum illa evocat manes sacris *noctu* ex more factis.

492. 493 Sui ævi rationem in hoc habet poëta, quod Dido excusationem quærit, dum magicis artibus utitur.

494—498 *secreta*, secreto. Hoc jam notum esse debet. *tecto interiore*, Romanus impluvium diceret; *sub auras*, sub divo. *arma relicta* Burm. de ense pro munere ab Ænea Didoni dato accipere jubet. *Exuvias* v. inf. 648. 651. Scilicet in sacris magicis amoris extinguendi causa, abolentur ea, quæ perfidi amantis contactu se commendare poterant; ut contra in revocando amatore sub limine ea condi vidimus Ecl. VIII. 91. *quo perii* cum dilectu posita vox et cum pudore.

499 *Pallor* ex conscientia cogitatæ mortis.

500—503 Annæ omnino fidem et benevolentiam majorem tribuit, quam ingenii sagacitatem. Itaque et hæc recte. *novis prætexere funera sacris*, exquisitior ratio quam communis: *nova sacra*, insolitam religionem ac sacrificium, prætexere *funeribus*, funeri, h. e. morti obtendere, sacrum per simulationem instruere, eoque consilium mortis occultare. nec illa mente concipit, Didonem in animo habere tam insanum mortis sibi consciscendæ consilium.

504—508 Exsolvere se amore vult Dido sacris magicis: in quibus illud inprimis factu opus erat, ut flamma abolerentur priscæ consuetudinis monumenta. In sacris magicis scrobs fieri solitus erat, quo *lignorum strues* cumulabatur. In eandem foveam victimarum cæsarum sanguis demittebatur. Erat enim illa pro *ara*, ἑσχάρα. Nunc illi rogo, illi *pyræ*, pro victimis cremandis, imponuntur vestes et omnes reliquiæ e pristina consuetudine amatoris, cujus amore Dido liberari cupit, cum ipsa effigie Æneæ. At eriguntur aræ circa pyram, ad quas illa sacrum factura

Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funerea; super, exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum, et crinis effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni;
Falcibus et messæ ad Lunam quæruntur aënis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni;
Quæritur et nascentis equi de fronte revolsus,
Et matri prærreptus, amor.
Ipsa, mola manibusque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, et conscia fati
Sidera; tum, si quod non æquo fœdere amantis
Curæ numen habet justumque memorque, precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvæque et sæva quierant
Æquora: quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,

erat victimis. v. 635. sqq. 506. *intendit locum*, pyram, *sertis*, exquisitius et hoc quam vulgare, *intendit serta per locum*. *fronde funerea*, arborum frondes intellige quarum in magicis usus erat. Nam de funere poëta tantum ex eventu rem interpretatur. Pyræ imponit Dido ea, quæ contactum corporis Æneæ senserant, vestimenta, tum ensem, et torum conjugalem, et in hoc *effigiem* puta ceream, quæ in talibus sacris igne liquefacta efficere debebat, ut ipse amator simili modo amore liquesceret ac contabesceret. At h. l. ad amorem extinguendum.

509—511 *sacerdos tonat*, invocat deos inferos, longo ordine eorum nomina recitans. Quod autem Maura anus nomina deorum Græca pronuntiat, id, communi Romanorum more.

512—516 Effunditur, in rogum an in aras, aqua, quæ e Styge petita esse videri debebat. *simulatos*, proprie h. l. quos fingebat *avernales* (cf. Hor. Epod. V. 26.) et ex locis inferis petitos esse. Æris proprius in re magica usus. *Pubentes herbæ*, χνοάζουσαι. h. e. lanuginosæ. *nigri cum lacte veneni*, int. succos venenatos herbarum vel seminum. *et nascentis equi de fronte revolsus amor*: Hippomanes v. sup. nota ad Ge. III. 280. *Et m. p. amor*, h. e. quod amorem conciliat, philtrum, quæ in philtrum adhiberi potest, prærreptum, antequam equa fœta devoraverit.

517—521 *mola manibusque piis*, manus pie precantis, mola salsa in ignem conjecta, ad cœlum sublatas. *Unum exuta pedem vinclis*, unum pedem habens nudum, ad religionem pertinere debuit. *veste recincta*, soluta zona; *conscia fati Sidera* obtestatur, cf. sup. 167. *conscius æther*. quæ se morti imminentem adspicerent. *tum numen precatur, si quod habet curæ amantes non æquo fœdere* h. e. qui mutuo amore non amantur. Erunt in his imprimis Juno, Diana, Venus habendæ. Verbo: omnia eo spectant, ut ipsa amore solvatur.

522—528 Suavissima noctis descriptio, quæ ipsam rerum quietem spirare videtur; hoc tamen inprimis laudanda, quod, cum sæpe in ea et alii poëtæ laboraverint, huic inprimis loco illa convenientissima est, ut post illos in superiore loco prodigiorum et sacri

Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti.
* Lenibant curas, et corda oblita laborum *.
At non infelix animi Phœnissa, neque umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Adcipit: ingeminant curæ; rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En, quid ago? rursusne procos inrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quo ego sim toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classis, atque ultima Teucrum
Jussa, sequar? quiane auxilio juvat ante levatos,
Aut bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, sinet? ratibusve superbis
Invisam adcipiet? nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteæ sentis perjuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantis?
An, Tyriis omnique manu stipata meorum,
Inferar? et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es; ferroque averte dolorem.
Tu, lacrimis evicta meis, tu prima furentem

magici terrores nunc animum diverso modo afficiat, utque delenitum hac suavitate animum legentis miseræ Didonis summus mox a v. 529. amoris æstus animique cruciatus tanto magis percellant. Jam Jos. Wartonus hoc observavit. Noctis silentia miram suavitatem habent: *silvæ et æquora quierant*, cessante sub noctem vento. *fessa corpora*, docte, homines, nisi omnino animantia malis. *medio volvuntur sidera lapsu*, cursu per mediam cœli partem: ad rudes hominum sensus. *positæ*, compositæ, quiescentes, sopitæ.

529 sqq. Eadem antithesis ex Iliad. β, pr. κ, pr. ω, 677. notata a viris doctis, et hinc passim ab aliis alia. *At non* scil. carpit soporem, ἀωτεῖ. *Solvitur in s.* exquisite pro solvi somno, quiete. *noctem* pro quiete noctis ac somno dixit. *Ingeminant curæ*, utpote in noctis solitudine.

533 sqq. *insistit* mente et cogitatione, ut sit: ita apud se cogitat. Oratorie pathos in his Didonis verbis tractatum, facile nostrum quisque per se intelligit. *inrisa*, ut irridear: epitheton ab effectu rei ex more poëtarum. *procos et Nomadum* v. sup. v. 36. 37. *ultima Teucrum Jussa*, sunt, infimi generis hominibus dari solita. Bene Pompon. Sab. "puta "quod loquatur ad miserationem, quasi quod, "si naviget cum Trojanis, sit futura serva." 538. *quasi vero hoc juvet*, et quicquam eo profecerim, quod ipsis ante auxilio fuerim, sc. e naufragio eos excipiendo. *sinet* sc. me sequi classem; in sqq. 540—543. verborum dilectum observa. Trojanos quasi perfidia et perjurio infames a Laomedonte denominat, cujus perjuria in Neptunum et Apollinem, mox in Herculem, nota sunt. Locus class. Iliad. φ, 442. sqq. 543. *ovantis*, lætantes; invidiose et hoc. Vidimus sup. 294. 295. Trojanos lætos imperio discessum parasse.

His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more feræ, talis nec tangere curas!
Non servata fides, cineri promissa Sychæo!
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Æneas celsa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam rite paratis.
Huic se forma dei voltu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est;
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crinis flavos, et membra decora juventæ:
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec, quæ te circum stent deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æstu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas?
Jam mare turbari trabibus, sævasque videbis
Conlucere faces, jam fervere litora flammis:
Si te his adtigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper

545. *Inferar*, sequar? quos paullo ante a Tyro excitavi, iterum navibus conscensis maritimis cursibus errare faciam? sc. ut cum Trojanis in Italia considant. 549. Quod ipsam sororem amantissimam accusat, summum affectum arguit, quo etiam in carissimos injurii esse solemus: tu, o soror, permota lacrimis meis (v. sup. v. 30.) tu prima me in hæc mala impulisti et Æneæ objecisti, homini in meum exitium facto. 551. *more feræ*. Nihil amplius in sententiam est assumendum, quam abhorrens ab humaniore cum aliis consuetudine ac consortio natura. Quinctil. l. c. IX. 2. 64. de matrimonio justo acceperat, a quo alienæ sunt feræ. *nec tangere*, attingere, sentire, *talis curas*, dolores animi! *Non servata* est, non servare licuit fidem etc. *cineri Sychæo* h. e. Sychæio; ut *Dardana arma*.

554 sqq. Non tam ex Homeri imitatione, quam ut ex propriore hac causa et nova hac Numinis monitione, ipse discessus aliquam dignitatem momentumque ac diversitatem a vulgari quoque discessu haberet. Vulgaris narratio ita instituenda fuisset: Et jam Æneæ classis satis erat instructa, ut vento secundo sub noctem exorto solveret. At quam tenue hoc! Sin vero metus a Carthaginiensium incursu erat memorandus, Mercurii monitu multo magis res egebat apud poëtam. 558. *colorem* oris, qualis est pulchræ juventæ ex palæstræ sole et pulvere. Mercurium e pulcherrimis diis esse, nota res, inprimis ex operibus veterum.

560—569 *hoc sub casu*, exquisite pro periculo ac discrimine. *deinde* videtur otiosum esse; sed lubenter eo utitur poëta ad morem τοῦ εἶτα in argumentatione vel consequutione, ut inferatur aliquid: et cum hæc ita sint, *in tanto casu*, εἶτα, *deinde*, tu non cernis pericula, quibus circumdatus es? εἶτ' οὐκ αἰσθάνῃ. Sic v. c. XII. 889. *Quæ nunc deinde mora est?* Nec multum aliena hæc sunt a vulgari usu pro porro, aut pro in posterum, ab hoc inde tempore v. c. inf. V. 14. *te circumstent*, jam Hom. περὶ γὰρ κακὰ πάντοθεν ἔστι,

Femina. Sic fatus nocti se inmiscuit atræ.
Tum vero Æneas, subitis exterritus umbris,
Conripit e somno corpus, sociosque fatigat:
Præcipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus, æthere missus ab alto,
Festinare fugam, tortosque incidere funis,
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o, placidusque juves, et sidera cœlo
Dextra feras. Dixit; vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnis simul ardor habet; rapiuntque ruuntque:
Litora deseruere: latet sub classibus æquor;
Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Regina, e speculis ut primum albescere lucem
Vidit, et æquatis classem procedere velis,
Litoraque et vacuos sensit sine remige portus;

Od. ξ, 270. *Zephyros* simpliciter pro ventis dicit; ut solet in ventorum nominibus parum accurate versari Virgilius. 564. *Certa mori*, vide v. 475. 566. 567. Ornati versus! *turbari trabibus*, impleri navibus sc. Carthaginiens. 569. *Varium et m.* h. l. tantum eo pertinet, quod in muliebri animo summus amor in summam sævitiam et immanitatem verti potest, ut adeo Æneæ de salute cogitandum sit.

570 *nocti se i. a.* evanuit. sup. 278. *tali Cyllenius ore loquutus Mortalis visus medio sermone reliquit.*

571—575 *subitis umbris*, potest forte accipi pro imagine, viso. Melius tamen in poëta pro caligine subito exorta abeunte deo, qui, ut mos est, in multa luce apparuerat, ut sup. 358. *deum manifesto in lumine vidi.* At nunc ille 570. *nocti se immiscuerat atræ. Corripit e somno corpus*, Lucretiana oratio, lib. III. 164. h. e. levat, movet. *sociosque fatigat*, hortatibus h. l., ut omnino de sæpius tentato motu dicitur poëtis. *funis*, retinacula. v. 580. cf. III. 639. 640. 667.

577 In *quisquis es* argutatur Servius et cum ipso alii. Atqui *forma dei—Mercurio similis* super erat; ipsum Mercurium esse nihil erat quod Æneam certum redderet. 578. *sidera dextra*, proprie quorum exortu venti secundi flant ac prospera navigatio fit.

580 Vid. Odyss. κ, 127. 581—583. Ut in toto loco, ita inprimis in his versibus, vel verborum dilectu, vel asyndetis, vel ipsis verborum temporibus ipsoque numero festinatio exprimitur, ut facile observes. *latet sub cl. æquor.* Bona rei imago, qua et alii poëtæ passim utuntur. Adspectui subducitur mare per naves æquatis proris procedentes. *spumas*, mare spumans, *et c. verrunt*, remis.

584. 585 Homerici versus Iliad. λ, 1. ω, 695. et alibi, verbis fere Lucretii lib. II. 143. Cæterum locum hunc de Didonis novissimis fatis variare voluit Silius VIII. 84. sq. quæ comparet qui Virgilianum κατὰ σκοπὸν adcuratius cognoscere vult.

586—588 Servius "et bene hanc primum inducit vidisse crepusculum, quæ, quasi amatrix, tota vigilaverat nocte." cf. Ecl. VIII. 17—20. *e speculis*, ex edita ædium parte. *æquatis velis*, æqualibus ordinibus; sed declaravit hoc a velis non obliquo vento, sed æqualiter plenis, leni ac secundo vento a tergo impellente. cf. inf. V. 844. et 232.

Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventisque abscissa comas, Pro Juppiter! ibit
Hic, ait, et nostris inluserit advena regnis!
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date vela, inpellite remos.—
Quid loquor? aut ubi sum? Quæ mentem insania mutat?—
Infelix Dido! nunc te facta inpia tangunt?
Tum decuit, quum sceptra dabas:—En dextra fidesque!
Quem secum patrios aiunt portare Penatis!
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem!—
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis?—
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna.—Fuisset;
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Inplessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem.—
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum et conscia Juno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbis,

590—594 Magna est legentis expectatio, quæ, desperata jam salute omnique meliore spe sublata, futura sit miseræ reginæ oratio. Et pathos verbis inest summum; furit, minatur, se accusat, imprecatur. *abscissa* simpl. evulsa, h. e. evellens. *inluserit* post *ibit*. ut Ge. I. 157. *Falce premes—vocaveris. nostris regnis*, mihi, tamquam reginæ. Illusit autem discessu tuto et impune facto post tantas in me injurias. *arma*, instrumenta navalia et h. l. alii *expedient*—alii *deripient*, rapient, rapide educent.

596. 597 Variis modis hæc accipi possunt et vario cum effectu, sive *fata*, sive *facta* legas; quoniam hæc et Æneæ, et Didonis esse possunt, et quia *Tum decuit* supleri potest vel: quæ v. 592—594. memoraverat, vel: *facta impia tangere te. Tangunt* porro, καθικνοῦνται σε, cum ea, quæ attingunt, urgent, adsunt, tum, quæ animum movent, percellunt vel concitant, metu, terrore, odio, quocunque alio vehemente affectu. Ex pluribus hanc rationem probem: Exhorruerat illa modo ac damnaverat v. 595. atrocitatem concilii; silet, et mox: quasi vero nunc demum nefas ac scelus exhorrescendum mihi sit! tum debebam exhorrescere, cum, defuncti mariti memoria animo expulsa, in thalami ac regni societatem perfidum hospitem recipiebam.

597—599 *En dextra fidesque* ac. ejus, *quem*, h. e. Ita fidem servat is, *quem aiunt portare* (pro portasse) *secum P.*

600—602 *abreptum divellere corpus*, ornate, dilaniare eum. *patriisque epul. ponere mensis?* respicit Thyestæ vel Terei cœnam.

603—606 En affectum, qui altius adsurgere aut procedere nequit. Ita vs. 607. bene ad diras convertit se, at quanta cum arte illas ad religiosum ac sacrum aliquem horrorem attemperavit! *Quem metui m.* præclare, pro vulgari; quid mihi metuendum fuisset, cum mori decreverim! *in castra*, h. l. classem. cf. III. 519. *foros*, tabulatum, pro ipsis navibus. *Cum genere*, int. Trojanos. *dedissem* in ignem.

607—612 Solis, tamquam dei παντεπόπτου,

Et Diræ ultrices, et Di morientis Elissæ,
Adcipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est;
Et sic fata Jovis poscunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, conplexu avolsus Iuli,
Auxilium inploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, quum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor; hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum

adeoque et injuriæ inspectoris, ut in fœderibus ita in diris sollennis mentio. *lustras* de cursu. vid. sup. v. 6. *terrarum opera* ut ἔργα, proprie de cultis locis. *Juno γαμήλιος* (*pronuba* v. 166.) h. l. est *interpres et conscia curarum harum*, hujus amoris aut conjugii, adeoque testis perjurii et injuriæ. *Interpres* etiam alias, cujus interventu aliquid efficitur, h. l. nuptiæ, quibus dea præest. 609. *Hecate*, cui noctu sacra celebrantur cum ululatu, h. e. carmine, precibus, in triviis; Notus usus vocis *ululare*, ὀλολύζειν in sacris. *Diræ*, h. l. Furiæ. *Deos morientis Elissæ*, Genios Didonis et mox Manes intellexeram: At Pompon. Sab. *Manes Sichæi vocat*. Nec tamen video, quid vetet, *deos ultores Elissæ* accipere. 611. *Adcipite, advertite, audite* de eadem re. *numen* vestrum, h. e. vim ac potestatem deorum inferorum ulciscendi malos, *advertite malis*, contra improbos et impios Trojanos, *meritum*, quippe qui meruerunt vestrum numen, h. e. pœnam, a diis mali ultoribus infligendam. Exquisitior oratio quam illa, *advertere vultus, aures, animos*. ut Ovid. VIII. Met. 482.

612 sqq. Eximiam poëtæ artem in subjungendis diris his, quibus Æneæ fata, post adventum in Italiam, mox temporum seriorum eventus bellaque inter Pœnos et Romanos gesta, ingeniose intexuit, ut tanto magis popularium suorum animos adverteret et delectaret, jam alii viderunt. Dirarum vero et imprecationum omnino inventum et usum a poëtis Græcis accepit, in quibus frequens est, utpote vehementibus affectibus bene inserviens.

612. 614 Ante oculos fuere ex Odyss. ι, 532. sqq. diræ Polyphemi in Ulissem: Ἀλλ' ἔι οἱ μοῖρ' ἐστὶ etc. Gravitatem orationis nota in verbis singulis, ut, *Infandum caput* pro eum, *terris adnare*, pro pervenire ad Italiam. sup. I. 538. *huc pauci vestris adnavimus oris. hic terminus hæret*, si eo, h. e. in Italiam, fatorum et errorum Æneæ terminum ac finem, pervenire Æneam fatale est; *hæret*, fixum et destinatum est. hoc ab agrorum terminis petitum.

615—621 Revocata sunt ad has diras ea, quæ lib. VII. seqq. memorantur, bella cum Latinis et sociis Rutulis, Æneæ profectio ad Evandrum auxilii petendi causa, relicto in castris Ascanio, quem interea oppugnat Turnus cum magna Trojanorum strage. Reliqua a v. 618. ad mortem Æneæ spectant; namque is quarto ut plerique tradunt, a fœdere cum Latinis anno, pugna cum Tyrrhenis facta, in Numicio flumine periit. conf. sup. I. 261. sq. *audacis populi*; id est, Rutulorum, sicut semper inducuntur. *Audax* poëtis est bellicosus, fortis. *Finibus extorris*, profectus ex castris in Latio positis. *indigna*, miseranda, *suorum Funera* inprimis Pallantis Lib. X. *pacis iniquæ* v. lib. XII. 823. sqq. Sed res in majus aucta. *ante diem* non obstat lib. VI. 764. *Quem tibi longævo Lavinia conjux* educet *silvis regem*. Paucos saltem annos regnavit. *inhumatus*, quoniam ejus corpus nusquam inventum est, ut adeo inter deos receptus diceretur, ut ex Livii I. pr. notum. 621. *cum sanguine*, cum vita, sed multo majore cum vi. Servius: "quasi imprecationes ipsas suo consecraret sanguine."

622—629 Odia inter Pœnos et Romanos,

Exercete odiis; cinerique hæc mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Inprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque.
Hæc ait, et partis animum versabat in omnis;
Invisam quærens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem adfata Sychæi:
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem;
Dic, corpus properet fluviali spargere lympha,
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat.
Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque inponere curis;
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anili.
At trepida et cœptis inmanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementis
Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus inrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.

et bella perpetua de imperio. *stirpem exercete odiis*, vexate. Nisi est exquisitior ratio pro vulgari, exercere odia in posteros. *Munera* int. inferias, quæ proprie *mitti* dicuntur. *nec fœdera sunto*, quippe tertio rupta. 625. *ultor*, Hannibalem ostendit, qui Italiam ferro ignique vastavit. *ex ossibus* pro vulgari, ex cinere meo, h. e. post me veniat aliquis, qui persequatur etc. *dabunt se*, exquisitius quam, erunt. Occurrit et alibi: Georg. I. 287. *Multa adeo gelida melius se nocte dederunt.* Bella scilicet ominatur sæpius renovata.

628. 629 Est poëtica amplificatio odii et inimicitiæ; ut vulgo solemus dicere omnia inter Romanos et Pœnos fuisse infesta et contraria.

633 Suam propriam nutricem Dido jam olim apud Tyrum sepeliverat. Ut alias *tumulo, sepulchro, urna, haberi, teneri* dicuntur defuncti: sic nunc *cinis patria* (terra) habetur.

636 *monstrata* a sacerdote, puto, *piacula*, piamina, h. l. purgamina, quibus in sacris magicis utebatur superstitio, h. l. ad mentem amore exsolvendam.

638—640 *incepta* inde a v. 504. sqq. vide notam ad v. 480. sq. cf. ad sequentia Silium VIII. 116. sqq. *rogum permittere flammæ* ambiguum esse potest, sitne *flamma Dardanii capitis*, an *rogus Dardanii capitis*. Video nunc hoc mollius esse: rogum cui imposuerat effigiem Æneæ (sup. 508.) quasi caput ac vitam ejus devotura.

642—647 Notas extremi furoris observa. *morte futura*, jamjam cummaxime constituta.

Hic, postquam Iliacas vestis notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba:
Dulces exuviæ, dum fata deusque sinebant,
Adcipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit Imago.
Urbem præclaram statui; mea mœnia vidi;
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ!
Dixit; et, os inpressa toro, Moriemur inultæ!
Sed moriamur, ait. Sic, sic juvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostræ secum ferat omina mortis.
Dixerat. Atque illam media inter talia ferro
Conlapsam adspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta

Sanguineam aciem, ὄμμα ὑφαιμον. *interiora domus limina*, limen interioris ædium partis. *quæsitum*, paratum, acceptum, adeoque etiam datum; sup. 507. dixerat *ensem relictum*. scil. dono ac munere.

648. 650 Magnum et novum παθος in conspectu earum rerum quæ magnopere animum percellere debuere; magnum quoque artificium in dilectu rerum ac verborum. Expende singula. *mente*, defixa in pristini amoris ac consuetudinis cogitatione. *Incubuit toro*. Comparant intpp. loca Soph. Trachin. 916. sq. et Eurip. Alcest. 173—186. At oratione quæ modo sequitur, nihil puto dici posse aut personæ ac tempori accommodatius, aut ad animum movendum potentius; illa vero v. 653—656. quam sublimia sententiis!

651 sq. *Exuviæ—Adcipite hanc animam*— quia iis inesubans animam est expiratura. 653. Male argutantur in *fortuna* et ante in *fata deusque*. Est eadem notio bis, ter, iterata. Magni animi hoc esse puta, ut in novissimis rebus sese erigat, et suæ laudis conscientia ac rerum gestarum claritate fato ac diis invidiam faciat. Ingloria morior; at non vixi ingloria. *quem dederat cursum fortuna peregi*: sup. lib. III. 493. dixerat: *Vivite felices quibus est fortuna peracta jam sua*. 654. *Imago* εἴδωλον, Umbra, magna rerum gestarum nomine ac fama. Splendidum et illud: *sub terras ibit*, moriar; petitum ab Ennio et Lucretio. *ulta virum*, vid. sup. I. 360—364. *pœnas recepi*, nove forte, nec tamen insolenter pro, cepi, sumsi.

659—662 Iterum animi magni et superbi hoc; ut, ingloriam et inultam se mori hoc vel maxime pungat. *Os inpressa toro* ac. percita furore, salute desperata et morte vicina. ore impresso, præ animi dolore in torum cui incubat, iminisso, hæc eloquitur. 660. 661. Inulta moriar; modo sic moriar, ut saltem ille hauriat etc. Inter hæc verba ensem ab illa pectori applicari puta. *Dardanus* paullo insolentius pro Dardanius, sed et Homer. Δάρδανος ἀνήρ. 662. Splendide: ex meæ mortis indicio ac nuntio infaustum omen navigans ille secum auferat! Sit illi ferale hoc spectaculum pro sinistro vitæ omine.

663—665 Vide facinus declaratum ab iis rebus, quæ maxime legentis animum impellant, et verbis ornatissimis. Non vident illam setransa digentem ferro, sed *ferro conlapsam*, et hoc quanto plus quam transfixam! et *spumantem*, plus quam *tinctum* cruore ensem. Bene Serv. *Non induxit occidentem se sed occisam*. *Comites* sunt familiares, famulæ, quæ in impluvium irrumpunt. Etiam

Atria; concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus æther:
Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita crudelis abessem?
Exstinxsti me teque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. Date volnera lymphis,
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, gravis oculos conata adtollere, rursus
Deficit. Infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese adtollens cubitoque adnixa levavit:

hoc judicium poëtæ declarat, quod de rogo incenso nil memorat; quem tamen incensum esse e lib. V. pr. apparet. Scilicet vix commodo loco id inter cætera narrari poterat.

666 *Iacchatur* gravissimum pro discurrit, differtur. Mox *Tecta fremunt*, ut jam alias monitum, pro vulgari, lamenta fremunt in tectis.

669—671 Comparatio hæc et alibi obvia, accomodata tamen, et h. l. bene ornata, primo loco apud Homerum occurrit Iliad. χ, 410. ut jam Macrobio notatum. 672. sqq. Egregie affectus veritas servata in Annæ luctu et verbis. Præivisse creditur Briseis Homeri in Patrocli funere Iliad. τ, 282. sqq. Hæc autem omnia, quæ effatur, ne a tempore et loco aliena sint, dum illa incedit prolata esse cogita: nam *trepido cursu ruit per medios*. Unde v. 685. *Sic fata gradus evaserat altos*.

679 *Idem dolor*; vulgare erat, vulnus.

680. 681 *struxi*, rogum, pete ex v. 676.; eum jussu Didonis paraverat sup. 494. sq. *patriosque vocavi Voce deos*, h. e. ipsa sacrum jussu tuo paravi et rite auspicata sum, sollenni sc. precum carmine decantato: Nam *ergo jussa parat* sup. v. 503. *sic ut alessem*, sejungerer a te, avellerer ac te carerem, *te posita*, mortua, ut II. 644. et sæpe. 682. Gravissima sunt hæc, quibus morte sua Dido omnia in commune exitium traxisse dicitur: quippe in urbe recens condita.

688 Est hoc mirum in modum ad affectum comparatum. Non injucundum fuerit comparare Eurip. Phœniss. 1438. sqq. inprimis 1446. sq. de Eteocle. Ov. Met. IV. 137. sq.

689 *stridit volnus*, sanguis ex vulnere

Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quæsivit cœlo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens, longum miserata dolorem
Difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque adcensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat. Omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

erumpens. 691. 692. Oculi jam morte natantes et caligine obscurati diem recipere laborant, sed ægre colligunt solis radios. *ingemiscit* ut moribunda. quod est inf. XII. extr. *Vita cum gemitu fugit indignata sub umbras.* Et nunc puta oculos iterum claudi.

693 sqq. Nova hæc et insolens videri potest religio quod Iris mittitur, ad expediendam miseræ Didonis animam. Sed Iridi tribuit poëta, quod Mercurio supra tributum vidimus v. 244. quandoquidem a Junone illa mandata fert, et ejus ministerio plerumque Juno utitur. Communiter tamen, ex poëtæ religione, Proserpinæ eæ partes esse debebant. Junonem hac de re solicitam esse, nil mirum, cum ea Didonis et Pœnorum causam suscepisset. Unde vero hoc dicemus petitum, quod *crinis abscinditur?* E re sacra puto: nam victima consecratur deo, pilis e fronte evulsis et in ignem injectis (cf. v. c. inf. VI. 245.; est id proprie κατάρχεσθαι) ab hoc momento victima deo dicta et sacra. Itaque et is, qui moritur, crine abscisso, diis inferis, tanquam victima consecratur, Jovique infero sacer est. Ornavit ergo poëta vulgare illud: quia morti haud matura erat, ægre anima a corpore sejuncta est. Res itaque numinis interventu egebat.

693—695 *dolorem*, ἀγανλαν. *artus nexos*, corporis cum anima nexum, bene Cerda vidit, a palæstra et lucta esse petitum. Corpus quasi implicat et circumstringit animam, ne elabi illa possit.

696—699 Vide ad v. 693. *merita nec morte*, nullo immani crimine commisso. Serv. opp. *subito adcensa furore:* uti *non fato* et *ante diem* ἀπὸ μοίρας Iliad. β, 155. conf. Guell. *Accendimur* autem non modo *ira*, sed et dolore, et *furore*, ex indignatione et ira orto. *caput damnaverat Orco*, h. e. vitam ejus, vel ipsam, morti devoverat. cf. ad v. 693.

704. 705 Expiratur anima adeoque in aerem abit.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Æneas, relicta Carthagine in Italiam navigans, vi tempestatis in Siciliam defertur: ubi, ab Aceste benigne exceptus, Manibus Anchisæ patris, quem superiori anno eodem die apud Drepanum sepeliverat, anniversarium sacrum facit, ludosque apud tumulum ejus instituit: suaque victoribus præmia decernit 1—103. Navali certamine vincit Cloanthus—285. Euryalus Nisi dolo cursu superat—362. Entellus senex Daretem juveniliter se jactantem cestu vincit—484. Sagittandi peritia superat Eurytion: prima tamen præmia, ætatis dignitatisque habita ratione, Acestæ decernuntur cujus sagitta in aërem emissa subito exarserat—544. Ascanius in honorem Anchisæ avi, cum primæ nobilitatis pueris, equestres ludos pugnamque imaginariam exhibet—603. Interea Trojanæ mulieres hortatu Iridis, longæque navigationis tædio, ignem in classem conjiciunt, quatuorque naves comburunt: cæteræ subita a Jove immissa pluvia incendio sunt ereptæ—699. Nocte sequenti Anchises, Æneæ filio in somnis apparens, Jovis verbis admonet, ut, Nautæ consilium sequutus, mulieres imbellesque senes in Sicilia relinquat; ipse cum juventutis robore integræque ætatis flore in Italiam naviget; Sibyllæque inprimis antrum adeat: illius enim ductu se in campos Elysios esse venturum, ubi et posteritatis suæ seriem omniumque instantium bellorum discat eventum—740. Monitis itaque paternis morem gerens Æneas, oppidum in Sicilia condit nomine Acestam: eo et matrum et senum bello inutilem coloniam transcribit: ipse cum exercitus robore Italiam petit—778. Interim Neptunus, Veneris precibus exoratus, naviganti Æneæ mare tutum præstat—834. Palinurus, in tanta securitate somno succumbens, una cum gubernaculo in mare excutitur: ejusque vicem supplet Æneas.

INTEREA medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Mœnia respiciens, quæ jam infelicis Elissæ
Conlucent flammis. Quæ tantum adcenderit ignem,

1—4 *Interea.* v. sup. IV. 584. sqq. Servius: *circa primum ortum lucis navigavit—ergo tota die, dum se Dido interimit, dum flctur, paullulum provectus est, leniter spirantibus ventis:* et flammas rogi circa vesperam vidit: *quo tempore et per naturam ignem videre potuit, et per pristinum morem, quo per diem cadavera non incendebantur.* Noctis fere tempus datum rogo igni consumendo, et altera mane lecta ossa. Sic in Patrocli funere Iliad. ψ, 226. *medium* (v. sup. III. 664.) *iter* (ut cursum fugam), val-

Caussa latet: duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique, et undique cœlum:
Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Conligere arma jubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non, si mihi Juppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.
Mutati transversa fremunt, et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos:
Si modo rite memor servata remetior astra.

garius esset, *mare altum*. At *certus;* itineris sui certus, persistens in consilio proficiscendi. *aquilone* simpl. pro vento. conf. sup. IV. 562. et 310. Nam austro tum uti debuit.

5—7 *sed duri dolores magno amore polluto*, quod cogitant, quo erumpere possit vel soleat dolor animi intolerabilis magno amore læso, *notumque*, et, quod non ignorant, *furens quid femina possit*, hæc *ducunt* Teucros, *Teucrorum pectora, per augurium triste*, h. e. facile adducunt eos ad augurandum ac suspicandum, id quod erat, mali quid evenisse. *magno amore polluto:* amor violata fide ab altero amante *pollui* proprie dicitur ex adulterio, concubitu vetito: v. c. Horat. IV. 5. 21.; ut etiam fides *corrumpitur*. Poëta idem nunc dixit pro fide amoris læsa omnino et violata ab Æneа. Ita *jura, fœdera* pollui dicuntur quæ violantur; quia eadem sacra ac sancta, casta, sunt. v. 7. *per* ut VI. 743. *Per amplum Mittimur Elysium.*

8—11 Iidem versus sup. III. 192—195. ubi vide. cf. Odyss. μ, 402. ξ, 302. sq. *Supra caput*, desuper, ὑπερκρέμασθεν, vel ὑψόθεν.

15. 16 *arma* h. l. vela contrahere jubet. Sic ὅπλα de uno ὅπλον hoc genere apud Homer. *Obliquat sinus* velorum *in ventum*, vento adverso non totis velis accepto, sed tantum ex obliquo, ne ille magna vi irruens navem nimium de cursu deflectat. Mox 17. *auctor* etiam h. l. ornatus causa adjectum; quatenus aliquid spondet ac promittit.

19—25 Adversum igitur navigationi in Italiam ventum ab occidente habebant; transversim ille spirans cursum retardabat. *tendere tantum*, quantum adversa tempestas valet. 24. ad Drepanum. v. sup. III. 707. I. 550. 195. *Fida* propter Acestam, *litora fraterna Erycis*, qui Erycem condidit; erat is filius Veneris et Butæ. *portusque Sicanos*, proprie. Nam Sicani ab Iberia profecti, cum, relictis sedibus in Italia ad Tiberim, Siciliam tenuissent reliquis Siciliæ partibus depulsi occidentale tamen littus tenuere. cf. Thucyd. VI. 2.; atque inter Sicanos hos Trojani consedisse memorantur. *remetior*

Tum pius Æneas: Equidem sic poscere ventos
Jamdudum, et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere navis,
Quam quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisæ gremio conplectitur ossa?
Hæc ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis;
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes,
Horridus, in jaculis et pelle Libystidis ursæ:
Troïa Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non inmemor ille parentum
Gratatur reduces, et gaza lætus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.
Postera quum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies; socios in cœtum litore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto a sanguine divom,
Annuus exactis conpletur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis

animo *astra servata* ante tempestatem, adeoque cum astris ipsum cursum ac navigationem hactenus factam.

28 *Flecte viam*, ut sup. iter, h. e. cursum, navem. velis mutatis. Male turbat Serv. et alii.

31 Versus ad Lucretianam formam lib. IV. 738. *Quorum morte obita tellus complectitur ossa.* Mox, *secundi Zephyri*, cursu jam versus ortum solstitialem inflexo.

35—41 Acestes Trojanus, urbis Segestæ conditor, qui cum Trojanis inter Sicanos consederat. Ferebatur ille Crimisi fluvii filius e Trojana muliere. *montis*, Erycem designare videtur. *in jaculis*, modus loquendi antiquior, nec tamen infrequens, etiam apud Græcos, ἐν ὅπλοις ὄδε; pro ἐνοπλος, ὁπλίτης. nunc tamen paulo durius, respectu tamen imprimis ad alterum habito, *in jaculis et ursæ exuviis*, ἐν ἀκοντίοις καὶ ἐν ἀρκτου δέρματι ὤν, *instructus jaculis et pelle. pelle Libystidis*, Libycæ, *ursæ*. Habitum autem venatorium h. l. descriptum puta. cf. inf. 300. 301.

39 *Veterum parentum*, quandoquidem a Trojanis originem ducebat. *gaza agresti*, h. e. penu rusticano, explicatur per *opes*; ornant *lætus* et *fessos*.

44 *tumuli ex aggere* (ornate pro ex tumulo) socios alloquitur; more militari.

45 Etsi et inferiæ hæ et ludi funebres plane ad Homeri exemplum a Virgilio instituuntur, tamen ingenium ejus in hoc agnoscas, quod iis rebus ad pietatem maxime Æneæ sui declarandam usus est. 45. *alto a s. divom*, propter Dardanum Jovis. Solet autem ejus, qui gentis auctor ac regni vel urbis conditor fuit, nobilitas toti genti ac populo tribui. Si Romani, *Martis genus, Romulidæ* etc.

Condidimus terra, mæstasque sacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic di voluistis), habebo.
Hunc ego, Gætulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenæ;
Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas
Exsequerer, strueremque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis,
Haud equidem sine mente, reor, sine numine divom,
Adsumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et lætum cuncti celebremus honorem;
Poscamus ventos; atque hæc me sacra quot annis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in navis: adhibete Penatis,
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Præterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis;

48 *aras:* funus a sacrificio funebri designat, quod ad rogum, et cinerem urna condendum, Manibus fiebat. Heroicis temporibus non nisi ad solis siderumque conversiones, quales cujusque oculis occurrebant, computabantur anni et dies. Atqui in his non semper summa subtilitas, nisi ex arte est. Cæterum vv. 49. sqq. ornatissimi sunt, et παθος habent.

51—54 *Gætulæ Syrtes* paullo latius dictæ, ex more poëtarum. Nam Gætuli versus occidentem Africæ et in meridiem habitarunt. *deprensus*, simpliciter de eo, cui importuna res alieno tempore supervenit; pro vulgari: si versarer in navigatione aut in solo hostili. *pompas*, inferias et parentalia ab apparatu sacrificii sollenni designat. 54. exquisite *altaria struimus*, exstruimus, *donis*. Vulgo *dona* h. e. sacræ res, quæ offeruntur, *exstruuntur in ara*. *suis*, h. e. debitis. cf. Ecl. III. 62.

55 sq. Quanto magis nunc, cum etc. *sine mente, sine n.*, sine consilio ac voluntate deorum. 58. *honorem*, easdem inferias in honorem Anchisæ faciendas, *lætum*, alacriter, lubenti ac parato animo celebrandas. Factis inferiis deos *poscamus ventos* secundos; *atque*, ubi in terram monstratam perveneri-mus, quotannis ipsi has inferias instauremus; hoc minus vulgariter extulit: *urbe posita velit ille* (Anchises) *me ferre* sibi (adeoque lubens ac propitius accipiat) hæc sacra *quotannis templis dicatis*. Habent tamen venti, aliquid a loco alienum; nam Anchisæ fiunt inferiæ, non sacra diis secundæ navigationi expetendæ.

62. 63 *Ferales epulas* celebrandas indicit, quod religionis genus erat, uti alias post rem sacram, ita nunc *inferiis peractis;* cf. inf. 102. 103. in iis libatio fit Diis Penatibus et Trojanorum et Siculorum, communi epularum more. Horat. IV. 5. 31. *Hinc ad vina redit lætus, et alteris* Te *mensis* adhibet *deum*.

64 *si* pro cum, ut et alibi. *nona*, ex more. Notum *novendiale sacrum*, nono a sepultura die. Alias ipsæ cæremoniæ sunt novendiales. v. inf. 762.

66 sqq. *Prima*, primo loco. *ponam* c. θησω ἀεθλον, ἀγῶνα, instituam certamen navale. II. Georg. 530. *pecorisque magistris Velocis jaculi certamina ponit in ulmo.* tum *qui pedum cursu valet* etc. h. e. porro certa-

Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax
Aut jaculo incedit melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cestu:
Cuncti adsint, meritæque exspectent præmia palmæ.
Ore favete omnes, et tempora cingite ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc ævi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius; sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum; salvete recepti
Nequidquam cineres, animæque umbræque paternæ.
Non licuit finis Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quærere Thybrim.
Dixerat hæc: adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina, traxit,
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:

mina cursus, sagittandi, ac cestus. Nam hæc infra exhibita videbis. Jam poëticam orationem adverte. *incedit*, pro *est* positum, ne offendat, jungenda teneas *qui viribus audax incedit, aut m. j.* Tum *jaculo* et *sagittis*, h. l. de eadem re. *crudo cestu*, e corio bubulo crudo. v. inf. 404. *palmæ*, victoriæ. *favete, εὐφημεῖτε. ramis* ap. poëtam pro corollis frondeis.

72 *velat* voc. sacrum de corollis, infulis, ac vittis. cf. XI. 101. VII. 154. VIII. 276. 277. *materna myrto* sup. Georg. I. 28. jam vidimus.

73 *Helymus* bene h. l. memorat; nam is cum Ægesto vel Acesta Troja capta Siciliam petiisse ferebatur. *ævi maturus* exquisite pro *m. ævo*, vel ævo et ætate matura.

77 Inferiarum ritus. cf. Iliad. ψ, 170. sq. 219. sq. et sup. III. 66. 67. *Carchesia*, vox ob dignitatem epicam dilecta, cum vasis genus esset memorandum. *mero Baccho*, ex more; in sacris mero vino aquam miscere nefas erat. *s. sacro*, victimarum. *Purpureos flores*, Iterum sic VI. 885. Epitheton ornans adjectum a certo genere florum, puta violarum et aliorum rubentium fusco colore.

80 sqq. cf. Iliad. ψ, 179. sq. *animæque umbræque paternæ*, pro anima et umbra. Sed an hanc receperat Æneas? Atqui anima et manes in inferis v. inf. 98. 99. Scilicet proprie *patris cineres* receperat; jam idem ille *patrem recepisse* bene dicitur; hoc autem idem poëta per *cineres, animam, et umbram* declaravit. Nec tamen hoc necesse; sed distingue: *salvete recepti N. cineres:* salvete *animæque u. p.*

84 sqq. Comparant portentum simile ap. Homer. Iliad. β, 308. sq. Alio modo et præclare ad h. l. accommodatum est portentum serpentis e tumulo Anchisæ inter inferias factas prodeuntis. Genios enim sive locorum sive hominum, tota antiquitas, inprimis Etrusci et Romani, per serpentes exhibuerunt. Plurium enim rerum symbolum ac nota habitus est serpens. v. c. ut τὸ ἐγχώριον, solum patrium, vitam, salutem, immortalitatem innueret. Itaque et h. l. et mox ad Genium seu loci seu Anchisæ ostentum refertur, v. 95.— *adytis* splendide ornat patris tumulum, tan-

Cæruleæ cui terga notæ maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille jacit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Æneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et levia pocula serpens
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci, Famulumne parentis
Esse putet; cædit binas de more bidentis,
Totque sues, totidem nigrantis terga juvencos;
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisæ magni, Manisque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt; onerant aras, mactantque juvencos.
Ordine aëna locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt veribus prunas, et viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant;
Famaque finitimos et clari nomen Acestæ
Excierat: læto conplerant litora cœtu

quam locum sacrum ac templum, mox etiam (inf. v. 760. 761.) fani religione consecratum. *amplexus*, gyris ambiens. Septenarius numerus tamquam impar et sacer poni potuit. 86. *lapsus per aras*. Nihil antea de ara dixerat; sed eam inferiis faciendis extruere solenne erat: v. sup. III. 62. sq. 87. 88. *cui terga notæ cæruleæ* (pingebant, adsume ex sequ. *incendebat*) *et squamam incendebat fulgor maculosus auro*, h. e. maculæ aureæ fulgentes *(with burnish'd neck of verdant gold*, ut Miltonus lib. IX. 501.). Has etiam sic efferas: *fulgor macularum aurearum*, vel *fulgor macularum auri*, et *auro*; et hinc exquisitius poëta: *maculosus auri fulgor*. Habuit ante oculos illud: ἀράκων ἐπὶ νῶτα δάφοινος l. c. Iliad. β, 308. *incendebat* ornate pro, inerat squamis. 89. *jacit colores*, dictum, ut jacere radios, lumen, ἵεναι, βάλλειν, mittere, emittere.

90—93 Serpens degustavit τὰς χοάς. *agmine* de spiris ac voluminibus longoque eorum tractu. sup. II. 212. de binis serpentibus: *illi agmine certo Laocoonta petunt*. Quæ si cum h. l. compares, eodem modo possis accipere. *lævia pocula*, λεῖα, adeoque nitentia, puta ex ære esse. *altaria*, pro dapibus appositis dixit.

94—99 *instaurat* h. l. simpl. peragit. *famulum parentis*, dictum pro Genio Anchisæ: θεράποντα, eum qui *adest homini*. Nam Genii ministerium præstant, quatenus genitos suscipiunt, tuentur, iis adsunt perpetui comites ac custodes. Ab Etruscis religionem illam acceperunt Romani. *cædit* cf. Iliad. ψ, 166. sqq. *fundebat*. ibid. v. 220. *vocabat*, sup. III. 67. *Inferimus—pateras, animamque sepulcro condimus et magna supremam voce ciemus. Manis*, qui ex locis inferis adesse inferiis credebantur.

100—103 *quæ cuique est copia*. Vulgare: pro cujusque copiis. *onerant*: Georg. IV. 378. *Pars onerant mensas*. juvencos ac. ex v. 61. 62. *aëna* cf. sup. I. 216. 217. Alii parant epulas, quæ h. l. festæ sunt, nec tamen ex victimis: nam inferias fieri vidimus.

105 *Phaëthon* h. l. ipse sol. ut ap. Hom. sæpe Ἠέλιος φαέθων.

Visuri Æneadas; pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio: sacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusæ vestes, argenti aurique talenta;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectæ classe, carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin;
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine MemmI;
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Inpellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Cærulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo silet, inmotaque adtollitur unda
Campus, et apricis statio gratissima mergis.

107 Pars visuri Trojanos pugnantes, pars parati et ipsi ad certandum.

109 sqq. Ex Iliad. ψ, 259. sqq. sed ornatiora. *circum* nove dixit pro consessu, corona. Est Graecorum ἀγών de loco dictus, et de turba spectantium. Mox *pretium victoribus*, pro vulgari, victorum præmium; *sacri tripodes*, quorum usus fuerat vel futurus erat in sacris. *ostro perfusæ vestes:* purpura tinctæ: περφυρέαι ἐσθῆτες. *argenti aurique talenta*, ex eodem loco, sed definite, v. 269. δὺο χρυσοῦ ταλάντα, scl. et h. l. auri unum et argenti alterum talentum.

113 *Et tuba.* Romano more. Nam heroicis temporibus tubam nondum inventam esse satis constat.

114 sqq. Quatuor sunt naves. Varietatem et ornatum poëta ab eorum insignibus et a ducibus petivit. Mnestheus bellum marinum, Pristin, Gyas Chimæram, Sergestus Centaurum, et Cloanthus Scyllam regit. Sagaciter poëta his ducibus nobilium Trojanorum nomina dedit, a quibus Memmia, Sergia, et Cluentia gens originem ducere videri volebat. Mireris Gyam prætermissum, a quo jam Cerda vidit Geganios ab aliis deduci. Erat ea gens Albana: v. Dionys. III. 29. *pares*, puta, magnitudine et bonitate. *gravibus remis*, fortibus. Omnino si delectationem quæris ad verborum ornatum ac miram varietatem copiamque in his certaminibus animus est intendendus. Nominantur in seqq. insignia navium pro navibus: Sic *Pristis*, *Chimæra*.

118—120 Chimæra, *urbis opus*. Servius: *ita magna, ut urbem putares*. v. 119. et 120. classici sunt in *triremis* declaranda forma et *triplici ordine remorum remigumque* per gradus in obliquum asserendo. *versus*, ut στίχος, per *ordinem* explicatur. Etsi triremes serius inventæ, tamen Virgilius in his Homericam subtilitatem veritatemque non sequitur.

124—128 Scopulus hiberno tempore (quod exquisite per cœlum nubibus obductum designat; *hiberni condunt ubi sidera Cori*) fluctibus sævientibus latet, undis submersus; cum mare est placidum, tunc ipse attollitur, et planities soli in mari eminet. Simili modo

Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater: unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris; intentaque brachia remis;
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque adrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit æthera clamor
Nauticus; adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convolsum remis rostrisque tridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Nec sic inmissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virum studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora; pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus

curriculi metam descripserat Homerus Iliad. ψ, 326. sqq. *olim*, interdum (ut et alibi occurrit), vel alio tempore, alio vero tempore *Tranquillo silet*, h. e. nullo fluctuum allisu resonat. Facta autem navium decursio putanda in sinu Longuri sub Erycem.

132—138 *sorte*, etsi in eadem linea. *populea fronde*, Servius: quia ludi funebres sunt et hæc arbor ab Hercule ab inferis allata est, cum canem Cerberum extraheret. 135. Ut in certaminibus gymnicis, ita nunc ad magnum corporum nisum uncti sunt oleo. 136. *intenta brachia* sunt *remis*, h. e. ipsi intendunt, intenta habent, quasi in statione manentes, ut signo dato statim incumbant remis. Ingrata tamen repetitio ejusdem vocis: *intenta. intenti.* 137. 138. v. sup. Georg. III. 105. 106. *Quum spes adrecta juvenum, exsultantiaque haurit Corda pavor pulsans.* Ornatius extulit Homerica: πάντεσσι δὲ θυμὸς ἰαίνετο νίκης ἱμάσθαι.

139 *fenilus*, quæ v. 132. *loca* sortiti erant. 141. *adductis lacertis*, simul cum adductis remis. 143. *tridentibus rostris*, trifidis.

144—147 Sumta, ut jam Macrobio notatum, comparatio ab Homero Od. ν, 81. sqq. Omnia hic ornate. *bijugo certamine* pro bigarum. *campum Corripuere*, corripiunt; ut carpere, corripere viam, spatium. *inmissis* (in cursum) *jugis*, h. e. equis jugalibus admissis, dum freni laxantur. *undantia lora*, exquisite pro effusis frenis. *proni in verbera pendent*, quod egregiam rei imaginem habet.

149. 150 *Consonat*, exquisitius quam, *resonat*. Littora, in planitiem declivia, *inclusa* collibus his nemorosis. *colles resultant clamore*, doctius quam, ut vulgo, si clamor resilit a collibus.

Consequitur, melior remis; sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus; nunc una ambæ junctisque feruntur
Frontibus, et longa sulcant vada salsa carina.
Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant:
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis conpellat voce Menœten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;
Litus ama, et lævas stringat, sine, palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit. Sed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum: pete saxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantis
Radit iter lævum interior, subitoque priorem
Præterit, et metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens;
Nec lacrimis caruere genæ; segnemque Menœten,
Oblitus decorisque sui sociumque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta;

151—158 *elabitur* egregie pro, præcurrit celeriter, primo ante cæteros loco. 154. *tenet*, moratur cursum, vel Cloanthum; pro tarda *est*. *æquo discrimine*, pari momento, ut linea eadem incederent: qua discernuntur a ceteris navibus: unde *discrimen* dicere poëta potuit. *locum superare priorem*, assequi, tenere, altero superato locum primum sc. inter se, post Gyam et Cloanthum. 159. *metam*, non ubi finirent cursum, sed circumflecterent: sup. 130. 131.

160—171 *princeps Gyas* et *victor*, h. l. qui omnes anteverterat cursu. *dexter*. Cogita metam fuisse ita circumflectendam, ut eam a sinistra haberent. 163. tene cursum propius ad scopulum (quem *litus* appellat), nec verere, ne remi a sinistra parte eum attingant. *amare*, cupide tenere, amplecti, servare. ut in illo Horatii: *amatque janua limen*. *palmula*, ταφοὶς πώπας. *pelagi* sc. dextrorsum in altum evectus adeoque *diversus*, in diversam partem, cum deberet lævam versus scopulum tenere. 170. *radit iter* (radit mare remis, ut alibi) *lævum*, a læva parte, *interior*, versus scopulum, ita ut Chimæra, qua Gyas invehitur, esset exterior, versus patentiora loca maris. Petita omnia a circo et cursu circensi. *priorem* Gyam, qui modo prior fuerat, et *metis relictis*, meta superata, superatis quas circumvectus erat, *tenet æquora*, mare liberum, quo jam cursum a meta versus littus repetere posset. In tota hac increpatione ante oculos Menelai objurgatio ap. Homer. l. c. Iliad. ψ, 420. sqq.

172—182 cf. Iliad. ψ, 385. sqq. *decoris sui*. Servius: *inhonestum enim est irasci*,

Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est
Jam senior, madidaque fluens in veste, Menœtes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri, et risere natantem,
*Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic læta extremis spes est adcensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina;
Parte prior; partim rostro premit æmula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Trojæ quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleæque sequacibus undis.
Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quamquam o! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti;
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo

duci præsertim; et *salutis sociorum*, sc. erepto gubernatore navis. *ad litora*, ad scopulum, qui pro meta erat. 178. *gravis*, gravatus adeoque tardus ad natandum, partim senio, partim aqua, quam vestis imbiberat (*fluens in veste* antique pro fluens veste, et hoc, pro veste fluente aqua, vel aqua fluente e veste) *vix tandem redditus est.* difficulter emergit, *salsos revomentem fluctus*, verbis Homericis Odyss. ε, 322. 323.

183—187 *extremis duobus* vid. sup. 154. sqq. Sergestus Centauro, magna navi, Mnestheus veloci Pristi invectus. 187. Sergesti Centaurum puta propius ad scopulum interiore adeoque breviore spatio (quod in re circensi sinistrum erat: unde h. l. ad navale certamen traductum vid. v. 116.), succedere, Pristin Mnesthei exteriore versus dextram decurrere. Cum tamen Pristis remigio valeret, Centaurum illa est assequuta, ita ut anteriore navis parte Centaurum æquaret, 187. et tantum non æquo cum illo cursu ferretur; inde etiam cursu Centaurum antevertere Sergestus in animum induxit.

188—197 Factam orationem pulcerrimam ad Homeri imitationem ubi Antiochus equos suos increpat, Iliad. ψ, 402. sqq. omnes observarunt intpp. *insurgite remis*, v. III. 560. *socii* navales, qui iidem heroicis temporibus remiges sunt et milites, *Hectorei* simpl. Trojani, *sorte suprema Trojæ*, excidio; haud dubie. 191. *nunc illas.* similis adhortatio Patrocli ad Ajaces facta Iliad. π, 556. sq. *Syrtibus* v. sup. I. 111. *Gætulas Syrtes* jam V. 51. dixerat. *Ionio in mari*, cum ex Creta solvissent, III. 192. sqq. tum etiam *Maleæ* in extrema Laconica promontorium, etsi paullo latiore flexu, circumvecti sunt. *sequacibus undis*, convenit fere ῥεῦμα πολύκλυστον. παλιῤῥόθιον. dum fluctus fluctum urget, quoniam in hac plaga paullo tumidius mare est. *Quamquam o*, utinam vincerem! 196. *rediisse*, ornate pro esse, et *nefas* magna cum vi, pro opprobrio.

Procumbunt: vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Adtulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque, furens animi, dum proram ad saxa suburguet
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo:
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussæ cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, inlisaque prora pependit.
Consurgunt nautæ, et magno clamore morantur;
Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At lætus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito conmota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeris neque conmovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Æquora, sic illam fert inpetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis, frustraque vocantem

198—200 cf. Iliad. ψ, 417. sq. *Procumbunt*, quod alias, incumbunt. *solum* h. l. mare. *Subtrahitur:* sulco facto: vide v. 142. 143. 199. 200. verba ex Iliad. π, 109. 110. sed ornatius. *ora* int. fauces.

201—209 Multum ἐναργέως in h. l. *honorem*, victoriam, ut anteverterent Centaurum. *interior* v. ad v. 187. spatio *iniquo*, angusto. cf. Stat. Theb. VI. 440. sq. *murex* Servius: *saxi acumen eminens per tranquillitatem* (hoc ex v. 127.). *illisa pependit* pro vulgari *illisa* est; sed suavius, quod sublimis et suspensa nutavit, libravit sese. cf. inf. X. 303. 304. Sumsit ab Virgilio hæc eadem Silius XVII. 281. sqq.

207—212 *morantur*, hærent; quippe dum navem retro agunt. *trudes*, contos. 211. *agmine remorum*, ornate, totis remis. 211. *ventis vocatis*, expansis velis. v. sup. III. 253. *prona maria*, in quibus cursus pronus ac celer sine impedimento fit; idem *apertum pelagus*.

213—217 κοίλην πίλεην Χηραμὸν Iliad. φ, 494. 495. At quanto ornatius! *exterrita tecto dat pennis plausum ingentem.* cum inde volatu abire parat. Bene Pompon. Sab. "cum incipit volare columba, dat ingentem strepitum: inde ita quieta volat, ut non videatur movere alas." *iter liquidum*, aërem, *radit* ut ψαύειν et ψαίρειν. v. c. ap. Æschyl. Prom. v. 394. Sic *verrere* æquor. Vulgarius *secare;* nisi alterum illud eam vim habet, ut quasi aëris aliqua superficie leviter tantum perstricta incessum denotet.

218—228 *ultima æquora* circa metam. *brevibus vadis*, propius ad scopulum. v. I. 111. 112. ubi *brevia et syrtes*. Mox *discen-*

Auxilia, et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimæram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus jamque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus æther.
Hi, proprium decus et partum, indignantur, honorem
Ni teneant: vitamque volunt pro laude pacisci.
Hos successus alit; possunt, quia posse videntur.
Et fors æquatis cepissent præmia rostris:
Ni, palmas ponto tendens utrasque, Cloanthus
Fudissetque preces, divosque in vota vocasset:
Di, quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo:
Et pater ipse manu magna Portunus euntem

tem est experientem, conantem. 224. *cedit* h. e. præteriri se sinit Chimæra. *in fine*, totius cursus, sub reditum ad littus. *sequentem*, Mnestheum qui insequitur Cloanthum, *urget*. 228. *studiis* h. l. proprie, ut in concessu ludorum circensium de favore spectantium. cf. Iliad. Ψ, v. 448. sqq. et 767. 768. *fragoribus* h. l. pro clamore et plausu.

229—231 *proprium decus* h. l. ut alias, pro parta jam et parata victoria. *indignantur, ni teneant*, doctior forma quam, *se non tenere, sibi eripi*. Sic al. al μή. *pacisci* exquisite pro, reddere, impendere; ex vulgariore formula: redimere famam sempiternam morte. 231. *possunt, quia posse videntur* ad fiduciam certantium referre malim; efficiunt id, quod facere student, seu in eo sunt, ut id efficiant; quoniam sibi videntur id efficere posse.

232—243 Lineas apud Hom. ductas vide. l. c. Iliad. φ, 769. sq. ubi Ulysses in cursus certamine similiter vota facit. *palmas utrasque* antique, pro *palmam utramque*. *divos in vota vocare* vi sane et sensu idem esse debet ac *deos votis vocare* h. e. invocare. sed dictum exquisite, ut *in partem prædamque vocare*, III. 222. et ap. Ovid. Fast. V. 527. *juratus vobis in verba vocatis*. Nam *votis* est idem ac vocare ad vota, ad ea, quæ voventur. 237. *voti reus*, uti Ecl. V. 80. *damnari votis*, quoniam *vota deberi, solvi*, dicuntur. *porricere* voc. sacrorum proprium. *liquentia* ornat, ut sæpe *liquidum* in *aqua, humor, fons*. 240. *Phorcum* (Φόρκυς; et Φόρκυς) Ponti et Terræ f. Nerei fratrem, posuisse videtur poëta, cum omnino deus marinus esset nominandus, cui subesset deorum marinorum ac Tritonum chorus et agmen. cf. inf. 823. 824. *Panopen* vel *Panopeam*, unam ex Nereidibus sigillatim posuit, forte tanquam ex præcipuis unam. ut sup. I. 144. *Cymothoen*. *Portumnum* bene memorat, tamquam Poëta Romanus, qui Græcis est Palæmon, olim Melicerta. Erat *Inous* Melicertes Ge. I. 437. Cum clave eum fuisse exhibitum legitur apud Festum. *Pater* commune deorum nomen, etiam qui juvenili ætate exhiberi solent, *ut Bacchus pater*. 241. *Impulit navem* ut

Inpulit. Illa noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in navis ternos optare juvencos
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit;
Intextusque puer frondosa regius Ida
Velocis jaculo cervos cursuque fatigat
Acer, anhelanti similis, quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequidquam ad sidera tendunt
Custodes; sævitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Lævibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.

sup. lib. I. 144. 145. in tempestate naves Trojanorum scopulis detrudebant Cymothoe et Triton. · Est autem Portunus inter deos σωτῆρας nautarum. *manu magna*, significanter in numine; et memorabilis effectio: *illa noto* citius—Ductum autem phantasma hoc ex Argonauticis, in quibus Argo eodem more scopulorum anfractibus expeditur in Planctis, v. c. Apollon. IV. 930. sq. *portu se condidit alto*, ornate pro, intravit.

244—248 *ex more*, certe ludorum gymnicorum. *advelat* ut exquisitior esset oratio pro *velat*, ἐπιπαλύπλω. *dat optare* cf. sup. I. 425. ut eligant ac dividant inter naves. *magnum talentum*, non comparative, quoniam majus et minus talentum fuit; nam hoc et serius et subtilius quam pro poëta; sed per se, quod multas minas intra se continet; ut *magnus annus*, *mensis* etc.

249—257 *Victor* primo loco Cloanthus; at v. 258. altero loco, Mnestheus, et v. 266. tertio, Gyas. Vestis auro intexta; ut VIII. 167.; igitur figuræ aureæ erant; prætexta limbo purpureo duplici, intexto; quem quandoquidem cinctu et ipso amictu rugatur vestis, et alia parte defluit, alia attollitur, ornatissime descripsit. *Melibœa purpura*, Meliboensis. *Velocis j. c. c. fatigat* h. e. venatur, non ad picturam spectant, sed tantum poëtice interposita sunt, cum in venatu raptus esset puer. *Armiger Jovis præpes* jungendum, suppletu, si placet, *ales*; de aquila: aut *quem præpes rapuit*, velociter. *tendentes palmas*, graviter ferentes ac deorum fidem implorantes. *custodes* v. inf. ad 546. *Sævit latratus in auras*, ornate.

258—265 Altero loco victor Mnestheus. *Lorica* pro præmio etiam in ludis Achillis occurrit l. c. ψ, 560. ut et lebes, v. 613. quem respexit noster. *hamis c. au. trilicem*, v. sup. III. 467. est ἁλυσιδωτὸς triplici annulorum serie. Ut trinis liciis, seu filis, texta vestis crassior ac spissior est ad corpus tuendum, sic trinis annulorum ordinibus constans thorax. 262. *decus et tutamen*, Hom. δῖον ἀνδρῶν ἀλεωήν. *in armis*, vel inter pugnam vel ejus armati. Sed illud præstat.

262 *donat habere*, δῶκεν ἄγειν l. c. Iliad.

Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris: indutus at olim
Demoleos cursu palantis Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas;
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
Jamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Quum sævo e scopulo multa vix arte revolsus,
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens,
Ærea quem obliquum rota transiit; aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator;
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus adtollens; pars volnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat;
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.
Sergestum Æneas promisso munere donat,
Servatam ob navem lætus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,
Cressa genus Pholoë, geminique sub ubere nati.

ϟ, 612. 613. 264. *multiplicem*, quod multis annulorum nexibus pondus magnum habebat. *Vix illam—indutus at olim*, In memoriam revocandum, heroibus et omnino priscis hominibus tribui molem corporis, robur, ac vires ultra communem hominum sortem: bene itaque h. l. duorum e vulgo hominum vires longe superabat unus Demoleos. *palantis agebat*, est Homericum κλονέων ὀχεμένους.

266 Gyas tertio loco præmium tulit. *aspera signis*, anaglypha, figuris eminentibus cælata.

268. 269 *puniceis tæniis*, atqui v. 110. *virides coronæ* ? et inf. 494. *viridi Mnestheus evinctus oliva*. At erant frondes punicea tænia religatæ; bene Serv. *significat lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus et discoloribus fasciis*. cf. Theoc. Idyll. II. 121. 122. Plin. XXI. 3. *ordine debilis uno* proprie esset uno remorum ordine e ternis sup. v. 119. 120. sed *ordo* h. l. latius de latere dictum est, et nave scopulo admota ab uno latere omnino remi detersi fuerant.

273—279 Ornatus locus, in quo poëta profecisse videtur e Lucretio III. 657. 663. *viæ agger*, proprie editior viæ pars, h. l. simpl. pro via. *gravis* est, qui gravem ictum infert; itaque melius jungitur *gravis ictu*, etsi *ictu* etiam ad *seminecem* referri potest: sed prius puto melius: vulgare erat, *gravi ictu*; et mox jungenda *saxo lacerum. dat tortus*, facit. *colla arduus adtollens*, αὐχέν' ἀνασχών Callimach. in fragm. *pars v. c.* pars vulnerata, obtrita ac fracta, moratur ac retinet, ne possit procedere, serpentem, *nexantem nodis*, nectentem se in nodos et replicantem se in orbes.

280—285 Quod Sergesto etsi inferiori munus dat, et quod servam dat ab Homero habet. Iliad. ϟ, 536. sqq. Quod autem Pho-

Hoc pius Æneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvæ: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, et præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani;
Nisus et Euryalus primi:
Euryalus forma insignis viridique juventa,
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius, simul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeææ sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii juvenes, Helymus Panopesque,
Adsueti silvis, comites senioris Acestæ;
Multi præterea, quos fama obscura recondit.
Æneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Adcipite hæc animis, lætasque advertite mentis.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnossia bina dabo levato lucida ferro
Spicula cælatamque argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit unus honos. Tres præmia primi
Adcipient, flavaque caput nectentur oliva:
Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis

loen Cretensem nominat, hoc ut poëta facit, a quo nihil indefinite ponendum. *ostia* h. l. portus. *promisso*, vulgare fuisset *sperato*. *operum haud ignara*, sæpe apud Hom. ἔργ' εἰδυῖαν de lanifico et textura.

286—290 Totum hoc cursus certamen ex Hom. adumbratum Iliad. ψ, 740. sqq. *misso certamine*, dimisso, finito: proprie dimissis certantibus. cf. inf. 545. *silvæ* in collibus —qui iidem *theatrum*; unde infra v. 340. *cavea*. *Circus* h. l. pro stadio. *se tulit et consessu exstructo resedit*. cf. sup. v. 44. *pretia* explicantur per *præmia*: res, quæ pretio habentur, et nunc pro præmiis apponuntur. *animos* eorum qui.

296 *amore pio pueri* omnis amor et amicitia pietatem continere videtur; et puer spectat ad teneram ætatem. *Tegeææ*. Georg. I. 18. *Pan erat Tegeæus*.

302—307 Ex Ennio comparat Macrob. VI. 1. *multei aliei adventant, paupertas quorum obscurat Nomina*. 303. Vulgare: in quorum medio. 305. ἀγέραστος Homericum. Mox *Gnossia* (sup. III. 115.) *spicula* v. sup. Ecl. X. 59. *bipennem* argenteo manubrio, signis cælatis, h. e. ornamentis exsculptis, ornato. Mox *unus* est hic idem et communis inter omnes honos.

310—314 *Amazonia* et *Threiciæ*, epitheta ornantia a præstantissimo genere, ut mos poëtis.

Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma;
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Conripiunt spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes; simul ultima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proxumus huic, longo sed proxumus intervallo,
Insequitur Salius: spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero: spatia et si plura supersint,
Transeat elabsus prior, ambiguumve relinquat.
Jamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant; levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix; cæsis ut forte juvencis
Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo; sed pronus in ipso
Concidit inmundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam sese obposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa jacuit revolutus arena.

Sed *Argolica galea* peculiare genus. cf. sup. II. 389. sq. Ex pharetra aptus balteus latus auratus *(v. lato auro)*, ad cujus oram fibula gemmata est, qua ille ex humeris suspendi potest: *et fibula tereti gemma, subnectit balteum*, nectit, oras colligat. v. sup. IV. 139. Omnia ornate ut et v. 315—317. h. e. curritur. cf. Iliad. ϕ, 753. *simul ultima signant*, notant, oculis animoque designant metam. 319. *fulminis alæ*, poëtica ratione: est tamen etiam in numis fulmen alatum.

325. 326 Expressa ex Iliad. ϕ, 764. 765. Diores ita cursu æquat Helymum ut uno tantum ille passu prævertat. Itaque Diores sic instat, ut immineat ejus humeris et vestigia premat, altero pede anteriore occupans ejus pedem citeriorem. Ita ad verbum calcem calce premit. Etsi nec hoc necesse. Est enim dictum exquisitius pro *pedem pede*. et, si plus spatii superesset, nec curriculi metæ jamjam adpropinquarent, nec curriculi meta jamjam adpropinquarent, aut illum cursu prævertisset, aut saltem æquasset. Hoc est *ambiguum relinquat* eum, h. e. ambigentem de cursus palma, vel de quo ambigerent alii.

327 sqq. *spatio extremo*, extrema stadii parte. *Finem* exquisitius pro meta dixit. *Lævi sanguine* pro solo lævi propter *sanguinem*. 330. sanguis superfusus madefecerat humum herbosam. *vestigia titubata*, audacius, ut a poëta, pro pedibus titubantibus. 334. *amores* male modo ad turpem modo ad

Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit, et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveæ consessum ingentis, et ora
Prima patrum, magnis Salius clamoribus inplet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimæque decoræ,
Gratior et pulcro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmæ, frustraque ad præmia venit
Ultima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Æneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam movet ordine nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Gætuli inmane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te labsorum miseret: quæ munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat, et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli,
Et clipeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.

magnum amorem trahunt. Nihil aliud est, quam poëtica ratio pro vulgari, amor sing. numero. 338. *Prima tenet*, τὰ πρῶτα, victoriam obtinet primo loco, amoris beneficio et studio. 339. *tertia palma*, tertio loco victor, ratione poëtica. *Palma*, ut *victoria*, et sæpe alia abstracta, pro victore.

340—347 *Caveam*, voce a theatro ducta, bene dixit locum θεατροειδῆ in valle inter colles: ut 288. sq. videramus. *ora prima patr.* et primo loco, ante alios, priores ordines, quibus seniores et honoratiores sedebant. *lacrimæque decoræ* pueri supplicantis, ne sibi victoriæ honos eriperetur. *veniens* simpl. pro, quæ est. *venire* poëtis pro esse.

345 Adjuvat Euryalum ejusque caussam, et clamat D., qui in victoriæ tertium nunc locum successerat, et, si Salius victor renuntiatur, iterum ea excidisset.

348—361 Delectat mite Æneæ ingenium, vel Euryali respectu. Præiverat et hic Homerus Iliad. ψ, 538. sqq. 349. ad verba cf. sup. I. 257. 258. 349. *palmam*, debitum cuique ordine suo præmium. Observa etiam copiam dictionis: *munera, præmia, palma, corona, honores, dona, promissa*. 356. *Ni me—fortuna tulisset*, me a primo præmio abstulisset, abduxisset, exquisitius quam vulgare: ni f. mihi eripuisset præmium pro *laude* h. e. virtute in cursu. 359. clipeus ab artifice,

Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus, animusque in pectore præsens,
Adsit, et evinctis adtollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque juvencum;
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra;
Idemque ad tumulum, quo maxumus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prœlia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cestus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Æneæ stetit ante pedes; nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ,

qui fecit, commendatur, et a loco, quo fuerat suspensus, in Neptuni templo pro donario, et quod e manubiis erat.

362—484 Etiam apud πυγμαχία fit Iliad. ψ, 561—699. Certavit cum poëtarum patre Virgilius etiam in singulis, modo varietate modo ornatu. Poëtæ studium in oratione varianda cognosce etiam in illo quod dicere noluit *confecti cursus, et dona peracta.* 363. *animus præsens* proprie in discrimine, qui sine perturbatione, quomodo periculo occurrat, aut hostem sustineat, videt. Debet igitur mox omnino dictus esse pro fortis, ut h. l. adsit is et cestu pugnet: at quam ornate! *evinctis palmis*, cestu, *adtollat*, ut ἀείρειν voc. propr. hac in re. *velatum*, ornatum. *auro vittisque*, seu vitta lamellis aureis distincta; seu ut cornua aurata sint; vittis cervici impositis, ritu religioso.

370 Paris, vulgo pro imbelli, ignavo, et mulieroso homine haberi solitus, nec apud Homerum omni virtute caret, ut Iliad. γ, in certamine cum Menelao, ν, 765. sqq. λ, 580. a poëtis tamen post Homerum multo majore virtute insignitus est; in prœliis enim post Hectoris fatum frequens ejus est memoria. Certaminibus autem inclitus factus est, vel ex eo, quod, inter pastores nutritus cum esset, certamine a Priamo instituto agnitus est, dum *omnia vicit*, κατὰ πάντα ἄθλα, ut est ap. Hygin. fab. 91. At Buten suaviter ab Amyco e Bebrycum gente deduxit, qui Pollucem provocaverat, cum is ad Bithyniæ littus accessisset.

373 Butes ex Bebrycia, quæ erat *gens Amyci*, id est, sub regno A., venerat Trojam. *ferebat se*, incedebat, veniebat, ut I. 503. IV. 11. Ap. Hom. Iliad. ψ, 679. 680. Euryali virtus simili modo commendatur atque hic Daretis. v. 375—377. stolide ferox homo egregie ante oculos nostros constitutus, ut nec minus in oratione quæ sequitur. 380. *cunctos excedere palma*, pugilatu superior omnibus esse, cum nemo ad congressum prodeat.

Quæ finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona jube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa jubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proxumus ut viridante toro consederat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille, magister
Nequidquam memoratus, Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub hæc: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque inprobus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa juventas:
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Venissem; nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos inmani pondere cestus
Projecit; quibus acer Eryx in prœlia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnis stupet ipse Dares, longeque recusat;
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum inmensa volumina versat.

387 sqq. *Acestes graviter* castigat. Ita malim. Nec male tamen *gravis* omnino, quoniam senex erat, quippe senes ætate et auctoritate graves habentur. 389. frustra fortissime olim inter heroës, sc. quandoquidem nunc iners desides, ut II. 348. 349. *Juvenes fortissima frustra pectora.* 391. 392. gravissima objurgatio: *magister E.* h. e. gloria hæc, quod Erycem heroëm (sed majus, *deus ille*) magistrum pugilatus habuisti. Erycis autem nomen fuit magnum pugilatu, quippe quo Herculem adeo provocavit v. 412. sqq.

394—399 Talis excusatio frequens in Homero, imprimis Nestoris. v. Il. ν, 132. sqq. et Laertæ Odyss. ω, 375. sq., sed ornatu et orationis vi Virgilius superior. cf. inf. lib. VIII. 560. sqq. Quod autem cum verbis grandes illos, quibus olim usus erat, cestus in medium projicit, magno poëta dignum est. 399. Venissem equidem, haud inductus pr. h. vel nulla præmii ratione habita. *Nec dona moror*, præmium non curo.

403 *ferre manum in p.* exquisite pro manus conserere; et *intendere br. t.* pro inducere cestum. 404. Nam cestus facti erant e corio septem magnorum boum, insuto plumbo ferroque. Res vero ad miraculum fere aucta in his Erycis cestibus.

406—408 *longeque*, valde, ut Serv. Scilicet in *recusat* latet notio τῶν *refugit*. *vinclorum vol.* int. lora, quibus cestus circa brachium religaretur.

Tum senior talis referebat pectore voces:
Quid, si quis cestus ipsius et Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc fractoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus:
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dareą hæc Troïus arma recusat,
Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes:
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solve metus; et tu Trojanos exue cestus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque,
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cestus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo adrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu;
Inmiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt,
Ille pedum melior motu, fretusque juventa;
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter se volnera jactant,

410—419 *arma* non possunt esse alia quam ipse cestus. Sic mox v. 424. 425. Nec Hercules aliter, quam pugilatu, cum Eryce pugnavit, vel numis testibus. 412. *germanus* Æneæ, eadem saltem matre genitus quippe Veneris ex Buta (sed alio quam is de quo v. 372.) filius. 413. Etiam hic versus nostris sensibus fastidium faciat necesse est. 415. *æmula* intellige, quomodo alias poëtis *invida*, senectus nondum *canebat sparsa t. g.* nondum cani erant sparsi per tempora. Ornatissime. 418. *sedet* ut sup. II. 660. *Si sedet hoc animo. auctor Acestes*, suasor, qui primus me ad hanc pugnam excitavit. *æquemus pugnas*, certamen, et nunc quidem arma, cestus. *remitto*, cedo ac renuntio cestibus Erycis. sic et alias v. c. XI. 359. *Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.*

421—423 Manifesta imitatio loci nobilissimi Odyss. σ, 65—74. Versus 422. ex Ennianis fluxit ap. Macrob. VI. 1. *duplicem*, Homer. διπλῆν, duplicato panno.

429 sqq. *pugnam lacessunt* pro ineunt, exquisite, proprie *lacessere aliquem pugna, ad pugnam*, h. l. præludendo. *inmiscent m. m.* pro conserunt manus. *pedum melior motu:* Sunt enim haud dubie etiam pedum partes in pugilatu, evitandis ictibus. 433. *vulnera* pro vulgari, *ictus*; hos per partes enumerat. cf. Apollon. II. 82. sq. Aures

Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus; erratque auris et tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub volnere malæ.
Stat gravis Entellus, nisuque inmotus eodem
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum; et variis adsultibus inritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elabsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit; et ultro,
Ipse gravis, graviterque, ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor cœlo, primusque adcurrit Acestes,
Æquævumque ab humo miserans adtollit amicum.
At, non tardatus casu neque territus, heros
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit vires, et conscia virtus;
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto;
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant: sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.

pugilum fractæ ac tumidæ ex hoc ipso, quod aures petuntur ictibus pugilum, notæ nunc sunt ex Winckelmanni observatione super κατεαγὼς τὰ ὦτα.

437. 438 *gravis* ætate et mole corporis. Nam alter contra agilior corpore. *tela exit*, pro vulgari, ictus cavet, declinat, evitat, eludit. Vocabulum in re gladiatoria proprium.

In vss. 439—442. splendida comparatio a re multo majore et graviore: oppugnatione urbis vel castelli. *molibus*, machinis.

444 *a vertice* desuper, v. ad II. Georg. 310. *elabsus cessit*, elabitur: quod sup. *exit*. *gravis*, *graviter*, ut Homericum: μέγας μεγαλωστί. 448. 449. Comparationem ap. Hom. obviam. Il. ν, 178. sqq. ξ, 414. sqq. ornavit nobilium Arcadiæ et Troadis montium nominibus; quæ et ipsa rebus dignitatem adjiciendi ars est.

450 sqq. Similiter Iliad. ψ, 694. sq. Sed reliqua, quod novas vires Entellus sumit, de suo Virgilius addidisse videtur. *studiis*, præ studio; per studium ac favorem, qualis spectantium in ludis est. 455. *conscia virtus*, in prosa, virtutis conscientia.

Tum pater Æneas procedere longius iras,
Et sævire animis Entellum haud passus acerbis,
Sed finem inposuit pugnæ, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis; ac talia fatur:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede deo. Dixitque, et prœlia voce diremit.
Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem, mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad navis; galeamque ensemque vocati
Adcipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis, tauroque superbus:
Nate dea, vosque, hæc inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quæ fuerint juvenali in corpore vires,
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci,
Qui donum adstabat pugnæ; durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cestus
Arduus, effractoque inlisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super talis effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo: hic victor cestus artemque repono.
Protenus Æneas celeri certare sagitta
Invitat, qui forte velint, et præmia ponit;
Ingentique manu malum de nave Seresti

461 Æneas idem facit, quod Achill. Il. ψ, 734. 465. sq. *infelix, ἃ δαιμόνι. vires alias*, simpl. quam putaveras hujus hominis esse, h. e. tuis majores. *conversa numina*, quod frequentius: aversum numen, proprie fortunam certaminis mutatam.

471 *vocati* non vacare putandum. Servius: *Bene eorum ostendit pudorem, vel quia erant occupati circa amicum.* Saltem prius admittere licet; non sponte, avidos, acres, accurrere puta, sed verecunde ac timide, nec nisi hortatu facto, ut tollerent. Forte tamen argutum magis hoc, quam verum: Cœtu facto a præcone pronuntiatur victor et præmia tribuuntur. Sic sup. 244. sq. Itaque vocati victores præmia ferunt.

473—484 Novum hoc Entelli facinus et præter opinionem, adeoque jucundum cognitu. 476. Quæ mors destinata Dareti fuerit: ornate; sed multo magis ea quæ sequuntur. 480. *illisit cestum*, seu manum cestu munitam, ossibus. 483. *meliorem a.* aptiorem. Ductum ab hostia succedanea. 484. *hic victor— repono*: a noto more, v. c. Horat. III. Od. 26.

487 *manu*, h. l. magna multitudine. Nisi

Erigit; et volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque ærea sortem
Adcepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnis exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam, jussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsidit Acestes;
Ausus et ipse manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per cœlum nervo stridente sagitta
Hyrtacidæ juvenis volucris diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto:
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jamdudum arcu contenta parato

placet accipere dictum, ut *magna manu*, de heroibus ac fortibus viris. *trajecto in fune*, funis trajicitur, transverse circumplicatur columbæ. 490. ex Il. ψ, 861. sed ornate. *primus locus* eleganter pro prima sorte, et acclamatio faventium, *clamor secundus*, et *exit* sors ἐξίθοος, ἐξέρουσι. 493. *victor*, secundo loco. sup. 258. Quod *evinctus* comas *oliva* est Mnestheus, ad eandem victoriam spectat. 496. *Pandare*, Iliad. δ, 104. *confundere fœdus*, turbare, vocab. propr. συγχέειν, ut ipse Hom. l. c. v. 269. ἐπεὶ σύν γ' ὄρκι' ἔχευαν. *telum torsisti*. Pandarus emissa sagitta Menelaum vulneravit. 499. *manu*, sagitta manu emissa: quandoquidem manus pro ipsa opera et opere manuum dicitur.

500—506 *Pro se quisque*, καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος, h. e. εἰς δύναμιν. Sic Iliad. α, 272. καὶ μαχέμην κατ' ἴμ' αὐτόν. 505. *timuit* alis, h. e. plausit, trepidavit præ metu. Dictum adeo, ut, *increpare verbere*, *oljurgare trachio*, *flagris*. Tenuius dictum fuisset, *tremuit* pennis. 506. totus locus resonuit *ingenti plausu*, alarum columbæ debet intelligi. Tenuius esset, si de plausu populi accipere mallés.

507—519 *acer* est epitheton ornans a virtute omnino petitum. cf. sup. I. 14. et 99.

Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Jam vacuo lætam cœlo speculatus; et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Ætheriis, fixamque refert delabsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes:
Qui tamen aërias telum contendit in auras,
Ostentans artemque pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum objicitur magnoque futurum
Augurio monstrum: docuit post exitus ingens;
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuisque recessit
Consumta in ventos: cœlo ceu sæpe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis hæsere animis, superosque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maxumus omen
Abnuit Æneas; sed lætum amplexus Acesten

miserandus σχέτλιος. *nodos et vinc.* v. Il. ψ, 865. sq. 512. Ἡ μὲν ἔπειτ' ἤϊξε πρὸς οὐρανὸν, *fugit in notos et nubila*, h. e. in nubes et cœlum evolavit; mox 517. idem: *in astris ætheriis* ornatius: Et v. 525. *liquidis in nubibus*, h. e. aëre. 513. *rapidus*, Hom. l. c. v. 870. Σπερχόμενος. rapide, confestim. v. sup. ad v. 234.; fratrem Pandarum *tamquam heroëm*, invocasse puta; quod gravius est, quam si ejus recordatione animum confirmasset, aut *ejus Manes* invocasset, ut sibi propitii essent.

519—531 Acestes artem suam in eo declarat, quod longissime in altum evolat sagitta. *arcumque s.* h. e. arcus tractandi peritiam. *monstrum magno augurio futurum.* Non primo statim obtutu occurrit, quid tandem *monstrum* hoc, mirus hic casus protendere debuerit; et *docuit* tamen mox *exitus*; rem igitur *quæ vere evenit*, ante oculos habuit poëta. Spectavit haud dubie poëta ad bella Romanorum cum Siculis. In Sicilia Romani bello a Carthaginiensibus et Siculis, inprimis Syracusanis, fuere petiti; sed horum opes consumtæ bello acceptis cladibus, ut nunc sagitta igni. Acestes, quippe qui urbem Siciliæ, Segestam, teneret, fata Siciliæ nunc augurio denuntiare recte potest. Quod sagitta exardescit, haud dubie melius ad portentum poëta retulit, quam ex hyperbolica celeritatis designatione repetiit; ut factum est in glande plumbea inf. IX. 588. motus celeritate liquefacta. Portentum autem *ignis aërii* simile illi quod II. 693. 694. ubi v. Not. 524. *Seraque t.* quia antecedit: *docuit mox exitus ingens*, necesse est ad tempora non illa, quibus ostentum oblatum est, sed quibus eventum habuit, spectare. *Cecinerunt* est h. l. interpretati sunt. *sero*, cum res ipsæ evenirent, ut eas jam olim illo ostento monstratas esse dicerent. Est ergo: etiam vates, etsi serius et jam post eventum, quem res habuit, casum ita interpretati sunt. *Exitus ingens* præclare de evento magno ac mirabili. 527. 528. *stellæ cadentes* vulgo dictæ, cum noctu tum interdiu occurrere solitæ. *refixa*, decidua, nam alias stellæ dicuntur *fixæ* esse. 530. *nec m. omen Abnuit Æneas*; igitur accipit tamquam lætum? certe quod ille putabat; nam claritatem nominis, famam et laudem, omnino fortunam insignem, augurabatur ignis in aëre exardescens.

531—540 Imitatur Hom. Il. ψ, 616. sqq. ubi Nestor simili modo præmium extra ordi-

Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater: nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honores.
Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habebis,
Cratera inpressum signis, quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnis victorem adpellat Acesten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori;
Quamvis solus avem cælo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque inpubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, et, Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos jubet esse patentis.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.

nem fert. Ad *cratera* saltem cf. craterem Sidonium Od. 1, 115. *impressum signis*, anaglyphum signis expressis in argento vel ære. 537. *Cisseus*, Thracum rex, cujus filia Hecuba. cf. inf. X. 705. De eodem Homerus Iliad. λ, 223.

541—544 *prælato honori*, h. e. honori, quem alter ipsi prætulerat, præripuerat. *bonus* cum dilectu h. l. positum ut ἐσθλός, εὐγνώμων. *Proximus donis* (ut *proximus laude*) *ingreditur* (pro est), h. e. qui proximo loco præmio donatur, Mnestheus. Omnino est, quod sup. 268. 269. *omnes donati ibant*. *Extremus* Hyrtacides.

545—547 *certamine misso*, ut ἀγὼν, pro certantium ac spectantium turba dimissa. *Custodem comitemque*, infra v. 652. *magistros*, ex suo ævo adscivit Virgilius, quo nobilibus juvenibus addebantur tales magistri vel custodes. Horatio *reges*, ut I. Od. 36. 8. *avo*, in ludis in Anchisæ honorem habitis. 551. *circo* de spatio et loco, in quo decursus equester fit, ut sup. 289. de stadio.

554—556 Ornatum verborum vide in *lucent*, pro vehuntur, et *mirata fremit* pro miratur, et sic porro in aliis; ut infra: *fulgent*, *vagantur* etc. *tonsa coma pressa corona*, coronati, et quidem, ut inf. v. 673. intelligitur, corona super galeam imposita. Coma tamen vel sic *a corona* (non a gales) *pressa* dici potuit, quatenus hæc caput ambiebat. *tonsa corona*, h. e. ex arbore tonsa, cui frondes de-

Cornea bina ferunt præfixo hastilia ferro;
Pars levis humero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tris equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini;
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnis pulcher, Iulus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ; veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem læti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis: signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agminà terni

cerptæ: ut inf. *tonsa oliva. in morem* ex more hujus ludicri. 558. 559. Ornate pro, torquem collo gestabant aureum. cf. inf. X. 137. 138. *auri obtorti*, torti; ut στρεπτός.

560—574 Pueri fuere omnino XXXVI, cum trinis ductoribus in tres turmas descripti: unaquæque turma XII capitum. Sed ornavit poëta locum egregie eorum, qui turmas ducebant, nominibus et equis declarandis. *magistris* v. sup. 546. Forte ad turmas *majorum puerorum* respexit. Parvus hic Priamus Politæ filius, Priami regis nepos. De Polite cf. sup. II. 526. sq. *auctura Italos.* Servius: *Polites de quo Cato in Originibus dicit, quod ad Italiam venerit, et segregatus ab Æneа condiderit oppidum* Politorium *a suo nomine. albas maculas* mox in aliqua præcipua parte declarari puta, in pedibus, quos poëtica ratione, *primi vestigia pedis*, dixit, et in fronte. 568. Atiam gentem memoravit propter Atiam, Augusti matrem. *Latini* simpl. pro Romanis, ut sæpe. Neque illa temere adjecta: *pueroque puer dilectus Iulo:* ut jam tum concordiæ inter Atiam et Juliam gentem, tamquam prima semina jacta sint. 571. *Sidonium equum* dicere potuit etiam qui ex Africa esset. 572. *esse* e Græcismo abundat: δῶκα ξανθὸν εἶναι.

575 *pavidos*, Servius: gloriæ cupiditate sollicitos, ut Ge. III. 106. *Corda pavor pulsans.* Nec tamen injucunda res, si puerilis ætatis ingenuam verecundiam exprimi putes. Mox eos cogita longo ordine incedentes campum in orbem obiisse.

580 sq. Hunc locum cum subjuncta comparatione e pulcerrimis esse puto vivida ad

Diductis solvere choris, rursusque vocati
Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes
Inpediunt, pugnæque cient simulacra sub armis;
Et nunc terga fuga nudant; nunc spicula vertunt
Infensi; facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et inremeabilis error.
Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Inpediunt, texuntque fugas et prœlia ludo,
Delphinum similes: qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant,* luduntque per undas*.
Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes.
Albani docuere suos; hinc maxuma porro
Adcepit Roma, et patrium servavit honorem;
Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.

sensum repræsentatione rei ad eloquium difficilis. *pares* loco, ordine eodem. *terni* tamen, h. e. ternis diversis turmis, quas *choros* appellat, discedunt, aut terni quique incesserunt, ita ut duodecim essent catervæ, trium unaquæque puerorum. mox iterum coëunt, *vocati*, a ducibus. *infesta tela tulere*, ut alias *ferre signa infesta*, inferre vel tenere, habere, gerere. 584. *Adversis spatiis*, h. e. quibus ipsi adversi h. e. obvii invicem sibi facti iterum deflectunt se et in novos gyros discurrunt. *alternis orbibus orbes Impediunt* præclare, cum variis flexibus subeunt se invicem saltantium ordines, seque miscent et implicant. v. 585. *sub armis*, ut sæpe apud poëtam pro, *armati*.

588—591 *Creta in alta*, propter Idam et alios montes; quanquam et omnis insula *alta* est, quippe mari altior. *Parietibus cæcis* h. l. qui visum ac prospectum intercipiunt, ut totum iter, qua pateat, æstimare nequeas. Ovid. in loco cum hoc comparando VIII. Met. 158. sqq. *cæca tecta* dixit. *dolum* h. e. iter dolosum, fallens. *signa sequendi*, procedendi, ut poëtis ἴχνεσθαι, *sequi*, pro *ire*, h. e. notas viæ et itineris, qua erat incedendum rediturо.

592—595 *vestigia impediunt*, cursus flexus implicant. *per maria humida* (ἰγρὰ κέλευθα θαλάσσης ap. Homer. huc vocat Serv.) *nando Carpathium Libycumque secant luduntque per undas*, videtur aliquid otiosi esse in hac verborum copia; etsi bene video marium denominatione rei dignitatem increscere. vid. Ovid. III. Met. 685.

596—603 *Hunc morem—Retulit*, innovavit, repetivit. *priscos Latinos* h. l. ut *antiqua Italia*, et sic *Latium antiquum* inf. VII. 38. 598. *docuit celebrare eo modo, quo* ipse celebraverat. 601. *honorem*, ludum ab origine sua in Anchisæ honorem institutum. 602. Pro vulgari, quod ex Suetonio de puerorum lusibus

Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis:
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam;
At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctæque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis,
Et tantum superesse maris! vox omnibus una.
Urbem orant; tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Conjicit, et faciemque deæ vestemque reponit:
Fit Beroë, Tmarii conjunx longæva Dorycli;
Cui genus, et quondam nomen, natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miseræ, quas non manus, inquit, Achaica bello

Servius laudat: *Lusus ipse, quem vulgo Pyrrhicham appellant, Troja vocatur*, poëta dixisse videtur exquisitius: et nunc honor ille, seu ludicrum, *Troja*, *agmen* autem *Trojanum* appellantur pueri.

604 sqq. Novum avertendi Trojanos ab Italia consilium Junonis, incensis navibus; ad ductum historiæ etiam hoc, etsi variis modis fuit narratum. Sed poëtam decebat hæc ad deæ Trojanis infestæ machinationes referre. Quod Iridis ministerio utitur Juno, Homeri exemplo fit. v. sup. ad IV. 694. ap. eundem Il. ψ, 198. sq. ad Ventos ea mittitur, ut Patrocli rogum illi flamma involvant. Junoni autem ministra Iris data est more solenni non Mercurius. Transitum a lætis ad tristia, adeoque delectationem ex rerum varietate facile unusquisque observet.

604—610 *mutata novavit*, pro mutavit, ornate. Fortunæ autem *perfidia* ac *fides* proprio aliquo modo tribuitur, quatenus fallit spem vel sustentat constantia aut levitate sua. *ventos adspirat eunti*, præclare pro, volantem incitat, properare facit; quod optime fit vento secundo alis immisso. Ad Mercurium Jupiter sup. IV. 223. *Vade age, nate, voca Zephyros et labere pennis.* Sunt autem modi volatum declarandi varii apud poëtas. *multa movens*: sup. III. 34. *multa movens animo*, volvens; machinata. cf. X. 890. Porro *necdum a. s. dolorem.* Erant sup. I. 25. sq. expositæ causæ; et hinc I. 4. *memorem Junonis ob iram* erat dictum. *cito tramite*, exquisitius quam cursu, volatu.

611—617 *Concursum* vide sup. 106. 107. *desertos portus* vide sup. 286. 287. Quod ludis non interunt mulieres, sed solitario in littore desident, ex antiqua decori ratione et moris severitate fit, quam tamen inter Græcos quoque serior usus temperavit. Sed et illæ *Anchisen flebant*, inferiis igitur adhuc operantes. cf. inf. 652. Bene ad miserationem: *Pontum adspectabant flentes*; et quod statim querelas subjungit. 617. *Urbem*, simpl. sedem.

618—622 *vestem*, versicolorem, qualis alias Iridi tribuitur. Attamen sup. de Ve-

Traxerit ad letum patriæ sub mœnibus! o gens
Infelix! cui te exitio Fortuna reservat?
Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas:
Cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa
Sideraque emensæ ferimur; dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
Quid prohibet muros jacere, et dare civibus urbem?
O patria, et rapti nequidquam ex hoste Penates,
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnis, Xanthum et Simoënta, videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentis dare visa faces. Hic quærite Trojam;
Hic domus est, inquit, vobis. Jam tempus, agi res;
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor aræ
Neptuno. Deus ipse faces animumque ministrat.
Hæc memorans, prima infensum vi conripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et jacit. Adrectæ mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quæ maxuma natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc Rhœteïa, matres,
Est Dorycli conjunx. Divini signa decoris,

nere quoque I. 404. *pedes vestis defluxit ad imos Et vera incessu patuit dea:* ut adeo etiam, tamquam ex deabus una, suam pallam haberet. Iris *fit Beroë*, ut Laodice apud Hom. 6t, Iliad. γ, 121. *Cui* sive ad Dorychum sive ad Beroën referas parum interest. Vix tamen feminæ *nomen* tribui potuit. Præstat ergo ad maritum referre. *genus*, nobilitas. *fuissent* pro *cui fuerant*.

623—640 Artem agnosce, quod miseratione animis se insinuat, antequam ad consilium suum proferendum descendit. In v. 623. sententia fere qualis sup. I. 94. sq. et III. 321. 628. *Sidera* aut tempestates ait, quæ ortu vel occasu siderum sæpe nascuntur, aut provincias, quæ sideribus subjacent. *saxa*, h. e. littora saxosa. Porro *emensæ ferimur*, plenius quam emensæ sumus. Mox *mare magnum* simpl. vastum, immensum, nil amplius. *volvimur undis*, graviter pro, navigamus. 630. v. sup. ad v. 24. *jacere muros*, exquisite pro ponere, ducere; ut vulgo *fundamenta jaci* dicuntur. 634. *Hectoreos amnes*, exquisitius quam, Trojanos, ut et alias. Ad sensum versus cf. lib. III. 349. sqq. scilicet, non continget, ut nova Troja alicubi nobis condatur? 635. Somnium hoc præclarum et consilio accommodatum poëtæ commentum. 639. *tantis prodigiis*, rei per somnum tam manifeste monstratæ. *aræ Neptuno*. Ante ludos funebres commissos sacra debent esse facta Neptuno, unde aris adhuc titiones ardentes suppetebant; dicas quorsum? forte ad placandum deum et secundam navigationem expetendam.

641—643 Ornata oratio, utpote in re, quæ mirationem facere debet. Est autem ea caussa poëtæ cur ornet, si phantasma aliquod in mentem alte descendere vult. *connixa coruscat et jacit* pro jacit simpl. Fert autem

Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui voltus, vocisve sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres primo, ancipites, oculisque malignis
Ambiguæ, spectare ratis, miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna:
Quum dea se paribus per cœlum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero adtonitæ monstris, actæque furore,
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Conjiciunt. Furit inmissis Volcanus habenis
Transtra per et remos et pictas abiete puppis.
Nuntius Anchisæ ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert navis Eumelus; et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut lætus equestris
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra; nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,

ita res, ut, dum vibras titionem, motu ipso flamma vires sumat. 647. sq. Servius ad h. l. *Non est dissuasio, ut quidam putant*, (scil. ne credant feminæ hanc esse Beroen neque ei fidem habeant) *sed magis hortatur persuadendo, numinis auctoritate. spiritus* ad dignitatem spectat: h. Spiritus altus, magnus; sensus, adeoque gestus, et oris species, majestatem habens et numen. 651. *tali munere*, sacrificio et inferiarum cærimoniis tam sollennibus; ut ipse poëta interpretatur: *nec meritos Anchisæ inferret* (voc. proprio) *honores*, inferias.

654—658 *oculis malignis*, h. l. simpl. torvis, transversis, quales alias maligni animi signum esse solent. *fatis vocantia regna*, ut *fata vocant*, *terræ vocant* sup. I. 610.; ita nunc exquisitius *regna vocant fatis*, oraculis, vel ex fatorum ordine. *paribus*, pariter libratis, *alis*, v. sup. IV. 252. cf. Iliad. ε, 778. *secuit arcum*, secando aërem fecit arcum, aut, quod malim, ductum ex τέμνειν ὁδὸν, Σάλασσαν, ἀέρα, petitum ab agrorum sulcis; ut sit, *incessit per arcum*. Nam per arcum, tamquam tramitem, evolare debuit. cf. sup. 609. 610.

659—663 *focis penetralibus*, focos penetrales dixit, qui in penetralibus (locis seu sacrariis) sunt; recte Donatus: ex interioribus partibus (domorum proximarum) incendia rapiebant.

662 Præiverat Lucret. V. 784. 785. *Arboribusque datum est crescendi magnum inmissis certamen habenis*. (ex) *abiete puppes*, (ἐξ ἐλάτης pro τῆς; ἐλάτιναι), *pictæ*, vel colore inductæ, ut ap. Homer. μιλτοπάρηοι vel propter pictam tutelam in puppi aut parasemon in prora pictum.

664—669 *cuneos theatri*: locum consessus; v. sup. 287. sqq.

667 Ascanius, ut erat, cursum ad navale convertit. *turbata castra*, classem, v. sup. III.

Heu miseræ cives? non hostem, inimicaque castra
Argivum; vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes projecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Adcelerat simul Æneas, simul agmina Teucrum.
Ast illæ diversa metu per litora passim
Diffugiunt; silvasque, et sicubi concava furtim
Saxa, petunt. Piget incepti, lucisque; suosque
Mutatæ adgnoscunt, excussaque pectore Juno est.
Sed non idcirco flammæ atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:
Juppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Trojanos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos, da flammam evadere classi
Nunc, Pater, et tenuis Teucrum res eripe leto.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, quum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit æthere toto
Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris;

519. *magistri* 546. 562. Ascanio autem egregie aliquæ partes hac in re tribuuntur, cum ex personæ dignitate tum ex ætatis alacritate. Mox 674. *belli simulacra ciebat* Lucretianum est, ex II. 42.

676—679 *diversa litora*, diversas littoris partes, ut toties alibi. *excussa p. Juno*, præclare, furor a Junone injectus; ut *deus pectore accipi* dicitur.

680—684 Ornati versus. *vires indomitas* ex Homerico ἀκάματον πῦρ. *udo sub robore*, sub materia desuper aquis injectis irrigata, *vivit* (pulchre pro durat, ignem alit) *stuppa*, qua coassatorum tignorum junctura stipatæ sunt. *vapor* pro flamma et igne, ut ἀϋτμὴ apud Hom. 685. Æneam reprehendebat vir doctus, quod ad preces otiosas confugit, cum auxilium navibus ferre deberet. Non meminerat v. 684. *Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.* Præstruendum nunc erat prodigium et caussa idonea apponenda, cur imber effusus incendia extingueret.

688 *pietas* h. l. miseratio, qua miserias humanas numen respicit. Mox *letum* docte pro excidio et interitu.

691. 692 aut me fulmine feri: scil. ne exitium hoc adspiciam.

693—699 *sine more*, immodice. Mihi videtur ita reddidisse poëta obvium illud ap. Aratum aliosque: ὁ κατὰ μόρον. h. e. διὰ-

Inplenturque super puppes: semiusta madescunt
Robora. Restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quatuor amissis, servatæ a peste carinæ.
At pater Æneas, casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
Mutabat versans: Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,
Hæc responsa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deum, vel quæ fatorum posceret ordo.
Isque his Æneam solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur.
Quidquid erit; superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinæ stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium, et conjunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertæsum magni incepti rerumque tuarum est;
Longævosque senes, ac fessas æquore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige; et his habeant terris, sine, mœnia fessi:
Urbem adpellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici.

τρως. At Servius: *sine exemplo* interpretatur, quem fere sequuntur alii. Mox *densis austris* pro nimbis, quos austri agunt: hoc imbre *desuper* implentur naves.

701. 702 Homericum διάνδιχα μερμήριξε. Mox *capesseret* de consilio ac conatu.

704—708 Magni poëtæ vim et indolem agnosce in hoc, quod rem, quam factam alius nude sine auctoritate et apparatione exposuisset, a consilio prudentis alicujus amici proficisci et ab Anchisæ umbra per somnum oblata Æneæ approbari facit; multo vero magis in eo, quod Nautæ persona utitur, cujus nomen non obscurum inter eos Trojanos fuit, a quibus Romanæ gentes originem repetebant. Fuit enim Nautia gens, apud quam Palladii cura remanserat, ortum ducens a Naute, vel Nautio, qui Minervæ Poliadis sacerdos Palladium secum Troja absportasse narrabatur. Hinc *Pallas* Nauten h. l. *docuit*, ut sæpe ap. Homerum a diis artes edocti inducuntur. *unum*, quod plenius effertur: quem unum omnium maxime Pallas docuit. Igitur hic Nautes *responsa hæc dabat* quæ mox exponit: *Nate dea*. Respondit autem et interpretando vaticinatus est ea, quæ vel ira deum portenderet, vel fatorum ordo poscerent, ostento hoc incensarum navium. Aut *hæc* est Pallas, quæ Nautæ subjicere solebat ea, quæ is vaticinaretur.

710—718 *superanda omnis fortuna ferendo* plenius quam *ferenda est o. f. divinæ stirpis*, nam Dardanus ex Jove natus et Electra Atlantis f. cf. sup. III. Excurs. VI. seu, quod forte præstat, quia mater eum ex Crimiso flumine susceperat. 713. *superant qui amissis navibus* sunt quatuor crematarum navium copiæ. 718. *Acesta*, nota urbs Ægesta et Ægesta, vulgo Segesta: quam poëta nunc ab Æneæ comitibus, quos in Sicilia

Tum vero in curas animum diducitur omnis:
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat.
Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis
Anchisæ subito talis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis;
Imperio Jovis huc venio: qui classibus ignem
Depulit, et cœlo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quæ nunc pulcerrima Nautes
Dat senior: lectos juvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas adcede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent, tristes umbræ; sed amœna piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quæ dentur mœnia, disces.
Jamque vale. Torquet medios Nox humida cursus;
Et me sævus equis Oriens adflavit anhelis.
Dixerat: et tenuis fugit, ceu fumus, in auras.
Æneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Hæc memorans cinerem et sopitos suscitat ignis;
Pergameumque Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.

reliquerat, in eam conscriptis, conditam narrat; v. mox v. 755. sq.; nomine tamen non ab Æneæ, sed ab Aceste, imposito. 721. Poëtis Nox iter per cælum faciens media nocte culmen cæli tenet: ut sol medio die.

722—730 Quod non nisi Anchisæ auctoritate inclinatur ad Nautæ sussionem amplectendam, id toti consilio condendæ coloniæ Trojanæ auctoritatem ac dignitatem magnam conciliat. *facies* est εἴδωλον, simulacrum. *cœlo delapsa*, ad sensum nostrum, de iis, quæ subito apparent; nam ipse Anchises in Elysio degit 733. 4.—726. Διὸς δί τοι ἄγγελός ἐιμι, Il. β, 27. ω, 173. *Gens dura* v. inf. IX. 608—613. *Aspera cultu*, quæ cultu, habitu, vita aspera, fera, utitur.

732—734 *Averna*, forte stagna, jam lib. III. vidimus v. 442. pro lacu Averno; ut *Tartarus* et *Tartara*.

736—745 Nox ad altissimum mediumque cæli culmen evecta jam declivi via fertur. cf. v. 721.—739. cf. Georg. I. 250. ad quæ vide Not. Sentit umbra orientis solis primos accessus, diluculo subeunte. Re ad sollennem solis cursum et equos revocata, sentit equos solis appropinquantes et jamjam sibi imminentes afflare se. Circensis cursus frequens spectaculum, equus equum, cui imminebat, anhelitu et spuma urgens: cf. Il. ψ, 380. Ge. III. 111. *sævus*, qui lucis usum eripit Umbris, quas sub ortum diei ad inferos redire fas est. In 743. rem exilem ornate

Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Jovis imperium et cari præcepta parentis
Edocet, et quæ nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec jussa recusat Acestes.
Transscribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque arnbesa reponunt
Robora navigiis; aptant remosque rudentisque;
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Æneas urbem designat aratro,
Sortitusque domos, hoc Ilium, et hæc loca Trojam
Esse jubet. Gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat jura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi straverunt æquora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.

efferri observa; interea ignem accendit. 744. 745. Etiam hæc ornate: Penatibus ac Vestæ mola salsa ac thure supplicat. *Larem* nonnulli de Anchisæ umbra accipiunt. Malim de Penatibus accipere, qui pro Lare Trojæ haberi, atque ita poëtæ appellari poterant. *penetralia Vestæ* pro Vesta dixit, quæ intima ædium parte, velata et ab hominum adspectu intacta, servabatur. Æneam itaque cogita ad hoc ædium penetrale conversum sacra fecisse. *cana Vesta*, vel propter antiquam religionem, ut I. 292. *cana Fides*, vel quod e senioribus diis, qui jam ante *Jovis* pueri regnum cœlum tenuerunt, una est.

750. 751 *Transcribunt*. qui deducendi, ex vetere in novam civitatem transcribuntur. Iidem *in coloniam adscribi* dicti sunt. *Deponunt* signate, ut inutile onus. *animos nil magnæ laudis egentes*, non desiderantes aut appetentes, non gloriæ cupidos, sed ingloria et obscura vita, modo ærumnarum et laborum experte, contentos.

752—754 *Ipsi* socii reficiunt classem. *reponunt* h. l. renovant, cum integris permutant. *sed bello vivida virtus* vim orationi addit inversio, *sed tales, quibus sit vivida virtus ad bellum*.

755. 756 Æneas sortito distribuit locum ædibus futuris. *hoc Ilium et hæc loca Trojam*, recordatione et repræsentatione ad animum veteris Trojæ, cum novam coloniam conderet, hanc pro Ilio et Troja esse vult. Similis facies urbis ab Heleno in Epiro conditæ sup. III. 300. sq.

757. 758 *regno*, nova regni sui accessione, nova urbe. *indicit forum*. Æneas judicia constituit, rem judiciariam describit, et *patribus vocatis*, senatu lecto atque convocato, *dat jura*, ad Senatum fert de novis legibus scribendis. sup. I. 426. *Jura magistratumque legunt, sanctumque senatum*; qui versus forte ex hoc nostro coaluit.

759—761 Veneris in Eryce monte supra Drepanum templum nobilissimum ad Trojanos conditores refertur. Anchisæ autem, tamquam heroi, Flamen cum sacro luco constituitur. *tumulo Anchiseo:* qui consecratus pro fano est. τὸ Ἀγχίσειον. *lucus* est τὸ τέμενος. De *Idalia* Venere v. ad I. 680. sq.

762—764 Intellige, consecrando Anchisæ sacello per novem dies fuisse sacra facta: *aris factus honos*. sup. v. 64. et 104. luctu per novem dies continuato, nono die fiebant sacra et ludi. Cæterum inferiarum ritum ab Æneæ parentali sacro repetierunt vulgo Romani, ut intelligas ex Ov. Fast. II. 543. sqq. *creber* primitiva vi, increscens.

Exoritur procurva ingens per litora fletus;
Conplexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsæ jam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies, et non tolerabile nomen,
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrimans conmendat Acestæ.
Tris Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam,
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funem.
Ipse, caput tonsæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Adloquitur, talisque effundit pectore questus:
Junonis gravis ira, nec exsaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec pœnam traxe per omnem
Reliquias: Trojæ cineres atque ossa peremtæ

767—769 Egregie ad humani animi levitatem et inconstantiam! *nomen* ut ne auditu quidem tolerabile esset. et *fuga* ut jam sæpe pro erroribus. *lacrimans* bene ex persona pii Æneæ. *Consanguineus* autem est ejusdem gentis. cf. Burm.

772 *Eryci* tanquam heroi v. sup. 392. 402. 412. sqq. *Tempestatibus*. Nota res vel ex Horat. Epod. 10. extr. cf. sup. III. 120. 773. λύεσθαι τὰ πίσματα. v. c. Orphic. 1239. et al. vid. sup. III. 639. et 667. *ex ordine*, simpliciter pro deinceps, καθεξῆς, ἐφεξῆς.

774—778 Sollennis sacrificandi mos pro secunda navigatione. *tonsæ olivæ*, ut *tonsa corona* sup. 556. ornat epitheton; nam, dum corona fit, oleæ frondes decerpi, eamque tonderi necesse est. Cur autem *oleagineam* coronam poëta nunc memoret, non exputo aliam rationem, quam quod, ut poëta, epitheton pro lubitu apponebat. Quod stat in prora (forte quia sub discessum e portu, cum alias in puppi sacra fiant) et totum sacri ritum ex h. l. tenebis: est enim classicus in hoc sacrorum more. *Porricit*, vocab. sacrum ac proprium.

779 sqq. Quod in historica narratione simpliciter extuleris: secundo vento Cumas deferuntur Trojani: id nunc poëta inde ad f. libri ornat deorum interventibus ac consiliis: quibus tempus hoc tanto magis nunc indigebat, quo minus alias intelligi potuisset, cur Juno nullam novam nunc moram accessui in Italiam injecerit.

783. 784 Junctura durior, in pedestri oratione vix tolerabilis, epicam gravitatem habet. *pietas* sc. Æneæ in illa placanda. *fatisve infracta quiescit*, ornate pro, infringitur, flectitur, *fatis*, cum videat, fata a se interverti non posse.

785—788 *urbem media de gente Phrygum*, media ex Troade, *exedisse*, confecisse, perdi-

Insequitur. Caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Quam molem subito excierit. Maria omnia cœlo
Miscuit, Æoliis nequidquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Exussit fœde puppis; et classe subegit
Amissa socios ignotæ linquere terræ.
Quod superest; oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi! liceat Laurentem adtingere Thybrim!
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis. Merui quoque; sæpe furores
Conpressi et rabiem tantam cœlique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoëntaque testor,
Æneæ mihi cura tui. Quum Troïa Achilles
Exanimata sequens inpingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congressum Ænean, nec dis nec viribus æquis,
Nube cava rapui: cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi: pelle timorem.

disse, excidisse; nihil amplius. *Reliquias*, Trojanos urbe capta superstites, *traxe per omnes pœnas*, omnibus calamitatibus ac malis versasse, jactasse; ut duci, agi, per ultima, per cuncta supplicia, dicitur. *Trojæ cineres atque ossa percmtæ Insequitur* graviter dictum: classis vero conflagrationem maxime respicit. 788. *caussas* cf. sup. I. 8. sqq. X. 62. sqq. XII. 791. sqq.

789—792 v. sup. I. 50. sqq. *molem* h. e. tempestatem, et *miscuit* v. ibid. v. 133. 134.

793—795 *Per scelus actis matribus Tr.* in scelus, pro vulg. ad scelus adactis. *ignotæ* simpl. in aliena terra respectu Italiæ, quo tendebant. Mox *Laurens T.* docte, qui Laurentinos agros, ideoque veteres Laurentes attingit; et 797. *dare vela tibi per undas*, novum hoc; *dantur* proprie *vela ventis*; nunc ea Neptuno quasi creduntur; aut *tibi* est Græco more, per te, σοὶ pro διὰ σοῦ, tua opera, quantum per te licet.

800—802 Fas omnino est, te confidere, mare iri placatum et tranquillum. Venerem mari ortam, Πουλυβοτείρην, Ἀναδυομένην quis nescit?

803—811 Respicit Iliad. υ, pugnam Achillis cum Ænea v. 79. sqq., 158. sqq.; quem subducit victoris manibus Neptunus v. 290. sqq. *cuperem cum* etc. cum tamen Trojanos exosus essem: ut fuit Neptunus inter infesta Trojæ numina v. Il. ε, 34. et 313. sqq. Causam iræ enarrat idem φ, 446. sqq. unde h. l. *perjuræ*, a perjuro Laomedonte, mercedem, ob muros extructos ab eo exactam, negante.

Tutus, quos optas, portus adcedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quæret;
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi læta deæ permulsit pectora dictis:
Jungit equos auro genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnis effundit habenas.
Cæruleo per summa levis volat æquora curru.
Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies; inmania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Nesæe, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.
Hic patris Æneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocius omnis
Adtolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros
Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua, detorquentque. Ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnis densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii cursum contendere jussi.

812—815 *portus Averni*, Cumas, lib. VI. 2. adeoque Italiam. *Unus*, Palinurus; quod episodium nunc præstruit; idem *unum caput* v. sq.

816 sqq. Qui sequitur locus, ex ornatissimis est, exemplo haud dubie in priore parte Hom. Il. ν, 123. sqq. Omnino hoc poëtis solenne, deos marinos inducere monstris marinis alludentibus circumdatos navigantibus conspectos. *auro* jugo aureo. *feris* pro equis. ad 819. cf. sup. I. 147. 154. sqq. 822. *Tum variæ comitum facies*, exquisitius quam comites varia facie et adspectu; nam *cete*, belluæ marinæ, in comitatu Neptuni aliorumque deorum marinorum; Proteo quidem pro armentis ea pascente. Odyss. γ, 448. sqq. 823. 824. Deos marinos omnino designat, quorum principes *Glaucus* ac *Phorcus* cum *Melicerta*. *Glauci chorus*, ut *Phorci chorus* sup. v. 240. *senior*, ut omnes omnino dii marini, quod docent theogoniæ, quibus rerum origo ab aqua petebatur. *Inous Palæmon* Melicerta Inus f. *Phorci exercitus*; deos marinos intellige. *Melite* ap. Hom. Iliad. σ, 42. et Hesiod Theogon. 246. inter Nereides occurit. De *Panope* cf. sup. ad v. 240.

827—839 Nihil puto aliud v. 829. sqq. declarari, quam in summa maris cæliique tranquillitate ventum jam ante secundum increbuisse, eoque facto nunc solis velis navigasse Trojanos, remisque otium fecisse. Itaque in omnibus navibus nunc mali attolluntur, vela intenduntur. *intendi brachia velis*, de antennis agi vel ex Val. Flacci imitatione lib. I. 126. constat. 830. *Una omnes fecere pedem*. Vulgaris est illa observatio *pedes* et Gr. πόδας nautis funes, quibus inferiores veli anguli, forte et ipsi interdum *pedum* nomine declarati, puppim versus adducuntur; et vento quidem secundo a puppi spirante, ad utrumque latus adducti, vela ad ventum excipiendum expandunt, ut *utroque pede* currere diceretur navis. *Facere pedem*, ut *facere vela*, expedire, parare. Hoc loco ventum

Jamque fere mediam cœli Nox humida metam
Contigerat; placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ:
Quum levis ætheriis delabsus Somnus ab astris
Aëra dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis; funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem;
Æquatæ spirant auræ; datur hora quieti:
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paullisper pro te tua munera inibo.
Cui vix adtollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi voltum fluctusque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere monstro?
Ænean credam quid enim fallacibus austris,
Et cœli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque adfixus et hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethæo rore madentem,
Vique soporatum Stygia, super utraque quassat

variante impetu oblique incidisse, illa declarant, quæ declarandi caussa adjecta: *pariterque*, nunc *sinistros*, *nunc dextros solvere*, et intenderunt, *sinus* velorum; quod dum faciunt, etiam antennas inflecti necesse est: *una ardua torquent Cornua detorquentque*. Sic venti sui, h. e. secundi, ferunt classem; donec sub noctem recte a puppi flare incipiunt, sec. v. 844. *Æquatæ spirant auræ*. 833. De *Palinuro* Iasi f. memorat, quippe in fabulis Italicis nobili. *agmen*, ut poëta, de classe, quam ducit Palinurus. Mox v. 835. Noctem deam curru vectam cogita, eamque et in altum cœli evectam. *meta*, pro summa, celsissima parte, in vertice cæli. 838. sq. Somnus opprimit gubernatorem Palinurum: hoc ut poëta ornavit.

840—846 *tristia somnia*, manifeste pro somno; quod notandum propter alia loca. Phorbantem forte ex Iliad. ξ, 490. petiit poëta. 844. 845. *Æquatæ auræ*, opp. *vento obliquo*. *furari* exquisitius quam subtrahere, subducere. κλέπτειν.

847—857 *vix adtollens lumina*. Bona Servii nota. "*numinis præsentia prægravatus; nam et sequens ejus oratio turbata est; quod et semiplenæ indicant elocutiones.*" *Mene jubes ignorare* (pro vulgari: nosco illud, satis notum mihi est) mare placidum, h. e. quam facile illud turbetur. *mene huic confidere monstro?* ipsam maris insolitam tranquillitatem, subdolam tamen et insidiosam, per *monstrum* declaratam puta. *quid enim* h. l. est *quomodo vero?* vulgaris ordo esset: *quid enim? Ænean credam austris?*

851 *Et cœli toties deceptus*—et quidem, qui toties deceptus sim serenitate cœli! Mox 852. ex Odyss. γ, 281. translatus est, unde de Phrontide Palinurus adumbratus est.

854—856 Tandem somno oppressus obdormiit. *ramum* proprie accipito. Ducta res ab aqua lustrali. Imitatus est locum Silius X. 355. sqq. et poterat facile in id phantasma incidere poëtæ ingenium, quia usu loquendi somno natura humida tribuitur, forte ab noc-

Tempora; cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens, cum puppis parte revolsa,
Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac socios nequidquam sæpe vocantem.
Ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras,
Currit iter tutum non secius æquore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat;
Difficilis quondam, multorumque ossibus albos;
Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant:
Quum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici.
O nimium cœlo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena!

tis roscido aere ducta. cf. sup. ad I. 691. Aspersione aquæ Lethææ *solvuntur*, laxantur, oculi somno illabenti obnixi et intenti. *Cunctari* poëtis dicitur, qui resistit, reluctatur. *natantia* nota nunc *elegantia* de incerto motu. v. Ge. IV. 496.

857—861 *Vix laxaverat—et projecit*, poëtica structura, ab Homero petita, pro cum projecit scil. Somnus Palinurum, et mox 861. avolavit. *Cum puppis parte*, bene Servius: "pro œconomia, ut triduo natare po-" tuerit." v. VI. 349. sqq. Mox *interrita*, sine offensione, nullo adverso casu exterriti, navigant.

864—866—Respicitur in *difficilis quondam* Homeri locus Od. μ, 39. sqq. 166. sq. Teneant adolescentes, non longe a Capreis in Paestano sinu tres esse Sirenum petras (πέτρας Σειρήνοιν) adversus promontorium Surrentinum, fluctuum allisione olim et naufragiis infames, narratas in iis esse antiquissima fama Sirenes, ab Homero duas, ab aliis tres; templum quoque et sacra iis eo in loco constituta narrari in Mirabil. Auditionib. c. 110.

870. 871 Æneæ verba sunt. v. lib. VI. v. 1. *Serenum* h. l. etiam de pelago; nisi ex nota forma interpretari velis, ut sit: *cœlo sereno pelagoque placido.*

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Cumas advectus Æneas, antrum Sibyllæ petit, peractoque de more sacrificio, Phœbi oraculum consulit. Ibi et instantia pericula, et futuri belli eventum discit 1—160. Misæi cadaver in littore inventum comburit, reliquiasque sub proximo monte sepelit, qui Miseni nomen ab illo obtinuit—235. Inde columbarum ductu ad aureum ramum pervenit: quo decerpto, mactatisque hostiis deos inferos veneratus, Sibylla duce per Averni fauces ad inferos tendit—336. Palinurum, quod sepulcri honore careret, circa Stygiam paludem oberrantem invenit, eumque una in ulteriorem ripam trajicere cupientem Sibylla prohibet, cenotaphiique et exsequiarum spe consolatur—383. Post hanc Stygem trajectus Æneas, Cerberoque medicatis offis sopito, per loca infantium eorumque, qui falso crimine damnati capite supplicium luerant, iter faciens, pervenit ad sedem eorum, qui amoris impatientis manus sibi conscíverant—449. Ibi Elisam conspicatus cum ei se purgare vellet, illa indignabunda conspectum ejus effugit—476.: inde progressus Deiphobum in sedibus eorum, qui bello aliquando claruerant, multis vulneribus lacerum conspicit, neciaque ejus indignum modum ab ipso edocetur—534. Relicto deinde ad lævam Tartaro, scelerumque pœnas a Sibylla edoctus—627. ad Ditis ipsius mœnia contendit, aureumque ramum in ipso regiæ limine defigit—636. Post hæc ad fortunatorum sedes iter instituit, et a Musæo ad patrem suum perducitur—678. Ibi Anchises Æneam filium animarum originem, purgationem, et consummationem edocet, eique Albanorum Romanorumque regum recensum facit, nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, ad Julii Cæsaris et Augusti laudes descendit—860.: Marcellumque Octaviæ filium, immatura morte præreptum, miris in cælum laudibus effert—888. Inde per eburneam portam ad Superos egressus, socios revisit, relictisque Cumis Caietam petit.

Sic fatur lacrimans, classique inmittit habenas,
Et tandem Euboïcis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelag. proras; tum dente tenaci
Ancora fundabat navis, et litora curvæ
Prætexunt puppes; juvenum manus emicat ardens

1—8 *classi immittit habenas;* simpliciter excepto velis expansis vento, cursum urgebat classis et navem regebat Æneas, qui in Palinuri locum successerat. Nota metaphora ab aurigatione: quam sup. V. 662. de flamma vidimus: *furit immissis Vulcanus habenis. Euboicis Cumarum oris.* Liv. VIII. 22. *Cumani ab Chalcide Euboica originem tra-*

Litus in Hesperium; quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit, silvas; inventaque flumina monstrat.
At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum inmane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Jam subeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.
Dædalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum, posuitque inmania templa.
In foribus letum Androgei: tum pendere pœnas
Cecropidæ jussi (miserum!) septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.

hunt. dente tenaci. sup. I. 169. *unco* non *alligat anchora morsu. fundabat* exquisitius quam, firmabat, tenebat. 6. 7. Similia Æn. I. 174. sq. et Ge. I. 135. σφίγγω φλογὸς; ap. Hom. notum. *pars densa ferarum Tecta rapit silvas. rapit* cursu, rapido cursu perlustrant silvas, ut vel fontem aquæ investigent, vel ferarum prædam ad epulas exquirant. ut lib. I. 192. sq. Sic *campum rapere* dicitur equus, et *æquora rapere* navis.

9—12 Ad templum Apollinis, quod antiquissimum fuit ad Cumas, monti impositum, et ad subjacens Sibyllæ antrum tendit Æneas. Facit autem id ex Heleni (III. 441. sqq.) et umbræ Anchisæ monitu V. 731. sqq. *arces;* erat templum in montium jugis: hinc *Apollo altus.* Porro *Sibylla horrenda,* epitheto translato; erant *secreta* (h. e. secretum) horrenda. cf. VII. 172. *mentem animumque* Homerico more κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν. *inspirat m. mentem,* seu, indit mentem valde commotam, ἐνθουσιῶσαν, ut *inspirare amorem, ignem* Æn. I. 688. sive afflat ejus mentem, movet incitat furore: et hoc melius.

13 Iter ad Apollinis templum *(aurea tecta)* erat per lucum, quo illud ambiebatur; ex more vetere. Hecatæ autem ille lucus cum toto Averno sacer, vel, ut loquuntur alii, Proserpinæ.

14—19 Videntur Siculi et Itali, quicquid apud se miræ vel præclaræ artis haberent, ad Dædalum retulisse. Habuitque adeo forte horum populorum ars ædificandi et sculpendi originem suam e Creta. Communis narratio est, Dædalum ex Creta profugum in Sicilia a Minoë fuisse oppressum. At poëta Dædalum ex Sicilia quoque fuga evasisse statuit. Præclare Servius: *Dædalus vero primum Sardiniam, post delatus est Cumas: et templo Apollini condito sacratisque ei aliis in foribus hæc universa pinxit.* v. 15. Horat. I. Od. 3. 34. *præpes,* celer, velox. 16. *Ad Arctos* cf. Ge. I. 245. 246. Sane Dædalus volatu versus septemtrionalem plagam contendit dum Cumas advolavit. *enavit* usitata illa metaphora inter volatum et navigationem. cf. Ge. IV. 59. Sic mox *remigium alarum* ut sup. I. 301. *Chalcidica arce,* Cumis. *levis* ornat epitheton volantem. *sacravit* tamquam donarium ex voto. Cogita notum morem eorum, qui ex mari erant servati. Etiam *templum* ex voto factum videri potest.

20 sqq. Observa, quam callide narrationem in sculpturæ argumentum mutavit, et ad hoc cognoscendum otium fecit Æneæ, præmisso Achate ad arcessendam Sibyllam. Talia autem anaglypha in templorum foribus ex metallo pretiosiore, antiquitas probare solebat. Fabulam cognoscant, quibus opus est, ex Ovid. Met VII. 456. sqq. et VIII. 133. sqq.

Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphaë, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ;
Hic labor ille domus, et inextricabilis error;
Magnum reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Cæca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriæ cecidere manus. Quin protenus omnia
Perlegerent oculis: ni jam præmissus Achates
Adforet, atque una Phœbi Triviæque sacerdos,
Deiphobe Glauci; fatur quæ talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentis.
Talibus adfata Æneam (nec sacra morantur

septena corpora natorum, pro, nati, elegantius, ut sæpe. *stat*, adstat, *urna*, graphice hoc ad sortitionem eorum, qui mittendi erant, declarandam. Jam v. 20—22. in unis forium valvis expressas puta Athenas, Androgeo necem et sortitionem puerorum; a v. 23. sqq. autem in alteris valvis Cretam, taurum, Pasiphaën, Minotaurum, Labyrinthum, Ariadnen, Dædalum.

23—33 *Gnosia tellus*, ut *Gnosia regna* jam vidimus III. 115. *elata mari*, perpetuum insularum epitheton, *alta*; *respondet*, in alteris valvis ex adverso, opposita, parte expressa est. *crudelis amor*, violentus: eodem modo *sævum* et sic porro dictum accipe pro magnus, nimius. *supposta furto P.* pro supposita tauro adultero, *per furtum*, κρυφίοις γάμοις μιγεῖσα, ex nota Mussei formula. Nolim tamen putare ipsam vaccam ligneam ipsumque flagitium expressum fuisse; sed Pasiphae v. c. demulcens taurum *inest*, tamquam pars argumenti expressa. *Veneris m. nefandæ*, nefandi amoris. Videtur fabula simpliciter ex symbolo aliquo antiquitus in Creta obvio ducta, quod figuram humanam cum capite tauri exhibebat. 27. Labyrinthus Dædali opus, in Pasiphaës gratiam susceptum, ut Minotaurum in eo absconderet. Sic Ovid. VIII. Met. 157. Apud Homerum vero Dædalus in Ariadnæ gratiam chorum seu saltationem Labyrintho similem effinxisse narratur Il. σ, 591. sqq. Homeri locum respicit Virgilius h. l. et sup. V. 588. sqq. at idem noster rem hactenus variavit, ut nunc Dædalum narret in *reginæ*, regis Minois filiæ, Ariadnæ, gratiam Theseo iter per Labyrinthum filo monstravisse, quod inventum alii poëtæ simpliciter ad Ariadnæ sollertiam referunt. *doli* et *ambages*, flexus viæ et errores Labyrinthi. hos *resolvit*, reditu et egressu monstrato. *cæca*, etiam h. l. obscura, ambigua, δυσεύρετα; regit ille glomere iter incertum. Versuum 30—33. de Icaro suavitatem et vim facile sentis ex affectu et ex apostrophe ad Icarum proficisci. *Quin καὶ μὴν καί*, et *vero sane* reliqua signa perlustrassent. Mox 38. *grege de intacto*, grege boum jugo intactorum. Deiphobe Glauci filia non male editur, quoniam ille inter deos fatidicos habebatur.

40 sqq. Templum Apollinis erat monti impositum, qui mox urbi conditæ pro acropoli fuit. Quod nunc memoratur *antrum Sibyllæ*, in latere ejus montis excisum, non longe ab eo loco abesse debuit. Ad hoc nunc ex Apollonis templo abducit Æneam Sibylla. *alta templa* nunc non sunt Apollonis ædes, sed antrum Sibyllæ.

Jussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poscere fata
Tempus, ait: deus, ecce, deus. Cui talia fanti
Ante fores, subito non voltus, non color unus,
Non comtæ mansere comæ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; majorque videri,
Nec mortale sonans; adflata est numine quando
Jam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Ænea? cessas? neque enim ante dehiscent
Adtonitæ magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phœbe, gravis Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Æacidæ; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitusque repostas
Massylum gentis, prætentaque Syrtibus arva;
Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna secuta.
Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti,
Dique deæque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens

42—44 *Euboicæ rupis:* montium Cumanorum (v. ad v. 2.), in quibus est antrum, excisum in latere montis; doctius: latum excisum in antrum. *aditus*, puta, subterranei meatus, σύριγγες, ut in Ægypto appellabantur. Quod si itaque in interiore antro, adyto, Sibylla vaticinia effaretur, remeabat vox per infinitos hos canaliculos, seu spiramenta et exitus; quæ res ad religiosum horrorem valde accomodata esse debuit.

45—54 Tempus ad oraculum precibus poscendum, ut ex v. 51. apparet; *deus, ecce deus:* Sentit enim illa furore divino se corripi sub templi aditum. *Nec comtæ mansere comæ:* atqui erant illæ resolutæ, ut in sacris mos erat, igitur nunc non mansere ut erant, in suo positu naturali, sed aut factæ sunt horrentes; aut jactatæ quod malim. *majorque videri*, μείζων φαίνεσθαι, ut solent majora visu esse, quæ animum sensusque miratione percellunt. *nec mortale sonans*, adeoque divinum quid; v. V. 649. *Cessas in vota*, ad vota, exquisitius dictum, quam cessas facere vota. 52. *enim*, ut alias pro, vero, scil. nisi vota feceris. *attonitæ magna ora domus*, interioris majoris antri, tamquam adyti, fores. *attonitæ;* ut rei inanimatæ tribuatur sensus idem, qui est in iis, qui repente revelli fores audiunt. Nec tamen male Serv.: facientis attonitos, stupendæ, ut *mors pallida, tristis senectus.* Scilicet debebat esse *attonito* tibi propter fores, ubi revellentur: transfertur doctius epitheton ad *fores.*

56—62 Semper a Trojanorum partibus stat Apollo, in Homero. 57. Fundus Il. χ, 359. 58—60. omnia in majus aucta; pro

Gloria Dardaniæ. Tuque, o sanctissima vates,
Præscia venturi, da, non indebita posco
Regna meis fatis, Latio considere Teucros,
Errantisque deos, agitataque numina Trojæ.
Tum Phœbo et Triviæ solido de marmore templum,
Instituam festosque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris:
Hic ego namque tuas sortis, arcanaque fata,
Dicta meæ genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phœbi nondum patiens, inmanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terra graviora manent. In regna LavinI
Dardanidæ venient; mitte hanc de pectore curam;
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,

Pœnis *Massylos* tamquam vicinos, et *Syrtes*, tamquam Africæ adjacentem oram. *penitus repostas gentes:* positas, habitantes in interiore Africa. *Italiæ fugientis* vid. sup. V. 629. *Trojana fortuna*, adversa sc. Mox *obstitit;* quæ consiliis nostris obsistunt, invisa sunt.

65—68 Vid. v. 84. sqq. *Da*, fac, effice, ut passim. v. c. XII. 97. Pro *fac nos considere*, quam graviter ista v. 67. 68!

69—74 Ad templum in Palatio ab Augusto factum respici, ut Æneas ex posterorum persona vota faciat, jam Servius notavit. *festos dies*, ludos Apollinares ab eodem institutos. 71—73. libros Sibyllinos et quindecem viros iis inspiciendis. Servati autem illi libri primum in Capitolio, ab Augusto vero sub Apollinis Palatini basi conditi; ut ex Sueton. notum Octav. 31. Tibull. II. 5. 1. *Phœbe fave, novus ingreditur tua templa sacerdos*, hæc igitur sunt *penetralia*.

74—76 Exsequitur Æneas Heleni præceptum sup. III. 443. 457. *Ipsa canas.* Nunc igitur more suo relicto non foliis inscribit dicta, sed ore profert.

77—80 Ornate omnia; a domandis equis translata verba, ad vatem, quæ nollet deum recipere, ἐνθουσιάζειν, cum divina vis crederetur corpus mortale, tamquam sui non capax, graviter vexare. *bacchatur* pro simplici discurrit. *Fingitur* equus a magistro *premendo*, h. e. pressus frenis, compressus, coercitus. ergo *fingit premendo* pro premit. Est autem brevitatis laus in *tanto magis:* subintell. sed quanto magis illa bacchatur, adeoque reluctatur, *tanto magis* etc.

81. 82 *Ostia domus*, aditus ad interiores recessus antri: v. sup. 45. sq. Putanda autem nunc est Sibylla adytum ingressa, deo plena, ex adyto hæc vociferari, voce per cava antri resonante.

83—89 Dicta hæc secundum Heleni prædictionem sup. III. 458. sqq. *in regna LavinI*, ad Lavinium; hoc tandem manifestum

Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio jam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Juno
Usquam aberit. Quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum, aut quas non oraveris urbis!
Caussa mali tanti conjunx iterum, hospita Teucris,
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: sed contra audentior ito,
Qua tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea frena furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt;
Incipit Æneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro; quando hic inferni janua regis
Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter, et sacra ostia pandas.

de aditus ad Italiam loco vaticinium. 87. jam Homero frequentata rei imago. Il. ν, 329. *Dorica castra*, sup. II. 27. ubi vid. Not. 88. Eadem calamitatum series renascetur. *Alius Achilles*, Turnus Veniliæ f.

90 *Nec Teucris addita Juno Usquam aberit.* Interpretatio loci e veteribus nobis servata est. Macrob. Sat. VI. 4. unum ex iis locis esse docet in quibus vestustum verbum servaverit poëta. *addita, id est, affixa, et per hoc infesta. Hoc jam dixerat* Lucilius lib. XIV. *his versibus:* " *Si mihi non prætor sit et additus atque agitet me,*" etc.

91—97 *quam tu* pro vulgari, *tum tu. oraveris:* v. lib. VIII. scil. Evandrum et Agyllinos Etruscos. *in rebus egenis*, angustis, periculosis. *conjunx* Lavinia, ut olim Helena. 96. *qua* via et ratione, quo modo, ᾗ. *Graia ab urbe*, Pallanteo Evandri.

100 Eventa rerum obscuris verbis prodit. *involvere obscuris*, est obscurare; ut *involvere caligine, nocte.* 100. 101. *ea frena f.*, de concitato animi impetu; ut alias de cursu. *ea*, τοῖα, tam valida, pro: nam admodum valida *frena.* cf. 79. 80. *stimulos sub p. vertit*, h. e. in pectore figit. Sed plus inest alteri verbo; continuato sc. ictu. 104. *facies* est species, genus; *surgit*, exquisite, evenit, occurrit. Scilicet audierat Æneas omnia a patre V. 730. 731. et Heleno III. 458. 103. *peregi* pro vulgari, exegi, perpendi.

106—109 *janua regis* h. e. palatii vel regni aditus. *tenebrosa palus Acheronte refuso.* Fuit in his ipsis locis ad Cumas *palus Acherusia:* ad quam Virgilius respicere debuit: etsi in ea designanda usus forte est iis, quæ de Acheronte in inferis narrari solent: cui *æstus* tribuitur inf. v. 296. 297. ita ut

Illum ego per flammas, et mille sequentia tela,
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi;
Ille, meum comitatus iter, maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas cœlique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectæ.
Quin, ut te supplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere; potes namque omnia; nec te
Nequidquam lucis Hecate præfecit Avernis;
Si potuit Manis arcessere conjugis Orpheus,
Threïcia fretus cithara fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties: Quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Jove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat;
Quum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvæ,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre

ex inferis partibus exundet, supraque crateris sui labra exuberet, *refusa sit*, aqua.

116 *mandata dabat* sup. V. 735. Mox *Hecate:* nam sup. 35. *Phœbi Triviæque sacerdos.*

119. 120 Aut supplendum alterum membrum: *quidni et mihi adire inferos liceat?* aut jungenda: *miserere—si potuit; fretus:* pro, usus.

121. 122 Ut cum Castore, qui mortali patre, Tyndareo, natus erat, immortalitatem communicaret Pollux Jove patre natus, hoc a diis consequutus est, ut, quoties ipse ad inferos se contulisset, fratri apud deos interim versari liceret. Hinc alternis sedes mutatæ. Etiam Theseus et Hercules memorantur, quatenus inferos adiere. v. inf. 392. sq. Theseum sic memoravit poëta, ut de solo aditu inferorum ageret.

124 *aras tenebat.* Notissimus precantium mos. Erat autem ara in pronao: nam omnis sacrificii ritus factus passim ante ædem memoratur.

125—132 *Avernus* simpl. pro locis inferis; 127. *patet atri janua Ditis:* accessu libero et expedito. 129. Pauci ἔρως; διογενεῖς, si fuerint θεοφιλεῖς et καλοκἀγαθοί. Sententiam vss. 126. sq. *facilis descensus A.* interpretatur Seneca Herc. fur. 675. sq. *æquus* propitius h. l.

131 *silvæ* memoratæ tenebrarum et caliginis significandæ causa; ducta imagine ab Averni lacus situ: *Cocytum, Stygem, Acherontem,* promiscue ponit poëta; etsi aliis lo-

Tartara; et insano juvat indulgere labori:
Adcipe, quæ peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avolso non deficit alter
Aureus; et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum
Carpe manu. Namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem;
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
Adspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
Æneas mæsto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum; cæcosque volutat

cis diversos facit amnes; *sinu* præclare, de cursu fluvii, qui ambit locum, sinuoso.

133—135 *Bis;* nata rei perceptio hæc ex Homericis Od. μ, 22. Σκέτλιοι—Δισθανέες etc. Sed "Pollio admiratur, cum Æneas esset futurus deus, cur dicat bis. Solvitur hoc quia apud Homer. (Odyss. μ, 600. sq.) Ulysses vidit umbram Herculis apud inferos." Recte hoc; quandoquidem et heroum inter deos receptorum umbræ in locis inferis habentur. *insanus labor* pro vulgari, magnum ausum, cœptum, ardua res.

137 Ornate, pro, ramus aureus cum foliis aureis, et latet in densa silva, ornate 138. 139. *vimen* est ipsius rami, virga. Nec tamen ipsam arborem auream credere necesse est; non magis quam Hesperidum arborem mala aurea ferentem. suspicatus sum, a ramo ἱκετείας notionem hanc aurei rami profectam. *Juno inferna,* Proserpina, alias Stygia, ut *Jupiter infernus,* καταχθόνιος, de Plutone. 140. *telluris operta,* simpl. loca infera, quatenus sub terra. 143. 144. ornate; in rami avulsi locum alius succrescit. Mox *rite carpe,* junge, et *si te fata vocant,* si fatale tibi est, inferos adire.

149—155 Ante oculos Il. χ, 386. Observa verborum proprietatem: *pendes* pro vulgari hæres. *sedes* de sepulcro alii, alii de terra admodum dure accipiunt. Errant Manes insepulti vel circa corpus vel circa Stygem. at justis acceptis ad loca infera admissi quietem recipiunt. Piaculare sacrum v. 153. non tam ad purgandam classem a contactu insepulti cadaveris valere debet, quam ad placandos inferos, quos est accessurus: omnino enim ad inferos non nisi expiati et placatis Manibus accedunt heroes ap. ceteros quoque poëtas. *prima* v. 153. est pro, prius, ante.

157 *Cæcos* ignotos, obscuros, *eventus* ani-

Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant:
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremptum;
Misenum Æoliden: quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes; Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta:
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat æquora concha,
Demens, et cantu vocat in certamina divos,
Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa inmerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipue pius Æneas. Tum jussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ; sonat icta securibus ilex;
Fraxineæque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur; advolvunt ingentis montibus ornos.
Necnon Æneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis;
Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans silvam inmensam, et sic voce precatur:

mo versantem Æneam cum Achate bene ante oculos stetit.

160. 161 Pro vulgari: sermones serebant super variis rebus.

170 *non inferiora s.* docte et Græcorum more, pro, inferiorem, τὰ ἥττω pro τὸν ἥττονα. Mox 171. *concham* paulo durius pro tuba vel lituo posuit. *demens* Homericum Νήπιος! Il. β, 38, et sæpe al. *exceptum* cf. sup. III. 332. ut ὑποδύχεσθαι insidiis. Puta autem Misenum scopulo promontorii insidentem tuba cecinisse: hoc poëta tanquam ad provocandum Tritonem factum interpretatur.

177 *aram sepulcri* exquisite, quod v. 215. *ingentem pyram* a formæ similitudine. Ara est omnis basis, et h. l. ipsa pyra, cui imponitur cremandum. Iterum poëta multum ornatus in re tenui cumulavit. Mox *piceæ* proprie in rogis locum habent. 184. *accingitur*, ἀναλίζεται, accingit se. Sagaciter autem

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminæ quum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes,
Et viridi sedere solo. Tum maxumus heros
Maternas adgnoscit avis, lætusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit;
Observans quæ signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde, ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres; liquidumque per aëra labsæ
Sedibus optatis geminæ super arbore sidunt:
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretis circumdare truncos.
Talis erat s[illegible]cies auri frondentis opaca
Ilice; sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Æneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllæ.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri

poëta excogitavit opportunitatem reperiendæ arboris mirabilis, in studio materiæ conquirendæ ad rogum Miseni.

187—189 *Utinam nunc*, ut Gr. εἰ, εἰ γὰρ. *se ostendat*, adpareat etc.; nec tamen dubitandum, etiam alteram vaticinii partem hac arbore inventa eventum esse habituram, quando etc.

190—196 Dignus tali vindice nodus. Ostento vel augurio aliquo res profecto nunc cummaxime erat expedienda. Quale autem aliud accomodatius quam Veneris matris aves? etsi omnino faustum et lætum hoc auspicium. v. Cerda.

195 *ubi—humum* ornate, ubi aureus ramus est. 198. *quæ signa*, quale augurium, quid ostendant.

201—204 Arbor stabat in ipsa valle. Vide v. 139. *s. optatis* eleganter, arbore, quam volatu petierant. *auri aura*, splendor. *Aura* de luminis reverberatione exquisite.

205. 206 *quod non sua seminat arbos*, ex vetere opinione, falsa tamen. Nunc satis constat plantam esse parasiticam, cujus semina aves appetunt et interdum rostro abportata in ramis arborum deponunt. *brumali f.* tunc enim maturum est. *croceo fetu*, ex naturâ visci. *cunctantem*, nunc ornat; ut *tenax, lentus*. cf. Ge. II. 236.

212—217 *ingrato*, gratiam nec sentienti

Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem tædis et robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, et feralis ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et aëna undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestis, velamina nota,
Conjiciunt; pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, et subjectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam conlabsi cineres, et flamma quievit:
Reliquias vino et bibulam lavere favillam;
Ossaque lecta cado texit Corynæus aëno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivæ;
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
Inponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per secula nomen.
His actis propere exsequitur præcepta Sibyllæ.

nec referenti. 215. *frondibus atris Intexunt latera*, faciunt latera ex ramis et lignis arborum nigricantium; ut tristis adspectus esset: *et f. a. cupressos Constituunt*. parte sui et facie exteriore rogus structus erat truncis cupressinis prominentibus in tropæorum vel ferculorum morem, quibus affixa essent arma.

218 cf. Iliad. σ, 349. sqq. Od. ω, 44. sq. *aëna undantia*, aquam effervescentem in ahenis. *expediunt* cf. I. 177.

220—225 Corpus collocant in lecto, veste tegunt, repositum in feretro ad rogum portant (222.), eique impositum cremant: *Velamina nota*, aliter vix accipias, quam, quibus ipse dum viveret, usus erat. *subjectam tenuere*, h. e. subjiciunt, subdunt; *more parentum*, more patrum, majorum. Mox in ignem conjici puta thus, oleum; sed quid *dapes*? verbo, puto, sacrificali corpora boum, ovium tamquam victimarum cæsa et in ignem injecta, significat.

226 Verba ex Iliad. ι, 212. Αὐ τὰρ ἐπὴν κατὰ πῦρ ἐκάη καὶ φλὸξ ἐμαράνθη.

227 Rogum et cineres conspergunt vino ex more, quem nidor et calor suadere debuit. *cadum* dixit pro urna: φιάλην memoraverat Homer. Il. ψ, 253. et λάρνακα ω, 795. *Corynæum*, quoniam poëtæ omnia definite etiam per personas efferenda sunt. Nota *urnam* h. l. *ex ære*.

229—231 Exquisitius *circumferre socios unda*, quam *undam circa socios*. Lustratio hæc facto funere solennis. *felix oliva*, quia etiam *infelix oleaster*, silvestris arbor, Ge. II. 314. *novissima v.*, nota res. Vale. Ave.

232—235 *Inponit* pro, ponit, facit, in illo loco, tumulum terra aggesta; ἐμπὶ πυρὶ, in loco, quo rogus arserat. Tum *imponit* huic sepulcro, h. e. tumulo, *sua arma*, re-

Spelunca alta fuit, vastoque inmanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam super haud ullæ poterant inpune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
* Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.*
Quatuor hic primum nigrantis terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;
Et, summas carpens media inter cornua sætas,
Ignibus inponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Cœloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida inponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et juga cœpta moveri
Silvarum, visæque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul este, profani,

mumque tulramque, sollenni more a multis illustrato, etiam ex sepulcris.

236 sqq. Nunc ad sacrum Manibus faciendum se accingit. ex præcepto v. 153. *Spelunca* Averno imminens (hinc *tuta lacu*), et alia quam quæ supra v. 42. memorata est. *volantes*, volucres. Sacrum parat sub ipsum speluncæ ingressum.

243 sqq. Totus hic sacrificii diis inferis facti apparatus ductus ex Homer. pluribus locis: imprimis Od. κ, 517. λ, 25. *invergit*, elegantius quam infundit. *Et s. carpens.* pertinet ad Homericum: Ἀλλ' ὅ, τ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλε. Jam inter victimæ consecrationem, quæ fit vino in caput libato, et pilo evulso et cremato, concipiuntur preces. Itaque h. l. subjicitur *Voce vocans Hecaten.* Inde *Supponunt cultros* ex religione in sacris inferis notissima, ut prona et cervus mactaretur victima diis inferis. *suscipiunt*, pro *excipiunt* vulgari. Sic I. 175. *susceptique ignem foliis* pro excepit.

249—251 *Mater Eumenidum*, Nox et Noctis *soror*, Terra; adeoque ex Chao; *sterilem vaccam*, ex religionis præscripto, στεῖρα βοῦν. Odyss. λ, 30.

252—254 *nocturnas aras* simpliciter, quia sacrum noctu fit; ut diis inferis fieri fas erat. *Inchoare*, verbum sacrorum. Saltem exquisite positam pro facit. *Aram* autem puta in scrobe excisam, ut in sacris inferis: v. sup. I. 211. *solida viscera*, totam victimam. *Viscera* pro carnibus et crudis partibus etiam alias occurrunt; mox pro iisdem *exta*: Diis enim inferis fiunt *holocausta*. Itaque ad flammam alendam oleum infunditur.

255—258 Tempus a media nocte intelligendum esse, et res et sacri hujus mos docet. Quæ autem sequuntur, terræ motus et inferarum canum latratus, alias signa esse solent Hecates adventus in sacris, quæ ad Manes evocandos fiunt. Hic omne hoc rei miraculum non alio pertinere videtur, quam, placatam esse sacro Hecaten, Æneamque adeo ad

Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum:
Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se inmisit aperto:
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.
Di, quibus imperium est animarum, Umbræque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit, numine vestro,
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna.
Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in silvis: ubi cœlum condidit umbra
Juppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ;
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas;
Terribiles visu formæ; Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor; et mala mentis
Gaudia; mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

loca infera admitti: *adventante dea*, de Hecate esse intelligendum, nihil est quod dubites. cf. Apollon. III. 1211. sqq. Theoc. Id. II. 35. 36. *Canes* sunt inferni canes Hecaten comitantes. *juga silvarum* sunt juga montium silvis consita.

265—267 Habet insignem vim ad animos excitandos et horrore quodam sacro imbuendos subita hæc deorum inferorum et Manium appellatio. *Chaos* bene invocatur, ex quo Nox et Erebus natus. *Phlegethon* omnino pro locis inferis, sed ad terrorem nominatus præ cæteris. cf. inf. 550. sqq. *Sit numine v. p.* liceat per numen vestrum; quantum ad vos attinet, h. e. cum venia vestra.

268—272 *obscuri* poëtico ornatu translatum epitheton ab umbra vel nocte. *domos* simpl. pro locis. *incertam Lunam*, nubilo cælo, unde *lux maligna*, parca, infirma ac tenuis; ut contra *benignus* interdum est largus, multus. Sic *incerti soles* sup. III. 203. 204.

273—287 Ingeniose in faucibus et aditu locorum inferorum constituta ea, quæ vel mortem arcessunt vel morti sunt vicina vel in morte sunt. Præivit Hesiod. Theog. ubi de Tartaro: 744. in cujus aditu, Νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ ἵσταται etc. Observatur a Servio *Orcum*, h. e. Plutonem, ad imitationem τοῦ Ἅιδου pro loco poni sic, ut Jovem pro aëre. *Curæ*, conscientiæ. Juven. XIII. 193. *quos diri conscia facti Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit.* Itaque *ultrices*. Tum 276. *malesuada fames*, quæ suadet rapinas, scelera. *turpis Egestas*, deformis, sordida. Nunc 278. *consanguineus Leti Sopor*, ex Iliad. Ξ, 231. Ὕπνῳ κασιγνήτῳ θανάτου. *Somnus* et *Mors* Nocte matre editi. *mala mentis Gaudia* adeoque mentis, quæ et ipsa *mala*, et scelesta, esse debet. Est sane ἐνυχαιρεκακία, nec ta-

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæque, et forma tricorporis umbræ.
Conripit hic subita trepidus formidine ferrum
Æneas, strictamque aciem venientibus obfert,
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formæ,
Inruat, et frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta jacet; stant lumina flamma;
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,

men forte eo sensu quo est, *malis abiemis*: sed omnino, cum male factis gaudent facinerosi. *adverso in limine*. Repetit poëta, quod supra posuerat: *primis in faucibus Orci*. *thalami*, cubicula, ferreis claustris seu foribus.

282—284 Mirum phantasma, quod *Somniis* sedem assignat in ulmo. Sed diis alatis, levibus, vagis, bene ea convenit. *Somnia* in Orci aditu collocare, poëtis sollenne est. *vulgo*, passim, catervatim, ut bene Serv.

285—289 A Somniorum ludibriis facilis fuit poëtæ ingenio progressus ad phantasmata et monstra. Sed ea jam antiquiores in his locis collocasse ex Aristoph. colligo in Ranis 143. *in foribus stabulant*, accommodate ad feras, pro, sunt in primo aditu; *Scyllæ biformes*, superne puellari specie quæ in belluam marinam desinit. v. ad Ecl. VI. 74. *centumgeminus* ut *trigemini* pro trinis, ita pro centumplex, seu centenis capitibus instructus, seu centum manuum respectu, quia ἑκατόγχειρος, ap. Homer. Iliad. *a*, 402. *Gorgones* in Hade jam Odyss. λ, 632. *forma tric. umbræ* ornate, pro tricorpore Geryone, τρισώμαλος ap. Æscyl. Agam. 879.

291—294 Ad ductum Homeri Odyss. *x*, 535. sq. *offert*, exquisite pro intentat, et *tenues vitas* εἴδωλα, vita utentia, animas. Non admodum diverse *tenues vitas* dixit in ortu animarum Ge. IV. 224. *sine corpore* vero: habebant tamen corporum speciem, corpora tenuia, umbratica, εἴδωλα, hinc mox 303. *corpora*. *cava sub imagine formæ*, sub forma corporis cava, h. e. inani, non solida.

295—297 *Acherontem* appellat, qui fere Styx esse solet; etiam *flumen* mox *lacum* et *paludem*. Porro *Acheron* h. l. in *Cocytum* se immittit, contra quam ap. Homer. Od. *x*, 513. sq. *cœno*, mox *arena*; non diversa. *æstuat* seu ut sit simpl. fluit; seu quia vorticosus amnis est. *Cocyto eructat*, in Cocytum, scilicet per Stygem.

300—302 *stant lumina f.* pro vulgari, flamma stat, est, in oculis; sunt lumina flammea. 301. Lacerna videtur designari, pallioli genus, nodo adstringi solitum. *subigit*,

Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Jam senior; sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptæque puellæ,
Inpositique rogis juvenes ante ora parentum:
Quam multa in silvis autumni frigore primo
Labsa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore:
Navita sed tristis nunc hos, nunc adcipit illos;
Ast alios longe submotos arcet arena.
Æneas, miratus enim, motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longæva sacerdos:
Anchisa generate, deum certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cujus jurare timent et fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
Portitor ille, Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.

agit v. G. I. 201. 202. *velis ministrat*, ministerium præstat, operatur velis; vela curat. *Ministerium* voc. nauticum. *ferruginea* cymba est *ναυτίν*, colore ex aere aquisque contracto. *cruda senectus* frequentatum jam Græcis *ὠμὸν γῆρας*, *ὠμογήρων*.

309—312 Comparatio duplex multis post Virgilium frequentata fluxit ex Homero. Supplendum autem ap. animum: tanta turba, tam multi, *Quam multa*. *ad terram* v. 310. de calidiore plaga accipe, quam volatu petierant, et de adventu ad eam trans mare, in littore puta Africæ.

313—316 *transmittere cursum* h. e. transire. scilicet vulgari more, *transmittimus* (nos trans) *amnem cursu*, h. e. navigatione, hinc ipse amnis *transmittitur cursu*; tum vero doctius, ipse *cursus transmittitur*. 316. *summotos arcet* in littore plenius pro summovet. 320. *ripas hæ linquunt*, iterum recedunt, non admisse in cymbam. 321. *longæva* nota fabula de Sibylla: vid. Serv. 322. *certissima*, nam sup. 130. 131. *pauci, diis geniti*, potuere redire ex inferis. *remis vada verrunt*: simpl. dictum pro, navigant trans fluvium. 323. *Cocytum* et *Stygem* appositione dixit; etsi vere diversos amnes. v. 324. *Di cujus*, ex Odyss. ε, 185. 186. *jurare et fallere*, pejerare. *inops*, cui nemo opem tulit, justa persolvit. *ripas et fluenta trans-*

Centum errant annos, volitantque hæc litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit;
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi mæstos et mortis honore carentis,
Leucaspim, et Lyciæ ductorem classis Oronten:
Quos, simul a Troja ventosa per æquora vectos,
Obruit auster, aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa mæstum cognovit in umbra;
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum,
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat
Venturum Ausonios. En hæc promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus æquore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revolsum,
Cui datus hærebam custos, cursusque regebam,
Præcipitans traxi mecum. Maria aspera juro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,

portare, ut vulgare, trajicere. De re v. Iliad. ψ, 71—74. *Centum errant annos.* Nescio, an de suo posuerit Virgilius: animas insepultorum per C annos errare non admissas ut trajiciantur. *stagna revisunt:* cum ante rejecti, summoti recessissent, nunc admissi et recepti visunt stagna, trajiciuntur. 332. *Multa putans*, miro acumine Servius: "Bene animo quasi rei præsago; ipse enim Æneas insepultus jacebit. ut IV. 620. *mediaque inhumatus arena.*"

335. 336 De his v. sup. I. 113. sqq.

337 sqq. Palinurus manifeste ex Homerico Elpenore adumbratus Odyss. λ, 51. sqq. *Libyco cursu*, navigatione de Carthagine, post discessum tamen ex Sicilia; haud longe a Sirenussis insulis. v. sup. V. sub fin. 340. *in umbra*, quod v. 452. *agnovitque per umbram Obscuram.* 346. Il. μ, 164. Ζεῦ πάτερ ἦ ῥά νυ καὶ σὺ φιλοψευδὴς ἐτέτυξο πάγχυ μάλ'; *promissa fides*, eventus. *Fides* apud poëtas de certo eventu oraculorum, quibus deus fidem suam obstrinxit; quæ præstita in veritatem et eventum certum abit. Consentaneum autem hoc Æneidis propriæ indoli, ut et hæc Palinuri sors ab vaticinio repetatur.

346 *deus* seu idem Apollo, seu omnino numen, deus aliquis, *me* non *mersit*, submersit: quin ad Italiæ littus enatarem. 349. Cogitandum, Palinurum gubernaculo secum revulso in mari insidentem natasse. Suavis autem fidei et amoris affectus in sqq. *Maria aspera juro* etc. 353. *armis* pro gubernaculo h. l. *excussa magistro* exquisitior ratio

Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tris notus hibernas inmensa per æquora noctis
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam, summa sublimis ab unda.
Paullatim adnabam terræ; jam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum,
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis,
Ferro invasisset, prædamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per cœli jucundum lumen, et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli;
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas;
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, cœpit quum talia vates:
Unde hæc, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque severum
Eumenidum adspicies, ripamve injussus adibis?
Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti cœlestibus, ossa piabunt;

pro vulgari, *magistro excusso*; translato verbo ad locum, unde motio fit. 355. Compara locum de Ulysse Od. ε, 388. sqq. *summa sublimis ab unda.* ibid. 393. μεγάλῳ ἀπὸ κύματος ἐφθάλς. 359. sqq. Palinurus navi excussus ad littus Lucaniæ enataverat; sed a barbaris occisus promontorio nomen Palinurum dedit. *cum veste gravatum*, aut ut ea et ipsa undis haustis gravaretur, aut ut *cum* abundet, uti interdum in poëtis solet.

360—371 360. ab Homerico Ulysse ε, 428. 434. 362. *me* corpus esse facile unusquisque videt. 366. *portus Velinos* per prolepsin dictos a Velia in iisdem locis ad Palinurum prom. aliquando condenda, ubi cadaver jacebat. 367. *diva creatrix* mater Æneæ, Venus; ut *creare* pro parere. cf. Burm. *innare* doctius quam ingredi flumen, adire, navigare per flumen. 371. *Sedibus*: de recepta in locis inferis umbra; v. ad va. 152. *saltem*, quia nautæ semper vagantur. Versus 370. ex Iliad. ψ, 75. subnatus: καί μοι δὸς τὸν χῶς', ὀλοφύρομαι, Patrocli umbra.

372—383 *amnem severum* (h. e. tristem, horrendum) *Eumenidum* docte dixit, eodem modo ac si deorum inferorum, Proserpinæ vel Hecatæ, appellares. 377. *cape memor*, tene memoria. 378. *Nam* ut γὰρ ab initio

Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent;
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.
Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ;
Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; jam istinc et comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporæ;
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum lætatus euntem
Adcepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque:
Dis quamquam geniti, atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius a solio regis traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullæ hic insidiæ tales; absiste moveri:
Nec vim tela ferunt; licet ingens janitor antro
Æternum latrans exsanguis terreat umbras:
Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troïus Æneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,

orationis, pro ἀλλ, sane, scilicet. *sollemnia mittent* πέμψουσι χοὰς, ἱερὰ, et similia, inferias ferent. Cum a barbaris, Lucanos edunt, qui serius ea loca incoluerunt, occisus esset Palinurus, postea ii pestilentia laborantes, a deo consulto responsum acceperunt, placandos esse Palinuri Manes.

384—416 Charon umbras, non corpora, vehere solitus, segre, ut Æneam transvehat adducitur. 392. seq. Servius: "Lectum est et in Orpheo, quod, quando Hercules ad Inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergo *non lætatus*, scilicet propter supplicium suum."

392—397 *euntem*, ἰόντα pro ἰλθόντα, adeuntem loca infera. *Dis genuti.* Theseus a Neptuno, Pirithous a Jove. v. Iliad. Ξ, 317. 318. et al. Fundus fabulæ Il. Θ, 367. sqq. De Cerbero v. inf. ad v. 417. 397. *dominam*, δεσποιναν, proprie de Proserpina.

400—402 Nec, ne Cerberus abducatur, aut Proserpina rapiatur, verendum tibi est. *servet limen. Servat domum, limen, thalamum*, ex veteri vivendi ratione, mulier casta, frugi, quatenus conspectum virorum fugit, intra domum se continet, in publicum non prodit. cf. VII. 52. 53. *licet servet*, noto more poëtarum pro vulgari, *licet servare*; per nos, per Æneam licet. 405. *pietatis imago*, apud animum, cogitatio.

At ramum hunc (aperit ramum qui veste latebat)
Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his; Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo post tempore visum,
Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros; simul adcipit alveo
Ingentem Æneam. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam adcepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans inmanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Objicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Conripit objectam, atque inmania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum custode sepulto,
Evaditque celer ripam inremeabilis undæ.
Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ flentes, in limine primo:
Quos dulcis vitæ exsortis, et ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.

409 *longo post tempore;* igitur Hercules et Theseus cum ramo aureo venerant. 411. *juga longa*, ζυγὰ, transtra, h. l. vectorum, ἑπιβατῶν, sedilia. *laxatque foros*, tabulata vacuat; proprie turba et multitudine *artari* locus dicitur, inde nunc *laxari*. Egregie autem Charontis ferox ac durum ingenium declaratum. *Ingentem Æneam*, quis dubitari posse putet, an ad corporis magnitudinem referendum sit! Ita de heroibus ubique Homerus et poëtæ. 414. *cymba sutilis* sive ex coriis sive vitilis et juncea.

417—425 Canis palatio Orci et Proserpinæ additus custos est priscæ vitæ more, jam ap. Homerum Iliad. Θ, 366. ubi ille ex Erebo ab Hercule adductus. Nunc in adeuntem Æneam insurgere putandus est, nondum fato defunctum. Offam 420. intellige globulum ex pulte factum, sed admixto melle et papavere aliisve seminibus et succis ita temperatum, ut vim soporificam haberet. hinc *soporata* ipsa offa, melle et *frugibus medicatis:* has de papavere videas exponi. Sunt tamen omnino grana et semina, succis herbarum, qui vim aliquam, v. c. in magicis rebus, habent perfusa. Μελίττωτα Cerbero objici solita, nota res. Hinc *resolvitur* somno corpus, ἀναλύεται, ut Apollon. 423. *totoque ingens extenditur a.* Sic sup. III. 631. *jacuique per antrum Immensus*, de Polyphemo. 424. *custode sepulto*, sc. somno. *irremeabilem* undam. Naturam Stygis communem exprimit epitheton.

426 sqq. Hinc ad 540. de prima locorum inferorum regione agitur. 426—429. versuum magna dulcedo est.

Hos juxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hæ sinè sorte datæ, sine judice, sedes.
Quæsitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas; Quam vellent æthere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Adligat, et novies Styx interfusa coërcet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circum
Silva tegit; curæ non ipsa in morte relinquunt.
His Phædram Procrinque locis, mæstamque Eriphylen,
Crudelis nati monstrantem volnera cernit,
Evadnenque, et Pasiphaën; his Laodamia
It comes, et juvenis quondam, nunc femina, Cænis,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœnissa recens a volnere Dido

431 *Nec vero hæ sine sorte datæ* etc. h. e. non sine judice sortito dato; sed judicum sortito datorum sententiis. E sequentibus enim apparet sortem non de ipsa sententia accipi posse; *Quæsitor*, seu judex quæstionis, ut Romæ in causa capitali prætor, cui ea quæstio obtigit, vel is, cui ille delegavit quæstionem; adsident ei *judices selecti*, qui *sortitione nominum* e ducuriis a judice quæstionis facta causæ cuique contigerunt. Hinc h. l. *Quæsitor movet urnam*, sortitur judices; tum citat reos ad judicium, *silentum concilium vocat, vitasque et crimina discit*, audita utriusque partis oratione et testibus interrogatis.

434—439 Magnam ad miserationem extulit sortem miserorum, qui sibi ipsi violentas manus intulere, sed *insontes* nullo crimine polluti, sed vitæ tædio; propter ærumnarum molem, qua oppressos se videbant. *projecere animam*, cum dilectu, quasi rem vilem. 438. *Fas*, jura inferorum. *Styx novies*, hoc est sæpius, flexibus suis regna infera ambire dicitur.

441 sqq. *Campi lugentes.* Ponitur hoc vulgo ab interpretibus, locum hunc *amantes* tantum *feminas* capere: verum quantum intelligo, omnino invito poëta. Heroinas memoravit priscis mythis celebratas, quarum nomen insigni aliquo facinore clarum fuit; nefarium amorem Phædræ in Hippolytum privignum; et Pasiphaës libidinosum amorem nemo ignorat; Procris de mariti fide male sollicita infelici casu interiit; contra Evadne et Laodamia fide et constantia in maritorum funere claræ sunt; Cænis mira sexus in virilem mutatione et factis, quæ sub Cænei nomine edidit, notabilis. *Late* vero *patentes* campos facit, ut solitudinem in iis, quam quærunt, habeant amantes.

445—449 Alias nunc heroinas subjungit poëta et diversas a misere amantibus. De his omnibus Apollodor. Hygin. Ov. Metamorph. consulendos esse ut moneam non necesse est. 445. *mœstam* ut Hom. στυγερὴν, h. e. μισητὴν, exprimere voluerit, necesse non est, etsi στυγερὸν eo sensu poni nemo facile dubitet.

450 sqq. Episodium hoc de Didone, me-

Errabat silva in magna: quam Troïus heros,
Ut primum juxta stetit, adgnovitque per umbras
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam,
Demisit lacrimas, dulcique adfatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam, ferroque extrema secutam;
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera juro,
Per superos, et si qua fides tellure sub ima est:
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me jussa deum, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato, quod te adloquor, hoc est.
Talibus Æneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat;
Nec magis incepto voltum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem conripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum; conjunx ubi pristinus illi
Respondet curis, æquatque Sychæus amorem.
Nec minus Æneas, casu percussus iniquo,
Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.
Inde datum molitur iter. Jamque arva tenebant

rito suo laudatissimum, ad Homeri ductum de Ajace Od. λ, 542. sqq. effinxit. 452—454. Suavis comparatio Didonis ægre per umbram visæ cum nova luna; petita ab Apollon. IV. 1479. 1480. ut jam alii notarunt.

456 *nuntius* ex flammis lucentibus. sup. V. pr. 459. *et si qua fides tellure sub ima est;* si quid apud inferos aliud, quod fidem facere juranti potest. (id enim et ipsum *fides* dici solet. cf. sup. II. 142.). 462. *situs* est incultæ telluris nec manuum opera motæ squalor et horror, quo fit ut obducatur solum sentibus, dumis, filice: aspera itaque loca et horrida (αὐχμηρὰν χώραν) ex cultu neglecto, adeoque ex situ, qui εὐρὼς est, exprimit enim Homericum Ἀΐδεω δόμον εὐρώεντα. 465. *Siste gradum.* Hoc vero præclare ex Od. λ, 560. et omni oratione disertius mox silentium, ex v. 562. 467. *torva tuentem* ὑπόδρα ἰδοῦσαν. 468. *Lenibat dictis animum,* lenire studebat eam iratam, et torvis obliquisque oculis adspicientem. Jam vero *lenire* ejus *animum,* dicere poterat lenire eam *animo* et (quoad) *animum* (κατὰ) θυμὸν, φρένας, ut sæpe Homerus. At *lacrimas ciebat,* ipse fundebat Æneas.

477—534 Æneas nunc peragrat campum

Ultima, quæ bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopæus, et Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci,
Dardanidæ: quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tris Antenoridas, Cererique sacrum Polyphœten,
Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animæ dextra lævaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est: juvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere caussas.
At Danaum proceres, Agamemnoniæque phalanges,
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,
Ceu quondam petiere ratis; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris.
Vix adeo adgnovit pavitantem, et dira tegentem
Supplicia; et notis conpellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudelis optavit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema

priscorum heroum. *datum* simpl. accipe, qua via patet, ducit. *molitur iter*, peragit. Scilicet ut ap. poëtas *moliri*, movere, et agere, facere, est primum de re magnæ molis, tum de quacunque re. *arva ultima*, in his locis, quæ citra Plutonis regiam, Elysium et Tartarum sunt. (cf. 540.). 480. *pallentis*, tamquam umbræ: adeoque pro *et Adrastus*.

481 *fleti ad superos*, apud vivos, inter homines. *caduci*, pro πεσόντες. *longo ordine* pro vulgari, ingenti multitudine. *etiam—etiam* simpl. pro etiamnum.

489—493 Inter feliciores hujus libri locos numerare soleo hunc. Opinionem profecto de Æneæ virtute facit summam. Nec tamen Virgilius aliter quam Homeri imitatione in præclarum hoc φάντασμα incidit. v. Odyss. λ, 604. ubi de Hercule inter Manes. *Ceu quondam*, v. Il. θ, 75. ο, 320. sqq. *exiguam vocem*, τρισμὸν intellige. vid Odyss. ω, 5. sqq.

494 Sequitur episodium de Deiphobo, in quo argumenti dilectum, nostro saltem sensu, desideres, nullam enim suavitatem habet videre aut cogitare hominem membris mutilatis, λωβητὸν, ἠκρωτηριασμένον, αἰκισθέντα, insigniter tamen a poëta ornatum.

499 sqq. *Supplicia*, int. illum ipsum ἀκρωτηριασμὸν, vulnera. *vix agnovit et compellat*, noto narrandi more Homerico: pro cum compellaret. *notis*, ornans epitheton; quales notorum, familiarium, esse solent. cf. inf. 688. *genus*, γένος, oriundus ut et supra. 501. *optavit*, ex προείλετο, puto, h. e. statuit, induxit in animum, ausus est.

Nocte tulit fessum vasta te cæde Pelasgum
Procubuisse super confusæ stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Constitui, et magna Manis ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.
Ad quæ Priamides: nihil o tibi, amice, relictum;
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacænæ
His mersere malis; illa hæc monumenta reliquit.
Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Quum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, et armatum peditem gravis adtulit alvo:
Illa, chorum simulans, evantis orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum,
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis et alta quies, placidæque simillima morti.
Egregia interea conjunx arma omnia tectis
Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem;
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit.
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additus una

505—508 Sane consentaneum hoc Æneæ pietati. 507. *Nomen* loco inditum, *et arma* in tumulo constituta et fixa ex more. *locum servant*, insigniunt, monumentum faciunt. Aut igitur fingit poëta, aut acceperat in Rhœteo locum esse Δηΐφοβου σῆμα dictum. 507. *Te* de corpore. *ponere*, h. l. humare, condere.

509—512 *funeris*, cadaveris, umbræ, non ipsi cadaveri. *Lacænæ* v. sup. II. 601. *monumenta*, δείγματα, indicia, in me, sceleris sui. 513—519. *Namque ut s.* v. sup. II. 25. 248. sq. 514. 515. *saltu venit super*, h. e. supergressus est, parte murorum dejecta, ὑπερέδραν, ὑπερέβαινε. Illa v. 517. sqq. ingeniosum poëtam decent. Flamma seu face ex arce ab Helena sublata Achivis signum datum. Probabilitas adfertur major, institutis in publica lætitia sacris Bacchicis, thiaso bacchantum ducto. Helena igitur circumducebat Trojanas matronas *evantes orgia*, ex orgiorum more, εὐαζούσας τὰ ὄργια, evando celebrantes, h. e. ὀργιαζούσας, inter faces jactatas. *summa ex arce*, ad Helenam refer.

520—530 *Confectum curis somnoque gravatum*. Comparant Interpp. Odyss. ζ, 2. *placidæque simillima morti*. ὕπνος—Νήγρετος, ἤδιστος, θανάτῳ ἀγχιστα ἰοικώς. Mox 524. *Emovet* et *subduxerat*, etsi non grammatice,

Hortator scelerum Æolides. Di, talia Graiis
Instaurate; pio si pœnas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Adtulerint. Pelagine venis erroribus actus,
An monitu divom? an, quæ te Fortuna fatigat,
Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium ætherio cursu trajecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque adfata Sibylla est:
Nox ruit, Ænea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit;
Hac iter Elysium nobis; at læva malorum
Exercet pœnas, et ad inpia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne sævi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.

tamen ad sententiam saltem vi pollent æquali. 530. *instaurate*, doete, retribuite, rependite. *pio ore*, si pœnas justas peto.

531—533 Mira videri potest appellatio: num errore maritimo ad loca infera delatus sit? Sed cogitandum est de aditu, qualis Æneæ fuit, per Avernum, postquam ad Cumanum littus appulerat. *an quæ te fortuna f.* paullo durius dictum pro: *an fortuna* (sexto casu) *venis, quæ te fatigat*, h. casu adverso; fortuna infesta huc adductus. *loca turbida*. Cogitandum est Chaos ad loca infera referri solitum: et *aër turbidus* pro obscuro.

535—539 *Hac vice sermonum* Guellius illustrat per Homericum Νῶϊ μὲν ὥς ἐπέεσσιν ἀμειβόμεθα add. Apollon. II. 450. ὥς τώγ' ἀλλήλοισι παραβλήδην ἀγόρευον. *Axis* haud dubie poëtis pro cœlo omnino dictus, ut et alibi. Facit autem Aurora quadrigis suis ab oriente evecta decursum per cæli convexum versus occidentem, eodem modo atque is, qui subsequitur illam, Sol. Auroræ decursum hunc puta fieri intra tempus diluculi et orti Solis. Noctu enim factum erat sacrum; iter autem ingressi erant ad infera loca jam sub diluculi tempus, *primi sub lumina Solis et ortus* v. 255. Igitur Aurora jam cæli partem aliquam (nam ex vulgari poëtarum usu, quo intra fines omnia sunt *media*, id quoque *medium cælum* poëtæ dici potest) cursu exegerat, ut nox nunc prorsus depulsa esset; itaque poëta ait: *Nox ruit, Ænea*. De reditus ad superos tempore nil memorat poëta. Itaque nec de eo laborandum. Sed ex sacrorum Manibus factorum more, orto die sive hoc sive alio, Æneas infera loca relinquere debuit; ut vicissim cum ortu Solis Manes ad infera loca redire soleut.

540—547 Inter hæc in bivio erant constituti, altera via præter Ditis regiam ad Elysium, altera ad Tartarum ducente. *ambas*, simpl. pro, duas. Plutonis regiam intellige per *Ditis mœnia*. cf. inf. 630. sq. *at læva m. Exercet p.* locus ponitur pro illis, qui exercent, exsequuntur pœnas. 544. *Ne sævi* pro vulgari: ne irascere. *explebo numerum*. De reditu ad umbras, a quibus discesserat, est intelligendum; numerus earum ejus discessu uno capite erat deminutus. *reddar tenebris*, puta eos confabulando processisse via versus Elysium.

Respicit Æneas subito, et sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro:
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ:
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Æneas, strepitumque exterritus hausit.
Quæ scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urguentur pœnis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed me quum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipsa deum pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque auditque dolos; subigitque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram conmissa piacula mortem.

548 sqq. De Tartaro vid. Excurs. VIII. Omnino ille in toto hoc loco Carceris faciem habet. Cura ejus mandata Rhadamantho v. 566. pro carnifice est Tisiphone 571. pro janitore Hydra 576. *sub rupe sinistra:* rupem ex Homero traxit, ubi inter Stygem et Cocytum Πέτρη τε ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων. Od. κ, 515. *Mœnia* h. l. de loco, qui includitur muris, ut alias pro urbe. triplicem *murum* suppeditavit Hesiod. Theog. 726. Ex utroque profecit Miltonus *Parad. Lost* B. II. 642. sqq. 552. *columnas* de postibus accipio. *stat ad auras*, educta est; altitudo portæ sollenni forma loquendi redditur: esse eam eductam *in auras, in cœlum*. Poetico sermoni hoc ita proprium putandum, ut illa plane locum non habeat subtilitas, an *aura* in locis inferis sit. 553. Adeo nullus inde reditus ad superos. Quod *turrim* appellat, puta esse ædificium ingens, in altum eductum pro carcere, aut ergastulo, sed illud magis ad rem habendum: δεσμωτήριον. 555. Tisiphones vestem cruentam ex Homero petiit Il. σ, 538. 556. *vestibulum* simpl. pro aditu. Numerosissimi versus; sed et mirus dilectus rerum, quæ auditu mentem percellunt, factus est. Miltonum hos versus expressisse lib. VIII. 240. sqq., nota.

563—569 *insistere*, ingredi; *limen* pro limini vel in limine. *Sceleratum* est sceleribus contaminatum, adeoque impurum, incestum; itaque pii, *casti*, arcentur ab hoc loco. 564. Præest Sibylla luco Averno, ut sacerdos; nam sacerdotes *præfici*, *præesse*, ut *sacris*, ita *templo* dicuntur. 565. *deum pœnas*, quas dii nocentibus statuerunt. *me per omnia duxit*, seu narrando et percensendo singula; ut ipsi *percurrimus*, *perlustramus*, singula, ita alii nos ducunt per partes; seu ut Hecate Sibyllam vere per Tartari recessus duxerit. 567. *dolos*, scelera dolo malo commissa. Porro fateri cogit *piacula*, crimina, *commissa apud superos*, in vita, *quæ quis distulit* sc. *fateri*, adeoque occultavit, h. e. ef-

Continuo sontis ultrix adcincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans anguis, vocat agmina sæva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?
Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloïdas geminos, inmania vidi
Corpora: qui manibus magnum rescindere cœlum
Adgressi, superisque Jovem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, et lampada quassans,
Per Graium populos mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, divomque sibi poscebat honorem,

fecit ne in judicium adduceretur et puniretur, in *seram mortem*, h. e. non reus factus est, neque adeo pœnam eorum persolvit, dum viveret, *furto lætatus inani*, quod latere deos et impune sibi abire putabat commissa; sed temere. Ita puto hæc expedienda esse.

570—572 Tisiphone, carnificis seu servi publici loco, reos damnatos ad carcerem raptat. *quatit sontis flagello*, docte. Proprie *quatitur flagellum*, quo sontes percutiuntur. Tisiphone altera manu hydram, altera titionem quatit. *agmina sororum* de Furiis.

573—579 Tisiphone servat vestibulum, aditum Tartari v. 555. Ea damnatis a Rhadamantho statim manus injicit et ad Tartari portam, quæ semper clausa habetur, eos agit, inclamatque sorores. Tum demum (v. 573.) aperitur porta. videamus nunc singula. *Cernis*, pergit Sibylla, *custodia qualis*, quæ custos, scil. Tisiphone, *vestibulo*, ad aditum, *sedeat; facies quæ limina servet*; Nam *intus*, intra portam, *sævior* facies, Hydra, sedem habet etc. v. 574. *custodia* est ipsa illa Tisiphone. Hydra simpliciter pro serpente monstroso. *cœli suspectus*, h. e. prospectus per aërem a terra *ad Olympum, ad Cœlum*; nam ex Tartaro prospectus ad cœlum esse nequit; quippe cum infera loca sint sub terra, et subter iis demum Tartarus depressus jaceat. Tartari igitur qui sub Hade, isque sub terra est, si eum ingressus fueris, tanta in profundum est altitudo, ut spatium ejus sit bis tantum, quantum inter terram et Olympum, prospectu e terra per aërem facto.

582—584 Spectat hæc et sequens fabula ad mythos stirpis Æolicæ, quos genus mythorum rudius et antiquius constituere deprehendo.

585 *Vidi dantem pœnas, dum imitatur*: pro, dantem pœnas, quod imitatus erat. Scilicet pro deo haberi voluit. *sonitus O.* tonitrua.

588 *mediæque per Elidis urbem*: novam urbem a Salmoneo conditam, Salmoniam, ad Alpheum, adeoque in media Elide sitam, intelligere possis: si ipsam urbem Elidem declaratam esse contendis, ut *Elidis urbs* dicta sit pro Elide, *per eam m. ibat* etc. tum dicendum, poëtam parum accurate per prolepsin urbem serius conditam memorasse.

Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Ære et cornipedum pulsu simularat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea tædis
Lumina; præcipitemque inmani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur; rostroque inmanis voltur obunco
Inmortale jecur tondens, fecundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos super atra silex jam jam labsura, cadentique
Inminet adsimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu; Furiarum maxuma juxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis: quæ maxima turba est;
Quique ob adulterium cæsi; quique arma secuti

590 *Demens;* ex Νήπιος Il. β, 38. et al. Σχέτλιος, ὅς etc. Iliad. ε, 403. de Hercule, qui Plutonem sagitta percusserat. 591. *ære et pulsu equorum:* æreo curru, et forte æreis laminis in solo substratis, quas equorum ungulæ pulsarent. 593. *non ille f.* hoc valde suave ad deprimendum Salmoneum. *turbine* pro fulmine, ut solent nimbi, turbines, procellæ cum eo esse conjunctæ.

595—600 Etiam in *Tityo*, ut in Aloidis, vasti corporis robur, et nata inde insolentia, ὕβρις, declarata a vet. poëtis. *alumnum* accipiam pro filio, ut Homer. γαίης ἐριβώλου υἱόν. *per novem jugera*, antiquo sermone ad corporis vasti speciem declarandam hoc valere potuit. *voltur;* in Homero duo vultures, ad terrorem majorem. *fecunda pœnis viscera*, præclare, jecur, quod renascitur ad novum supplicium, ut iterum erui possit. *epulis*, ad epulas. *rimantur:* de animantibus pabulum e terra eruentibus. Sic cygni *rimantur prata.* Ge. I. 384.

601—607 Fabulam affert a vulgari narratione diversam: Ixionem et Pirithoum ex Lapitharum gente oriundos, assidere epulis, saxo supra caput minante ruinam. lacum Tantali, in quo stans ille perperam affectabat aquas et poma apud Homerum, eleganter in mensam opiparam mutavit Maro. Assidet *Furiarum maxuma*, seu Megæra seu Alecto, et vetat epulis frui. *genialibus toris:* quoniam genialibus epulis, h. e. opiparis, lautis, quæ ad hilaritatem invitant, habendis positi sunt. v. ad Ge. I. 302. *lucent fulcra* pro sunt: torus aureus est. Lecti substructi sunt pedibus aut fulcris, h. e. quocunque alio basis genere; pro *lecto* aureo poëta *fulcra* posuit.

608—614 Hos versus equidem sententiarum et verborum gravitate commendatissimos

Inpia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam exspectant. Ne quære doceri,
Quam pœnam; aut quæ forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisve rotarum
Districti pendent; sedet, æternumque sedebit,
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
"Discite justitiam moniti, et non temnere divos."
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Inposuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natæ vetitosque hymenæos.
Ausi omnes inmane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum conprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos:
Sed jam age, carpe viam, et susceptum perfice munus,

esse velim. Maro ex philosophorum scriptis suum Tartarum constituit, idemque scelerum, quibus supplicia in eo constituta sunt, recensum facit paullo ampliorem; commemorat impietatem erga eos, quibus pietatis sensus debetur; avaros durus et inhumanos; adulteros; perduelles. *Pulsatusve parens*, h. omnino male habitus, mulcatus. Est αὐτὰ γονῆων. *et fraus innexa clienti*, pro vulgari, illata, uti *fraude* aliquis *illaqueari* dicitur. *repertis*, pro partis, paratis, accipe; nec *suis*, cognatis et affinibus, *posuere partem*, ex ἴθεντο, statuerunt, tribuerunt, nisi mavis esse pro, seponere. *ob adult. cæsi* gravius posuit pro adulteris simpliciter. *arma impia*, haud dubie bellorum civilium: de iis accipiendum qui patriæ bellum inferunt, non qui propulsant. *nec veriti dominorum fallere dextras. Domini* non modo servorum sunt; sed et de libertorum patronis bene idem dixit poëta. Qui fidem fallit, is et *suam* et *alterius dextram* fallere dici potest. Itaque necessario accipiendum de libertorum impietate et fraude in patronos suos.

614. 615 Noli quærere, *quam pœnam* expectandam habeant; aut *quæ* pœnæ *forma, fortunave*, quod miseriæ genus, *viros mersit* (v. sup. v. 512.), illos excipit, manet. Ductum hoc ex vulgari: *mergi miseriis.*

616 r. r. *districti pendent*, ornate; rotæ illigatis membris distinentur, ἐπὶ τροχῷ κατατείνεται, petitum a tormenti genere, quod ipsum pro supplicio interdum fuit.

617—625 Multis modis fabula de Theseo fuit tractata et ornata. v. c. Ovid. Met. VII. 433. sq. Noster poëta hoc sequitur ut Theseus, ob raptum Proserpinæ, *sedeat*. Hoc habitu pœnitentiæ et summi mœroris sensum prodi puta. Sed miraculum rei additum est in eo, quod Theseus saxo insidet, nec inde levare corpus potest. Liberatus tamen et reductus ex inferis Theseus ab Hercule; Pirithoo relicto, cum terræ motus Herculem absterruisset: *Phlegyas*, de Phlegyarum gente alii acceperant, quæ Minyadem Bœotiæ inhabitavit et propter impietatem a deo abolita fuit. Verum non de Phlegyis Maronem, sed *de Phlegya*, Ixionis et Coronidis, e qua Æsculapium Apollo suscepit, patre, qui Apollinis templum Delphis incendit, accipiendum. Phlegyas igitur deorum contemtor, apud inferos ad justitiam et pietatem colendam exhortatur omnes, nobilissimo illo versu: *Discite j. moniti* h. e. exemplo meo, quod pro monitu est. 621. 622. Ex L. Vario pene integros traductos esse, Macrob. VI. 1. testatur. Quod adjecit: *dominumque potentem* patriæ *Imposuit*, eo pertinet, quod tyrannum liberæ civitati induxit. *potentem* ornat. *leges fixit pretio* corruptus, *atque refixit*, recte Servius,

Adceleremus, ait: Cyclopum educta caminis
Mœnia conspicio, atque adverso fornice portas,
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat, et pariter, gressi per opaca viarum,
Conripiunt spatium medium foribusque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divæ,
Devenere locos lætos, et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther et lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris;
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

quia incisæ in æreis tabulis leges affigebantur parietibus.

625 sqq. Ex Iliad. β, 488. notissimo loco. conf. Ge. II. 103. sq. *ferrea vox*, nulla clamoris intentione fracta: ἀτειρής.

630—636 Plutonis regiam non intrat Æneas cum comite, sed tantum a limine salutat, aureo ramo in foribus deposito. *mœnia educta Cyclopum caminis*, h. e. ferro cuso et ferruminato in Cyclopum fabricis. *adverso fornice portas*, ornate; porta proprie ipsis erat adversa, et ea quidem in fornicem ducta, arcuata. 629. *perfice munus*, sic poëticus sermo fert; proprie doni deportatio perficiebatur. Etiam sic mox 637. *perfecto munere divæ*, h. e. muneris dedicatione; alioqui *munus* generaliori notione pro negotio hic accipi possit. 632. *hæc dona* int. de eodem munere Proserpinæ dicando. 635. Adumbrata res haud dubie ex eo ritu, quo, qui templa intrant, se lustrant, περιῤῥαίνονται; quod purgationis symbolum fuisse, facile intelligitur. Adeundum autem Æneæ nunc erat Elysium, locus, si quis alius, sanctus et castus. *ramumque a. in l. figit.* In templorum aditu περιῤῥαντήρια, aqua lustralis et rami lustrales, notæ res sunt. Sed quod ramum in pariete seu poste figit, ad dedicationem doni spectat.

637 sqq. Traducta sunt ad Elysium sive sub terra, ut hic, sive in Insulis Fortunatis collocatum, omnia, quæ sub mitiori cœlo amœnitatem loci facere possunt, jam ab Homero Od. δ, 563. sqq. et ab Hesiodo Ἔργ. 170. sq. *sedes beatæ* ipsi sunt luci amœni, et campi, æther purus et cælum serenum; rivi et ripæ gramineæ; studia ex prisca vita, inque his choreæ ad citharæ cantum, et epulæ.

640 *Largior æther*, egregie, patentior, liberior, nullis nubibus, nulla caligine inductus. ὄψει τε φῶς κάλλιστον ὥσπερ ἐνθάδε. Aristoph. Ran. 155. *lumen purpureum*, pulcrum, *solemque s.* Poëta Solem Elysio suum, præstantiorem puta nostro Sole, ut cætera, assignat. *norunt*, vident, qui in Elysiis sunt, habent.

644 *pedibus plaudunt choreas*, elegantius quam ducunt, scil. cum pedum plausu.

645—647 Dandus erat choreis saltantium et cantantium suus ἀοιδὸς, lyricen, qui seu accineret seu præiret cantu tamquam choragus. Quis vero magis conveniens Orpheo, qui de locis inferis plurima erat fabulatus, h. e. vetere philosophorum more ac sermone per poëtica phantasmata exposuerat? *longa cum veste*, citharœdorum aliquando, anti-

Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, et Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul currusque virum miratur inanis.
Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quæ gratia currum
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra lævaque per herbam
Vescentis, lætumque choro Pæana canentis,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, et Phœbo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo;
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

quiore autem ævo ἀοιδῶν, vatum, habitus ποδήρης palla. *Sacerdos* autem h. l. vates, propter instituta orgia et teletas. Orpheus illis saltantibus et cantantibus *obloquitur* (transitive h. l. dictum, facit loqui, φθέγγεσθαι, sonare, pulsat), *numeris*, numerose, *septem discrimina vocum*, fides, lyram ἑπτάχορδον, *eademque* modo digitis modo pectine pulsat; quod ab doctiore jam arte petiisse videtur, dum temperatur cantus modo plectro modo digito.

648. 649 *pulcherrima proles*, pulcherrimi, h. l. de corporis dignitate. Sed insederat Virgilio hoc epitheton ex loco Homeri, quem expressit Iliad. υ, 231. sqq. Ἶλος τ' Ἀσσάρακος τε καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης, Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων etc. *nati melioribus annis*, de heroum atque etiam de aurea ætate.

651—655 Sectantur animæ artes prioris vitæ. *procul miratur*, pro conspicit: θηεῖται Homericum. *currus inanes*, simplic. quoniam adstant vacui dominis. Vix enim potuit declarare levitatem umbrarum, quæ iis insistunt. *tellure repostos*, ut alibi, conditi, mortui.

657—659 *Vescentis*, quis hoc putet satis digne dici posse pro, epulas celebrantes! iidem ἀείδοντες Παιήονα, ut Iliad. χ, 391. Achivi, et quidem in grato nemore, per quod, ut amœnitas loci major esset, descendit amnis. Amnes sub terra ferri vidimus jam Ge. 366. 367. Eridanus est fabulosus antiquissimorum mythorum amnis, quem ad geographicas rationes certas revocare non magis licet, quam Hyperboreos, aut Indos. *superne*, h. e. ex editiore loco, *volvitur*, venit, *plurimus*; dictum eleganter ad magnam aquarum copiam designandam.

660—665 Locus de piorum turba e nobilioribus, et quem a generosiore animo vix puto legi posse, quin incalescat, et magnæ virtutis amore inflammetur. *Sacerdotes casti*, qui sacra caste, pure ac pie, curabant dum viverent. Mox *vates* sintne poëtæ an conjectores, dubitari potest. *pii* in hoc ipso quod *Phœbo digna* loquuntur, ita ut vere pronuntient se canere dei afflatu impulsos, dum grandia, sublimia, præclara canunt. At: *quique sui mem.* 664. ornate: magnæ illæ et divinæ animæ, quæ bene de genere humano meritæ sunt. *merendo*, idem, quod in vulgari sermone, demerendo, promerendo, bene merendo de aliis. 665. *Omnibus his*. Certe declarat hoc insigne, esse eos viros sacros et sanctos. Nam vittatos fuisse sacerdotes, vates, deos, satis notum est.

Quæ circumfusos sic est adfata Sibylla;
Musæum ante omnes; medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animæ, tuque, optime vates;
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, et magnos Erebi transimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate jugum; et facili jam tramite sistam.
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentis
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrasque tetendit;
Effusæque genis lacrimæ; et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,

664 sqq. Quod Musæum potissimum nominat poëta, mirantur Intpp. Magna autem Musæi auctoritas propter religiones et teletas institutas; et facile hinc ejus commemoratio h. l. opinionem movere potest, poëtam de industria cogitasse, cum ex nobilissimis hierophantis unum commemoret.

667. 668 Bene hæc ex heroum ætate et opinione. Ad verba cf. Iliad. γ, 226. 227. Mox 674. *ornate*, pro ripis; *recentia* sunt *viridia*, h. e. virentia propter vicinas aquas; *sistam*, vos ad eum deducam facili et expedita via quales in Elysio omnino esse vias credere fas est. Anteit tum Musæus ipse; ubi ex summo collis vertice locum ostendisset, tum Æneas et Sibylla altera parte collis descendunt, discessu scilicet a Musæo facto. *campos nitentes*, pro amœnis nunc dixit. sup. Ge. I. 153. de cultu dictum erat, *nitentia culta* et sæpe alii.

679 sqq. Traduxit poëta et convertit in rem suam vetus illud philosophantium placitum, quo animæ jam ante vitæ hujus ingressum exsistere putantur.

680 *inclusas*, collectas in hunc locum. *Recolimus*, animo proprie præterita, hic simpl. recensere, exquirere et addiscere futura facta et res fortiter gestas. 683. *manus* seu virtutem seu facta intellige.

688—694 *vicit iter*: pro: fecisti iter

Tempora dinumerans; nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, et quanta per æquora vectum
Adcipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. Da jungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Interea vidit Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, et virgulta sonantia silvis,
Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem.
Hunc circum innumeræ gentes populique volabant;
Ac, veluti in pratis, ubi apes æstate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, caussasque requirit
Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porro,
Quive viri tanto conplerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam

motus pietate, mihi jam probata. Nunc pietas effecit, ut iter ingrederetur etsi difficillimum. 690. *Sic equidem d.* Æneam vivum ad loca infera descensurum esse, Anchises jam ante prævidisse putandus; nam idem nocturnis monitis filii pietatem permoverat, ut ad se videndum descenderet. conf. VI. 115. *Libyæ regna;* justus de Didonis amoribus metus, ne iis ab Italia retineretur filius.

703 sqq. Hæc jam manifeste ex Platonicis mythis: quorum fundus in Pythagoreorum opinionibus substructus erat. Etsi enim opinio de reditu animarum in vitam communis antiquitati fuit: Platoni tamen peculiaris fuisse videtur illa doctrina de bibenda ante reditum Lethe.

704 *virgulta sonantia silvis.* dicta pro virgultis silvarum sonantibus, adeoque omnino, silvæ sonantes, vento motæ. Habet autem Elysium suas auras, suos Zephyros. 705. Lethe in finibus Elysii, *prænatat*, præterfluit. *gentes* majus sunt, nam in gente populi v. inf. X. 202.

707—709 Optimum est statuere, illa: *strepit omnis murmure campus*, apodosin facere, et jungere: *Ac strepit omnis murmure campus*, ex animarum discursatione, *veluti in pratis*, ubi—Ornata vero comparatio ex Apollonio ducta I. 879. sq. *strepit murmure campus* doctius quam vulgare, apes strepunt per campum. Mox 711. *porro* simpliciter potest jungi: *caussasque requirit porro*, vel *porro* sc. rogat, quæ sint etc. Sed doctior ratio est: *quæ sint ea flumina porro*, πόῤῥω, h. e. πόῤῥω, πόῤῥωθεν παραῤῥέοντα, longo inde cursu prætextentia campum. 714. *ad undam*: latices

Securos latices, et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum lætere reperta.
O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterumque in tarda reverti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te suspensum, nate, tenebo;
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
Principio cœlum ac terras, camposque liquentis,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor et cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque; neque auras
Dispiciunt clausæ tenebris et carcere cæco.

potant, ad amnem, in littore, constitutæ, procumbentes. Dictum ἐναργέστερον, quam simpl. bibunt Lethen. 715. *securos*, ab effectu, ut *morbos pallidos* dicunt. nam ex oblivione malorum tranquillitas oritur: cujus comes securitas. 716. cf. sup. V. 737. 718. *Italia reperta* h. e. accessu ad Italiam; post longos sc. errores.

719 sqq. Inest nescio quæ vis et δεινότης; eximia in hac Æneæ oratione cum indignatione aliqua rogantis; suavitas autem tanto major, si Homerici Achillis (Od. λ, 487.) indignum vitæ amorem memineris. *ire sublimes*, redire, *ad cœlum*, h. e. ad vitam. Sic jam supra: *ad auras superas*, et alibi.

724 sqq. *Spiritus* et *mens*; ut Ψυχὴ et Νοῦς, h. e. anima mundi, quæ omnia permeat; eamque universum semel sub *corporis* specie repræsentasset, recte pro partibus *artus* posuit. Sic de terra Ge. II. 325—327. *cœlum* pro aëre dictum vix dubites; et *campos liquentes*, pro mari, ut, æquor aquarum. *Titania astra*. Dictum poëtico more pro, *astrum Titanium*, h. e. Titan, Hyperion, seu Sol. ut IV. 119. 727. *magno se corpore miscet* dictum doctius quam corpori miscetur, inditur.

728 sq. Inde ex hac Mente Mundi omnia *sunt*, h. e. animam et vitam habent. cf. Ge. IV. 218—226. Novus usus vocis est *æquor marmoreum*, resplendescens a sole ex Homerico ἅλα μαρμαρέην Iliad. ξ, 273. unde et *marmor* pro mari ut Ge. I. 254.

730—734 *Illis seminibus*, h. e. his animabus ex anima mundi, tanquam ex igni scintillæ, petitis, et in humanum corpus traductis, inest ignea vis (qualis æthesis est) et ætherea natura. Ornatus valde locus. *nexis corpora*, pueriliter, quandoquidem vim divinam flammæ obtundit terrestris natura corporis. *moribunda*, pro vulgari, mortalia. *Hinc metuunt cupiuntque*, a corporis contagio animorum perturbationes et cupiditates proficiscuntur, ex bonis malisque opinatis. Pœne corporis tanquam carcere *inclusæ luscos non dispiciunt*, prospiciunt, ornate pro, cæcæ includuntur. Nam corpus vinculis animi tenebrisque assimulatur, quibus ille offunditur, et a libera rerum contemplatione retrahitur. Observa quod ad *clausæ* 734. subjectum

Quin et supremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanis
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni;
Quisque suos, patimur, Manis; exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet inmemores supera ut convexa revisant,
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises; natumque unaque Sibyllam

paulo longius repetendum est ex 720. *animæ*: cum interveniissent jam *semina* 730. 731.

735—739 Adeo materiæ, terrestris corporis, sordes inolescunt animabus, ut iis ne dissolutis quidem a corpore elui illæ facile possint. Itaque purgationes fiunt operosæ aqua, aëre, igni, in locis inferis. Ornate autem omnia. Contagium corporis dictum, *malum*, *corporeæ pestes*, *vetera mala*, *scelus*; intelligendæ autem perturbationes et cupiditates (v. 733.), iræ, metus, tristitiæ et sic porro. Secundum semel institutam rei adumbrationem, iidem *animorum* dicuntur esse *morbi*, seu *labes*, *sordes*, *maculæ*, κηλίδες, *ulcera*, *cicatrices*, μώλωπες, ἕλκη, στίγματα. Noster autem poëta cum semel per *sordes* et *maculas* animorum vitia et cupiditates animales designasset, emendationem earum per *purgationis* genus bene exhibuit, cui jam in sacris et initiis adsueti erant veterum hominum animi. Eadem purgatio mox designatur per *pœnas*, *supplicia*. At v. 738. inversa est oratio. Debebat sequi: *nec excedunt.—sed penitus inoluerunt, concreverunt*; unde 746. *concreta labes*, quæ eluitur et exuritur 742. Hoc ita extulit: nec mirum est, seu, *necesse est*, *multa*, multum vitii, *diu*, per tam longum vitæ tempus, *concreta inolescere penitus modis miris*.

740—743 A sollennibus purgationum et lustrationum ritibus. Fiebat enim lustratio aëre, aqua, igni.

743. 744 *Quisque suos patimur Manes*. Vexatus locus. Simplicissima ratio est: patimur supplicia hæc omnes, non quidem quales nunc sumus, animæ corpori inclusæ sed *quoad* (κατὰ) *suos quisque Manes*; pro vulgari: *nostrum omnium Manes patiuntur*; omnibus Manibus ista patienda sunt. Nam purgatio ista subeunda est omnibus. Soli ad inferos perveniunt Manes; hi sunt, qui purgantur; qui *patiuntur*, h. e. subeunt, pro sua cujusque parte, purgationes illas tormentorum similes.

745—747 Igitur aut nova in Elysio fit, aut inchoata ante purgatio animarum in Elysio absolvitur. *perfecto temporis orbe*, definitum post tempus, h. e. mille annos. *purumque Ætherium sensum*, mentem illam (*sensus* pro perceptione et judicio animi et hinc pro animo) ex æthere deductam, cumque idem æther sit ignis purissimus, explicative subjicit: *atque aurai simplicis ignem*. De igni *auram* proprie dici, ut de luce, supra vidimus. Itaque anima tandem ad pristinam puritatem ætheream restituitur.

748—751 *ubi mille rotam volvere per annos*. De sensu constat ex v. 745. *perfecto temporis orbe*. Verba ex vulgari ratione sic constituerentur: ubi mille annorum rota ve-

Conventus trahit in medios, turbamque sonantem;
Et tumulum capit, unde omnis longo ordine possit
Adversos legere, et venientum discere voltus.
Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Inlustris animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Ætherias Italo conmixtus sanguine surget
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem tibi longævo serum Lavinia conjunx
Educet silvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Silvius Æneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si umquam regnandam adceperit Albam.
Qui juvenes quantas ostentant, adspice, vires!
At qui umbrata gerunt civili tempora quercu,

luta, h. e. circumactus orbis est. *Rotam* dixit absolute pro orbis, κύκλος. *volvere rotam*, est, exegerunt animæ tempus in orbem rediens. *deus evocat*, non hic de Mercurio agitur; sed est ὁ δαίμων, indefinite.

753—755 Ornate singula. *conventus in m.* in mediam turbam. *sonantem*, de strepitu, ex Od. ω, 5. ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο. cf. Horat. I. Serm. 8. 41. et sup. v. 707. sq. *adversos* ornat epitheton. Scilicet ex adverso incedentes animas *legit*, recenset, cognoscit.

756—759 Enarrabo clara facta et fata posterorum tuorum. *nepotes—animas*—enarrabo. *qui maneant*, expectandi sint, *nepotes Itala de gente*, de nova stirpe in Latio ex Lavinia suscipienda. *nostrum in nomen ituras*, pro vulgari, futuras ex nostra gente. Sic *ire* sæpe et ἔρχεσθαι. Quod autem Anchises hæc exponere, et futuras res prædicere potest, ad divinandi munus pertinet, quod ille a Venere acceperat.

760—766 Gens Julia ab Ascanio seu Iulo ducta, qui patri successit et Albam Longam condidit. cf. sup. Æn. I. 267. sq. sed reges Albani a Silvio, qui ex Lavinia postumus Æneæ natus erat. Hæc est fama, quam h. l. sequitur poëta. Alii Ascanii filium et successorem Silvium faciunt. Alii aliter tradunt. Fabulæ de Silvio in silvis educto locum fecisse videtur nomen ipsum, uti fabulis de Romulo et Remo ficus Ruminalis et similitudo vocis *ruminis*, hoc est, mammæ. *hastam puram*, δόρυ ἀσίδηρον, idem quod antiquioribus sceptrum, regum et heroum insigne. *Albanum nomen*, h. e. Albanus, Albæ Longæ rex. Nec male tamen sic accipias: nomine inter Albanos domestico appellatus Silvius.

767—772 Nec omnes Albanorum reges, nec ordine suo recitat. *proximus* ergo, qui adstat. Meminit Capyos, quod Capys Assaraci f. Æneæ fuerat avus. Itaque Anchises refricat in hoc gratam patris sui memoriam. *Procas Trojanæ gloria g.* ut Homero μέγα κῦδος Ἀχαιῶν. 770. *si unquam*. Servavit illustrationem ex antiquioribus Servius: *Recepit autem a tutore, qui ejus invasit imperium: quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit. Et rem plenam historiæ per transitum tetigit.* 771. *Ostentant vires*, sunt viri fortes, forti et valido corpore animi vir-

Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas inponent montibus arces,
* Laude pudicitiæ celebres, addentque superbos *
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus; Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden' ut geminæ stant vertice cristæ,
Et pater ipse suo superum jam signat honore?
En, hujus, nate, auspiciis illa incluta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbis,
Læta deum partu, centum complexa nepotes,
Omnis cœlicolas, omnis supera alta tenentis.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc adspice gentem,
Romanosque tuos. Hic Cæsar, et omnis Iuli
Progenies, magnum cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,

tutem prodentes. 772. Qui memorati adhuc fuerant, erant rebus bello gestis clari: qui sequuntur artibus pacis. Itaque coronis civicis illi insignes prodeunt. coronam civicam, hoc est, querceam, gestant, scil. ob cives servatos, et de rep. bene meriti.

773—777 Ab Alba Longa XXX colonias in Latio et extra Latium deductas novimus; plerasque saltem novis colonis frequentatas.

778 quem Rhea Silvia Trojana stirpe oriunda partu edet. *educet*, ut modo v. 765. cum deberet esse: pariet. 780. En bellicosum viri ingenium quod jam nunc militaris viri habitus (galea duplici crista, δίφαλον vel δίλοφον diceres) declarat. *stent*, sint, ut alibi quoque. 781. *Et pater superum*, Jupiter, *ipse eum jam signat honore suo;* Quis ex variis ordinis verborum ac sensus faciendi modis verus sit vix definias. Simplicissimum videtur sic accipere: videsne, ut animam aliquando in corpus proditurum Jupiter jam hinc divina corporis majestate conspicuam reddit? scilicet ut, in immortalium numerum eam aliquando receptum iri, jam nunc manifestum sit. Ipsa galea perpetuum Romuli insigne.

782 Versus ornatissimi. Primus 782. ex Ennio translatus apud Isidor. 783. quam magnifice pro, condetur Roma! Imperium ad terrarum fines proferet, virtute et magnanimitate superabit omnes mortales. 788. Augusta imago Cybeles per Phrygiam invectæ (ex ritu sacrorum), quæ est *Deum Mater*. Assimulatur Roma, quæ tot magnos ac divinos viros tulit. *supera alta tenentes*, Homericum: ὑπέρτατα δώματ' ἔχοντες.

789—791 Etiam ordinem rerum facit admirabilem: quod primo loco gentem Juliam memorat, cum in Marcello oratio summi affectus plena substitutura sit. *Huc converte oculos* etc. omnia cum verborum dignitate extulit. *ventura sub axem*, sub cœlum, in vitam, ut jam toties vidimus in hoc libro.

792 sqq. In Augusto vero repræsentando se ipsum superavit poëta. Pacem terrarum orbi redditam, prolatos imperii fines, vaticinia, quibus terris promissus fuit, expeditiones in terras longinquas, et itinera ad constituendas provincias in iis ipsis annis, quibus

Augustus Cæsar, Divi genus: aurea condet
Sæcula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam; super et Garamantas et Indos
Proferet imperium; jacet extra sidera tellus,
Extra anni Solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divom, et Mæotia tellus,
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu.
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

hæc scripsit Maro, suscepta; quam gravia hæc omnia laudum argumenta, et quam splendide verbis et rerum phantasmatibus declarata!

794 *Latio*, debebat sequi per appositum: *arvis*, sed variavit: *per arva regnata quondam Saturno*; quæ sunt ipsum Latium.

795—798 Fines imperii in Africa et Asia dilatatos intellige; etsi rebus in majus auctis. *super* (ultra) *Garamantas*, victi hi sunt a L. Cornelio Balbo. *super Indos*, spectat partim ad signa a Phraate reddita U. C. 734. partim ad Indorum legationem ad Augustum missam, cum in Syria versaretur. Jam debebat sequi: *proferet imperium—et super eam terram, quæ jacet extra s.* Sed inversio facta enthusiasmum adjuvat. In sqq. australes Africæ plagas designari manifestum est. Respici a Marone Candacen victam et Æthiopiam supra Ægyptum a C. Petronio copiis peragratam probabile fit. *ubi Atlas axem*, cælum, *humero torquet*, sustinet torquentem se et vertentem, *stellis ardentibus aptum*, ex quo axe seu cælo stellæ aptæ sunt, in eo fixæ.

799—801 Splendide et hoc enuntiavit, quod futura Augusti magnitudo multis signis ac præsagiis fuit ostensa; quodque in remotissimis quoque terris ejusmodi signa animadversa fuerunt. *turbant*, trepidant; nam et ipsi turbas faciunt, qui perturbantur, ut sæpe alibi. Adulationis genus isto tempore non obscurum erat, venditare imperatoribus vaticinia ac præsagia, quibus ipsis jam olim imperium aut insignis aliqua felicitas fuisset ostensa.

802—806 Tandem expeditiones et itinera Augusti commemorat, comparatione facta cum *vago* (apud Horat. III. Od. 3. 9.) Hercule et Baccho. *Cerynitis cerva* etiam Græcis χαλκόπους. *Fixerit* haud dubie ad telum pertinet: atqui debuit cerva viva capta esse. vid. Apollodor. II. 5. 3.; aut igitur alium auctorem sequutus aut loquutus est parum accurate: *figere* pro capere. 805. 806. De Bacchi ex India triumpho agit, in ea Nysa urbs cum monte Mero, qui et ipse Nysa dictus. *qui flectit juga*, bijuges tigres, ex v. seq. *pampineis habenis*, pampino circumvolutis et implexis.

807. 808 Bona Servii nota: *dubitamus pro dubitas. Miscuit personam suam. Est autem sensus: cum tibi tanta sit præparata posteritas, dubitas virtutem factis extendere? id est gloriam. virtus* dicta esse potest pro gloria virtute parta, ut contra ἀλκὴ pro virtute dicitur: ita pro simplici, strenue res gerere, poëta ornate dixit, *virtutem*, nominis gloriam, *extendere factis*. Si vero *virtutem* proprie dictam malis, *extendere* dictum est pro vulgari exercere, ea uti, adeoque *per facta*. *Extendere* enim modo ad *numerum*, modo ad *temporis intervallum*, modo ad *res* refertur.

Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crinis incanaque menta
Regis Romani; primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis
Agmina. Quem juxta sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascisque videre receptos?
Consulis imperium hic primus sævasque securis
Adcipiet; natosque pater, nova bella moventis,
Ad pœnam pulcra pro libertate vocabit.
Infelix! Utcumque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriæ, laudumque inmensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, sævumque securi
Adspice Torquatum, et referentem signa Camillum.
Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc, et dum nocte prementur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Adtigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci

809—813 Numa Rex, pacis tutela religionumque cura insignis. *Quis procul.* Anchises et hanc et reliquas animas prospectabat e longinquo 754. *sacra ferens*, proprie de sacerdotibus, v. ad Ge. II. 476. h. l. bene de sacrorum et religionum conditore.

813—815 Liv. I. 22. Tullus Hostilius: *Hic non solum proximo regi dissimilis sed ferocior etiam Romulo fuit. desueta triumphis*, ornatius, quam, bellis.

816. 817 De Anco Marcio, quasi is favorem populi captavit, adeoque superbior in patres fuit, alios auctores habuisse Maronem necesse est, quam quos Livius, et Dionysius, cæterique sequuntur, qui ad nos pervenerunt.

818. 819 *Ultor Brutus*, qui Tarquinii superbiam et Sexti libidinem ultus est. *fascis receptos*, regiam dignitatem et imperium a Regibus in Coss. translatum.

820—824 Bruti factum in quamcunque partem interpretaturi sint posteri, ipse in sumendo a filiis supplicio sequetur id, quod patriæ amor et gloriæ cupiditas suadebunt.

825. 826 *Decii*, pater et filius, qui se pro patria devoverunt, alter bello Latino, alter Gallico. *Drusi*, Liviæ caussa laudati; ex iis M. Livius Salinator b. Punico II. clarus, et M. Livius Drusus Trib. pl. *referentem signa Camillum*; recepit signa a Gallis, capta in pugna Alliensi.

827—836 De Cæsare et Pompeio. *paribus armis*, utpote uterque Romanus. ut Ge. I. 488. *paribus concurrere telis* Romanos viderunt Philippi. *nocte*, ante ingressum vitæ, quæ supra *lux* erat v. 761. et mox v. 829. *lumina vitæ*. 831. Julius Cæsar in Pompeium arma movebat e Galliis. Etsi vero Ravennæ tum subsistebat cum una legione, tamen cum major copiarum pars ex Gallia Transalpina esset arcessenda, augusta

Descendens; gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella;
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Projice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ, parvoque potentem
Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius æra,

rerum specie ab Alpibus descendere eum narrat. Alpes declarat per *aggeres Alpinos* et *arcem Monœci*, h. e. promontorium cum templo et portu Herculis Monœci, sub Alpibus maritimis non longe a Nicæa sitis, qui nunc *Monaco* est. Pompeium copias ex Oriente contraxisse quis nescit? 833. pro vulgari: adsuescere bellis. Versus 835. 836. ad clementiam Cæsaris referuntur. Cur Cæsarem potissimum appellet, caussa allata est in hoc ipso: *genus qui ducis Olympo*, sc. per Iulum seu Ascanium.

837—841 Duo versus 837. 838. *ad L. Mummium Achaicum* pertinere, dubitari nequit. Mummium potissimum commemorat non tam insigniore aliquo inter ceteros magnos viros merito quam, quod *Achivos*, Græcos, bello Achaico confecto, profligavit, re ad hominis Trojani sensum grata. vss. qui sequuntur, ad eundem Mummium ne referas, vel τὸ *Ille* intercedit, quod diversum aliquem designat. Minimæ difficultates sunt, si *L. Æmilium Paulum* Persei victorem Æneæ ab Anchise ostendi putes. Cogitandum autem nos in vaticinio versari, neque adeo ad proprietatem orationis et historiæ subtiliter omnia esse revocanda. Ad tempora belli Trojani a poëta accommodata sunt reliqua: itaque Perseum victum appellavit *Æaciden*, ab Achille oriundum: Cum tamen multo magis obvium sit, Ennii exemplo, *Æaciden* de Pyrrho Epiri R. aut ejus progenie accipere, quid si Regem pro regno, adeoque pro Epiro, dictum habeas: *Eruet ille*, Paullus Æmilius, *Argos, Mycenas, ipsamque Epirum;* ut Paulli incredibilis immanitas respiciatur, qua una die tota Epirus direpta et LXX oppidorum muri fuerunt diruti.

842—845 Notissimi in rebus Romanis viri. *Cato* est major, M. Porcius, qui et ab aliis inter magnos viros memoratus est. De A. Cornelio *Cosso* spoliis opimis claro vid. Liv. IV. 19. 20. *Gracchi genus;* respicit maxime Ti. Sempronium Gracchum b. Punico II. clarum. *Scipiadas*, int. Africanum majorem et minorem; nam adjectum: *clades Libyæ*, Carthaginis alter victor, alter eversor. *fulmen belli* de Scipionibus proprio aliquo modo dictum fuisse ex locis apparet a Cerda aliisque laudatis. Fulmini assimulavit bellatorem jam Homer. Iliad. ν, 242. ἀστεροπῇ ἴκελος. *parvo potentem F.* in parva re domestica divitem; uti *contentus parvo* aliquis dicitur.

846. 847 *fessum*, me longa oratione, cum de Fabiis tot dicenda restent.

848—854 Locus haud dubie e nobilissimis, quo Romanorum ingenia et laudes cum Græcis, nam ad hos potissimum respicere videri debet, comparantur. Græci præstabant artium elegantia; ex iis poëta æris fundendi marmorisque sculpendi artem memorat; fe-

Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus;
Orabunt caussas melius, cælique meatus
Describent radio, et surgentia sidĕra dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hæ tibi erunt artes; pacisque inponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus addit:
Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Pœnos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Æneas; una namque ire videbat
Egregium forma juvenem et fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, et dejecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso est!
Sed Nox atra caput tristi circumvolat umbra.

lix idem est in verborum dilectu; *æra spirantia* statuæ, quæ vivos viros reddere videntur; et *mollius*, nam proprium in signis hoc. Græci porro præstabant eloquentia, et quidem forensi, *Orabunt caussas melius*, et philosophicis mathematicisque studiis; ut enim, id quod poëtam decebat, ex iis unum genus posuit Maro, astrorum scientiam. *cæli meatus*, h. e. siderum cursus, *describent*, definient in sphæra cælesti, *radio*, virga, petitum a figuris geometricis, quæ in pulvere ducebantur. At Romanis proprias artes esse contendit, ut imperent terrarum orbi, et aut in fœderum æquas leges recipiant, qui se ad eorum amicitiam applicant, aut eos qui arma sumant, debellent. Tantum verba subjiciunt, *paris morem inponere*, h. e. legem, fœderum leges et conditiones; *parcere subjectis*; nam volebant Romani videri clementes et moderati erga victos, et erga socios benigni et liberales; scilicet si nihil ab iis metuerent et ab opibus eorum auctis utilitatem sibi ipsis promittere possent.

855 sqq. Sequitur locus summa cum arte et ingenii venustate elaboratus de Marcello, Octaviæ f., ad quem ut deduceretur oratio, M. Claudium Marcellum bello Punico II. clarum induxit.

856—860 *Spoliis opimis*, occiso Insubrium Gallorum duce Virdomaro. Eadem sunt v. 860. *tertia arma capta*, h. e. tertia spolia opima post Romulum et Cossum, *suspendet Quirino*, h. e. Romulo. Atqui ex Romuli instituto Jovi Feretrio ferebantur spolia opima. Sed potuit serioris ævi religio Romulum Jovi adjungere. *tumultu* potest proprie dictum videri, imminente bello Gallico in Italia. *eques* ex poëtico sermone ad majorem dignitatem pro, bellator, dux. Occurrit et alibi.

861—867 Summa populi R. de M. Marcelli, Augusto ex sorore nepotis, virtutibus suscepta erat expectatio. *frons læta parum*, omen mortis immaturæ. *quantum instar in ipso est:* verisimile fit, si id cogites, quod sententiæ vis postulare videtur, nove h. l. *instar* positum esse pro exemplo magnæ dignitatis, specie augusta corporis. 867. *Sed Nox* haud dubie pulcerrimi phantasmatis. Graviter dictum erat ab Homero Od. *v*, 351. Ἀλλοὶ τί κακὸν τόδε πάσχεις; νυκτὶ μὲν ὑμέων Ἐιλύαται καφαλαί τε, πρόσωπά τε νέρθέ τε

Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum præterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos: nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi se quisquam inpune tulisset
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem adcumulem donis, et fungar inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.

γοῦνα. At ornatius Nox (pro Morte) circumvolat caput. Nocti, Somno, Morti, alas tribui, nunc nota res est.

868—887 Quantopere omnia hæc ad affectum accommodata et dicta sint, monere necesse non est. *propria*, perpetua. 868. *ingressus*, infit. *Campus aget gemitus virorum*, noto more pro, in campo agetur, erit gemitus (ut ἄγεσθαι pro ἔχεσθαι, ἴεναι) in funere Marcelli. Sed *funus* seorsum memoravit, et præclare ad Tiberim retulit: quanto cum apparatu funus factum videbis, cum ille tumulabitur! funus autem in Campo Martio factum est ingenti cum apparatu. v. ibid. *tumulum recentem*, Mausoleum Augusti in campo Martio ad ripam Tiberis, quod sexto suo Consulatu (U. C. 726.) exstruxerat. 876. 877. pro vulgari: in tantam spem tollet eos; tantam de se spem faciet. ut et Gr. ἐλπίσιν ἐπαίρειν. 879. 880. egregia inversio, dum post illa, neminem Romanorum cum ipso posse comparari, pergendum erat: *non jactabit se tantum ullo alio alumno Roma* nec pietate, nec fide, nec virtute. 883. *Si qua* via ac ratione, *fata rumpas*, fatorum ordinem dissolvere, tam durum fatum effugere tibi liceat, tu ad M. Marcelli, b. Punico II. clari, nomen ac gloriam es perventurus. Nomen autem non nisi in fine demum memoratum, pleno jam erumpente animi affectu. Illa 884—886. *Manibus date lilia* etc. molliora forte sunt, quam pro Anchisæ herois persona et temporibus; Virgiliani potius ævi habenda talis luctus testandi elegantia. Sunt tamen per se pulcerrima. 885. *animam adcumulem donis* nota elegantia pro vulgari, dona, flores, in animam cumulem. *viani munere*, eo sensu, quo lib. XI. 51. 52. Duxit hinc versum pulcerrimum Statius Epiced. Patris V. Silv. 3. 285.

887—893 *Aëris in campis*. Græce dictum, pro locis caliginosis h. e. inferis. Sic ἀὴρ, ἠερόεις sæpe. Scilicet ereptum iis est *cælum* nostrum; nam in inferis sunt; at habent *aërem* suum: ætherem illum purum et apertum. Dicamus ergo *campos aëris* esse

Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda,
Laurentisque docet populos, urbemque Latini;
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus Umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad navis, sociosque revisit;
Tum se ad Cajetæ recto fert limite portum.
Ancora de prora jacitur; stant litore puppes.

dictos locorum, qui tali sĕre, pro cœlo, fruuntur. *viro* pro, ei. *Laurentesque docet p.* nota inversam orationem, pro, quæ bella gerenda cum Laurentibus h. e. Latinis ad Latini urbem. Ad vaticinia igitur revocat poëta etiam ea, quæ ab Ænea in Italia gerenda sunt.

894—902 Cum emittendus esset Æneas e locis inferis alia porta, quam qua ingressus erat; incidit Maro in duplices somni portas, quibus veteres Somnia prodire luserant. *veris Umbris*, pro Somniis; vi oppositi; scilicet somniorum genus est, quo mortuorum Umbræ somnianubus offerunt se, interdum ut Furiarum loco pœnas expetant. Altera porta meliore quidem est materia, sc. eburna, sed ex ea non ipsæ Umbræ, sed earum phantasmata seu Larvæ, procedunt: Horatii *vana imago, quæ porta fugit eburna, somnium ducens:* III. 27. 41. *nitens*, ornat; *perfecta*, τετυγμένη. vel ut Hom. ἀι δ' ἐλέφαντι τετύχαται. *Manes*, h. e. inferi mittunt: ex inferis ad homines (namque id est, *ad cœlum*) procedunt hac altera porta Larvæ; hæc, vi oppositi, esse debent *falsa insomnia*; non somnia, quæ falsa rerum specie illudunt. *viam secat*, τέμνει ὁδὸν, nota res; quasi sulco pedum ducto. *recto limite*, ut recta via.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

Caietam, nutricem suam, Æneas sepelit, locumque ipsum ab ejus nomine Caietam appellat —5. Inde Circes sedem prætervehitur—24. secundoque vento ad Tiberis ostia defertur: adversoque flumine subvectus, in Laurentem agrum egreditur—36. Digressione de prisco Latii statu et de prodigiis, quibus Trojanorum adventus denuntiatus fuerat, facta—106. pergit narrare poëta aliud ostentum comesarum mensarum; cum Æneas ex Ascanii verbis cognovisset, eam esse terram fatis sibi debitam; ad Latinum regem, qui ejus tractus regnum obtinebat, centum oratores mittit, qui et suo nomine illi munera offerrent, et urbis condendæ locum peterent. Interea castra metatur—159. Latinus, legatione benigne audita, præter postulata, Laviniam filiam suam, quam, et ex Fauni, patris sui, oraculis et augurum responsis, externo viro tradere jubebatur, ultro Æneæ conjugem offert—285. Interim Juno, prosperis Trojanorum rebus offensa, Alecto ad disturbandam pacem ab inferis evocat—340: quæ primum Amatam, Latini uxorem—405. deinde ipsum etiam Turnum furiis suis implet—434: atque inde ad Trojanorum juventutem conversa, quæ tum forte venationi operam dabat, mansuetum illis cervum objicit, Tyrrhi, armentarii regii, liberis inprimis carum; quem cum Ascanius sagitta vulnerasset, rustici, arreptis armis, in Trojanos impetum faciunt—510. Alecto ex superiore loco classicum canit: cadunt in eo tumultu Almon, Tyrrhi filius natu maximus, et Galesus, agricola regionis totius locupletissimus: qui cum in urbem mortui essent relati, Turnus et Amata regem Latinum ad bellum suscipiendum injuriamque manu vindicandam exstimulant—590. Verum cum ille, et fatorum et fœderis nuper cum Trojanis initi memor, adduci non posset, ut illis bellum indiceret, Juno ipsa belli portas aperuit—622. Turni auspicio ad bellum sequitur Mezentius una cum Lauso filio—654: item Aventinus, Herculis ex Rhea filius 669: Catillus et Coras Tiburtini, fratres—677: Camilla e Volscorum gente, mulier fortissima (803—817.): aliique complures: quorum catalogus inde a v. 678. ad finem libri recensetur.

Tu quoque litoribus nostris, Æneia nutrix,
Æternam moriens famam, Caieta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen

1—4 *Caietæ*, quæ in his locis moritur, memoria in Æneæ erroribus non obscura erat: et promontorii portusque et urbis nomen in Latii et Campaniæ finibus ab ea ductum vulgo ferebatur. 3. Etiamnum *servat honos sedem tuus*, exquisite, pro, honos adest adhuc, superest, servatur sedi tuæ, tumuli tui extat adhuc memoria; *sedes* pro sepulcro,

Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exsequiis Æneas rite solutis,
Aggere conposito tumuli, postquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant auræ in noctem, nec candida cursus
Luna negat; splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circææ raduntur litora terræ:
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum,
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum;
Sætigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum;
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu litora dira subirent:
Neptunus ventis inplevit vela secundis,
Atque fugam dedit, et præter vada fervida vexit.

ut v. 152. lib. VI. *honos* pro titulo et nomine seu inscripto seu fama vulgato: supra VI. 507. *nomen et arma locum servant.* Alterum *ossa nomen signat*, eodem fere redit; *nomen* est titulus sepulcri, signatque adeo ossa, quæ in eo condita sunt. *Hesperia magna* epitheton ornans.

7—9 *tendit iter velis*, per vela vento data, docte, ut *cursum, gressum tendere* aliquis dicitur, pro vulgari: tendere cursu. Sub noctem, ut sæpe Apollonius, ventus secundus increbrescit et luna favet navigationi *(non negat cursum)* splendore suo, qui egregie describitur: *splendet tremulo sub lumine pontus.*

10—14 *Circes insula*, facta postea terra continens, Circeii, notum Latii promontorium. Petita est fabula ex Od. κ, indeque etiam illustranda; sed poëta ornavit studiose singula verbis exquisitis. *raduntur*; nam prætervehuntur Trojani; Sic III. 699. 700. *Divitem* cur appellet Circen, caussam puto esse domus opulentiam (unde mox *tecta superba)*, quam Homer. quoque l. l. v. 210. 211. et 311. sqq. ei tribuit. *inaccessos lucos*, h. l. silvam, ad quam raro accedunt homines, solitariam. *resonat*, resonare facit. Vulgarius, personare. De cantu Circes nota res ex Od. κ, 221. sqq. qui iidem versus cum de Calypso quoque ab Homer. positi sint Od. ε, 61. 62. ex eodem loco v. 57—61. repetiit reliqua de foco et de textura. *Urit in lumina*, ut pro lumine esset; ita εἰς, pro *ad*. *Cedrus* autem Græcorum et Romanorum, e Juniperorum genere est, etiam oxycedrus dicta. Ex Homerico loco quoque versus 14. illustrandus: τὸν δ' ὑποιχομένην χρυσείη κερκίδ' ὕφαινεν. *telæ* h. l. pro stamine vel trama, quam textrix ὑποίχεται κερκίδι, percurrit pectine.

15—18 Admodum ornate singula, si cum Homericis compares Od. κ, 212. seq. et Apollon. IV. 672. sqq. *formæ luporum* simpl. pro lupis, forma dicendi poëtica, quam jam alibi vidimus; et *præsepia* paulo ante pro caveis.

19. 20 *induerat in voltus ac terga*, h. cor-

Jamque rubescebat radiis mare, et æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Quum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus et in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit. Variæ circumque supraque
Adsuetæ ripis volucres et fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis terræque advertere proras
Imperat, et lætus fluvio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primum Ausoniis exercitus adpulit oris,
Expediam, et primæ revocabo exordia pugnæ;
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella;
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo;
Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbis
Jam senior longa placidas in pace regebat.

pora, *ferarum* pro vulgari, induerat eos formis ferarum. *pii*, θεοφιλεῖς adeoque diis curæ. 24. *fuga* pro celeri cursu et navigatione, et: *prætervexit* eos per *vada fervida*, mare æstuosum, ut circa promontoria solet.

25—28 Valde operosum cultum adjecisse videtur poëta his versibus, primum colorum varietate, tum epithetorum copia, et verborum pondere, inprimis v. 28. *in lento*, immoto a ventis, mari *luctantur* remi; vento cessante, qui navem ageret. *posuere* scil. se, quievere. Porro *marmor* pro mari dici notissimum est: a Græcis ductum esse manifestum fit.

29—36 *lucoque*, per lucum. *flectere iter*, cursum, navem. Facit vero hæc Æneas, ut ad ipsa Tiberis ostia cursum regat, ad Creüsæ monitum lib. II. 781. 782. Factus escensus ad ripam fluminis in agro Laurentino; erat autem ille olim lauris consitus; unde *lucus* et *fluvius opacus*.

37 sq. Ad legentium animos excitandos invocationem novam valere, nota in poëtis res est. *Erato* pro Musa qualicunque. Mox *quæ tempora rerum* fuerint, non tam, quibus temporibus Æneas advenerit, quam, ut solet *tempus* pro rerum conditione poni; in quæ Latii tempora inciderit hic accessus. Quod *rerum* adjectum, poëtici sermonis est proprium. *antiquo* ornat h. l. epitheton. Aliter in historiis Latium novum et antiquum dicitur. *exercitus* pro populo, turba, navalibus copiis. Sic Græcis Tragicis στρατὸς, τάγμα, τάξις (ut Æschyl. Prometh. 128.) et alia. *exordia pugnæ*, venatione cervi, inf. 480. 42. *reges*, Latinum, Turnum, Mezentium; hinc *Tyrrhena manus*. Sed quod sequitur, in majus auctum, totam Italiam coïsse ad arma.

45—49 Latini genus ad Saturnum refertur, deum Aboriginum indigetem, mox cum Crono comparari solitum. Ab hoc Picus

Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Adcipimus; Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato divom, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnis
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjunx
Adjungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas quum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ (mirabile dictu),
Stridore ingenti, liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem; et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partis petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Præterea, castis adolet dum altaria tædis,

procreatus, ex hoc Faunus, Latini pater. *Faunus* numen antiqui Latii fatidicum. *Marica* nympha Latii, cujus religio apud Minturnenses servata est, luco ad Lirim fl. consecrato. Quod eam poëta *Laurentem* appellat, poëtico more facit, nomine a vicinis locis petito.

52—58 Lavinia *servabat sedes* exquisite, tenebat, possidebat, et hoc simpliciter pro, erat in domo paterna unica filia et heres; nihil amplius. Bene autem ad prodigia et deorum ostenta rem revocavit poëta; primum, ut totius carminis colori et indoli a religione ductæ etiam hæc pars conveniret; tum ut Turnum præstantissimum adolescentem cum ratione aliqua Æneæ posthabitum narraret.

59 sq. *Sacra comam*, frondibus intactis. *metus* pro religione, ut *horror* et similia. 61—63. *Laurentes* dicti Aborigines, qui hæc loca ad orientalem Tiberis ripam incolebant, rege Latino. Inde *Laurentum*, Latini regia; et *ager* usque ad mare ac Tiberim *Laurens* vel *Laurentinus*, silvis et paludibus frequens. Translatum interdum nomen ad totum Latium. *primas arces*, cum primum urbem conderet. Secundum poëtam adeo Latinus urbem Laurentes condidit et nomen imposuit a lauro: facile adeo intelligitur, *Picum*, qui ante Latinum vixit, *Laurentem* v. 171. appellari poëtico epitheto, non nomine historico. Examen apum, laurum βοτρυδὸν insidens, est inter dira omina; *partibus ex isdem*, a mari infero.

71—80 Prodigium hoc flammæ frequens: Supra vidimus lib. II. 680. sq. Cogita vero

Ut juxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis conprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque adcensa comas, adcensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore inlustrem fama fatisque canebant
Ipsam; sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea: nemorum quæ maxuma sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italæ gentes, omnisque Œnotria tellus,
In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos
Quum tulit, et cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur Avernis.

sacrum facere Latinum adstante filia. *nefas* de prodigio h. l. res dira et abominanda, quæ præter naturam fit; contra *fas* de naturæ more et constantia. *comprendere* h. l. concipere, arripere flammam, quasi ex foco ad proxima manantem. Vulgari oratione *ignis comprehendit crinem*; nunc Lavinia *ignem comprehendit crinibus*. Verba v. 74. sunt ex Lucret. VI. 154. *Terribili sonitu flamma crepitante crematur*: de lauro: at hic visus est virginis ornatus cremari flamma: nam *ipsa visa est cremari* (κατὰ) ornatum. *coronam insignem gemmis*, regium insigne.

81 sq. Fauni oraculum in luco Albuneæ poëta narrat sive ex vetere memoria sive ex loci natura et fama de Sibylla Albunea rem ingeniose commentus. Scilicet in agro Tiburtino ab occasu in Anienem deferuntur *Albulæ aquæ*, sulfureæ illæ et medicatæ. Ex Albulæ fluminis fontibus major *Albunea*, fons et nympha, ex Horatio nota I. Carm. 7. 12. *Suljacebat* fonti *lucus* Albuneæ sacer, in quo olim Fauni templum et oraculum a poëta proditur. 82. *alta Albunea*, fons in lacu inexploratæ altitudinis. *nemorum quæ maxima sacro Fonte sonat* h. e. quæ Albunea maxima per illa nemora, in isto nemore, sacro fonte manat. *nemorum*, Græce dictum, (κατὰ, διὰ) τῦ ἄλσως, pro *ἐν ἄλσει*. A sulphure aquarum exsurgit gravis odor, quem *mephitim* appellavit.

85—91 Oraculum Fauni per incubationem peti solitum, ut tot alia in vetere Græcia. Potest quidem poëta videri ad Amphiarai (vid. Pausan. I. 34.) potissimum hoc Faun. oraculum assimulasse: idque nos doctrinæ copia in hoc poëta credere facit: nam Tiburtus, cum Catillo et Cora infra v. 670—672. commemoratus, Tiburis conditor et Amphiarai filius habitus est. *Incubare*, *ἐγκοιμᾶσθαι*, voces propriæ de iis, qui dormiunt ad accipienda responsa. *Œnotria tellus*, latiore sensu h. l. *dona*, victimam, sacrificium, ut toties alibi. *Acheronta*, deos inferos et Manes. Notatu dignum in hoc Fauni oraculo, primo quod et ipse sacerdos incubuit, et is, qui consulebat; tum, quod necyomantiæ aliquam speciem illud habuisse videtur. Quod vero v. 95. *ex alto vox reddita luco est*, Italicis religionibus consentaneum est, in quibus voces ex luco auditæ auctoritatem habebant.

Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam Fama per urbis
Ausonias tulerat; quum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.
Æneas, primique duces, et pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ;
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis (sic Juppiter ille monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.

96—101 Oraculum multa cum verborum dignitate expositum est; inprimis nomen Latinum *sanguine*, progenie, Æneæ nobilitatum. Ad dignitatem facit multitudinis numerus pro unitate: *connubia, thalami, externi generi*. Illa autem v. 99. sqq. magnifica: Omnia *sub pedibus vertique regique videbunt* h. esse. *Sol recurrens*, oriens et occidens.

107 sqq. Sequitur eventus vaticinii de mensis comesis, v. sup. III. 255—258. Observandum autem, quantam verborum dignitatem rei tenui et levi adjecerit poëta; vitatis verbis propriis quæ exiliora erant pro carmine. 109. *adorea liba*, placentæ, proprie de farre, quæ pro panibus erant priscis hominibus, antequam fermento et meliore panis coquendi arte uterentur. Hæc liba nunc mensarum vicem præstant, quibus *epulas*, cibos, *imponunt*, poma agrestia. *sic J. ille monebat*, animis, ut ita facerent, subjiciebat. Eadem liba mox *Cereale solum*, quatenus substernuntur pomis: hoc *augent* Trojani pomis, imposita pomorum strue (ut *augentur*, cumulantur, *aræ donis*), eadem paullo post *exigua Ceres, orbis fatalis crusti, et patulæ quadræ*. Mox *penuria edendi*, est penuria ejus quod edendum esset, comedi posset; *violare*, eo refert Cerda, quod mensa inter res sacras habebatur. In poëtica tamen oratione omnino esse potest frangere, comminuere.

116—129 Bene certo homini et maxime Iulo partes dicentis dat; etsi inter cetera hoc quoque traditum accipere potuit. *adlu-*

Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Trojæ salvete Penates.
Hic domus, hæc patria est. Genitor mihi talia, namque
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Adcisis coget dapibus consumere mensas:
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite, et primo læti cum lumine solis,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Inplicat, et Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem, Noctisque orientia Signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine Matrem,

dens, pro arridens, subridens, aut simpl. ludens, jocans, ad socios. *tulit finem*, significavit Trojanis, finem adesse. Sed vaticinia dicuntur efficere ea, quæ monent futura esse, multo magis tum, cum exitum habent. *Eripuit* simpliciter dicti, quod Æneas subjicit, celeritatem declarat; *ac pressit*, vocem Ascanii repressit, eumque loquentem interpellavit. *stupefactus numine*, h. oraculo. 121. *o fidi Trojæ salvete Penates*. Hæc perpetua Æneæ religio, ut Penates primo loco appellet. Promiserant tamen et illi, unde *fidi* Penates, per somnum, Æneam Italiam esse aditurum, lib. III. 147. 162. 167. 122. *Hic domus, hæc patria est*, vestra, unde olim Trojam estis advecti. *Genitor mihi talia*. Tribuit h. l. Anchisæ vaticinium supra a Celæno, Harpyiarum una, acceptum (III. 255. sqq.) mox ab Heleno confirmatum (lib. III. 394.) Etsi poëtam malim sibi constare, tamen varia ad interpretandum et excusandum afferri possunt: Anchisæ omnino partes vaticinorum interpretandorum dantur a poëta et aliis; igitur is Celænus verba disertius exposuit et sæpe in ore habuit atque ad animum revocavit. 125. *accisis dapibus*, exquisite pro consumtis. *moliri aggere tecta*, ornate, urbem ædificare, quod fit vallo ducto. 129. *exitiis*, ærumnis.

133 sqq. Expectabas hoc a religioso homine, Ænea, ut a religione initium faceret, inprimis cum sollenne hoc ut preces et sacra faciant, cum omine accepto, tum escensu vel aditu in locum optatum facto. 134. *reponite*, pro apponite, ponite, poëtica ratione: ut Ge. IV. 378. et *pateras libare* magis poëticum quam, vinum. In precibus, quæ v. 136. sequuntur, augustam religionem faciunt et venerationem movent nomina deorum, ex antiquiore religione desumta, qua naturam, naturæ partes, vires et elementa fere in precum, fœderum, vel jurium jurandorum, for-

Invocat, et duplicis Cœloque Ereboque parentes.
Hic Pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit; radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, et vina coronant.
Postera quum prima lustrabat lampade terras
Orta dies: urbem, et finis, et litora gentis
Diversi explorant; hæc fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora; festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum; primasque in litore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.
Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant:
Ante urbem pueri, et primævo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus;

mulis ponunt. In v. 139. domestica numina subjicit, *ex ordine* ἐφεξῆς, deinceps. v. 140. *duplices Cœloque Ereboque parentes*, utrumque parentem, Venerem inter deos, Anchisen inter Manes.

141—147 Augurium lætum, tonitru cælo sereno. Hoc v. 146. *omen magnum*. De v. 147. *vina coronant*, conf. sup. I. 724.

148—151 *diversi*, secundum illa v. 132. *a portu diversa petamus*. Hinc itaque ad Tiberim, illinc ad Numicium usque procurrunt, habitari loca a Latinis resciscunt. Ceterum ab hoc inde loco observandum, quomodo in summa rerum et hominum tenuitate legationem missam et exceptam ornaverit et ad dignitatem miram extulerit, partim rerum descriptionibus et adjunctis, partim verbis amplioribus.

152—156 *delectos ordine ab omni*, ex omnibus ordinibus; *ramis velatos Palladis*. ἱκτηρίας; frondes oleagineas vittatas manibus præferre putandi sunt. *velari*, proprie de corollis et vittis, quæ ambiunt, adeoque tegunt, frontem, tempora. Transtulit hoc Poëta ad ramos vittis et infulis obvolutos, qui præferebantur a supplicibus et tenebantur manibus. Sed infulis et vittis dependentibus a ramo manus ipsæ obtegebantur, unde *manus velatæ*; et dicta hinc *velamenta* ipsi rami vittati. Igitur *velati ramis*, habentes ramos vittatos manibus. *pacem*, fœdus et amicitiam, ut et al.

157—159 *Castrum* hoc *Trojæ* est: seu *Troja nova*, a parte dextra Tiberim præcingens, adstantibus subductisque a tergo navibus, a sinistra campus ad mare pertingens:

Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Quum prævectus equo longævi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra adcipere, et primos adtollere fascis
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis; hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant; aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.

molitur locum, exquisite poëtico more pro moliri tecta in loco, h. exstruere. *primas sedes*, int. in prima littoris parte. Mox *pinnas* pro muris et *aggerem* pro vallo, quod fossam ab interiore parte ambit, dixit.

162—165 Ad Laurentum urbem missa legatio. Priscæ vitæ ritu, ut in loco Hesiodi (Scut. 285. 286.) ante urbem in campis exercet se cursu ac ludit armis juventus urbana. Poëta autem eo more egregie usus est ut suavem narrationem faceret. *domitant currus* pro equis jugalibus. Mox *spicula*, int. jacula, et epitheton *lenta* ad materiem refer. *lacessunt*, exquisite pro contendunt, certant: quandoquidem *provocant se* et *lacessunt*, qui pugnant.

170—176 Pici hæc *regia* in arce Laurenti, diversa utique a Latini regia v. 59. sqq. descripta, et improprie dicta *regia*, h. e. ædificium magnificum; nam fuit templum, quod pro curia esset. *urbe summa* ἐν πόλει ἀκροτάτῃ, ut Iliad. χ, 172. h. e. in ἀκροπόλει. Circa domum illam lucus erat (v. 172.) more veterum in templis, et in principum ædibus. Alterum hoc ex lib. II. 299. 300. de Anchisæ domo meminimus. 173. 174. hic regnum auspicari solebant reges. *omen* egregie pro more, cui bonum omen inerat, ut majorum fortuna sequeretur regem regnum auspicantem. *attollere fasces* pro eo, quod sequitur, ut præferantur novo regi. 175. 176. Est hoc templum pro prytaneo, curia, aut simili æde publica: in qua sacrificia publica cum epulis sacrorum habentur. *ariete cæso*, proprio aliquo sacrorum inter Latinos more, epulæ sacræ instituuntur; si publicum fit sacrificium, confluunt primores gentis, iique epulis excepti sedent, *mensis perpetuis*, h. longa et multum procurrente mensa; ut *perpetuum tergum* et alia.

177—182 Etiam hæc signa in vestibulo collocata sunt, ut in curia vel templo mos erat in aditu et porticu signa inter columnas ponere. Italus autem et Sabinus h. l. inter Latini majores memorantur, tamquam agnatione juncti. Antiquitatis genium exhibet etiam in materia, *cedro*, nam vetustiora signa lignea erant vel fictilia. *Vitisator—falcem*: haud dubie ad Sabinum spectant hæc. *falx*, puta ad amputandas frondes adjecta; *aliique ab origine reges*, h. e. prisci.

183—186 Respicitur *antefixorum* haben-

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus, equum domitor: quem capta cupidine conjunx
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocăvit;
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidæ, neque enim nescimus et urbem,
Et genus, auditique advertitis æquore cursum,
Quid petitis? quæ caussa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis;
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)

dorum mos apud Romanos, cum in fastigiis non modo templorum, sed et privatarum ædium, affixa essent fictilia signa quadrigarum, spoliorum, armorum. In eo quod *rostra* v. 186. subjicit, historiarum fides non est deposcenda; nam navales pugnas vix fecerunt Latini. Possint naves ληςικαὶ in littore oppressæ intelligi.

187—191 Inter signa veterum heroum Pici inprimis statua conspicua, quam facile erit ex h. l. exprimere et delineare. Prisca aliqua gravitas imagini inest: *trabeatus* est, qui veterum regum erat habitus, cum *lituo* (ut adeo augurali scientia clarum fuisse necesse sit) et prisco armorum genere *ancili*. *succinctus trabea et lituo*, nota forma qua verbum binis adaptatur, cum de altero tantum proprie dicatur: lituo *instructus* saltem erat vel *insignis*, *conspicuus*: *Quirinalem lituum* ornate dixit, quo Romulus aliquando usus est, inprimis in urbe condenda; *Picus equum domitor*: Homericum ἱππόδαμος. *conjux* h. l. amans, ut et alibi vidimus Ecl. VIII. 18.

192 sqq. Excepti h. l. legati in *templo*, inde a v. 170. descripto, ex more. Et sic supra lib. I. 505. sqq. Dido publica negotia exequebatur in templo.

193—211 Simplicitate et proprietate commendabilis oratio, ut altera Ilionei fide et probabilitate cum gravitate. *auditique advertitis æquore cursum* eleganter pro noti estis. Sequentia v. 196. sqq. iis similia, quæ ap. Homerum occurrunt Od. γ, 71. sqq. 200. *qualia multa* sic ap. Homer. et alios οἷά τε πολλά. v. 201. ornate, pro, huc pervenistis. *portum* simpl. de appulsus loco et statione. 202. 203. Itaque Latini justi nec necessitate ulla nec legibus, sed *tenent se*, continent se, moderate et juste vivunt, institutis ac

Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrarit ad urbis,
Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Adcipit, et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viæ litusve fefellit:
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur, pulsi regnis, quæ maxuma quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis; Jove Dardana pubes
Gaudet avo; Rex ipse Jovis de gente suprema
Troius Æneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis:
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti

moribus a Saturno sancitis. Ita *se tenent*, qui se coërcent. 205. longo tempore obscurata est fama, ut a paucis senibus adhuc teneatur ejus rei memoria. *Auruncos* dixit, tamquam communis cum Aborigiuibus stirpis hominos. E pluribus de Dardano mythis poëta arripuit hunc, quo is dicebatur ex Tyrrhenis profectus Samothraciam et Troadem adiisse. *his agris*, paullo latius dictum; nam Dardanus ex Corytho seu Cortona Etruriæ oriundus ferebatur. *urbes Phrygiæ* loca ad incolendum idonea et a Teucro passim inhabitata, sub Idam. 210. 211. pro deo nunc colitur. *accipit* pro accepit; adeoque est pro habet, poëtico more, et *addit*, regia cæli, quæ eum accepit, h. e. hæc receptio in cœlum, *altaribus deorum numerum*, pro vulgari: auget altarium numerum, dum ipse divinis honoribus afficitur; addit, annumerat eum diis, quæ causa est, ut novum sacrum prioribus adjiciatur, adeoque novum templum, nova ara exstruatur.

215 *sidus* pro tempestate, *litus fefellit*, ignoratio littorum ac terrarum, *regione viæ*, pro simplici, via et navigatione instituenda ac regenda. *adferimur* pro exiliore, accedimus. In seqq. 216. sqq. multum dignitatis inest et magnifica oratio, inprimis v. 222. sqq., Trojano bello per tempestatem adumbrato; unde 228. *diluvium* pro excidio et vastitate. *de gente suprema*, de prima origine et stirpis exortu a Jove. *quibus fatis* pro successu rerum et eventu fatali; et *acti* h. l. est, vexati, calamitatibus afflicti. 225. 226. 227. ornate, pro omnibus gentibus. *si quem* (quemcunque) *summovet—dirimit*, simpl. de habitatione in loco longinquo et remoto: et, poëtico more, signate extremas terrarum oras ad Oceanum et ultra Libyæ deserta nominat. *refusum Oceano*, accipies simpliciter dif-

Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores; nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gratia facti;
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Æneæ juro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus et armis;
Multi nos populi, multæ (ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiere sibi et voluere adjungere gentes.
Sed nos fata deum vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus
Huc repetit, jussisque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim, et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi præterea Fortunæ parva prioris
Munera, reliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras;
Hoc Priami gestamen erat, quum jura vocatis
More daret populis; sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque inmobilis hæret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,
Quantum in connubio natæ thalamoque moratur;

fusum late et extentum. Sunt etiam *tellus extrema refuso Oceano*, fines terrarum quos ambit Oceanus, quatenus amnis instar terrarum orbem includit. *plaga solis iniqui*, zona torrida, nimis magno, infesto solis æstu, *extenta*, patens, propter camporum arenas, *in medio quatuor plagarum*.

228—230 sqq. Magna suavitas in extenuatione ejus quod petunt, *Diis sedem exiguam*, tum in sui commendatione modesta ac gravi. *Dis patriis;* a religione Penatium præclare facit initium ad movendos animos. *feretur* pro tenui voc. *erit*. *Trojam*, magna cum vi, pro Trojanis; ut toties *Trojam*, *Ilium*, *in Italiam inferri* vidimus. *fides*, dextra data, ad fœdera spectat, in quibus servandis strenuo fortique animo ac manu opus est. 240. *imperia deorum* sunt monita, ut jam alibi vidimus, et mox *jussa*. *Huc repetit*. ad Dardanum refe:unt interpretes: in hanc nos terram, unde orti sumus, repetit, revocat Dardanus et quasi vindicat. *Numicium* a fonte iterum designat, quoniam Lavinium urbs ad eum locum condenda est. Ponit porro, ut poëta, fluvium ad designandam terram.

243 *Dat* sc. Æneas. Dona commendat iterum a personis, quod alibi vidimus poëtam decere. cf. l. 647. sqq. 245. *craterem* vel *pateram* designat. Virtutem habet oratio, quod tamquam dramatice res representatur, non facta narratur. *Hoc Priami gestamen*

Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Di nostra incepta secundent,
Auguriumque suum! Dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari,
Adveniat; voltus neve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt: generos externis adfore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et, si quid veri mens augurat, opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in præsepibus altis:
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.

erat: cum his verbis sceptrum tradere putandus est. *jura d.* Jus dicere munus veterum regum. Sedent autem jus dicturi cum sceptro. *tiaras* improprie, nempe Phrygum pileus, quem aliis locis *mitram* dixit; v. sup. IV. 216. *sacer* tantum ad venerationem Priami valere videtur, ut augustum significet ornatum. *Vestes* autem sunt *Phrygiæ* vulgo dictæ, a Trojanis mulieribus acu pictæ, ἔργα γυναικῶν. Mox eadem *purpura picta.*

254 *Fauni sortem* sup. v. 95. sqq. 256. *paribus auspiciis,* communicato regno. Sic IV. 102. *Communem hunc ergo populum paribusque regamus auspiciis.* 258. *quæ viribus* h. fortitudine et virtute bellica; ut sit βίηφιν Homericum; nisi pro imperio dictum accipias.

259—267 *augurium suum* h. sortem, Fauni oraculum. *M. nec sperno,* lubens accipio, ut sæpe. *uber agri,* ubertas: v. sup. I. 531. 266. *pacis,* fœderis, et *tyranni,* regis, utrumque docte dixit, ut poëta.

268—273 Heroicæ vitæ mores ita ferre, ut virorum fortium nuptias orent aut filiæ aut patres, jam Servius notavit. Exemplum illustre Alcinoi Od. η, 311. sqq. *monstra,* ostenta divinitus missa: sunt quæ sup. 58. sq. 71. sq. exposita sunt. 271. *Hoc Latio restare,* Latinos manere hanc fortunam, ut gener filiæ meæ advena sit. 273. *Et reor, et opto, si quid veri mens augurat. opto* nihil aliud quam, eligo, amplector, generum probo, quia eum fato destinatum generum esse auguror.

275—285 Quod rex Latinus CCC equos eximios aluisse narratur, a vetere Latii habitu forte nimium quantum abhorret. Verum reliqua omnia aucta in majus et amplificata

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum geminosque jugalis,
Semine ab ætherio, spirantis naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Subposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjunx, aurasque invecta tenebat:
Et lætum Æneam classemque ex æthere longo
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ;
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput, hæc effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi—
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumtæ in Teucros vires cœlique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,

sunt, ut narratio gravitatem et carmen dignitatem haberet. *ordine*, deinceps, omnibus et singulis; nihil amplius. *ostro pictisque tapetis*, h. vestibus stragulis purpureis auro intextis vel acu *pictis*: unde mox, *tecti auro*. Petiit autem ex Homero, apud quem ὁι πάντες προφόρεοι occurrunt etiam inter munera: Iliad. ω, 230. *Monilia* non tam ex unionibus ac gemmis, quam omnino torques aurei vel phaleræ intelligendæ. *aurum sub dentibus* quis non videt esse frena? 280. seqq. Æneæ mittit equos, quorum genus adumbratum est ex Iliad. ε, 265. sqq. Nunc Circe, ingeniosa Solis filia, uni equorum patris submisit mortalem equam, hinc *nothos furata creavit*, h. e. furtim susceptam progeniem, pullum, nacta est. Nihil autem in poëtarum fabulis nobilius est solis equis. 285. Jungenda, *sublimes in equis*, ut sæpe, non, *sublimes donis dictisque*; sed *donis dictisque* pro, post talia d. seu cum t. donis dictisque.

286 sqq. Nova παρπίτια et rerum conversio inexpectata, cum jam ad eventum perducta viderentur Trojanorum fata. Iterum Junonis odio et ira poëta utitur. A Pachyno usque Siciliæ promontorio prospicit Latium; sc. supra illa loca in aëris regione invecta. Iter autem facere putanda Argis versus Carthaginem. Mox v. 291. *fixa dolore*, transfixa, ut vulgo *dolor infixus animo* dicitur.

Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Inmanem Lapithum valuit; concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianæ;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego magna Jovis conjunx nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea. Quod si mea numina non sunt
Magna satis: dubitem haud equidem inplorare quod usquam est.
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque inmota manet fatis Lavinia conjunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coëant mercede suorum.
Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo;
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis prægnans ignis enixa jugalis;
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit.
Luctificam Allecto dirarum ab sede sororum

304—309 Conf. lib. I. 39—49. non satis variata re. Vide paullo ante ad vers. 286. Utroque loco ad majores iras se exacuit Juno exemplis aliorum deorum, qui idem felicius ausi sint, propositis. 305. *concessit in iras*, ad pœnam et vindictam. 307. *Quod scelus* pro vulgari: quo tamen scelere aut Lapithæ aut Calydonii tantam pœnam meruerant? Scilicet *pœnam scelere merere* ad exquisitiorem formam revocatum est; ut adeo scelus dictum sit cum notione pœnæ.

308—319 *quæ potui*, h. sustinui, semel in eum locum me demisi, ut omnia auderem. *potui linquere* mera periphrasis simplicis formæ: *quæ liqui. immota manet fatis conjux*, exquisitius pro manent immota fata de Lavinia ab Ænea conjuge ducenda; conjugium hoc interverti nequit; ut lib. I. 257. *manent immota tuorum Fata tibi*. Dicta autem hæc secundum doctrinam Homericam: infectum fieri aut tolli id quod fatale est nequire: at differri posse.—317. *merces* pro malo et pernicie. *coëant* est conjungantur fœdere et matrimonio Æneæ et Laviniæ. *Bellona pronuba*, graviter dictum si e Junonis persona proferri memineris; nam proprie *Juno pronuba* est.

319—322 Non tantummodo *Hecuba, Cissei* f. *face p.* cum facem utero gerere somniaret (cf. inf. X. 704. 705.), *enixa est ignes jugales*, conjugales, peperit matrimonio filium, qui Asiæ incendium erat futurus; verum simili modo facem edidisse partu credenda erit Venus; similis ignis erit Veneri filius suus, Æneas, (exquisitius: *quin idem Veneri partus suus)*, et erit ille *alter Paris*, et erunt *iterum funestæ tædæ in Pergama recidiva*, h. e. nova hæc Troja, seu restituta Trojanorum fortuna, iterum experietur tamquam alterum Iliacum excidium.

323 sqq. Sequitur locus de *Alecto*, Furiarum una, ex inferis excitata a Junone, et Amatæ, Latini uxori, mox Latinis quoque matribusfamilias, tum Turno, Teucris quoque et Aboriginibus immissa, egregie quidem ille tractatus et ornatus.

Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere finis.
Tu potes unanimos armare in prœlia fratres,
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ:
Quam super adventu Teucrum Turnique hymenæis
Femineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic dea cæruleis unum de crinibus anguem

323—329 *horrenda*, ut *sæva*, pro irata. 328. *tot sese vertit in ora*, ad declarationem τῦ *monstrum* pertinere putandum. Non vultus mutationes, pro vario mentis habitu intelligere velim: sed *in tot ora*, sc. *sæva*, in tot horrendos vultus, in terribiles ac minaces oris habitus, ex eo, quod subjicitur, *Tam diræ facies*. Sæpius enim sic epitheta ex sequentibus retrahenda sunt ad priora.

330—340 *acuit*, cum dilectu, pro alloquitur, hortatur. *virgo sata Nocte*. Eumenides ἀὶ παλαιότεραι; esse, nota res. *Hunc mihi da proprium*; pro vulgari: singulare hoc mihi præsta, mea gratia suscipe. *infracta cedat loco*, cumulate pro infringatur, labefactetur, convellatur; hocque vulgarius diceres, imminuatur. *connubiis ambire Latinum*, docte, translatum ad socerum, quod puellæ debebatur: Nam *ambire puellam*, *conjugium puellæ*, propria sunt; doctius *ambire puellam connubio*; nunc ipsum *patrem puellæ*. Prohibe, ne Æneas matrimonio jungatur Laviniæ. *versare* est exagitare, vexare. 336. tu in ipsis ædium penetralibus flagris et facibus insequeris sceleratos. Hoc est, *inferre verbera* (pro flagris perpetuum poëtis) *et faces tertis—tibi nomina mille*, πολυώνυμος. Deorum potestates, vires, proprietates, facta, per *nomina* declarari, nunc nota res est. 339. *Disjicere* fortius, quam dirimere, rumpere; et *crimina*, quam causas. 341. *Gorgoneis A. infecta venenis*. Ex poëtica ratione *venena* pro serpentibus dicta, quibus Furia comas habet implexas; cum semel *venena* posuisset, *infecta* bene dicebat. Nihil igitur amplius cogitandum, quam: Exin Allecto, quæ caput anguibus horridum habet, petit etc. *Gorgonei* angues, quales Medusæ caput cingunt. 343. *tacitum* limen, aut pro tacite obsedit, aut quatenus de matrisfamilias cubiculo agitur in secretiore domus parte. Cerda ad curas retulit; sc. ut *tacita* sit Amata. Sed de solitudine est accipiendum, quæ cum cura et dolore mentis tacito bene convenit. 344. 345. Proprie dicimur *coquere iram pectore*, tum vero exquisite ipsa

Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestis et levia pectora lapsus,
Volvitur adtactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam; fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublabsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus inplicat ignem;
Necdum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius, et solito matrum de more, locuta est;
Multa super nata lacrimans Phrygiisque hymenæis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret natæque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine, prædo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,

ira dicitur *coquere nos* vel *pectus vostrum*, h. e. agitare, vexare. 346. *Huic*, in hanc. Mox 349. *lævia* epitheton egregie delectum, ut serpentis lubricum lapsum adjuvet. *fallitque furentem*, latet eam dum volvitur. Bene Servius *sine accipientis sensu*. Nisi malis jungere: *fallit inspirans*, ἴλαθεν ἱστνέων. Afflare autem putandus est serpens halitu venenato, tamquam furoris aura aliqua, pectus reginæ, circa quod errat, nondum illapsus, ut e seqq. patet. *tænia vittæ*; h. e. vitta, nisi proprie h. l. oras et vincula vittarum vel fasciarum dependentia *tænias* dixit, tortiles et serpentibus similes.

354—357 *luer*, ut *tales*, *sanies*, pro veneno, h. l. est halitus ille venenatus, unde *lues udo veneno*, quo afflatum Amatæ pectus. Ornat epitheton *udum* a natura rei tractum; nihil amplius. Ovid. modo non dissimili scorpium *nigri madidum sudore veneni* dixit, II. Met. 198. *Pertentat s.* subit, *ossibus implicat ignem*, quatenus flamma circumvolvitur: eadem vulgari oratione, ambire et involvere rem dicitur.

359—372 Oratio bene morata et argumentis instructa probabilibus et gravibus, sed breviter enumeratis. *Exsulibus T.* gravius quam Teucro; ut sup. 98. *Externi veniunt generi* et alia. Quantam vim habent illa: *nec matris m. Perfidus—prædo.* 363. *At non sic*, ut vulgo: quasi non simili modo Paris etc. *penetrat*; præterita res in præsens adduci potest, inprimis a poëta. *consanguineo*; filius enim est Veniliæ, sororis Amatæ. 372.

Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.
His ubi nequidquam dictis experta, Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera labsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Inmensam sine more furit lymphata per urbem.
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagæ: Non cursu segnior illo
Per medias urbis agitur populosque feroces.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, tædasque moretur:
Euœ Bacche, fremens, solum te virgine dignum,
Vociferans; etenim mollis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat; Furiisque adcensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, nova quærere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla comasque.
Ast aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.

mediæ M. Ex media Græcia ejus stirps ducta est. Dedit Turni originem a Danaë, Persei matre, quæ, cum iram patris Acrisi metueret, navi in Italiam est delata, ibique Ardeam condidit: contra quam vulgaris fabula ferebat.

373—377 Tentato ita Latini animo, cum eum videt *contra stare* (pro vulgari, resistere) eumque venenum (docte: *serpentis furiale malum*) interea in intima Amatæ præcordia penetravit etc. *monstra*, sunt terrores et phantasmata furentis animo objecta. 377. *sine more*, sine modo ac lege, discurrit per totam urbem. 378. *Turbo* lignum illud conoides, quo pueri ludunt, diversum a trocho, qui æneus vel alterius materiæ circulus est. *torto sub verbere*, flagello, mox *habena*. *vacua circum atria*, ornate, ante domum. *exercent*, agunt, versant. turbini *dant animos* (concitatiorem motum) *plagæ*, verbera ingeminata.

385 sqq. Inter eos homines, qui orgia Bacchi frequentabant, facile hoc in animum venire debuit feminæ, ut iræ furore acta, quum inviso genero subducere vellet filiam, Bacchico se teneri furore simularet, quo filiam iisdem sacris initiaret adeoque in silvas abduceret. 390. 391. *Etenim m.* certe quidem tibi, in tuum honorem, Bacche, ait illa filiam Bacchicis orgiis se initiare. Hoc extulit per attributa Baccharum: *thyrsos sumere, lustrare choro*, h. e. choros circa Bacchum ducere tamquam in medio stantem; dum Bacchico furore correpti præsentem eum sacris adspiciunt. *pascere crinem*. In sacris Bacchicis comam promissam et solutam

Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem; torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quæque, Latinæ;
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si juris materni cura remordet:
Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum.
Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini:
Protenus hine fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis,
Præcipiti delata noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis: et nunc magnum manet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra
Exuit: in voltus sese transformat anilis,
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos
Cum vitta crinis; tum ramum innectit olivæ;
Fit Calybe Junonis anus templique sacerdos;
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:

haberi et jactari solitam notum est. 392. sq. Idem furor Bacchicus cæteras Latinas matronas invadit. *nova tecta*, silvarum recessus. 396. *pellibus*. Pelles sunt nebrides; hastas *pampineas*, pampinis tectas. *pinum*, facem pineam. Omnia enim hic a sacris Bacchicis petita sunt. *piis animis*, pro vobis. 402. Si cura est, si jus maternum in filias tuendum vobis putatis. *capite orgia* exquisite, ut suscipere sacra, h. celebrare agere: at quo tandem consilio? qua spe? scilicet, ut sibi adsint, filiamque a nuptiis cum alieno viro vindicent.

406—413 Ad Turnum nunc Allecto procedit: postquam consilia Latini ab ea turbata eoque ipso causæ belli satæ erant, quo verendum erat, ne Latini domus everteretur. *acuisse*, pro excitasse. 408. Nota Furiam alatam ut jam ap. Eurip. Orest. 317. 410. Danaë igitur Acrisii f. cum Argivis fugæ comitibus navi vecta ad Rutulorum littus appulisse et Ardeam exstruxisse dicitur. 411. 412. Locus quondam a majoribus dictus est Ardea; et etiamnum nomen urbis magnum ac nobile manet; verum fortuna pristina urbis extincta est.

415 Allecto trinis modis furorem injicit, *Amatæ* per serpentem ex occulto immissum; nunc *Turno* per somnum sub specie anus oblata; tandem 475. sqq. *canibus* rabiem incutit. cf. sup. ad 323—329. *obscenam* simpl. pro, turpem. Observa autem epicæ orationis ornatum in hoc, quod vulgare illud "assumit formam anus rugosæ, canæ" resolvit in verba: *arat*, *induit*, *innectit*; h. e. habet innexas, et sic reliqua. 419. *Fit Calybe, anus sacerdos Junonis templique:* Si aliter jungis verba minus commode fit. Igitur sacerdos Ju-

Turne, tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium et quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur heres.
I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida quum nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri
Lætus in arma para, et Phrygios, qui flumine pulcro
Consedere, duces pictasque exure carinas.
Cœlestum vis magna jubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis, vatem inridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classis invectas Thybridis alveo
Non, ut rere, meas effugit nuntius auris.
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ verique effeta senectus,
O mater, curis nequidquam exercet, et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divum effigies et templa tueri:

nonis tali erat habitu, ut vitta et oleaginea corona vinctas haberet comas. *Junonem* autem merito posuit, quippe quæ Turni rebus studet, et cujus fuisse templum Ardeæ constat. 421. *patiere fusos* Græce, pro, patiere effundi. *et transscribi*. De voce *transscribi* v. sup. V. 750.; h. l. transferri ait regnum Latini dotale cum Lavinia ad exteros. 423. *sanguine*. Nam pro Latino sæpe pugnas suscepisse putandus est. 426. *tege pace Latinos* scil. avertendo et repellendo hostes. 430. *lætus* poëtis est simpl. alacer. *flumine pulcro*, est καλλίῤῥοῳ; ornans epitheton. Sic sup. 30. *amœnum*. 432. *Cœlestum vis magna*, magnum deorum numen. *Phrygios duces et carinas exure*, nota dicendi forma: alterum improprie. 433. *dicto parere*, pro vulgari, promisso stare se velle profitetur.

435—444 *vatem* simpl. pro sacerdote. *orsa* pro vulgari, dicta; ut, *solio sic orsus ab alto*. 440. 441. 442. Per senectutem vanis rumoribus captandis indulges. Docte ornata res. *Senectus te exercet curis nequicquam*, adeoque curis vanis, et *ludit te falsa formidine*; addit *inter arma regum* ut appareat qua super re illa suscepta sit. *Senectus* autem dicta, *victa situ*, annis fracta, infirmato corpore et animo, unde in metum pronior illa ætas esse solet; *situs* pro longo ævo exquisite, accedente cogitatione desidiæ et inertiæ; *verique effeta*, paullo audacius dicta, cui nihil veri judicii adest, vanis inhians, proclivior ad amplectendos falsos rumores, quam ad vera exploranda. Ut *frugibus* vel *frugum effœtus ager*, inhabilis longo usu et parum idoneus ad ferendas fruges; sic ætas illa inhabilis ad videndum verum et ad veros timores dijudicandos et a falsis discernendos. *Vatem* 443. æduituam νεωκόρον designat.

Bella viri pacemque gerent, *quis bella gerenda.*
Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi; tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quærentem dicere plura
Repulit, et geminos erexit crinibus anguis,
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore:
En, ego victa situ, quam veri effeta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad hæc: adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, et atro
Lumine fumantis fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit.
Sævit amor ferri, et scelerata insania belli;
Ira super; magno veluti quum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aëni,
Exsultantque æstu latices; furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis;
Nec jam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis juvenum, et jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit:

446 sq. **Exuit jam Erinnys** anum, et vera forma adstat. Præclara autem rei exponendæ ratio effectu ab initio statim posito: Turnum ita loquentem horror invadit etc. 447. *tot Erinnys*; nam horrendi angues ex capite sibilant et dira deæ facies vera apparet. *tanta* pro talis. 451. *verbera insonuit*, concussit, flagello increpuit. cf. sup. v. 386.

456 *facem injecit* in juvenem. 460. *arma fremit*, plus est, quam, deposcit, clamat. 461. 462. Elaborata oratio! pro, belli cupiditate et ira incenditur. *amor ferri* et *insania belli* unum idemque declarant. *scelerata* i. quoniam ad cædes, rapinas, et *scelera*, rapit, quæ proprie de bello dicuntur; at *super ira*, magis adhuc, quam amor pugnæ, sævit, furit ira.

462—466 Fundus comparationis in Homero Iliad. φ, 362. sqq. Sed ornatu verborum superat Virgilius. *Costas* ollæ (sed gravius nominavit *aënum*) dixit ut χάλκεον τρίπoδος Hom. Od. Σ, 437. Ornate reliqua quoque: *Fumidus amnis aquæ*, vapor, *furit intus atque alte spumis exuberat*, spumat.

Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet atque juventæ;
Hunc atavi reges; hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus inplet,
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis;
Arte nova; speculata locum, quo litore pulcer
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, et noto naris contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quæ prima laborum
Caussa fuit, belloque animos adcendit agrestis.
Cervus erat forma præstanti et cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, et late custodia credita campi.
Adsuetum imperiis soror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, mensæque adsuetus herili,
Errabat silvis; rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Conmovere canes: fluvio quum forte secundo
Defluēret, ripaque æstus viridante levaret.
Ipse etiam, eximiæ laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti deus afuit; actaque multo

467—474 *polluta pace*, violata jam a Latino, erepta sibi conjuge sperata. *venire* est gravius, quam esse; ut alibi monitum. *divos in vota vocavit*, invocavit votis.

472—474 Rutuli se acuunt ad bellum, alii pulcritudine, alii nobilitate Turni, alii virtutis fama erecti.

475 sqq. Principium belli inter Latinos et Trojanos cervus venatione interemtus. Reprehensum hoc jam apud Macrob. V. 17. et hinc a multis tamquam tenue et vi epica destitutum. Nolo defendere poëtam. Totus hic locus de caussis belli in Trojanos concitati parum placet.

477 *arte nova*, cum alia fraude, novum dolum meditata. 480. *prima laborum caussa fuit*. Primum initium calamitatum, quæ insequutæ sunt.

484 *Tyrrhidæ pueri*, pro Tyrrhei filii. Tyrrhus erat regii armenti magister, apud quem Lavinia Silviam enixa est: *soror* sc. puerorum, Tyrrhei filia. 490. χαρίεν et ὁμοτράπεζον fuisse dicit. cf. Guell. 492. *Ipse*, Αὐτὸς pro *αὐτομάτως*.

491—495 Cervus post natationem (eleganter *defluere* pro natare) in ripa se ab æstu recreabat. Ergo jam *defluxerat*; et sane canes eum reficientem se commoverunt, ex-

Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque inploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agrestis.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera silvis)
Inprovisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis; quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans inmane securi.
At sæva a speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli; et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus, et silvæ intonuere profundæ;
Audiit et Triviæ longe lacus; audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua fontesque Velini;
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ; nec non et Troia pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve præustis;

citarunt. 498. Turbas faciunt in *erranti*. Res expedita erit, si cogites inverso sensu dictum: *erranti deus abfuit*. ita ut aberraret. Nunc negationem addidit: *Nec deus abfuit*, adfuit fortuna, *dextræ erranti*, sic ut ea non aberraret. *acta venit* plenius pro adacta est. 500. *nota tecta*, τὰ ἤθεα. In miseratione cervæ, placidæ et mansuetæ ferae vss. 500. sqq. notabilem artis sagacitatem adhibuit poëta.

505 *pestis*; Furia. Latet enim illa in silva ad speculandam nocendi rationem et viam. *Torrem obustum*, quis non videat esse sudem præustam? *cuneos coacto* pro adacto cuneo dixit.

511 *stabulum*, pastoris tugurium. 513. Fuit scilicet idem, qui nunc in agris est, mos, buccina convocandi ruricolas, repentino aliquo metu, periculo, vel incursu. 515. *profundæ* cum dilectu. In intimis magnæ silvæ recessibus audiebatur vox. 516. *Triviæ lacus* est Lacus Aricinus cum Nemore et Templo Dianæ nobilissimo; cf. inf. v. 761. Nunc *Lago di Nemi*, non longe a vico *Gensano*. Paullo remotior ab his locis versus septentrionem est *Nar*, qui inter Sabinos et Umbros ad Tiberim descendit, *sulfureis aquis* satis notus. In proximo *Lacus Velinus*, amne Velino inter montium juga super Reate stagnante. 521. *Indomiti agricolæ*. Ornans epitheton; sim-

Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent
Sole lacessita, et lucem sub nubila jactant:
Fluctus uti primo cœpit quum albescere vento,
Paullatim sese tollit mare, et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum TyrrhI fuerat qui maximus, Almo
Sternitur; hæsit enim sub gutture volnus, et udæ
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virum circa, seniorque Galæsus,
Dum paci medium se offert; justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Inbuit, et primæ conmisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, et, cœli convexa, per auras
Junonem victrix adfatur voce superba:
En, perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic, in amicitiam coëant, et fœdera jungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros:
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,

pliciter accipio duros, asperos. *nec non et T. p.* Castrorum portis reseratis mittunt auxilium Trojani. Vulgari oratione, copiæ effundunt se, effunduntur, ἐκχέονται. Mox v. 525. 526. *seges*, pro, agro: isque adeo pro acie: eleganter autem *acies* statim per segetem effertur et reliqua ad eam attemperantur; qui comparandi modus exquisitæ est venustatis.

527 *Sole lacessita* venuste pro percussa radiis.

532. 533 *vulnus* pro sagitta, ut II. 529. et *inclusit*, pro intercludit, *iter vocis udæ*, traducto epitheto a gutture, per quod vox emittitur; proprie *iter udum*. 536. 539. Homerica arte Galæsi memoriam nobis commendat et miserationem facit, cf. Iliad. ε, 612. 613. 614. Quod *ditissimum* eundem et *justissimum* exhibet, ad primæ vitæ mores comparatum est. Illud vero præclare: *Dum paci medium sese offert*, ut jam Macrob. IV. 4. monuit.

540 sq. *æquo Marte*, pari utrinque belli fortuna, pugna in neutram partem inclinata. *sanguine bellum imbuit*. Servius, initiavit. Scilicet, proprie *Latini imbuebantur sanguine* (ut v. 554. *sanguis novus imbuit arma*), inducebantur, trahebantur, prima cæde facta, ad bellum. cf. inf. 547. Doctius ipsum *bellum imbuitur*, instituitur, sanguine. 543. *per auras, cœli convexa*, junge, verbo motus omisso, v. c. evecta. 546. *Dic*, ironice, tamquam ἀδύνατον. 548. *hoc addam, in bella feram*, rapiam, doctius quam, ad bellum accendam.

Finitimas in bella feram rumoribus urbis,
Adcendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.
Tum contra Juno: terrorum et fraudis abunde est.
Stant belli caussæ; pugnatur comminus armis;
Quæ fors prima dedit, sanguis novus inbuit arma.
Talia connubia, et talis celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super ætherias errare licentius auras
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Talis dederat Saturnia voces.
Illa autem adtollit stridentis anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiæ medio sub montibus altis
Nobilis, et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles: densis hunc frondibus atrum
Urguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens:
Hic specus horrendum, sævi spiracula Ditis,
Monstratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit faucis; quis condita Erinnys,
Invisum numen, terras cœlumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Inponit regina manum. Ruit omnis in urbem

552 sqq. Dignitatem orationi Junonis inesse facile agnoscas. *Stant h. caussæ.* Burmannus: certæ, fixæ, sunt. *Stare* omnino pro esse, ut Gr. ἱστάναι usurpant, ne exilitate vocis poëticam vim frangant. Eo referendum: *stant prælia*, et similia. Uti autem hac voce possunt poëtæ, quia *stare* dicitur illud quod constitutum, paratum, effectum est. 559. Reliquos belli casus ipsa moderabor.

561—571 Nova Furiæ species, quod non modo alata est, (ut sup. 476.) verum quod serpentes alis implicitos habet. Etsi res ita accipi potest, ut angues, qui pro comis sunt, inter volatum vento impulsi inter alas commotas strideant. 565. *Amsancti vallem* ad Hirpinos spectare, post Ciceronis et Plinii disertam fidem, non est quod dubitari possit. *Italiæ medio* non debebat urgeri; est simpl. in Italia. *sub montibus*, qui tamen situ paullo remotiores sunt: sed silva olim inde a montibus ad planitiem protendi potuit. In vallis medio, amnis fertur cum impetu et fragore. *Hic specus horrendum:* non addit, an amnis illud fecerit. *latus nemoris* eleganter collis nemorosus, qui tamquam latus lacus facit. *saxis et vortice*, h. e. vorticibus aquarum, vorticoso amne, inter saxa fundi. Potuit hic olim specus esse odorem sulfureum exhalans. *numen invisum*, μισητόν. *levabat* eleganter pro, relinquebat. Res enim, quas abominamur, gravant nos.

Pastorum ex acie numerus, cæsosque reportant
Almonem puerum fœdatique ora Galæsi;
Inplorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine cædis et ignis
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admisceri Phrygiam; se limine pelli.
Tum, quorum adtonitæ Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis, neque enim leve nomen Amatæ,
Undique conlecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deum, perverso numine poscunt;
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes inmota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; scopuli nequidquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique inlisa refunditur alga.
Verum, ubi nulla datur cæcum exsuperare potestas
Consilium, et sævæ nutu Junonis eunt res:
Multa deos aurasque pater testatus inanis,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus;

573 sqq. Præclare hæc ad πάθος movendum. 577. medias inter criminationes, quas in Trojanos jacit, metum injicit fore ut cæde et igni omnia misceantur. *se limine pelli*, pro regno, domo, regia.

580—582 Auctoritate reginæ commoti filii seu propinqui feminarum, quæ Bacchārum more *thiasis*, choreis Bacchicis, *insultant nemora*, thiasos in silvis agunt, coëunt et Latinum bellum poscunt. Proprie *fatigant* Latinum clamoribus ac precibus super Marte seu bello faciendo. Hinc *fatigant*, exposcunt, *ipsum bellum*. Solet enim poëtæ *fatigare* de iis actionibus dici, in quibus quis fatigatur; est igitur precibus flagitare; cf. inf. VIII. 94. et sup. I. 280.

583. 584. *contra omina*, respectu ad apes et ardentes Laviniæ comas. sup. v. 64. sqq. *contra fata deum*, Fauni oraculum v. 81. sq. *perverso numine*, pro adverso, irato, Serv. Nescio tamen, annon potius esse debeat, perversa, conturbata et infirmata deorum voluntate.

593 *auras*, cælum, manibus sublatis obtestatur. *inanes*, epitheton perpetuum aëris et ætheris. 594. fato se vinci ait, quatenus non suum, sed cæcum turbæ consilium, h. temerarium impetum et furorem, sequi cogitur. *Sacrilego—sanguine*, quatenus ipsi Aborigines sacrilegi, impii, habendi sunt, qui contra deorum voluntatem bellum suscipiunt fœdusque ictum violant. *has pœnas*, docte, *pro scelere hoc* pœnas. 598. 599. Sibi rex paratum esse ait refugium in morte vicina,

Funere felici spolior. Nec plura locutus
Sæpsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxuma rerum
Roma colit, quum prima movent in prœlia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Sunt geminæ Belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ et sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora; nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas, sequitur dum cetera pubes,
Æreaque adsensu conspirant cornua rauco.

nec sibi eripi aliud, præterquam, ne, ut felix vixerit, ita felix beatusque moriatur. Sententia expedita est; sed de verbis ambigi potest: ego *omnis*, totus, sum *in limine*, aditu, *portus*; in portu jam tantum non navigo. *funus* pro ipsa morte.

599. 600 Quod Latinus regni munia prorsus deserit, tenendum est, ad Turni nomen illustrandum, ita res attemperatas esse, ut is summam imperii tenere videatur. Facile enim intelligitur, cum semel Turnus ad Æneæ virtutem illustrandam insigniore laude celebrandus esset, fieri hoc non recte potuisse, si secundas partes ageret et alterius auspiciis res gereret.

601—622 Egregium et epicæ majestati consentaneum poëtæ commentum, dum bellum motum et illatum narraturus erat, primum morem patrium Jani reserandi arcessere, tum ad deæ ministerium eam rem referre, unde augusta rei species exoritur.

601—606 *Latium Hesperium*, non aliter quam Hesperia Italia. *protinus* h. l. jugiter, ut bene Serv., perpetuo ab eo inde tempore. *urbes Albanæ*, coloniæ. Nam Alba XXX oppidorum Latinorum mater. *maxima rerum*; res maxima. *cum prima movent* (ad Romam hoc referendum propter seqq.) *in prœlia Martem* nove dictum, vulgo *movetur bellum, Mars*; nec quicquam adjicitur: tum quoque *moventur arma* (pro quibus *Martem* dixit; nam adjecit *in prœlia*). 604—606. Splendida est oratio. Bellis enim cum extremis orbis terrarum populis gerendis imperii R. majestas præclare declaratur. Quod *Getas* narrat, non est urgendum; voluit tantum fines imperii ad Danubium declarare. *Auroram sequi* magnifice, ad extremum Orientem usque progredi. *Bellum* autem *lacrimabile* est Homericum πολύδακρυς Ἄρης, πολυδάκρυτος μάχη, δακρυόεις πόλεμος.

607—610 Vides hic exemplum fabulæ veteris nova interpretatione interpolatæ. Romæ Jani templum conditum, ex Numæ, ut aiunt, instituto clausum vel apertum belli pacisque habebat indicia. Hoc vero ornavit poëta remque ita expressit, quasi in eo templo Bellum et Mars vincti tenerentur, custode in foribus Jano. Contrario commento Horatius Janum clausis foribus cohiberi, tamquam pacis auctorem et custodem II. Epist. 1. 255. *claustraque custodem pacis cohibentia Janum*. *Belli* autem *portæ* proprio nomine dictæ videntur. *ferri robora*, ornate, pro ferro simpl. seu ferreis repagulis. *nec custos absistit*, videri potest Jani signum in ipso templi aditu (ἐν προνάῳ) stetisse.

611—615 *Has* portas, *stridentia limina*, reserat Consul trabeatus. Trabea *Quirinalis*, dicta, puto, quod uti Regibus, ita ipsi Romulo, trabeæ fuerat usus. Plinius VIII. 48. s. 74. *Trabeis usos accipio reges*. Recte

Hoc et tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristisque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, et cæcis se condidit umbris.
Tum regina deum cœlo delapsa morantis
Inpulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia atque inmobilis ante;
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt.
Pars levis clipeos et spicula lucida tergunt
Arvina pingui, subiguntque in cote securis;
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique, et turrigeræ Antemnæ.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum cratis; alii thoracas aënos,
Aut levis ocreas lento ducunt argento;
Vomeris huc, et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus ensis.
Classica jamque sonant; it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementis
Ad juga cogit equos; clipeumque auroque trilicem

itaque Maro antiquissimum Latii regem Picum trabea vestiebat sup. v. 187. 188. *cinctuque Gabino*, a Gabiis translato et sacris servato. *vocat pugnas:* ut sup. v. c. III. 253. *vocantur venti*, velis expansis excipiuntur, ita nunc pugnandi potestas datur, et admittitur, indicitur bellum. Mox v. 615. classicum canitur. 616—662. orationis copiam observa et ornatum in singulis. cf. sup. ad v. 601.

623 *inexcita atque immobilis ante* v. vs. 43. *Pulverulentus;* nil frequentius hac imagine motæ pugnæ vel cursus concitatioris, vel industriæ et studii: *κόνις. ἐγκονεῖσθαι. κονίσαλος.*

629 sqq. Verbis tantum inesse video hoc: non modo agrestes confluxisse, verum etiam magnas urbes bellandi studio exarsisse. Quinque autem numerat ut poëta, cui omnia definite efferenda sunt. Debuit tamen harum Latii urbium præcipuum nomen esse antiquissimis temporibus: in finibus quidem, occidentem versus, Crustumerii et Antemnarum, ad orientem autem Latii, Atinæ in Volscis. *Tiburque superbum* a magnificentia partim ex opibus et cultu, partim ex situ in edito loco. Ne metrum repugnaret, pro *Crustumerio* cives *Crustumeros* dixit. nisi CrustumerI fuit pro Crustumerii: quod verum esse suspicor. 632. *Alii* galeas cudunt, aut *salignas Umbonum crates*, scuta de vimine facta, coriis inductis. 636. *recoquunt*, instrumenta illa rustica liquefacta recudunt. *it tessera*, signum bello, h. e. diditur, distribuitur. *trilicem aureis* lamellis, triplici ordine sibi innexis.

Loricam induitur fidoque adcingitur ense.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ
Conplerint campos acies; quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim, divæ, et memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemtor divom Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus equum domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequidquam ex urbe secutos
Mille viros; dignus, patriis qui lætior esset
Imperiis et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum,
Victoresque ostentat equos, satus Hercule pulcro

641 sqq. Enumerationem quæ sequitur, Homerici navium catalogi exemplo esse adumbratam, obvium. Ab eodem Homero Il. β, 484. petita est Musarum invocatio; et recte, tamquam in rebus a prisca memoria repetitis. Cum Græcarum urbium et populorum enumeratio, tamquam in re communi Græciæ consensu suscepta gestaque, ad singulorum oppidorum laudem et gloriam avitam pertinere videretur, multa Homerus simpliciter nomine designare potuit. At Latii urbes pleræque aut solo erant æquatæ aut antiquo splendore exciderant. Necesse igitur fuit poëtæ commemorare paucas, et commendare eas a vetere fama et antiquis fabulis, inprimis de iis, qui eas condiderant. Quod ad ordinem, quo urbes recenset poëta, attinet, etsi vana ea de re virorum doctorum est subtilitas, non tamen videntur observasse, ab occidente Latii ad orientales usque fines eum progredi.

641—646 *pandite Helicona.* adeste et dicite. ἴσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι. 643. Sunt hæc in laudibus Italiæ. *jam tum,* præclare dixit, ad laudem sui ævi, tacita quidem comparatione. 644. quos populos bellantes habuerit. 645. 646. ex Homer. conversi Iliad. β, 485. seq. κλέος. *fama,* et doctius *famæ aura.*

647—654 Quod Mezentium Agyllæ Lucumonem inter socios Latinorum memorat ab antiqua fama mutuatus est. *Tyrrhenis ab oris Mezentius,* oriundus ex Etruria. Pulsus enim Cære apud Rutulos tunc agebat. *Lausus, quo pulcrior a.* Imitatio Homerici Nerei Il. β, 673. 674. *corpore Turni* pro *Turno,* nota ex Græcis forma. Idem Lausus *equum domitor,* ἱππόδαμος, *debellatorque ferarum*: quod Homerico exemplo in laude viri fortis posuit. 652. Agyllæ seu Cære tyrannidem tenuerat. *nequicquam* jungam cum *sequutos,* qui ei in pugna cadenti frustra erant adfuturi. 653. *dignus p. qui lætior esset Imperiis,* ornate, dignus, qui meliore patre gauderet; ad patrem autem declarandum *imperia* non minus valent, quam in filio *obsequium.*

655 sqq. Aventinum tamquam unum ex heroibus Homericis inducit cum curru, quo victoriam ludis curuli certamine obtinuerat. Eundem exhibet clipeatum vs. 657. quod ferri potest; sed eum paullo post v. 666. eundem leonis exuviis indutum incedere narrat, in eo fateor me poëtæ diligentiam et judicium desiderare; nam diversorum vitæ priscæ temporum fuit, spoliis ferarum tectum esse, et de curru armatum pugnare.

655 *insignem palma currum* simpl. intelligo νικηφόρον, ἀθλοφόρον, quadrigas, quæ præmium cursus obtinuerant. Lauri vel palmæ insigne currui infixum recentioris moris ne sit vereor. *Hercule pulcro Pulcer A.* co-

Pulcer Aventinus; clipeoque insigne paternum
Centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram;
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,
Geryone exstincto, Tirynthius adtigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu sævosque gerunt in bella dolones;
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipse pedes, tegumen torquens inmane leonis,
Terribili inpexum sæta, cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus;
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur:
Ceu, duo nubigenæ quum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem

gitandum est de pulchritudine herois, qui robore corporis omnes mortales superavit. 657. 658. Tragicorum more clipeum dat Aventino insignitum hydra. *Centum angues cinctamque serpentibus hydram;* eleganter variata oratio pro vulgari: *hydram centum cinctam serpentibus.* Cæterum poëtæ de parvis et tenuibus parum laborantis generosam incuriam observes, in hoc quod hydram nunc *centum*, at lib. VI. 576. *quinquaginta* capitibus horrendam exhibuit.

659—663 Bellum Poëtæ commentum a Rheæ Silviæ, quam Mars compressit, exemplo ductum: Herculem actis per Italiam Geryonis armentis cum Rhea sacerdote consuevisse, unde natus sit Aventinus heros. *mixta μιγεῖσα θεῷ. Laurentia arva*, ut poëta, latius dixit; nam apud Evandrum, qui tum loca circa Palatinum et Aventinum tenebat, deverterat Hercules.

664—669 *gerunt* scil. Aventini comites. *Pila* bene memorat, tamquam Romanorum et Italorum telum. De dolone unice amplectendum est: quod e Varrone affert Servius: esse ingentem contum cum ferro brevissimo. *Mucronem teretem* ex usu loquendi non nisi de gladio exiguo accipi posse puto. *Sabellum veru*, verutum, jaculi seu teli missilis genus. Samnitium quidem proprium hoc telorum genus, *σαυνίον* dictum. Jam, cum Samnites Sabinæ gentis propago sint, etiam Sabinis idem hastæ genus sollenne esse, aut saltem tribui potuit, unde *veru Sabellum*. Nisi commune fuit populorum Latii et reliquæ Italiæ. Sic Ge. II. 168. *Volscos verutos* vidimus. 666. *tegumen leonis*, cui nunc *sæta* tribuitur, ut inf. 790. bovi, sunt exuviæ: has *torquet*, retorquet, in cinctum corporis. Easdem exuvias ita accommodat capiti, ut rictus pellis pro galea sit. *albus* tantum ornans esse videtur epitheton. In ceteris scabra est oratio. Saltem jung. *Ipse pedes* sc. pugnat, *torquens tegumen—indutus* (illud s. illo) *capiti:* (indutum caput habens eo) *Sic regia tecta subibat Horridus.*

670—677 In condenda urbe Tibure tres fratres consociasse operas suas narrantur, Amphiarai, qui ad Thebas ab terra haustus interiit, Argivi filii. *gentem*, ut poëta, narrat, cum *urbem* dicere debebat quod passim obvium: v. 673. *προμάχοιλαι* heroum Homericorum exemplo, procurrentes ante aciem. 674. *nubigenas* Centauros cum prisca loquendi ratio appellasset, quod altissimos Thessaliæ montes, ex quibus Othrys et Homole sunt, inhabitabat gens fera et silvestris,

Linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens
Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus. Hunc legio late comitatur agrestis:
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
Hernica saxa colunt; quos, dives Anagnia, pascis,
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei currusve sonant: pars maxuma glandes
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat
Bina manu; fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Messapus, equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Jam pridem resides populos, desuetaque bello
Agmina, in arma vocat subito, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies Æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva,

fabula eam locis intra nubes editis habitantem a nube repetiit, quam Ixion pro Junone erat amplexus. 677. *cedunt virgulta* sc. perrumpentibus. Tum *virgulta* pro silvis.

678 sqq. De Prænestе fabula domestica veterum Latinorum affertur, de conditore urbis Cæculo, cum infans esset, in foco reperto, et pro Vulcani filio habito. *genitum inter pecora* jungere fas est, non, *regem inter pecora*. 682. *altum* a situ. 682. 683. *Gabinæ Junonis*. Pelasgorum religio in Latium illata, unde *Juno Lanuvina* et hic *Gabina*. 684. qui *Hernica saxa colunt*. Si verum est quod a Festo et Servio traditur, *Sabinorum*, seu Marsorum lingua, *herna*, saxa vocata fuisse: docte poëta *Hernica saxa* dixit; erat autem Hernicorum ager saxosus circa *Anagniam*, quam divitem cur dixerit, ex Silii imitatione intelligitur, XII. 532. 533. *surgit suspensa tumenti Dorso frugiferis Cerealis Anagnia glebis*: ergo fertilis est. Jam *roscida rivis* quod ait, rivi esse possunt nulli præterquam Trerus et Cosa. *Amasenus* supra Setiam in Volscis ortus Privernum prætergressus per Volscum agrum in mare apud Circeios exit. 686. *sonant* eleganter pro, *sunt*. 688. seu ut lupi exuviæ caput tegant, cf. v. 666. seu ut galea e lupina pelle facta sit. 689. lævum pedem nudum, dextrum perone, h. corio crudo, καρβατίνῃ, tectum. Alibi lævum autem pedem seu ocreatum seu alio modo tectum et munitum legimus, quod ipse status pugnantis postulare videtur, quandoquidem pedi lævo insistit eumque anteriore in vestigio ponit is, qui aut funda glandem, aut qui jaculum emittit, aut arcu sagittam. Probabile adeo fit eos scuto usos, quo lævum crus tectum esset. *vestigia instituere*, statuere, ponere, pedem, de gradu militum pugnantium.

691 sqq. *Messapi* obscura est fabula; sufficit eum fuisse bellatorem invulnerabilem. *equum domitor*, ut v. 651. *Lausus*. 692. invictus, igni et ferro. *fas*, δυνατὸν. 695. Quæ sequuntur urbes, in Etruriæ parte ad Tiberim vergente quærendæ sunt. *Falisci*, seu *Falerii*, nec longe ab his *Fescennia* cum

Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Quum sese e pastu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos; sonat amnis, et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet: aëriam sed gurgite ab alto
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ;
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentis rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque, et flumen Himellæ;

Flavinio, s. *Flavina*, dudum e medio sublata. *Capena*, Faliscis contermina, cum *luco Feroniæ* in agro Capenate sito. Quod autem *Æquos Faliscos* appellat, ad antiquum Faliscorum nomen spectat, *Æquum Faliscum*; ab Æquis enim vel Æquiculis et Æquanis traxerant illi nescio quid.

698 *æquati numero* æqualibus numeris h. ordinibus. Notabile adeo fuit, hos certis ordinibus incedere et inter incessum cantus habere.

699 Comparationem ex Homer. Il. β, 459. sqq. et Apollon. IV. 1300. sqq. adumbratam esse in oculos incurrit. Virgilio propria vis in illis: *cum sese e pastu referunt* et dant modos per *longa* colla. *Asia palus*, campus palustris ad Caystrum. *pulsa* scil. modis, sono.

703—705 Ut agmen incedebat cum cantu et tripudio, nemo putaret illud ad pugnam faciendam incedere. *miscentur acies*, dum congrediuntur, pugnant: sollenni vocabulo. 704. 705. Vix hoc commode satis ad cygnos referri potest: malim de avibus, v. c. gruibus, accipere agmine austrinas plagas ultra mare petentibus. v. sup. VI. 310. Inest alia difficultas in comparationis ratione et vi: num comparatio ad *ordines incedentium æquatos* spectet, an ad *modos canoros* et carmina. *Scilicet ut incedebat agmen cum cantu, e longinquo aliquis volucrum cum clangore volantium gregem, non viros militares accedere putasset.* Videat pro se quisque, an talem comparationem probandam judicet; poëta tamen vix aliam sequi potuit, si grammaticam rationem et sententiarum ordinem expendas. Hæsit in hoc vestigio jam Trappius et Jos. Wartonus. Omnino tamen illa: *Nec quisquam putet—sed*—pro variatione formulæ comparandi habenda memineris, nihilque aliud voluisse poëtam declarare, quam: *et erat agmen simile agmini volucrum.*

706—709 Commode gentis Claudiæ originem ab Atta, vel Atto seu Attio, Clauso arripuit, etsi vulgo auctor stirpis habebatur ille Clausus, qui quinto a regibus ejectis anno cum clientibus Romam Regillo in Sabinis venerat. *prisco de sanguine Sabinorum* jungunt fere post Servium alii omnes: neć male cum Sabinorum stirpem vetustissimam esse constet. Suavior tamen videtur mihi junctura: *Clausus, prisco de sanguine, agens agmen magnum Sabinorum, magnique* etc.

710—717 *prisci Quirites* h. Curites, Curenses, ex Curibus Sabinis. *Mutusca* est Trebula Mutusca. *Nomentum* sup. lib. VI. 773. inter colonias Latinas nominatum; est

Qui Thybrim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, et Hortinæ classes, populique Latini;
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis,
Vel quum sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.
Scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus.
Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris; et quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora; quique Cales linquunt; amnisque vadosi
Adcola Volturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclydes illis
Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello.
Lævas cætra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Œbale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret

eb eo via Nomentana dicta. *Rosea*, seu *Campi Roseæ*, in agro Reatino, ad lacum Velinum, summa fertilitate celebres. *Hortinæ classes* simpl. pro copiis, a classibus, quæ populi partes sunt. *populi Latini*, oppida Latinorum in agro Sabino vel Sabinis accenso. 718. 719. Mare tempestatibus vexatum sub Orionis occasum, qui fit ineunte hieme, circa Decembris initia. 720. 721. *sole novo*, prima æstatis parte, scilicet *Sol* nunc est pro æstivo tempore, solis æstu, dictus. *Lycia*, aspera et saxosa regio nescio an alibi fertilitatis laude celebretur. Fidem tamen poëtæ facit Phrygiæ et Lydiæ, quam Hermus alluit, vicinia. Cæterum observandum est, aut v. 718. (id quod facere præstat) cum superioribus jungi et *tam multi* suppleri; ut sit: et hi quidem *tam multi* incedunt, *quam multi* fluctus vel aristæ sunt. Aut distingui potest 717. post nomen. *Quam multi* nova sententia facta, cui apodosis supplenda sit: tam multi erant in eo agmine: pro quo subjicitur declaratio: *Scuta sonant p. p.*

723 sqq. *Halesus* adducit populos e priscis Aurunconum et Oscorum sedibus; oriundus is ab Agamemnone, seu inter ejus comites olim habitus et post ejus cædem Italiam profugus. *rapit Turno*, nova elegantia, pro adducit. Proprie vim et festinationem innuit. *Aurunci* ultra Lirim, in Campania, montium juga, *Sidicini* camporum planitiem tenuisse dicuntur poëtæ, nam *æquora* nulla alia sunt quam camporum. 730. *aclidas*, seu *aclydas*, jacula: *flagello*, amento, h. e. loro aptata, illigata, quæ emitti et retrahi possent. Mox *falcati comminus enses* scil. armant, ex anteced. *tegunt*, sed simplicius est accipere: *f. enses* ipsis sunt *comminus*, quoties cominus pugnatur.

733 *Teleboæ*, relicta Tapho, quæ una ex Echinadibus insulis Acarnaniæ objectis erat, Capreas occupasse dicuntur. Rex eorum *Telon*, ex Nympha, Sebethi fluvii ad Neapolin filia, suscepit Œbalum, qui in continente loca circa Sarnum in Hirpinis et in extrema Campania occupavit. 735. *Capreas*, *Teleboum regna*, insulam, quam Teleboæ

Jam senior; patriis sed non et filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarrastis populos, et quæ rigat æquora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent atque arva Celennæ,
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ:
Teutonico ritu soliti torquere cateias;
Tegmina quis capitum raptus de subere cortex;
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misere in prœlia Nersæ,
Ufens, insignem fama et felicibus armis:
Horrida præcipue cui gens, adsuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicula glebis.
Armati terram exercent, semperque recentis
Convectare juvat prædas, et vivere rapto.
Quin et Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comtus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit; neque eum juvere in volnera cantus
Somniferi, et Marsis quæsitæ montibus herbæ.

incoluisse dicuntur. *Sarrastes*, Sarni fl. (quem olim *Sarrum* pronuntiatum esse appareret) accolæ. 739. *æquora* camporum, ut vs. 729. 740. *quos despectant m.* videtur altum in monte situm habuisse hoc oppidum, unde prospectus erat in agros et camporum planitiem. 742. *Cateia*, teli genus, hoc loco Teutonibus tributum, quo nunc Sarrastes et Hirpini utuntur. Vocem Celticam esse, quæ omnino longius hastæ genus designet docuit nuper Bullet (*Diction. Celtic.* T. II. p. 286.) *Mox suberis cortex*, recens detractus, in galeam inflecti et formari debuit.

744—749 Sequuntur *Æqui* vel *Æquiculi*, qui ad utramque Anienis ripam habitarunt. Oppidum eorum obscurum *Nersæ*. 747. *Æquicula* (sc. gens; nam hæc jungenda; sic *Æquicula rura* Silius dixit; adjectiva forma) *duris glebis*, cui est ager asper et aratu difficilis, declarat *gentem horridam et venatui deditam*. Hinc etiam rapto vivebant, cum, unde viverent, paratum et conditum non haberent. cf. IX. 609. sq. 613.

750 *Marrubiam* gentem exquisite dixit, ab urbe præcipua, pro *Marsis*. Ducit hos sacerdos *Umbro*, cujus soror fuit *Anguitia*, Nympha. *Umbronem* sacerdotem, quam regem, adducere maluit, forte quoniam fama antiqua ille notior erat, quippe qui serpentes deliniret incantatione. *fronde—et oliva*, nota forma poëtici sermonis pro fronde olivæ, qua sacerdos ornatum caput habuit apud Marsos. 753. *graviter spirantibus*, afflatu nocentibus. 754. *manuque*, de tactu accipiatur. Est hoc genus domandi et sopiendi angues satis notum, quod manuum contactu fit. 756. Suavis hæc rei serius gestæ anticipatio, ut et mox orationis conversio, v. 759. 760. utraque tamen jam in Homero obvia. cf. Iliad. β, 858. sqq. *in volnera* docte poëtæ dicunt,

Te nemus Anguitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcerrima bello
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria et superas cœli venisse sub auras,
PæonIs revocatum herbis et amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis et artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit in undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphæ Egeriæ nemorique relegat:
Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviæ lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.
Filius ardentis haud secius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus

pro, ad vulnera sananda. *Fucinus lacus* inter Apenninorum montium juga; ad quem *lacus Anguitiæ* fuit.

761 sqq. In *nemore Aricino* Diana peregrino more culta, quem Scythicum ediderunt veteres. In eodem templo *Virbius* heros indigena divino honore habitus. Maro Hippolyti filium facit Virbium, ex Aricia nympha susceptum et in Egeriæ luco ad urbem Ariciam educatum. *pulcerrima bello* jungunt interpp. Ergo erit, insignis, clara, conspicua, ex καλός. Præstat forte, *ibat bello*, ad bellum; multo tamen magis malim jungere tertio loco *bello insignem*: ne *insignem* nudum frigeat. *Egeriæ* fons et *lucus*, in quo educatus fuit Virbius, ad Ariciam est. 763. *humentia littora*, ad lacum Aricinum, ubi ara Dianæ seu templum. 765—769. *arte novercæ*, dolo, τέχνῃ Phædræ. *explerit sanguine pœnas*, nove dixit, ut exsolvere, exhaurire, dare, quantum imperatum est, morte luere. *turbatis* pro consternatis. *ad sidera r.* ornate pro revixisse. *Pæoniis herbis* simpl. pro medicantibus, medicis, a Pæone deorum medico, Apolline. De Æsculapio Phœbi f., quod mortales in vitam restituerat, a Jove fulmine percusso, obvia est fabula. 775. *relegat*, legat, mandat, tradit, commendat. 778. Religiosus igitur erat mos, ut ad lucum curru vehi nefas esset: Causa ab Hippolyti quadrigis rapti fortuna arcessitur. *haud secius*, etsi equi a luco parentis arcebantur, haud minus tamen filius eos agitabat.

783 sqq. *vertitur* docte ad animi corporis-

Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est:
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignis:
Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam sætis obsita, jam bos,
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, et picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque jugum; quis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco;
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter vallis atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentis ære catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervæ

que vigorem designandum, movet, agit se, pro incedit. *supra est*, ὑπερέχει. 785—788. galea, Chimæra ornata, furente in prælio Turno, inter motus rapidos et multiplices ita coruscet, ut Chimæram, quo magis pugna exardescat, eo magis flammas spirare dicat. Est autem *galea crinita triplici juba*, ἴχουσα τριῶν λόφων; quam τριφάλειαν dictam volunt pro τριφάλεια. 787. *illa* Chimæra; non galea, etsi paulo durius. 789. sq. In clipeo expressa Io cum Inacho fluvio: nam ab hoc ducebat genus Turnus. *sublatis cornibus Io* ornate pro Io cornuta. *Argiva pubes*: pertinet ad originem Turni et colonos Argivos qui cum Danaë ad Italiam venerant. *Auruncі* h. l. sunt qui cis Lirim habitabant. *Sicanos*, int. reliquias ex iis, quæ ad Tiberim in Rutulorum finibus consedisse videntur. *Sacrani* Ardeatium agmen videtur fuisse e vere sacro natum aut certo numini, forte Magnæ deum matri, consecratum; obscura enim rei est memoria. *Sacrumque Numici Littus*: proprie ipse Numicius amnis sacer, ἱερός. *Anxur* Volscorum nomine Jupiter appellatus, pueri forma in numis occurrit; ut adeo cum Vejove comparari possit, de quo Ovid. Fast. III. 437. sq. Idem urbi Anxuri, mox, Tarracinæ, nomen dedisse videtur: cujus ager h. l. per arva, *quis Jupiter Anxurus præsidet*, declaratur. Ad tertium inde lapidem *Feroniæ lucus*, fons et templum. Fuit ea ex diis Latii Indigetibus, mox modo inter Nymphas relata, modo cum Junone comparata et pro Jovis Anxuris conjuge habita. *Satura palus* circa Ufentem amnem ad paludes Pomtinas spectasse videtur, quæ, viginti trium urbium solo occupato, tamen olim non tam late per agrum Pomtinum, ac nunc, patebant.

803 De Camilla vid. inf. XI. 533. sq. Penthesileæ exemplo eam poëtæ ingenio esse subnatam nullus dubito. *florentes ære catervas* h. splendentes, fulgentes. Sic ἀνθηρός et ἀνθεμόεις pro ἄνθων, et τὸ ἄνθος, τὸ ἄνθε-

Femineas adsueta manus; sed prœlia virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeris nec tingueret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem,
Adtonitis inhians animis: ut regius ostro
Velet honos levis humeros; ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

μον de fulgore auri: unde Pind. Ol. 2, 130. ἄνθεμα χρυσοῦ φλέγει. 806. *sed adsueta pati prælia dura*, virgo cum esset, etc. Velocitatis denotationem v. 808. sqq. temere reprehendunt viri docti. Nec illa utique convenit nostris sensibus; sed, cum Maro ea uteretur, a vetustate quasi per manus erat tradita; expressit enim Iliad. υ, 226—229. de equabus Erichthonii. *Ferret iter*, docte, ut *f. pedes*.

812 sq. Ornate, quæ simpliciter Homerus dederat Τὸν δ' ἄρα πάντες Λαοὶ ἐπερχόμενον θηεῦντο Od. β, 13. ρ, 64. In reliquis argutantur interpp. Indutam illam puta chlamyde purpurea: is est *regius honos, qui velat humeros ostro*, dum ipse ex *ostro* est. Accipio *fibulam* de acu: in media fibula est acus, quæ mordet laciniam: potuit adeo et fibula pro acu dici: et *Lyciam* dixit pharetram, ut solent poëtæ præstantius genus designare: sic *arcus Cretici. E myrto*. hastilia. v. Ge. II. 447. et *pastoralis myrtus* de jaculo, quo pastores utuntur.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Belli signum Turnus ex Laurenti arce proponit, Latiique totius finitimarumque urbium sibi auxilia adjungit. Venulus quoque Argos ad Diomedem mittitur, ut eum periculi similitudine ad belli societatem impellat—17. Quibus rebus permotus Æneas, copiarumque suarum paucitati diffidens, Tiberini monitu, adverso flumine in ea loca subvehitur, in quibus postea Roma condita fuit; Evandrique regis, qui, in Arcadia profugus, in Palatino monte oppidum nomine Pallanteum condiderat, auxilium implorat—100. Evander Æneam, adventus ejus caussa cognita, benigue hospitio excipit; sacrisque Herculis, quibus tum intentus erat, adhibitum, caussam a Caci nece repetitam 185—267. ritusque sacrificii edocet, locaque ejus tractus nobiliora obiter hospiti recenset 310—369. Postridie Æneas, equitum quadringentorum subsidio adjutus, quibus præerat Pallas, unicus Evandri filius, partem copiarum secundo flumine ad suos remittit: ipse cum reliquis Agyllam, florentissimam Tyrrhenorum civitatem, petit; cui cum Mezentio, quem ob intolerandam crudelitatem regno expulerat, internecina odia intercedebant 454—519. Interim Vulcanus, uxoris blanditiis adductus, privigno suo arma fabricatur 370—453. eademque a Venere ad Æneam deferuntur; qui armorum pulchritudine delectatus, cum cetera omnia tum clipeum inprimis, qui res a posteritate sua strenue gerendas habebat depictas, studiose admiratur 520. *ad f.*

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu;
Utque acris concussit equos, utque inpulit arma:
Extemplo turbati animi; simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitque juventus

1 In regnis antiqui ævi summa rerum erat apud populum: ejusque voluntatem seu impetum exsequebatur rex. Bellum adversus Trojanos plebis studiis susceptum erat, renitente frustra Latino; tandemque quod senectutis infirmitas et solitudo suadere poterat, rerum summam prorsus derelinquit. cf. VII. 600. Turnus succedere in partes Latini debuit: quo assumto in carminis argumentum nactus est heroëm, quem ornaret poëta, et quem Æneæ opponeret. *signum* puto per ipsa illa *cornua* vs. alt. explicari. Sic sup. VII. 512.

3 Simplicissimum est de apparatu bellico accipere: ubi Turnus equos et arma in medium produxit: extemplo totum Latium ad

Effera. Ductores primi Messapus et Ufens,
Contemtorque deum Mezentius, undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros,
Advectum Ænean classi, victosque Penatis
Inferre, et fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasque viro se adjungere gentis
Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis, quem, si Fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi, aut regi adparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aënis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat: et terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Quum pater in ripa gelidique sub ætheris axe
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.

bellum est inflammatum. Nam *simul* simpl. est copula. *concussit*, concitavit adhuc otiosos. *impulit*, movit, adeoque manu tractavit et protulit.

9 seqq. Ad Diomedem, qui auxilia petant, mittuntur, propter communem originem Græcam, quæ Turno tribuitur. Diomedis autem in eos, qui Troja capta profugerant ejusque iræ se subduxerant, inflammatus esse debebat animus. *Venulum* ex antiqua fama adscivit poëta, quantum ex Servio colligas. Hunc, inquit, fuisse constat Argivum: nam Tiburs est, ut indicat locus XI. 757. Hunc alii Lavini imperasse olim tradunt. *urbs Diomedis* Argyripa est. *et dicere se posci regem fatis.* sup. VII. 272. *Hunc illum voscere fata Et reor* etc. vocabulo fatis proprio. 16. *ipsi*, qui jam antiquus ejus sit hostis.

20 De verbis cf. sup. IV. 285. 286. At comparatio sublecta est Apollonio Rhodio III. 754. seq. ornata a Marone. Laudata comparatio multis, quippe in qua observata rerum dissimilium similitudo delectet. Nec tamen minus delectat ea propterea, quod animi status et affectio re sub oculorum intuitum cadente præclare expressa est. *imagine Lunæ* est pro ipsa Luna, cujus sane imago in aquæ superficiem incidit ab eaque redditur.

26 sqq. Iterum per novum visum fatalis rerum ordo declaratur. Sub dio Æneas obdormiit, *seramque dedit per membra quietem*: ducta loquendi forma ex altera, qua *som-*

Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter senior se adtollere frondis
Visus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crinis umbrosa tegebat arundo;
Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
O sate gente deum, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus; certi, ne absiste, Penates;
Neu belli terrere minis. Tumor omnis et iræ
Concessere deum.
Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, jacebit;
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum:
Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina;

mus didi per corpus, spargi per membra, dicitur.

31 *deus loci ἐπιχώριος θεός*. Ripa Tiberis populis esse debuit prætexta. 33. *tenuis carbasus glauco amictu*, pro glauca palla carbasina humeris vel femori fluviorum injecta in signis veterum. 36. 37. *Trojanam ex hostibus urbem Qui revehis nobis*. idem orationis color, qui in illis: *Ilium in Italiam portans:* tua stirpe et Penatibus sacrisque adductis cum reliquiis Trojanorum. *revehis* autem propter stirpem Dardani fabulosam ex Italia. v. sup. III. 167. sq. 38. *exspectate* propter deorum vaticinia; nempe *expectata*, quæ prædicta sunt. 40. *Concessere* h. resederunt. Si dicas, necdum tamen Junonis iram in Trojanos cessisse seu placatam fuisse; si quidem comparas IX. pr. X. 62. vanam eam esse reputa.

42 Hoc jam Helenus vates prædixerat lib. III. 388. sqq. 47. *Ex quo:* ex quo tempore, quando: cum aliquando: Scilicet *hic* non est urgendum, in loco suis inventæ: sed in his terris XXX annis elapsis Ascanius Albam Longam condet. *clari cognominis*, ab *alba* sue nominatam, et XXX inde anno conditam.

51 sqq. *Evander* cum matre Carmenta seu Nicostrata, vate, ex Arcadia profectus, Pelasgos suos in loca circa Tiberim adduxit, et in monte, qui inde Palatinus dictus, oppidum Pallanteum, mox Palantium et Palatium ap-

Hos castris adhibe socios, et fœdera junge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem,
Cæruleus Thybris, cœlo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit.
Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,
Ima petens. Nox Ænean somnusque reliquit.
Surgit, et, ætherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac talis effundit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
Adcipite Ænean, et tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus, miserantem incommoda nostra,
Fonte tenet, quocumque solo pulcerrimus exis:
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.
Adsis o tantum, et propius tua numina firmes.

pellatum, condidit. Fuerat jam in Arcadia Pallantium pagus, et inter proavos Pallas, a quo hi Arcades orti dicuntur poëtæ: *genus a Pallante*, h. e. Pallantis progenies. Idem nomen filio Evandri impertitum. 53. *in montibus*, ne arguteris; est, *in monte* Palatino: et v. 57. *recto flumine* recto fluminis itinere. 59. *primisque cadentibus astris* sub primum diluculum; nam poëtis sidera cursu noctis exacto occidere dicuntur. v. ad lib. II. 8. 9. *Junoni fer rite preces*, quod idem Helenus sedulo monuerat lib. III. 435. sqq. 61. *victor* h. omnibus ex voto peractis. 64. *Cæruleus*. Atqui, flavus est Tiberis, et luteus, ut satis notum. Scilicet nunc deo communem fluviorum naturam dat. *cœlo gratissimus*, Θεοφιλής.

65 Circa has easdem oras surget aliquando magna urbs, Roma. Quod in vaticiniis facere mos est, res futura effertur tamquam præsens, *exit* pro *exibit*. *celsis caput urbibus* poëtica oratio, pro: *caput urbium*. Tum ea urbs, dicta *domus* dei Tiberini, quatenus ille in ea consecrabitur et ut deus coletur. Mox *lacus* vel pro alveo, vel quod malim pro profundo, fundo fluvii, adeoque pro ipso amne.

67 ἰμὰ δὲ γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν Homer. 69. *rite undam Sustulit*, manus lavit, tamquam precaturus. Nihil amplius. 71. *genus amnibus unde est*: quatenus Nymphæ fontium sunt deæ. 73. *arcete periclis*, liberate, finem laborum facite. 74. Expressit Statius IV. Theb. 832. *quacunque domo gelida ora resolvit* etc. *lacus*, uti v. 66. pro ipso amne. Nisi docte de ipso fonte dixit, quo aquarum scaturientium copia colligitur in lacum. cf. ad Georg. IV. 319. 75. ad formam Od. λ, 238. structus est. 78. *numina*, tuum mo-

Sic memorat, geminasque legit de classe biremis,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem, subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Æneas tibi enim, tibi, maxuma Juno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant; rumore secundo
Labitur uncta vadis abies: mirantur et undæ;
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum, fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridisque secant placido æquore silvas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem:
Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident; quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit: tum res inopes Evandrus habebat.
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem

nitum per somnum. 80. armis proprie. cf. v. 93. 81. vide modo ad v. 42. Mox 84. *enim* asseverative, ut *vero*, pro utique *σοί γε δή*, nec vacat quod putant grammatici. 87. Jung. l. *ita substitit, ut*, l. quod forte magis poëticum: *ita substitit:* eo modo, sicut erat; cum ita factum esset. Sequitur: *ut* adeo *mitis* etc.

90 *rumore secundo*, cursu secundo, etsi amne adverso (nam solvunt littore Laurentino in ostiis Tiberis et superiora fluminis petunt): fere quod X. 687. *Labitur alta secans fluctuque æstuque secundo. Rumor* enim, secundum Guellium, dictum olim est de murmure aquæ carina et remis percussæ, qua navis a puppi propellitur, adeoque omnino de motu aquæ. v. 91. *unctam* pice *abietem* ab Ennio accepit. 93. *carinas pictas*. v. ad V. 663. 94. *remigio noctemque diemque fatigant;* est epica audacia. *Cœlum clamore, silvas venatu, nivem cursu, amnem remis, fatigare*, passim in poëtis. Est scilicet, quod satis constat, proprie *fatim agere*, valde, crebro, movere, tractare, agitare rem, adeoque omnino in re aliqua versari, vel eam frequentare. Porro poëtæ tempori tribuunt tamquam actum ab eo id, quod in tempore fit. 96. *placido æquore*, alveo fluvii, *secant silvas*, navigant inter ripas silvis consitas.

102 sqq. Egregia carminis œconomia, qua belli cum Latinis gesti argumento per se tenui et pauperi copiam rerum et narrationum conciliat poëta. Offendit Æneas Evandrum sua sacra facientem Herculi; rerum species objicitur augusta religionibus, et hominum sæculique simplicitate placens. Eadem v.

Amphitryoniadæ magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes juvenum primi, pauperque senatus,
Tura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, et tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse;
Et procul e tumulo: Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere superbo.
Evandrum petimus. Ferte hæc, et dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantis.
Obstupuit tanto percussus nomine Pallas:
Egredere o, quicumque es, ait, coramque parentem
Adloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis adfatur amicis:
Optume Graiugenum, cui me Fortuna precari,
Et vitta comtos voluit prætendere ramos;

185. sqq. adducit episodium de cæso ab Hercule Caco, tamquam sacri instituti causa et origine. 103. Herculi cum cæteris Diis. 108. *tacitis remis*, nullum aquarum strepitum moventibus; in amne placido: ut modo vs. 86—89. vidimus. 111. *Sacra* sunt h. l. eadem quæ modo *mensæ*, scil. epulæ sacrorum, quibus peracto sacrificio tum vacabant, quasque mox instaurant 172. 175. *vetat*, scil quia sacra turbare et interrumpere nefas erat. cf. inf. 173. 115. *puppi*. Scilicet, cum v. 101. *proras advertissent*, ut ad littus accederent, mox navi inhibita et in puppim retro remis acta puppim obvertebant littori.

117 *tela inimica Latinis* memorat propter v. 55. *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina*. Hinc quoque metus conspectis viris armatis major esse debuit v. 109. Graviter et illud: *Quos illi bello profugos egere*, cum Latini tantum nollent sedem Trojanis in suo agro concedere; Additur invidiæ causa *superbo*, ipsi superbi, superbe ὑβριστικῶς. 119. *ferte hæc*, nuntiate. 124. *dextramque amplexus inhæsit*, pro, dextram amplexus est, *eique* inhæsit, (ex Homerico: ἓν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρί) et hoc pro simplici: manum prehendit. Nihil amplius ad sensum, sed ornate.

128 *comtos*, simpl. pro ornatos.

Non equidem extimui, Danaum quod ductor, et Arcas,
Quodque ab stirpe fores geminis conjunctus Atridis;
Sed mea me virtus, et sancta oracula divom,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacæ primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros; Electram maxumus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbis.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit;
At Maiam, auditis si quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus, non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me, me ipse, meumque
Objeci caput et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant,
Et mare, quod supra, teneant, quodque adluit infra.

130 *ab stirpe geminis conjunctus Atridis.* Cognationis gradus esse potuere plures, nec dici potest, quemnam poëta sequutus sit, quo cum Atridis conjunctus esset Evander. Omnino utrumque genus a Jove ducebatur. Tum a sororibus, Atlantis filiabus, et Evander et Atridæ oriundi erant; ab iisdem Atlantis filiabus, Pleiadas vocant, alia cognatio mox v. 134. sqq. inter Evandrum et Æneam deducitur: Nam Dardanus Electra et Jove natus, Evander autem Mercurii, cui Maia mater, filius perhibebatur. Præclare autem et ingeniose poëta hac generis conjunctione utitur ad caussas amicitiæ inter Evandrum et Trojanos serendas. 131. *mea virtus*, respicit illud; *non extimui*, confidentia, et animi fiducia ex meæ virtutis conscientia, quam eandem confido apud te loco aliquo et auctoritate habitum iri. *Oracula divom* a Sibylla accepta. *cognati patres*, per Atlantis filias, Dardanus a Jove et Electra, Mercurius a Jove et Maia natus, ut modo vidimus, et ut mox disertius narrat. *conjunxere* h. adduxere me, ut me tibi adjungere studeam. *volentem:* Homerico more, quo ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ obvium est.

136 *advehitur Teucros* h. ad Teucros; s. Troadem, quam Teucer tum tenebat, advectus est; Dardanus ibi Dardanum urbem condidit, Ilus autem filius Ilium: hactenus itaque poëta dicere potuit: *Iliacæ primus pater urbis et auctor.*

143—145 Præclari versus. Hunc amo amplectorque Æneam! Junge: *non pepigi tentamenta tui prima per legatos neque per artem;* non prius te tentavi per legatos et callida consilia. *pangere* proprie non est pacisci, sed figere, constituere, facere; ex eo, quod *pangi*, figi, dicuntur ea, quæ decreta sunt, etiam sunt pacta. *per artem* ad consilia cauta et callida spectare, quibus alterius voluntatem vel exploramus vel captamus, quis non videat? *meum objeci caput.* Etiam Gr. Σφὰς γὰρ παρθέμενοι κεφαλὰς Odyss. β, 237. et ψυχὰς παρθέμενοι Odyss. γ, 34. *gens Daunia*, Rutuli.

Adcipe, daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, et rebus spectata juventus.
Dixerat Æneas. Ille os, oculosque loquentis
Jam dudum, et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrum,
Adcipio adgnoscoque libens! ut verba parentis,
Et vocem Anchisæ magni voltumque recordor!
Nam memini Hesionæ visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protenus Arcadiæ gelidos invisere finis.
Tum mihi prima genas vestibat flore juventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenali ardebat amore
Conpellare virum, et dextræ conjungere dextram.
Adcessi, et cupidus Phenei sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quæ nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo et, quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra:
Et, lux quum primum terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes.
Nobiscum, et jam nunc sociorum adsuescite mensis.
Hæc ubi dicta, dapes jubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili;
Præcipuumque toro et villosi pelle leonis

157 sqq. Hoc vero ingeniosum et elegans est poëtæ commentum, quo Priamum fingit Salaminem, Hesiones, sororis, Telamoni Herculis sodali nuptæ, visendæ caussa, hincque Arcadiam adiisse, ut Evander ejus notitiam habere posset. Sane quidem qui Homerum legerit, facile is in hoc commentum incidat; sed facere hoc debito loco et tempore, id vero est quod ingenium poëtæ commendare debet. 160. *vestibat flore*, πύναστν. 165. *Pheneum* posuit priscam Arcadiæ urbem, passimque in fabulis, Herculis maxime, memoratam, tamquam sedem majorum. 166. ex noto ritu τῶν ξενίων, munerum hospitalium, ex quorum pretio et arte tanto major honos accrescebat ei, qui ea acceperat. 171. *auxilium* et *opes* h. ea, quibus ad bellum gerendum Trojani instrui et ornari poterant.

177 Nolim jungere *præcipuum toro*, quod impedit reliqua; sed *accipit præcipuum*; reliquos Æneæ socios in gramine collocat, Æneam autem, præcipuum et principem in-

Adcipit Ænean, solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim aræque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul et Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.
Postquam exemta fames, et amor conpressus edendi,
Rex Evandrus ait: Non hæc sollemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Inposuit: sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Jam primum saxis suspensam hanc adspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu;
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inadcessam radiis; semperque recenti
Cæde tepebat humus; foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignis, magna se mole ferebat.
Adtulit et nobis aliquando optantibus ætas

ter eos, collocat in solio ex acere, cui torus est impositus pelle leonis instratus. cf. inf. 367. 368. *invitat solio*, ad solium. 179. *aræ sacerdos*, non enim templum erat Herculis, sed ara, maxima dicta. 181. Onerant canistra donis *laboratæ Cereris*, frumenti elaborati, labore confecti panis; *viscera* autem sunt pro carnibus. 183. *Perpetui tergo bovis* expressit Homericum Νῶτα ἄνακτι, Il. ι, 321. *lustralibus extis*. aliter accipi vix possunt quam quod eorum usus aliquis præcipuus in lustrationibus erat: non quidem tum, nam heroicis temporibus in epulis sacris exta apponebantur, ut h. l. sequentibus tamen ætatibus, quibus exta inspiciebantur et cremebantur; a Romanis autem etiam in sacris expiatoriis immolari ea solita esse, satis constat: v. c. in Fordicidiis Ovid Fast. IV. 637. 638. 670. sq.

187 *vana superstitio* deserens priscorum deorum cultum, a vetere religione desciscens, et *vana*, temere innovata, nullo certo animi judicio. 189. *novamus* dictum de sacro anniversario. Sacrum igitur fit *Herculi Servatori*.

193 sqq. De Caco fabula Italorum domestica fuit: ornata a poëtis Romanis variis modis. Ut autem poëta pro episodio fabulam adhibere posset, veniam dabat carminis consilium Romanorum originibus et nomini consulturi. Nam a Caco interemto sacri Herculi ad *aram maximam* fieri soliti origo repetita.

194 *facies Caci* pro Caco. 196. *superbus* est sævus, atrox. 199. *magna se mole ferebat*, simpl. ad habitum corporis vastamque speciem refero, pro, *incedebat*: sed assumsit notionem vasti corporis; id quod ad βράχυλογιαν facit.

Auxilium adventumque dei. Nam maxumus ultor,
Tergemini nece Geryonæ spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentis; vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quærenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, quum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Inpleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu nodisque gravatum
Robur; et ætherii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum videre timentem
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit, ruptisque inmane catenis
Dejecit saxum, ferro quod et arte paterna

202 Herculis nomen variis Italorum fabulis implicuit antiquitas; et peragratæ ab Hercule Italiæ vestigia ubique ostentabant. Quid? quod adeo *via Herculea* inde ab Italia usque ad Celticam fuisse narratur. 208. *Avertit*, abigit, ut I. 527. *raptas ad littora vertere prædas*. tum *intractatum* pro vulgari intentatum; nam junctum τῷ *inausum*. *a stabulis* autem, a pascuis, in quibus procubuerant. 209. 210. Hoc a Mercurii furtis adumbratum. *versa viarum indicia*, sunt vestigia pedum. *ferebant* se.

216 Herculem cum armentis puta progressum jam ab altera montis parte processisse. *colles clamore relinqui*, h. a bubus; præteriri, superari boum clamore et mugitu: ut ultra colles procederet auditus mugitus et usque ad Caci speluncam perveniret. Ita passim *relinquimus* eum, quem superamus, inprimis cursu, et *loca relinquimus*, per quæ transimus, adeoque clamor relinquit montes, quos superat, ultra quos auditur. Obvia magis, tenuis tamen esset oratio, si acciperes: *colles relinqui* a bubus discedentibus *cum clamore*. 219. *furiis*, per furias, iram. 220. *arma* sunt ipsa clava.

226 *ferro et arte paterna*, catenis ferreis a Vulcano elaboratis suspensum erat saxum,

Pendebat, fultosque emuniit objice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius; omnemque
Adcessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequidquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avolsam solvit radicibus; inde repente
Inpulit: inpulsu quo maxumus insonat æther;
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At specus et Caci detecta adparuit ingens
Regia, et umbrosæ penitus patuere cavernæ:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, et regna recludat
Pallida, dis invisa; superque inmane barathrum
Cernatur, trepidentque inmisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem, neque enim fuga jam super ulla pericli,
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine cæca,

quod demisit et aditum obstruxit, *postes fultos emuniit*, ornate pro muniit fores, *objice*, saxo illo objecto pro obice: quod idem vs. 231. *saxea limina*. Catenas ferreas ab usu istius sæculi alienas bene temperavit poëta adjecta artis Vulcani memoratione.

236. 237 Stabat saxum, sed prominens, πρηνὲς, ἐπιῤῥηπὲς, in tergo antri versus Tiberim, et in ripa fluvii ita situm, ut ad lævam ei amnis esset; amni ex adverso, ita ut a dextra ripa ei esset, stetit Hercules et saxum labefactavit, ita ut illud in amnem prolaberetur. 242. *regia* ut de Æoli antro *aula* lib. I. 140.

245 *diis invisa*, argutatur Burmannus post Ruæum et alios dum interpretatur non visa, ut *invisus* lib. II. Æn. 574. Sed in loco Homerico quem poëta expressit, Iliad. υ, 65. satis manifesta sunt οἰκία—τά τε ςυγέουσι, θεοίπερ h. *abhorrent*, *aversantur*, δεδοίκασι; mox 245. *super* pro desuper. 248. *insueta rudentem*, insolito et horrendo more vociferantem. Frequens et obvius apud poëtas usus vocum talium a clamore animalium traductarum, quem illustrare nihil attinet. *molaribus* simpl. pro grandibus saxis; et *rami* quoque pro stipitibus et truncis.

Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
Fumiferam noctem conmixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Præcipiti injecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Conripit in nodum conplexus, et angit inhærens
Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolsis;
Abstractæque boves abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribilis oculos, voltum, villosaque sætis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignis.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri
* Hanc aram luco statuit, quæ Maxuma semper
* Dicetur nobis, et erit quæ maxuma semper.
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris,
Communemque vocate deum, et date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit;

256 *animis*, præ ira. *undam*. Georg. I. 472. *Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam*—Ornate omnia. *nebulaq. i.* pro, qua parte specus densissimus est fumus; ut *mare, ignis*, æstuat, sic nunc *fumus*. 260. 261. elidit fauces Caci arto brachiorum nodo constricti: more Herculis, quo leo et Antæus fuit occisus. *in nodum* doctius quam nodo, per nodum. *complexus corripit* ornate pro complectitur. 263. *abjuratæ rapinæ*; respicit epitheton rem supra non memoratam, sed intellectu facilem: Cacum perjurio negasse se boves apud se habere.

268 Hinc sacrum celebrari cœpit, quod posteri traditum servarunt, ita ut adhuc anniversarium sollenne agamus. 269. sq. conf. sup. ad v. 193. sq. Narrata res a Liv. I. 7. et IX. 29. *custos*, antistes, quæ curaret sacrum. Inversa autem oratio pro: Potitius et Pinarius: seu Potitii et Pinarii. In eodem sacro, *capite* erant *aperto*, qui sacra faciebant: unde mox 274. 277. coma frondibus cingitur.

273 *tantarum in munere laudum*. *Laudes* dicuntur poëtis pro virtutibus et strenue factis: ergo *in munere laudum* erit in honorem tanti facinoris, quo de nobis meruit Hercules. cf. sup. 185. sq. 274. Sequitur locus de libatione. *Porgite*, non ut alter alteri ex ordine poculum præbeat, aut omnibus famuli; sed quod libatio fit manu exporrecta et prolato poculo. Mox idem: *date vina*. *Communem deum* Trojanis et Arcadibus, communi fœdere junctis, hospitibus et amicis. 276. 277. caput cinxit *populea* corona: quod *populus Alcidæ gratissima* et quidem alba; hoc norunt omnes. *bicolor* tamen, variante

Et sacer inplevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam læti libant, divosque precantur.
Devexo interea propior fit Vesper Olympo:
Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
* Instaurant epulas, et mensæ grata secundæ
* Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercæ
Monstra manu geminosque premens eliserit anguis;
Ut bello egregias idem disjecerit urbis,
Trojamque Œchaliamque; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembris
Hylæumque, Pholumque manu, tu Cresia mactas
Prodigia, et vastum Nemea sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci

scilicet candore in foliorum frontibus et tergis. Populo successit usus lauri in sacro Herculis.

278 *Scyphus*, proprie h. l. dictus, in re Herculi sacra: notante Macrobio V. 21.

280 *devexo Olympo:* cælo, circumacto motu diurno, inclinante se. 283. Religiosum ritum describi in aperto est, quo ignis in ara instauratur, et circum aram saltatio cum hymno instituitur. Certe sacerdotes *flammas ferebant—Tum Salii ad cantus incensa altaria circum saltant.* Ergo et reliqua eodem referenda et inter instauratum saltem sacrum epulas quoque instauratas fuisse dicendum, quas easdem more inusitato per *mensam secundam*, seu *mensæ secundæ dona* declarat. *pellibus in morem cincti:* Ergo ex vita antiqua, qua pellibus incincti esse solebant homines, mansit hic mos sacri in Lupercis; uti 285. Salii huic sacro adhibiti sunt.—*oneratis lancibus* ad turis copiam refert Cerda: sane tus etiam lance apportabatur, non modo acerra. Servius exta h. l. lancibus apponi ait: idque sequi præstat. Ita dum exta cremantur in ara, epulæ interea instaurantur.

285 *Salii* apud Romanos Martis erant sacerdotes ex Numæ instituto, ut creditum fuit. At h. l. poëta Herculi Salios assignat, quandoquidem in vetere Latio Saliorum nomen commune sacerdotum fuisse videtur a saliendo; omnis enim olim res sacra cum tripudio et cantu conjuncta erat. *Chorus* h. l. est περιβώμιος et ἐγκύκλιος. De populea corona vid. ad v. 276. Illud quoque notabile, quod Salii seniores et juniores memorantur. Quæ sequuntur v. 288. sqq., hymnorum veterum in Herculem argumenta sunt, oratione a poëta præclare in hymni formulam conversa v. 293. seqq., ut ipsa narratio dramatis naturam induat. Observandum quoque artificium poëtæ, quo oratio variatur et invertitur tu occidisti tu prostravisti *Œchaliam:* quo nomine urbes fuere Messeniæ, Thessaliæ, et Euboeæ. *fata Junonis*, quæ Junonis odium fecerat. *Cresia prodigia*, τέρας taurus Cnossius: quem vivum ad Eurystheum adduxisse narratur. Ergo *mactas* solito more ita posuit, ut, etsi de uno tantum proprie dictum, pluribus membris esset accommodatum, aut aliam fabulam sequutus est. 296. 297. descensu Herculis ad Orcum facto, ut Cerberum addu-

Ossa super recubans antro semesa cruento;
Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhœus
Arduus, arma tenens; non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Jovis proles, decus addite divis,
Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant; super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus ævo,
Et comitem Æneam juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilisque oculos fert omnia circum,
Æneas, capiturque locis; et singula lætus
Exquiritque auditque virum monumenta priorum.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virum truncis et duro robore nata:
Quis neque mos neque cultus erat; nec jungere tauros,
Aut conponere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,

ceret Iliad. Θ, 368. 298. *facies*, monstra, quæ in inferis occurrebant: Æn. VI. 285. seqq. *Hydra Lernæa* jam ibi commemorata: nunc *Typhœus* additur, quem in Tartarum fulmine detrusum ediderat quoque Hesiod Theog. 853. seqq. 867. Orionem in inferis collocabat Homerus. Ad communem interpretum sensum jungimus vss. 298—300. cum antecedentibus. Alioqui alterum ad pugnam deorum cum Gigantibus, quibus Typhœum accensere solent poëtæ, alterum ad Hydram Lernæam apud Nemeam occisam referri poterat. 299. *arduus* præclare adjectum; stans enim erectus vasta corporis specie terrere poterat ille. *rationis egentem*, consilii inopem, de ἀμηχανίᾳ, ἀπορίᾳ, ex pavore: h. terrore perculsum. 302. *dexter*, propitius. 304. *spirantem ignibus* doctius quam ignes exspirantem.

307 *rex obsitus ævo:* ut alias *gravis* de magna copia, *oppressus*, *obrutus*, *gravis ætate*. 310. *faciles* epitheton ornans, mobiles, vagos oculos, volubiles.

314 sqq. Egregius locus, quo antiquus Italiæ status describitur. *indigenæ Fauni Nymphæque* non modo ἐγχώριοι, sed et αὐτόχθονες, αὐδιγενεῖς, scilicet designantur Genii locorum. Suaviter autem poëta extulit hoc: Loca circa Tiberim olim vastities obtinebat silvarum, per quas feri homines palabantur. *truncis et d. r. nata* pro truncis roborum. 316. *mos*, certum vitæ institutum, lex quædam vivendi; præclare autem mitior vitæ cultus declaratur his: *componere opes et parcere parto*, τὸ συνομιλίζεσθαι καὶ ταμιεύεσθαι, quibus feros homines assuefacere difficillimum est. 318. *rami* h. fructus arborum. Porro jung. *asper victu*, non *alebat victu*. Est venatus, qui asperum victum præbet h. non nisi labore et molestia parandum.

319 Antiquus mythus de Saturni fuga in has terras, ductus, ut videtur, ex etymologia

Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademtis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Conposuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas
Et belli rabies et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanæ;
Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque inmani corpore Thybris:
A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta; dehinc progressus monstrat et aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam
Quam memorant, Nymphæ priscum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos et nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Retulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,

voc. *Latii* a *latendo*. *Saturnus* tamen numen Latinorum patrium, forte a *satu*, seu sationе rerum, inprimis frugum. Sed comparatus ille cum *Chrono* fabulas Græcorum in se derivandi opportunitatem dedit. Contra Ausonum adeoque Aboriginum et Latinorum religiones videntur fuisse valde simplices. 321. *indocile*; pro fero et agresti accipe. 322. *leges dedit* h. mores et instituta; cf. VII. 203. 204. 325. *aurea sæcula* observa per *pacem* declarari. 326. *decolor ætas* respectu auri, colore vitiato, dum ærea vel ferrea ætas succederet. 328. *manus Ausonia*. Ausones, quos Livius et alii vulgo Aborigines appellant. *Sicanos* autem memorat poëta, seu quod auctores habuit, qui et hos in Italiam venisse traderent; seu quod *Sicanos* cum *Siculis* confundit, quos loca inter Tiberim et Lirin tenuisse constat. *Saturnia tellus* proprie ita dicta fuit in clivo Capitolino ad Tiberim; *clivus Saturnius* is olim dictus. Poëtis inde nomen pro Latio et pro Italia frequentari cœpit. Ipsum *Italiæ* et *Œnotriæ* nomen primo ad sola loca circa sinum Lameticum spectabat.

333 De Evandri eventu v. sup. v. 51. sqq. *pelagi extrema*, mare ultimum, longinquum, saltem ex sensu et notione priscæ Græciæ, cui occidens inter terras ignotas et invisas erat. 337. *aram* Carmentis seu Carmentæ, quam se vidisse testatur sub *portam Carmentalem* Dionys. Lib. I. 32. ad radices Capitolii. 338. *portam* per appositum *honorem Nymphæ Carmentis, vatis fatidicæ*. 340. 341. Ingeniose hæc a poëta intexta sunt, ex instituto præcipitandi Æneidis argumentum per vaticinia. *Pallanteum*, Palatium. cf. sup. v. 54.

Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terrebat agrestis
Dira loci; jam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus, incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, quum sæpe nigrantem
Ægida concuteret, dextra nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant
Romanoque Foro et lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad sedes: Hæc, inquit, limina victor
Alcides subiit; hæc illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo; rebusque veni non asper egenis.

342. 344 *retulit* est, appellavit. *Lupercal* sub monte Palatino. *dictum Panos Lycæi* Lupercal, nomen gerens Panis Lycæi; ab urbe et monte Arcadiæ ductum nomen. *de more Parrhasio*, h. Arcadico, ad exemplum Panis Lycæi nomine ab Arcadibus ducto.

345. 346 *nemus Argileti* sub Capitolio. *testatur* simpl. pro monstrat. *hospitis Argi;* adoptavit poëta veterem fabulam de Argo hospitio ab Evandro excepto et, eo inscio, ab Arcadibus cæso.

347—354 Locus splendidus de Capitolio, in quo τὸ ἐυφαντασιῶδες; in signis futuræ majestatis loci in promtu est sentire. 348. *Aurea nunc, olim.* Similis comparatio temporum et conditionis in Capitolio sæpius occurrit. vid. inprimis Propert. IV. 1. et Tibull. II. 5. 23. sqq. *aurea* simpliciter esse multo auro ornata, nemo dubitet. 350. *dira*, magna, admirabilis. Serv. scilicet ea, quæ dira sunt, horrorem incutiunt, qui idem ex religione, seu specie augusta et religiosa loci sanctitate venire solet. 353. 354. Hæc Jovis ægida incutientis species manifeste ex Homero est adumbrata: Iliad. δ, 167. de Trojæ excidio: Ἔσσεται ἦμαρ etc. Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης;—Αὐτὸς ἐπισσείησιν ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσιν, Τῆςδ' ἀπάτης κοτέων; ergo de irato Jove, ad incutiendum terrorem vibrante ægidem ante ora Trojanorum. Similiter Jupiter fugat Achivos Il. ρ, 593. Simili modo h. l. ægidem concutit et fulminat; et alterum quidem facit læva, fulmen jacit dextra. Pro fulmine posuit adjunctum *nimbos* et propter hos ægis *nigricans*, nube nigra et caliginosa per tempestatem inducta.

361 sqq. *lautis Carinis*, qui in IV. Regione locus fuit ab Arcu inde Constantini inter Esquilias et Cœlium procedens, Pompeii M. Antonii aliisque magnificis sumtuosisque domibus ornatus; unde *lautæ* Carinæ. 362. *Ut ventum ad sedes*, Evandri domum in Palatino monte, seu Palatio, quod Pallanteum dixit poëta. 364. 365. Nihil magnificentius

Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Ænean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursæ.
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Volcanum adloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis ignibus arces:
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuæ; nec te, carissime conjunx,
Incassumve tuos volui exercere labores;
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpe laborem.
Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere conjunx.
Adspice, qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat; et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam; notusque medullas

his versibus dici potest. *aude contemnere*, quasi rem arduam et difficilem: ita ut virtute opus sit animi ad expellendum amorem divitiarum. *et te quoque dignum finge deo.* Compone te mentemque informa ad similitudinem numinis; h. fac, redde te similem Herculis in contemtu hoc inanis fastus. *non asper*, non alienus, infestus, adeoque non fastidiosus.

366—368 E more prisci ævi cf. Odyss. ξ, 48. *Æneam ingentem* alius reddidisset per: inclinato capite subeuntem angustas fores. De *Libystide ursa* v. ad Lib. V. 37. Etiam noctis imago v. 369. notabilis.

370 sqq. Qui sequitur locus, meo judicio, artis magis quam ingenii laudem habet. Nimis manifesta imitationis Homericæ sunt vestigia. Utinam præcederet saltem locus egregius lib. XII. 87. sqq. de insignibus armis Turni: his ut divina arma opponerentur, erat, quod expectabas.

373 *dictis divinum adspirat amorem*; addit τὴν χάριν, τὸ Θηλυτέρων, ut delinirent verba Vulcanum. Quod Lucretio est in simili loco dulcissimo: *tu suaves ex ore loquelas funde* lib. I. 40. 375. *Debita*: potest ex seqq. *inimicis ignibus* adjungi: idque melius. Servius: fataliter ad exitium destinata. Ita vero adjungi fere aliquid solet. 379. *natis*; solito more pro uno, Paride. 381. *Rutulorum oris*; pro Latinis, a populo finitimo. 382. *et* (te) *sanctum mihi numen Arma rogo*; non o *sanctum numen*; sed *et rogo numen tuam mihi sanctum arma*; h. te, sed blandiore oratione effert, te, mihi semper venerandum, *αἰδῆ.*

Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit:
Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis et formæ conscia conjunx.
Tum pater æterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi, diva, mei? similis si cura fuisset;
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec Pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est,
Quidquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro liquidove potest electro,
Quantum ignes animæque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum; quum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Inpositum, cinerem et sopitos suscitat ignis,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo

387 *niveis lacertis;* quippe dea λευκώλενος. 390. *labefacta per ossa,* in quibus medulla liquefacta, soluta, consumta est. 391. 392. Præclare flammam amoris penetrantem medullas ossium comparat cum fulgure vel fulgetro inter utras nubes errante, tractu ac sulco tenui, quem *rimam igneam ruptam* (proprie nubes rumpitur, sed sic sæpe poëtæ) dixit: ea *percurrit nimbos,* nubes densas et atras, *lumine corusco.*

393 *læta dolis,* est sane δολοφρονέουσα Iliad. ξ, 329, sed ornate, læta successu doli et fraudis suæ. *formæ conscia,* sentiens quam vim forma ad mariti animum nunc habeat. 394. *æterno amore;* potentius verbum quam, antiquo, pristino. 395. Quid tam longe repetis argumenta, quibus me moveas. 396. 397. *Similis si cura f.* si tale quid tibi cordi fuisset; si voluisses: etiam tum fieri potuisset, ut Teucris, h. Æneæ vel Paridi, arma pararem. 398. 399. Scilicet fata immutari non possunt, differri possunt: vid. sup. VII. 313. 400. 403. *Quicquid curæ,* operæ, *possum promittere—animæque valent:* scil. promitto. Latet hoc ipsum in verbis: *absiste precando Viribus indubitare tuis,* ut hoc pro apodosi sit. 402. electrum Homeri exemplo Odyss. δ, 72. docte posuit; tanquam exquisitius metalli genus, certa portione argenti auro admixta, quod etiam arte fingi potest. Vid. Plin. XXXIII. 4. s. 23. 403. *ignes animæque,* "spiritus, quo fabriles inflari folles solent." Serv. 405. 406. *fusi,* κεχύσθαι, fusi esse, dicuntur qui procubuere, jacent, recubant: v. c. *fusi per herbam.* Igitur *infusus gremio conjugis* Vulcanus *petivit soporem.* Tum junge, *petivit* soporem *per membra,* qui per membra diditur.

407 sqq. Præclare ornata et ad miserationem composita comparatio. *Ubi prima quies—expulerat somnum.* "ubi, a prima quiete evigilans circa mediam noctem, sensit omnem iterum obdormiscendi cupiditatem expulsam: alacriter e strati sed opus surgit."

Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos:
Haud secus ignipotens nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, et fornacibus ignis anhelat;
Volcani domus, et Volcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras; pars inperfecta manebat.
Tris imbris torti radios, tris nubis aquosæ
Addiderant, rutili tris ignis et alitis austri.
Fulgores nunc horrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucris
Instabant; quibus ille viros, quibus excitat urbis;

Burm. Surgit Vulcanus eo tempore, quo lanifica pauper ad lucubrandum surgit. 408. 409. *tenuique Minerva* h. lanificio tenuem victum præbente. 412. h. ut habeat, unde vivat honeste ipsa et nati, servata maritalis tori pudicitia. 414. illo tempore, haud secus nec segnior, surgit Vulcanus.

417 *erigitur*, ut alias, *surgit*, sita est, sed cum notatione montium. 419. *antra Ætnæa* simpl. pro ignivomis. 420. 421. *referunt gemitum*; repetunt sonum h. resonant per antra ictus incudum. *stricturæ*, quas ornate *chalybum* dixit (v. Ge. I. 58.) non sunt h. l. σιδῆρος, nec quæ proprie metalla dicuntur, unde æs excoquitur, sed μύδρος, massæ ferri, quæ procuduntur. 423. *hoc* antique pro *huc*.

426—428 Nota inversam orationem pro, parte jam polita, parte adhuc imperfecta. *fulmen—quæ plurima*, quod genus fulminum, ex quo genere plurima. 429—432. Ingeniose in fulminis materiam vertit ea, ex quorum conflictu fulmen nascitur, grandinem *(imber tortus* h. constrictus et coactus in grandinem; inf. IX. 671. *quam multa* grandine *nimbi In vada præcipitant, cum Jupiter horridus austris* Torquet aquosam hiemem, *et cœlo cava nubila rumpit)*, nubem, ignem et ventum. Facit autem fulmen duodecim cuspidum, *radiorum*, *dentium*, trinis in quaterna latera.

433. 434 Marti currus bellicus proprie tribuitur, ex heroici seculi more bellandi; quod ait: *quibus ille viros, quibus excitat urbes*, h. quo curru si invectus fuerit, ad bellum concitat, ex istis illustrantur sup. VIII. 3. *Ut belli signum—Utque acres concussit equos.* etc. *Instabant currum*, ut festinare aliquam rem: proprie, instamus operi faciendo, properando.

Ægidaque horriferam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque anguis, ipsamque in pectore divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Ætnæi Cyclopes, et huc advertite mentem:
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Præcipitate moras. Nec plura effatus: et illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti: fluit æs rivis, aurique metallum;
Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbis
Inpediunt. Alii ventosis follibus auras
Adcipiunt redduntque: alii stridentia tinguunt
Æra lacu. Gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris:
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab læva pantheræ terga retorquens.

435—438 Expeditior ratio, si totum locum de thorace interpreteris, cujus extremæ oræ anguibus connexis et implicitis inter se sunt cinctæ, in medio Gorgone posita. *turbatæ*, iratæ; *vertentem lumina*, de oculis torvis, obliquis, ex ira et furore; aut potius de inversis, dejectis et occlusis, quippe in capite reciso.

440 *Ætnæi* Cyclopes cf. ad v. 419. In sequentibus felix notatio brevitate et celeritate verborum observetur. 445. 446. cf. Iliad. σ, 474. 448. *septenos orbibus orbis impediunt* ornate pro, faciunt; illi orbes sunt laminæ æreæ aliæ super aliam impactæ, ut septemplex esset clipeus. 449—453. Eosdem versus in Georgicis vidimus IV. 171. sqq.

454 sq. Artem poëtæ in variato rerum et orationis charactere observa. Lenis et simplex candidaque nunc fluit oratio, eoque tanto magis grata, quod strepitibus et tumultibus succedit. 456. *sub culmine*, in domo vel casa Evandri. Sed avium cantus cum solis ortu renovati intelligendi sunt: nec accipienda verba, quasi cantus avium ejus somnum interpellaverit; sed sub lucis ortum et volucrum cantum eum evigilasse. 458. *Tyrrhena vincula:* ornatus caussa Tuscum calceamentum posuit. Simili ornamento petasum, Arcadicum, seu *Tegeæum ensem* de-

Nec non et gemini custodes limine ab alto
Præcedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros.
Nec minus Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxume Teucrorum ductor, quo sospite numquam
Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires. Hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat. Fatis huc te poscentibus adfers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinæ sedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes! quid facta tyranni
Effera! dI capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,

dit; etsi nullum hoc insignius ensis genus fuit. 460. Ornatus versus: amictus pelle. 461. *limine ab alto*, perpetuo et proprio liminis epitheto; nam alioqui alienum erat a casa exigua altum limen. 463. *secretum*: partem ædium interiorem, ad quam Æneam vesperi deduxerat. 465. ut ὄρθριος ἤκων. ἑσπέριος ἦλθεν; et alia. *agere se*, movere se, agi, ferri, pro incedere. Inf. IX. 696. 467. *mediis Ædibus*: etiam hoc ad formam ædium heroici ævi, ut ex Homeri lectione constare potest; in quibus e vestibulo introëuntem δόμος (pro eo Romanorum *atrium* fuit) excipiebat per totas ædes patens; in intimo recessu focus cum Penatibus.

472 *pro nomine tanto*: Satius est ad Evandri et Arcadum nomen referre, pro fama, quæ te ad nos adduxit. 475. *opulentaque regnis castra*: volebat dicere, *opulenta regna* (pro regno opulento), apposite ad *ingentes populos*. Promtum erat hoc mutare in *castra opulentorum regnorum*, vel *opulentis regnis*; hinc exquisitior forma suborta: *castra opulenta regnis*, ut alia similia passim. Opes veterum Etruscorum satis notæ.

478 Agylla s. Cære, prima opibus inter Etruscos floruit, et propter maritima commercia omnium prima Græcis innotuit. *saxo vetusto*; antiquo opere. 479. 480. *ubi* proxime ad Agyllam seu Cære spectat, nec tamen reliquam Etruriam excludit. 482. Mezentii, regis Cæretanorum, *superbo*, crudeli,

Conponens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) et sanie taboque fluentis
Conplexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque;
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elabsus in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis;
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensæ litore puppes;
Signaque ferre jubent; retinet longævus haruspex
Fata canens: O Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtusque virum, quos justus in hostem
Fert dolor, et merita adcendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem;
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divom.
Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarcho,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu sæclisque effeta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret. Tu, cujus et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,

imperio infame nomen poëta adscivit. 484. *dl capiti.* uti II. 190. VI. 529. 530. 495. *præsenti Marte*, bello non dilato, quippe hoc ipso tempore in armis sunt et quidem classem pararunt, qua in altum evecti littus Rutulorum petant bellumque inferant Turno, ni Mezentium ad supplicium dediderit.

498. sqq. Hoc de Etrusco aruspice commentum, qui Cæretanis conatibus opportune intercedit, ut ad Æneæ adventum res differatur, inter potiora Virgilii inventa referendum videtur. Extraneo autem duci exercitus committendus, uti Lavinia externo viro jungenda lib. VII. 96. sqq. *flos veterum virtusque* v. h. l. robur populi qui antiquam originem habet. 504. *Hoc campo* δεικτικῶς, etsi oculis prospici non poterant castra sub Cære locata. 505. *regni coronam*; novum hoc, sed dictum, ut *regni insignia*; et subjectum hoc idem, tamquam genus, enumeratione partium (coronæ et sceptri) facta. 506. *mandatque insignia* simpl. mittit insignia regni. *Succedam*, eo consilio, ut succedam. 508. *sæclis effeta s.* simpl. pro annis. 510. ni, mixtum genus habens per matrem Sabinam, partem patriæ seu originis hinc, a Sabinis, adeoque ex Italia, duceret, etsi patre externo, Evandro, natus. 512. qui *genus*, or-

Ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adjungam: sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat; defixique ora tenebant
Æneas Anchisiades et fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant;
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto.
Namque inproviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt; iterum atque iterum fragor increpat ingens.
Arma inter nubem, cœli in regione serena,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.
Obstupuere animis alii; sed Troius heros
Agnovit sonitum et divæ promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quære profecto,
Quem casum portenta ferant; ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Volcaniaque arma per auras

tuam ex peregrina terra habes, cum idonea rebus gerendis ætate et quem *nomina*, vaticinium designat. 513. *Ingredere*, ut Ge. I. 42. *Ingredere et votis jam nunc assuesce vocari.* Incipe, suscipe. 516. *grave Martis opus.* Homericum μὴ' ἔργον Ἄρηος Il. λ, 733. et al. 515—517. Præclari versus sententiis et verbis. Maronem mirati sunt et imitati in hoc loco Valer. Fl. I. 269. sqq. Silius IV. 430. 431. 518. 519. Quadringentos equites mittit Evander, ut iter esset expeditum, nec longa mora intercederet, quam obsidionis discrimen non admittebat.

520 sq. Ex veteris Italiæ religione et poëtæ nostri perpetuo more res aliter vix expediri Æneæque animus erigi poterat, quam ostento vel augurio. Sed poëta novo commento id constituit, quod meteorum, seu ostentum aëris, ad strepitum ex armis cælitus a Venere allatis retulit: non dicam equidem, an satis feliciter. 523. *Ni—dedisset*; nova forma orationis, in qua miror interpretes non hæsisse. Ellipsis esse debet totius enuntiationis: *et diutius etiam in ea cogitatione defixi perstitissent, Ni* etc. Vulgaris forma erat: *cum signum Venus dedit.* Dixit *cœlo aperto*, ut Ge. I. 393. *aperta serena*, cum nubes dicantur cælum obducere. cf. mox v. 527. 529. 526. clangor armorum, quæ movebantur per aërem deportata a Venere, comparantur cum clangore tubæ. *Tyrrhena* (pro Tyrrhenica) *tuba*, a Tyrrhenis, ut notum est, inventa; et doctius: *Tyrrhenus clangor tubæ.* 529. *pulsa*, impulsa, allisa sibi invicem, *tonare*, pro simplici sonare.

531 *et agnovit divæ promissa parentis*, et v. 534. *Hoc signum* etc. Bene Servius: "κατὰ τὸ σημαινόμενον intelligimus Venerem ei promisisse." Clarior res apud Homer. vid. Iliad. σ, 189. *ego poscor Olympo*, tertio

Laturam auxilio.
Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virum galeasque et fortia corpora volves,
Thybri pater! Poscant acies, et fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat hesternumque Larem, parvosque Penatis
Lætus adit; mactant lectas de more bidentis
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Post hinc ad navis graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantis virtute legit; pars cætera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva;
Ducunt exsortem Æneæ; quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subito volgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo

easu, pro *ab O.*, me Olympus poscit, me vult, respicit, h. ad me ostentum aëris spectat, nihil est, quod vos terreamini. 540. quasi, eant nunc et flagitent bellum. cf. sup. VII. 317. ubi eadem sententia alio modo reddita.

542. 543 Surgit Æneas et ad focum sedium accedit. Penates precatur. *Herculeis sopitas ignibus aras* doctius dictas esse, quam *ignes sopitos in aris* vel *ignes aræ* in promptu est intelligere. Hercules fuit Evandro Penatium loco Geniusque adeo seu Lar domesticus. *Larem hesternum* jungo cum *excitat*, et accipio pro foco et igni hesterno in foco ante Larem: juncta adeo ut sint: *ignes in ara et Larem hesternum excitat.* Solet ita poëta eandem notionem bis terve ornare; *parvos Penates* Evandri, parva sigilla, ut humilem casam decebat. *adit*, προσέρχεται, precando. Puta, hæc fieri in suscipienda profectione et adeundo discrimine.

546 Navi a littore Laurentino amne adverso Pallantium pervenerat Æneas sup. v. 90.: nunc ea navi partem sociorum redire ad Ascanium jubet; altera parte sibi adjuncta, et Arcadibus comitibus, terra per Etruriam Cære ad Tarchontem *(Tyrrhenum regem)*, proficiscitur. 547. *qui sese in bella sequantur:* Paulo obscurior sententia; nam ad bellum non proficiscitur, sed ad auxilia et societatem Cæretanorum parandam. Dicendum forte, poëtam omnino viros fortes declarare voluisse, quorum adeo id proprium esset ut Æneæ latus tegerent in discrimine belli. An magis consentaneum, et in hoc acquiescam, dicere poëtam respexisse ad id, quod futurum erat, ut ii, una cum Etruscis, navibus vecti ad Ostia Tiberis pugnam cum Turno facerent? 549. *segnis* "sine remigio" ut bene Servius explicat: cum antea adverso flumine venissent. 550. *Ascanio;* remanserat is apud Trojanos in castris sub Tiberis ostia. 552. *exsortem*, eximium, ἐξαίρετον. Adducitur equus Æneæ præcipuus.

554 sqq. Non male sequentia ad sensuum et affectuum naturam in tali rerum articulo efficta et exposita: Matrum timor; Evandri senis vota ac preces; totus discessus. Fabu-

It timor, et major Martis jam adparet imago.
Tum pater Evandrus, dextram conplexus euntis,
Hæret, inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Juppiter annos!
Qualis eram, quum primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi scutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi;
Nascenti cui tris animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnis
Abstulit hæc animas dextra, et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo; neque finitimus Mezentius usquam,
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o superi, et divom tu maxime rector
Juppiter, Arcadii, quæso, miserescite regis,
Et patrias audite preces: Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo, et venturus in unum:
Vitam oro; patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris;
Nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas,
Conplexu teneo; gravior ne nuntius auris
Volneret. Hæc genitor digressu dicta supremo

lam de *Herilo*, Prænestinorum duce, domesticam nescio unde acceperit. Quod sequitur, *propiusque periclo It timor*, impeditum est, quocunque te verteris; proprie *propius ire periculo* esset propiorem esse periculo, instante jam discrimine: *propius ire*, ut *propius esse*, ap. Silium I. 13. *propiusque fuere periclo, Quis superare datum*, de Romanis tantum non in ultimum discrimen adductis. At h. l. accipiendum erit: *timor it propius*, timor fit propior, h. magis instat, fit gravior, acrior, *periclo*, cum periculo, periculo instante. 561. ut sim talis, *qualis eram* etc. ἐίθ' ὡς ἡβώοιμι. 564. *Feronia* v. sup. VII. 800. *terna arma movenda*, ut ter reviviscens ter rebellaret, adeoque ter esset vincendus. Nisi forte melius sic interpungas et accipias: *Nascenti cui tres animas—dederat: terna arma movenda, Ter sternendus erat. Cui tunc t.* Erat ter cum eo pugnandum, ter arma in eum movenda, ter erat vincendus. Itaque Evander ter vita et armis exuerat. 569. *finitimo*, in finitimo, qui est in finitima urbe. 572. Habent hæ preces tanto plus suavitatis, quod tamquam præsensione aliqua tacita imminentis filio fati factæ videntur. Nam interimitur Pallas libro X. 576. *venturus in unum*, iterum eum revisurus et conventurus. 578.

Fundebat: famuli conlabsum in tecta ferebant.
Jamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Æneas inter primos et fidus Achates;
Inde alii Trojæ proceres; ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulveream nubem, et fulgentis ære catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. It clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles
Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt.
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas et bello lecta juventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.

Sin; nota εὐφημία. 581. *sera*; ergo erat τηλύγετος, in senectute patris natus. 588. *picta arma* sunt auro argentoque distincta.

589 *perfusus Oceani unda* non alio spectat, quam ad ortum ex mari. *Quem Venus* etc., quia est stella Veneris. 591. splendidus versus de ortu in extrema cœli ora, qua mare ambit.

594 *per dumos*; per virgulta, silvas. *meta viarum* ornate pro via; proprie terminus et finis viæ. *putrem*, in pulverem resolutum, pulverulentum, quod jam vidimus Georg. I. 44. 215. 597. *Cæritis*: Cære, urbs Agylla, et qui eam incolit, Cæres: unde post accipi *Cæritis* urbis et *Cæritis* fluminis. Fluvius est Cæretanus, oppido proximus, nunc *Vacina* dictus. Situm autem locorum hujusmodi esse putabimus: defluit per agros, urbe in alto posita, amnis, cui lucus adjacet; agrorum planitiem cum amne et luco undique cingunt colles nemorosi, abietibus consiti: hoc est *colles cavi inclusere* (includunt) et *nemus nigra abiete cingunt* (pro cingit) *undique* lucum prope amnem. At *colles cavi?* non, ut vulgo dicuntur, saxa cava, exesa, cavernosa, v. c. sup. 248. *Inclusumque cavo saxo*; sed qui cavam vallem efficiunt, quam includunt. 601. *lucumque diemque*: lucum Silvano consecrasse ferebantur advenæ Pelasgi et solenne annuum Silvano instituisse. 603. *tuta castra*. Castra epitheto ornare volebat poëta a castrorum natura petito: tuentur enim castra quovis modo facta, eos qui in iis excubant. 606. *bello lecta*: vid. sup. ad ver. 547. Æneas cum suis in luco consederat.

At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta
Ut procul egelido secretum flumine vidit:
Talibus adfata est dictis, seque obtulit ultro:
En, perfecta mei promissa conjugis arte
Munera; ne mox aut Laurentis, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prœlia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit;
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille deæ donis et tanto lætus honore
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis, quum cærula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget;
Tum levis ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inscius ævi,
Fecerat ignipotens; illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.

608 Haud dubie Maro, si carmini supervixisset, melius hunc locum constituisset. Jam supra, dum Evandri hospitio utebatur Æneas, arma cælo delapsa memoraverat, re in prodigium versa 524. sqq. Nunc in luco ad Cære cum sub arbore consedisset Æneas, ecce Venus adest et arma apportat. Compara Iliad. σ, 615. 616. et τ, 3. *nimbos* pro nubibus, aëre. *secretum* docte pro solum, in secreto loco, apud fluvium. 612. *En perfecta* cf. Iliad. τ, 10. 11. *arte promissa.* cf. ad 531. 534.

617 *honore* dictum pro munere, ut γέρας. *expleri nequit* sive ut jungas *donis, et honore, donis* h. adspectu donorum, sive quod præstare videtur, *expleri* absolute, nam *oblutu, videndo*, ex ceteris adjunctis facile intelligitur. 620 *flammas vomentem* poëtica imago splendoris coruscantis. 622. *sanguineam*, rutilam; ornavit autem et ad terrorem usque auxit Maro, quod nude posuerat Homerus Iliad. σ, 609. 625. *clipei non enarrabile textum:* argumentum clipei tam varium et copiosum, ut enarratu difficile videri debeat.

626 Sequitur locus de clipeo Æneæ nobilissimus. Clipeum autem cogita ita informatum, ut in media parte, seu umbone, mare esset cum pugna Actiaca, de qua v. 676. sqq.; Exterior autem ora in plures areas seu regiones discreta, quarum argumenta, omissis aliis, ita apponit, ut sint: I. Lupa Romulum et Remum lactans v. 630. II. Raptæ Sabinæ, bellum inter Romanos et Sabinos, fœdusque inter Romulum et Tatium factum: 635. III. Meti supplicium: 642. IV. Roma a Porsenna obsessa, cum Coclitis et Porsennæ facinoribus: 646. V. Capitolium a Gallis oppugnatum: 652. et arce jam jam capta, excitati anseris strepitu Romani ad propugnandum irruentes. VI. Urbs et religionibus et sacris celebris, adeoque pace florens: 668. VII. Catilina in Tartaro:

Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentis pueros, et lambere matrem
Inpavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat, subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post Idem, inter se posito certamine, reges
Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes,
Stabant, et cæsa jungebant fœdera porca.
Haud procul inde, citæ Metum in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!),
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsena jubebat
Adcipere, ingentique urbem obsidione premebat;
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Adspiceres; pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser

666.; VIII. et Cato in Elyiis: 670. *Haud vatum ignarus* h. e. prædictionum quas a vatibus Æneas acceperat. *feta*, enixa, ut alibi.

635—641 *sine more*, sine lege, ἀνόμως, incomposite, temere. 636. *caveam*, h. l. in circo dixit, *magnos Circenses ludos* dixit, quæ Livio et aliis Consualia sunt, Neptuno equestri celebrata, forte quod in horum locum successerunt Circenses. 637. Mutavit structuram: *Romam et Sabinas addiderat*, subitoque *consurgere bellum*, pro consurgens bellum, h. e. unde bellum consurgeret. 638. *Curibus severis* ad Sabinorum disciplinam spectare facile intelligitur. 641. *porca cæsa*, ex more perpetuo sacrorum in fœderibus faciendis; v. c. Liv. I. 24.

642—645 Liv. I. 27. 28. 643. docte magnaque cum vi inversa oratio in illis: *at tu d.* pro: quod in fide non manserat. *mendacis* proprie perfidi.

646—651 Liv. II. 9. sq. Effictus autem Porsenna stans ad Tiberim. 650. *pontem* sublicium, evellens trabes sublicis impositas. *vinclis ruptis*, simpl. de custodia accipiendum.

652—662 Liv. V. 47. *In summo* non clipei: sed *in summo arcis Tarpeiæ*. 654. Visebatur porro in Capitolio, præter templum, casa recenti culmo tecta, regia Romuli dicta.

Porticibus, Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacæ;
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis;
Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantis Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et labsa ancilia cœlo
Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;
Et scelerum pœnas, et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem:
Secretosque pios: his dantem jura Catonem.
Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea; sed fluctu spumabant cærula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classis æratas, Actia bella,

Pro *erat* ornate *horrebat*. 655. Quæ sequuntur, poëtica sunt, non quæ facile ab artifice in metallo effingi potuerunt. Tum anser volitans ad nostrum sensum displicere potest; forte non æque ad Romanorum sensus. 657. *tenebant*, de conatu, ut sæpe: jam in eo erant, ut tenerent. *et dono noctis opacæ*; paullo otiosius adjectum videtur. *dono* h. beneficio, munere. 659. sq. Habitus Gallorum bene expressus, etsi alieno forte loco. Notæ eorum comæ rutilæ, saga virgata, aurei torques, gæsa, scuta vasta. *aurea vestis*; Vestem intellige illa ipsa sagula, ex auro facta, ab artifice (seu ut colorem luteum et flavum referret, seu quod auro textas vestes amarent Galli), versicoloribus segmentis vel virgis intertextis. *lactea colla* proprie de Gallis; *Candidi pene sunt Galli omnes*, nota vox Ammiani. *duo gæsa*, e more.

663—666 Religiosa spectacula immiscet poëta: mota ancilia, Lupercalia, et pompam matronarum ad ludos vel sacra, ad quæ pilentis vehi licuit. v. Liv. V. 25. 9. *mollia* pilenta appellat puto propter mollem et lentum incessum, quem ipsa structura et situs editus ac celsus suasisse videtur. *Apex* laneis vittis ornatus Flaminum proprius.

666—670 Etsi alieno loco intrusa putem loca infera, præclare tamen ea ornavit. *Catonem piis jura dantem* tamquam alterum Minoem vel Rhadamanthum quis non miratus est? Pro Catilina erant haud dubie quos malis supplicio affectos videre. *pendentem scopulo*, puto tamquam equuleo distentum: tracta rei facie a Prometheo rupi alligato; pro vulture Furiæ adsident. *minacem scopulum* tamquam ruiturum et ruina eum sua oppressurum. *dantem jura*, judicem constitutum ut alterum Rhadamanthum. De *Catone Uticensi* agi, liquidum est; vel ex opposito Catilina: alter oppugnavit patriam, alter libertatem propugnavit.

674 Effinxerat Vulcanus mare ad Actium; spuma albicante et belluis argenteis in mari ex auro facto: naves effictæ ære.

675 sqq. *In medio* clipei, non maris: *Actia bella*, pugnam Actiacam. *totumque instructo Marte* h. classe instructa, *videres Fervere Leucaten*: locum ex vicinia posuit, ut tanto major rei esset species. Nam classis

Cernere erat; totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prœlia Cæsar
Cum Patribus, Populoque, Penatibus et magnis dIs,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dIs Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis et litore rubro,
Ægyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Ægyptia conjunx.
Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convolsum remis rostrisque tridentibus, æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revolsas
Cycladas, aut montis concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

utraque obversa erat claustris et faucibus sinus Ambracii; pugnatum enim est in exteriore sinu versus mare patente. Agitur autem de ipsa pugna, non de iis, quæ antecesserunt. In seqq. non ubique ipsam rerum gestarum fidem, quod nimis religiosum fuisset, sed artis vel carminis rationes et opportunitates videtur sequutus. Nam classi universæ M. Agrippa præfuit, Octavianus autem Cæsar cum M. Valerio Messala aliisque rerum summæ ubique prospicere satagebat. *Italos* præclare, ut *barbaricas opes* Antonii v. 685. opponeret; et multo augustior rerum species in altero versu: *Cum Patribus, Populoque, Penatibus et magnis dIs;* ut causam reip. a Senatu populoque Romano commissam tueri videretur Augustus. *Penatibus et magnis diis*, explicative alterum adjectum pro: et cum Penatibus, magnis diis: cf. sup. ad III. 12. 680. 681. *geminas cui tempora flammas Læta vomunt.* Perperam ad oculos Augusti fulgentes refert Servius et alii. Habuit poëta in animo Diomedis cassidem Iliad. ε, 4. sq. *læta* ad splendorem spectat: ut lib. I. 591. Sed cur *geminas flammas* dixit? Accipio dictum poëtica forma, cum deberet *gemina tempora* memorare. In vertice *aperitur*, lucet, apparet (proprie de oriente sidere), stella Julia, Cæsaris capiti appingi solita: in memoriam stellæ crinitæ, in quam inter ludos funebres habitos anima Cæsaris abiisse credita est.

682 *Parte alia* aciei Agrippa classem agit *ventis secundis.* Adversus fuerat ad quintum usque diem ventus. 684. *navali corona*, quæ eadem *rostrata*, rostris ex auro vallata, qua paullo ante donatus fuerat in bello Siculo, victo Sex. Pompeio. Doctius autem dixit *tempora rostrata.*

685 Ex adverso expressus Antonius: *ope barbarica*, cum copiis ex barbaris populis diversis (unde *varia arma)* conscriptis, præter legiones, quas habebat. 686. *Victor ab Auroræ populis et litore rubro.* h. Eoo, Indico, magnifice ex solenni poëtarum more. Vult prælia cum Parthis, quibus Oriens tum parebat, dicere, inter quæ nonnulla fuere satis felicia. Pari modo *Bactra ultima*, in remotissimo oriente sita, nominat. Habuit Antonius auxilia a rege Medorum submissa. *vehit*, ducit copias ex Ægypto et Asia.

689 *reductis remis* proprie Ovid. Met. XI. 461. *reducunt ad fortia pectora remos.* Tum *ruere* videtur dictum transitive sc. mare remis et ipsa carina, ut sup. I. 35. *spumas salis ære ruebant.* 691. *Alta petunt.* Compara Plutarch. p. 946. B. C. 693. *Tanta mole.* Spectat hoc maxime ad Antonianas naves,

Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum
Spargitur; arva nova Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro;
Necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.
Omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis,
Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
Tela tenent. Sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, tristesque ex æthere Diræ;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos jam jamque inmittere funis.
Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri;
Contra autem magno mærentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et tota veste vocantem
Cæruleum in gremium, latebrosaque flumina, victos.

ad denos remorum ordines assurgentes. 694. *stuppea flamma*: ad rerum veritatem, cum ab Antonio relictæ naves pertinaciter pugnare pergerent. *telis* accipio de machinis ad missilia emittenda. *nova cæde* sc. inter hos ipsos ignes missiles, et navium incendia.

696 Acerbe hæc de Cleopatra. Potuit forte, quod tamen ignoro, sistri usus esse apud Ægyptios in bello. In ludibrium versa re sistrum memoratur quod ipsa, cum turba spadonum et feminarum ludis et choreis vacante, in media classe versatur: sistri autem usus in lascivia Ægyptiorum frequens. 697. necdum mortem futuram admota sibi aspide prospicit, aut cogitat. Sequitur forte Virgilius famam aliquam, duos eam angues sibi admoviesse.

698—703 Prælium deorum artifex effinxerat in ære: ab una parte pugnabant dii Ægyptii, ab altera Romani. In medio pugnam inceadunt Mars, Furiæ, Discordia, Bellona. *latrator Anubis*, capite canino. 701. *cælatus*, exsculptus, nam de anaglypho agitur, et *cælare* sic proprie in ære dicitur. *ex æthere Diræ* adeoque volantes: 702. *Bellona* cum flagello passim obvia.

704. 705 Homero sublecta et hæc Apollinis species Iliad. π, 700. sqq. Sed præclara cum arte et solertia. Eam autem imaginem facile menti objicere potuit signum in promontorio Actiaco positum. Pugnatum autem, in conspectu Apollinis Actii, in exteriore parte sinus Ambracii. 707. sqq. Prima regina fugam circumspexit. *ventis vocatis* per vela expansa. v. ad lib. III. 253. *et laxos* intendere funes, adeoque vela explicare et expandere. 709. *pallentem morte futura*; quasi præsensione mortis hanc fugam consequuturæ. Pallorem autem argento vel alio metallo *debuit* artifex reddere. *Iapygem* proprie dixit, nam ab occidentali illa plaga debuit venire ventus Cleopatræ secundus.

711—713 Poëticum visum magnum et præclarum. Fuga petitur Nilus: is fugientes excipit. Jam Fluviorum simulacra cogita specie humana, recubantia, et inferiore corporis parte veste tecta, ut tamen sinum facere possint, quem Nilus fugientibus ostentat. Ornate singula, etiam *latebrosa flumina*, quæ pro latebris nunc erant.

At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, dIs Italis votum immortale sacrabat,
Maxuma tercentum totam delubra per Urbem.
Lætitia ludisque viæ plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ;
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus; incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahæ, et pontem indignatus Araxes.
Talia, per clipeum Volcani, dona parentis,
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;
Adtollens humero famamque et fata nepotum.

714 sqq. Tandem triumphus Augusti erat representatus in clipeo. Fuit is triplex in trinis diebus: Dalmaticus, Actiacus, Alexandrinus. *votum i. sacrabat*; templa, opera immortalia, dedicabat ex voto; et quidem magno numero, unde *trecena* dixit.

717—719 Vivide lætitia publica describitur. Exquisite vero illa dicta pro vulgaribus: omnibus in templis *matronarum supplicantium cœtus* et *aræ*, *ante quas* victimæ immolabantur.

720 sqq. Splendida rerum species. Puta triumphatorem Octavianum jam intrasse urbem. Sedet pro tribunali sub porticu et aditu templi Apollinis Palatini et prospectat (exquisite *recognoscit*) succedentem pompam triumphalem, in qua portantur coronæ aureæ, *dona populorum*, ducuntur captivi una cum signis Fluviorum. 721. *aptatque s. postibus*: coronas ergo in foribus vel porticu templi suspendi curavit. 724. 725. Vides poëtam carmini dignitatem et majestatem parare ex nominum novitate, vel peregrinitate, vel vetustate. *Nomadum genus et A.* Erat enim in Antonii partibus magna Africæ pars a Cyrenis usque ad Æthiopiam, et interfuit Antonii copiis Bogudes Mauretaniæ rex: *discinctos Afros*; mollitiem hominum arguit veste laxa et fluente. *Lelegas Carasque*, ut nominum vetustate carmini dignitatem pararet, posuit pro populis et regibus minoris Asiæ. Leleges, cum Caribus, oram Asiæ maritimam tenuerant, antequam ab Ionibus ejecti ad interiora recesserunt.

726 *Euphrates ibat jam mollior undis* h. leniore amne, ut domitum se ac subjugatum, h. e. populos accolas victos et subjectos, significaret. Uti *mollita* dicuntur quæ victa ac contusa coërcitaque sunt. Sic *molles animi*, *mollia corda*. *Dahæ*, Nomades ad orientale Caspii maris littus versus Oxum incolentes ultra Hyrcanos. *pontem indignatus Araxes*; nihil amplius quam ut flumen rapidum adeoque pontis impatiens diceret, eoque ipso feritatem accolarum Armenorum declararet.

729 Malim *clipeum*, *dona parentis*, matris Veneris, jungere, quam *talia dona parentis*. 731. *famamque*, κλέος, illustrium factorum sculpturam in clipeo. Ad hunc ultimum versum offenderunt passim viri docti. Poëticus sermo ita fert, ut, si quis *clipeum cui facta præclara et fata nepotum insculpta sunt*, sustulisse humero (alligatus enim loro clipeus humeris injicitur) dicendus sit, res ita efferri possit: sustulisse eum *famam et fata nepotum*.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Absente Æneæ et in Tuscia conquirendis auxiliis occupato Turnus a Junone per Iridem admonitus, ne tantam rei bene gerendæ occasionem amitteret, quam proxime ad hostes copias admovet—32. Qui cum suis se mœnibus continerent, neque æquo loco facerent dimicandi potestatem, ut illis spem omnem fugæ intercluderet, classem exurere conatur —76. Erat classis Trojanæ materia ex Idææ Matris luco cæsa: quapropter Matris precibus adductus Jupiter naves omnes incendio eripuit, et in totidem Nymphas marinas convertit—122. Post hæc imminente jam nocte Turnus adversus hostium eruptiones ad oppidi portam excubias disponit: iis Messapum præficit—167. Interim consultantibus Trojanorum ducibus, quemnam potissimum ad Æneam mitterent, qui de suorum periculo eum faceret certiorem; ultro eam provinciam suscipiunt Nisus et Euryalus, conjunctissimum amicorum par—377.: qui cum urbe emissi hostium excubias vino somnoque obrutas offendissent, Rhamnetem cum magno Rutulorum numero trucidant, eorumque se spoliis exornant—366. Verum cum, instante jam luce, se recipere conantur, a Volscentis equitibus conspecti, ad silvas confugiunt. Ibi Euryalus, armorum pondere viseque errore impeditus, in hostes incidit, et a Volscente, frustra deprecante Niso, confoditur—437. Nisus quoque, cæso Volscente et Euryali nece strenue vindicata, multis vulneribus confossus super amici corpus concidit—445. Capita, hastis affixa, in castra deferuntur: ubi a Trojanis e mœnibus agnita ingentem in urbe luctum excitant—502. Interim Turnus totis viribus hostes oppugnat: magna utrimque strages editur—589. Ibi Ascanius Numanum insolentius se jactantem sagittæ ictu interficit—671. Pandarus et Bitias successu elati portam recludunt, hostesque subeuntes ingenti cæde propellunt—690. Ejus rei nuntio accepto Turnus per portam patentem in oppidum irrumpit—733., Trojanosque in fugam convertit—777.: tandem hostium multitudine circumventus, paullatim cedit ad eam oppidi partem, quæ fluvio alluitur—789.: et ut erat armatus, flumen tranans, incolumis ad suos revertitur—ad fin.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur:
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.

3 *parentis Pilumni*, h. e. abavi. vid. inf. N. 619. *sedebat*: spectat simpliciter ad solitudinem. Lucum autem Pilumni in ea regione quidni admittamus? 7. *volvenda dies*,

Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divom promittere nemo
Auderet, volvenda dies, en, adtulit ultro.
Æneas, urbe, et sociis, et classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque petIt Evandri.
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes;
Lydorumque manum, conlectos armat agrestis.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnis, et turbata adripe castra.
Dixit, et in cœlum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Adgnovit juvenis, duplicisque ad sidera palmas
Sustulit, et tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempestas? medium video discedere cœlum,
Palantisque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans; oneravitque æthera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equum, dives pictai vestis et auri.
Messapus primas acies, postrema coërcent

quas volvitur. 9. *Sceptra* exquisitius quam regna: utrumque pro regia Evandri. *Corythi ad urbes*, designat Etruriam ab Corytho, conditore Cortonæ. *Lydorum manum* Etruscos dixit ad vulgarem opinionem. 13. *turbata adripe castra*, invade, occupa: scilicet ut rapere poëtis est pro capere. Dixit autem *castra* Trojanorum, v. 8. *urbem*, alibi *muros*, *aggerem*. Nam Æneas in littore, ubi escenderat, urbem, *novam Trojam*, condiderat: quam (ut sup. VII. 157.). *Castrorum in morem pinnis atque aggere cinxit*. 15. *secuit* arcum pro, meavit per arcum cœli, incessit, tamquam Iris, arcu facto, pro tramite. Ducta loquendi forma a navigatione, τέμνειν ἄλα, sulco facto in fluctibus, hinc *terram*, tum ipsam *viam*.

21 Non novum est ostentum: *palantes polo stellas* videre medio die; et est h. l. interdiu oblatum suspicium; nunc tamen ornant hæc cælum, quod disruptum est (hoc *discedere* dixit, voce in hac re propria, pro dehiscere, hiatum facere), et, quod alias in fulgure fieri solet, chasma fecit. Si itaque ruptis nubibus in interiora perrexit, stellas apparere, nubibus remotis, necesse fuit. 22—24. quod religio facere jubet, omine accepto, etiam viso et ex somnio: scilicet lustrandi causa.

25—32 Agmen ordine, lento gradu et composite incedens, *fluminis lato alveo inter ripas devoluti* speciem præ se ferre bene dici potest. Quod in Gange alveo suo se continente declaraverat, mox variat in Nilo, intra alveum recepto. De *Messapo* v. ad VII. 691. Excurs. VIII. 26. *pictai vestis*, qui, ut Etruscorum, ita aliorum Italorum mos esse debuit, ut vestibus variegatis colore et

Tyrrhidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Quum refluit campis, et jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caicus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest, cia. Ingenti clamore per omnis
Condunt se Teucri portas, et mœnia conplent.
Namque ita discedens præceperat optumus armis
Æneas: si qua interea Fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo;
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Objiciunt portas tamen, et præcepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus et urbi
Inprovisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, juvenes? qui primus in hostem?
En, ait. Et jaculum adtorquens emittit in auras,

textura uterentur. *septem surgens amnibus:* ad ostia referri solet ut septem ostia habeat Ganges, sed repugnat veterum fides et opinio: repugnat quoque vox *surgens*. Sin ad fontes revoces: convenit voc. *surgens* de *scaturigine* proprie dici solitum. At talis fontium numerus alibi non memoratur. Superest ut omnes sint alvei, quibus Ganges, e montibus Emodis progressus et per planitiem locorum delatus fertur: quod cum fide veterum convenit. In locis planis fertur jam *sedatis amnibus* sedate ac tacite; etiam aucto solitis anni vicibus alveo: quo ducere videtur voc. *surgens*, increscens aquarum auctu et eluvie ultra ripas facta. Potest tamen esse simpliciter pro, incedens: etsi notionem auctus adjunctam esse videam. Igitur Ganges inde ab ortu septem alveis incedit sedate ac tacite. *per tacitum*, ex sup. *it*, incedit tacite: ut, per silentium, per noctem.

35 *ab adversa mole*, turri in munitione Trojanorum (cf. ad v. 13.) ab ea parte, qua Latini accedebant. 38. 39. recipiunt se Trojani intra vallum et muros. 41. si quis belli casus se offerret; verbo, si quid accideret. 44. *monstrat* h. l. hortatur, suadet, impellit.

48 In verbis *et urbi Inprovisus adest*, furta *et* vacare videri potest. Enimvero jungenda: *Turnus* viginti equitibus *comitatus et inprovisus urbi adest*. In equo *Thracio* non hærendum; cujus generis equorum copia in

Principium pugnæ, et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda;
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper et inprobus ira
Sævit in absentis; conlecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccæ sanguine fauces.
Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti,
Ignescunt iræ; duris dolor ossibus ardet;
Qua tentet ratione aditus, et quæ via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus sæptam circum et fluvialibus undis,
Invadit; sociosque incendia poscit ovantis;
Atque manum pinu flagranti fervidus inplet.
Tum vero incumbunt; urguet præsentia Turni;
Atque omnis facibus pubes adcingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen
Tæda, et conmixtam Volcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musæ, tam sæva incendia Teucris

Latio vix tum esse potuit; sed ornat epitheton. 57. *castra fovere*, pro vulgari, se in castris tenere. vid. ad Ge. III. 420. Et Turnus *turbidus*, turbatus, pudore et ira incensus, quod aditum murorum, qua subire posset, non videbat.

59 seqq. *nocte super media*, ultra mediam noctem, ut eum longa mora incensa fames ad rabiem agat; conf. v. 63. 64. *ira sævit* melius, quam *improbus ira* jungitur, ne altero loco abundet *ira*, altero autem loco *sævit* nudum et tenue relinquatur. *Improbus* omnino est nimius, multus, vehemens. *absentes* h. l. de inclusis ovibus. Suave autem hoc *sævit in absentes*, quod imitati passim sunt alii: Stat. II. Theb. 133. Valer. Flac. III. 589. ubi v. Intpp. 63. 64. ornate: fames et sitis excruciat eum. 67. *quæ via*, aditus ad muros, *excutiat Teucros*, facultatem et modum suppeditet eliciendi eos. 68. *æquor* camporum haud dubie.

70 Comparant exemplum Hectoris et verba Iliad. o, 716. sqq. 72. *fervidus* ut *fervidus instat* IX. 350. X. 788. et al.

74 *accingitur* facibus, armatur, instruitur. 75. *focos*, quos a Rutulis extemplo exstructos fuisse cogitandum est; adeoque nunc tædas seu stipites in foco ardentes.

77 sqq. Fabulam, quæ sequitur, tamquam absurdam et epica gravitate indignam reprehendere in promtu est. Nec nos infitiamur, a nostris sensibus et phantasmatibus eam nimium quantum abhorrere. Nec vero Maro hoc non persensisse et ipse videri debet. Hoc

Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, et pelagi petere alta parabat,
Ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum
Vocibus his adfata Jovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea silva mihi, multos dilecta per annos,
*Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
*Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio juveni, quum classis egeret,
Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius urguet.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,
Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur; prosit nostris in montibus ortas.
Filius hic contra, torquet qui sidera mundi:
O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factæ inmortale carinæ
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo ubi defunctæ finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quæcunque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse deas: qualis Nereia Doto

enim erat, cur novo more aditum sibi ad narrationem muniret.

79 *Prisca fides facto sed f. Fides* est ejus, qui aliquid tradit, vel rei quæ narratur, quæ alias *auctoritas:* adeoque pro ipsa *narratione* ponitur. Igitur *facto* h. facti *prisca est fides*, narratio. Rem narrat traditam ab antiquis hominibus: sed constante fama ad seriores ætates propagatam.

80 *Ida* mons et ipse sacer magnæ Matri deum, non minus ac *Berecyntus*, Phrygiæ mons et tractus, a quo h. l. nomen inditum; uti alias illa *Idæa dea* appellata est. Consentaneum erat, ut pineta montis ei essent sacra. Puta adjectum a poëta *domito Olympo*, pro eo, quod volebat, domitorem, *potentem Olympi, regem deorum*, dicere, qui adeo posset precibus satisfacere. 85. sqq. suspectus locus; *silva* et *lucus* saltem per appositionem dicta puta. 86. *in arce*, in vertice Idæ: esset τὸ Γάργαρον ἄκρον, Iliad. ξ, 292. In hoc igitur sacra fieri solita Matri Ideæ.

94 *quo fata vocas?* invertis, mutas; uti fata *verti, flecti, mutari*, dicuntur; aut *quid petis istis* trabibus seu navibus (h. in earum gratiam). *immortale fas;* h. l. pro conditione; ut jus. *certusque incerta*; ut ab initio statim certum et exploratum habeat Æneas, in periculis instantibus se incolumem fore. 98. *defunctæ*, quod plenius VI. 83. *magnis pelagi defuncte periclis*. 99. *olim quæcunque evaserit undis*. Non enim omnes evaserant;

Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcæ
Debita complerant; quum Turni injuria Matrem
Admonuit, ratibus sacris depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora cœlum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere navis,
Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutæ,
Ite, deæ pelagi; Genetrix jubet. Et, sua quæque,
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. Hinc virgineæ, mirabile monstrum,
Quot prius æratæ steterant ad litora proræ
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.
Obstupuere animis Rutuli; conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno;
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Trojanos hæc monstra petunt; his Juppiter ipse

sed unam Orontis tempestas merserat mari: I. 113. quatuor aliæ incensæ a mulieribus in Sicilia: V. 699. Ergo ex XX navium numero, non nisi XIV incolumes Tiberim intraverant. 105. *amnes rapidos et atros* voluit dicere.

110 *Hic primum. primum* refertur ad v. 112. *tum* vox audita. 112. Paullo durius, sed, ut poëticam orationem decebat, junctum: *nimbus Idæique chori*, visus nimbus, nubes transcurrere per cœlum, et visi sunt chori, h. e. chorus, qui Matrem deum comitari solebat, Corybantum puta, in nube illa abditus et inclusus. Etiam in sacris adventus deæ, etsi non visæ, magno strepitu tibiarum et tympanorum declarari solebat. Incedit dea *ab Aurora*, ab Oriente, relicto Berecynto et Ida. 113. vox *agmina complet*, proprie aures, loca, in quibus illa agmina habentur. 114. Tum dea Teucros vetat *laborare*, et navibus defendendis operam dare.

118 *puppes*, non proræ; nam puppes sunt ad littus versæ. v. VI. 3. 4. 5. 122. *redduntse*, iterum emergunt, prodeunt. 124. *Messapus* memoratur, quia is inter primos infesti Rutulorum exercitus duces erat: VIII. 6.

Auxilium solitum eripuit; non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ; rerum pars altera ademta est.
Terra autem in nostris manibus; tot millia, gentes
Arma ferunt Italæ. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant, responsa deorum.
Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniæ Troës. Sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge prærepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum. Quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarumque moræ, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt mœnia Trojæ
Neptuni fabricata manu considere in ignis?
Sed vos, o lecti, ferro qui scindere vallum
Adparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protenus omnes
Etrusci socios. Tenebras et inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis

126 seqq. Audacia Turni præclare a poëta inter metum cæterorum declaratur. 129. *non tela*, perituri sunt, antequam nos telis et igni eos petamus. 131. *rerum pars altera*, pro vulgari: altera res, alterum. Alterum, mare, ipsis interclusum est, combusta classe; alterum, terra, in nostra est potestate; nam, Trojanis vallo inclusis, Rutuli loca vicina obsident ac tenent. 132. *tot millia, gentes Italæ*, per appositionem, pro vulgari, tot millia gentium Italicarum, s. Italorum, in armis sunt adversus Trojanos. 134. De his vaticiniis cf. Disquis. II. s. VI. 135. Turnus simpliciter de fatis in Æneæ gratiam a matre Venere quocunque tandem modo ordinatis cogitare potuit. Quod illa Jovem precibus exoraverat, rescivimus nos, a poëta nobis proditum. 138. 139. Non solus Menelaus raptum conjugis Helenæ ulciscitur. Reliqua 140. sqq. paullo argutiora et ῥητορικώτερα esse videntur: sed, dicat aliquis, satis est Trojanos semel ultimam calamitatem esse expertos; nec probabile fit, cum dii tantis periculis eos servatos in Italiam adduxerint, nunc iis exitium adfuturum esse. Ita vero satis etiam habere debebant, semel rapuisse feminam; quippe qui ex raptu Helenæ ea mala experti sint, ut *modo non omne* h. e. totum genus femineum perosi esse debeant: tantum abest, ut novum raptum, Laviniæ meditentur. *Quibus hæc*. Ex ira oratio durior. Dat iis hoc vallum, hæc fossa, fiduciam: an non multo munitiora Trojæ mœnia eversa viderunt? Argutum et bellum etiam illud 143. *leti discrimina parva:* quod de navigantibus simplicius Homer. Il. ο, 628. τυτθὸν γὰρ ὑπ' ἐκ θανάτοιο φέρονται. 146. Respicit Turnus arma a Thetide Achilli apportata et classem Achivorum. 150. 151. Insidias per noctem non struemus: ut *furtum*

Ne timeant; nec equi cæca condemur in alvo:
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decumum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; et pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, et mœnia cingere flammis.
Bis septem, Rutulo muros qui milite servent,
Delecti: ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis juvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt crateras aënos.
Conlucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super e vallo prospectant Troës, et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontisque et propugnacula jungunt;
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos pater Æneas, si quando adversa vocarent,
Rectores juvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat, exercetque vices, quod cuique tenendum est.
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,

toties. 155. *quos distulit Hector:* docte pro vulgari, quorum conatus et consilia repressit et retardavit per annos decem.

156 Priscæ ætatis mos et militiæ observanda est imperitia, quod Rutuli castra oppugnant, ipsi vallum nullum ducunt, quo se tueantur. 160. *flammis* int. vigilias. 161. sqq. cf. Iliad. ι, 85. seq. Agmen igitur CIↃIↃCC virorum selectorum fuit constitutum. 164. alternis excubias et alia munia militaria obeunt. 165. *et vertant crateras aënos*, inclinant vinum in pocula infundendo.

168 *armis alta tenent* h. e. vallum (poëta per muros declarat) et turres armati occupant. 170. *pontes et propugnacula jungunt;* ut *amnis ponte* jungitur, ripis ponte junctis, ut transitus pateat, sic *propugnacula junguntur pontibus*, ut ad ea pateat aditus. *Propugnaculum* est locus munitus, munimentum, unde propugnatur: potest adeo dici de muro, turri. Jam genus est munimenti semicircularis ante vallum seu murum castrorum, quod ponte jungi cum vallo necesse est. 171. *tela gerunt:* congerunt et apportant missilia. 173. *Rectores juvenum*, sunt duces militum, quos designaverat Æneas ante profectionem ad Evandrum, si quid accideret adversi, quod operam militarem postularet. 175. *vices*, *quod* explicative, hoc magis doctum adeoque poëticum, quam interpretari: per vices exercet id, quod etc.

176—449. Pervenimus nunc ad episodium,

Hyrtacides; comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis;
Et juxta comes Euryalus, quo pulcrior alter
Non fuit Æneadum, Trojana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait, dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant; somno vinoque sepulti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro,
Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.
Ænean adciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt; mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt: nam mihi facti
Fama sat est: tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et mœnia Pallantea.
Obstupuit magno laudum percussus amore
Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum:
Mene igitur socium summis adjungere rebus,

Æneidis omnium facile nobilissimum, de Niso et Euryalo, cujus suavitas summa inprimis ad sensum et affectionem amicitiæ sese refert. Sed acceserunt tot alia ad animos movendos accommodata: generosa puerorum indoles; præclara laudis cupido, et virtus nullam mercedem expetens, ipso facto contenta; respectus materni amoris ac pietas; Ascanii pueri et Aletæ senis benevolentia in eos. Accessus et transitus ad episodium lenis est et simplex. Egerat de custodiis et excubiis; est in iis Nisus.

177 *Idam* matrem esse Nympham quis dubitet?

180 *Trojana neque indúit arma*; otiosum videri debet post illa: *non fuit Æneadum*; sed redemit culpam poëta Homerica forma: ἐδύσατο τεύχεα et similia. Non fuit alius inter Trojanos qui in armis erant.

181 *juventam primam* ausus est dicere pro lanugine pubertatis. 182. *amor unus*, idem utriusque et mutuus. 185. *dira* simpl. auget, ingens, vehemens, cupido. 191. *dubitare* est deliberare, animo agitare et volvere. 193. Quod nunc in votis habetur, est, ut sint, qui portent ad Æneam certa; quo ille reditum maturaret, ubi Trojanos obsideri accepisset; ergo et hic *reportare* pro simplici, referre, nuntiare. Æneam autem adhuc apud Evandrum morari credebant. 194. Præmium, quod pro tanto auso poscere poterat, generosus puer concedere vult amico Euryalo: ipse laude facti contentus esse. Dicas: at inf. 234. seqq. nihil tale postulat Nisus. Verum antevertit ejus postulata generosa voluntate Ascanius pollicendo præmia vs. 252. sqq. Mox v. 197. *laudum* est pro laudis. *laus*, κλέος, factum præclarum; atque etiam virtus. Sed ut de toto Nisi et Euryali consilio satis constet, locorum situs apud ani-

Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis adsuetus, Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi,
Magnanimum Æneam et fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemtor, et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar;
Nec fas; non. Ita me referat tibi magnus ovantem
Juppiter, aut quicumque oculis hæc adspicit æquis.
Sed, si quis (quæ multa vides discrimine tali),
Si quis in adversum rapiat, casusve, deusve,
Te superesse velim; tua vita dignior ætas.
Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum
Mandet humo solita; aut, si qua id Fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro.
Neu matri miseræ tanti sim caussa doloris:
Quæ te sola, puer, multis e matribus ausa,
Persequitur, magni nec mœnia curat Acestæ.
Ille autem: Caussas nequidquam nectis inanis,

mum adumbrandus est: Agrum Ostiensem et ostia Tiberis ad animum revoca. Castra Trojanorum ad Tiberis fere ostia in orientali littore erant sita, a dextra mœnia ad amnem pertingebant: cf. inf. 469. 790. 815. quam partem mox Turnum, castris inclusum, petere videbimus. Ab eadem parte a tergo navium erat statio sup. v. 69. A sinistra parte porta ad mare ducebat: v. inf. 238. Castra, in extrema littoris parte posita fuisse apparet, fronte castrorum in interiores terras versa. Jam porta, *quæ proxima ponto*, illi egressi, Rutulis excubias negligenter agentibus ad tumulum tendere volebant, sub quo viam ad Palatium s. *Pallanteum*, urbem Evandri reperiri non dubitabant. Successerat audacia in trajectu per Rutulos facto, et læva v. 372. viam tenebant, cum, ecce, equites a rege Latino missi versus castra tendunt. A Laurento urbe via secundum littus ad illa loca ducebat. Deprehensi igitur Nisus et Euryalus fugiunt in silvam, vs. 378, Laurentinam scilicet, unde Nisus quidem versus lacum Albanum elabitur v. 387. sqq., sed Euryalum se non subsequutum videns, iterum ad silvam reversus cum amico suo interimitur.

200 *fugis* pro vulgari, recusas, refugis. 201. *Non—sublatum* educatum se in bello ad Trojam gesto innuit. Pro vulgari: non ego talis sum. *nec*, et quidem *tecum*, quam suaviter! *talia gessi:* ut sc. tu refugere possis, et nolle me socium susceptí facti adjungere. Igitur jam experimenta virtutis satis clara ediderat juvenis fortissimus. 204. *fata extrema*, fuga ex urbe Trojæ, errores. 205. 206. Versus omnium, quos memini, sententiæ generositate, et magnanimitate præstantissimi. Esse autem *bene emere*, æquo vel vili etiam pretio emere, notum est; oculos *æquos* v. 209. esse propitios, in promtu esse debet. Mox 213. *raptum* non, occisum, sed ereptum, subductum e pugna. 215. *Absenti* de eo accipio, cujus corpus non extat, quod sepeliri possit; itaque inferiis et cenotaphio defungendum est. 217. *Quæ te sola*. Mansit in Sicilia senum et infirmorum inutilis turba: cf. lib. V. 715. sq. 767. Inter longævas itaque matronas sola Euryali mater fuit, quæ in Sicilia manere nollet. 218.

Nec mea jam mutata loco sententia cedit.
Adceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt, servantque vices: statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnis animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum:
Ductores Teucrum primi, delecta juventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Æneæ jam nuntius esset;
Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iulus
Adcepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus æquis,
Æneadæ; neve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Procubuere; locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto;
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur; si Fortuna permittitis uti:
Quæsitum Æneam ad mœnia Pallantea
Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Adfore cernetis. Nec nos via fallit euntis:

mœnia Acestæ, Segestam urbem. 219. *nectis caussas* ductum est eo, quod prætexere caussas aliquis dicitur; et 220. ornate, pro mutari non potest. Mox excitant commilitones, qui in statione excubiarum in suum locum succedant, dum ipsi ad *regem*, Ascanium, ἀναγκαῖα, tendunt. 224. Orditur narrationem eodem modo, quo Homerus suam de Ulyssis et Diomedis exploratione Iliad. κ, 1. et 195. sq. 229. Egregia concilii ista heroum ætate habiti adumbratio; cujus passim in vetustis monumentis exempla occurrunt. *Stant* longis *adnixi hastis:* vide v. c. Iliad. θ, 493. sqq. 230. *Castrorum et campi medio;* campus nunc explicative de castris, quæ in campi planitie erant. 232. *Rem magnam* se afferre et *pretium moræ fore*, scil. quam suo adventu afferant consiliis; seu simpl. *mora* pro tempore, quod nuntio audiendo impensuri sint. *trepidos* pro festinis, ut ante, *alacres* pro concitatis, poni a poëta memoria tenendum: item, mox 236. *ferre* esse nuntiare. *insidiæ* h. l. ad clandestinum egressum referendæ sunt. Porta igitur, quæ ad mare ducebat, duas vias ostendebat, quarum altera Laurentum et per castra Rutulorum ducebat, qui ab his partibus venerant ad oppugnanda castra; altera ad lævam et a tergo castrorum in interiores terras.

240 sqq. Si fortuna permittitis uti nos, ut in hac hostium incuria et socordia, castra clam erumpamus: *mox cernetis Æneam quæsitum*, h. e. inventum, *hic effore* reducem. *Fortuna*, occasione, inquit Burman. ut Serv. Recte quidem; sed Fortuna multo latius patet, multoque ornatius et potentius ver-

Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem,
Venatu adsiduo et totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
DI patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Quum talis animos juvenum, et tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, et voltum lacrimis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis,
Præmia posse rear solvi? pulcerrima primum
DI moresque dabunt vestri; tum cetera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non inmemor umquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penatis,
Assaracique Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Obtestor (quæcumque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis): revocate parentem;
Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba;
Et tripodas geminos; auri duo magna talenta;
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri

bum est. 244. Expeditissimum est, ut *vidimus* ad verba *sub vallibus* retrahatur; ut sit: nos, venatu ulterius provecti, in obscura valle collocati vidimus e longinquo Pallanteum in edito loco positum. Mox *certus* est is, cui certum, decretum, aliquid est, adeoque constans, firmus, fortis. 252. *laudes* et hic pro virtute, pro factis strenuis. 255. *integer ævi.* Ascanius est integra ætate, adolescens, inprimis respectu parentis; decedit annis, ætati, vitæ, tamquam summæ, nobis destinatæ, pars aliqua quotannis, seu quotidie; ut apud Horatium aliquoties: II. Carm. 5. 13. Art. 175. Pueri aut juvenis in ἀκμῇ constituti quodam modo est summa annorum integra, nondum imminuta. Itaque h. l. ornat epitheton; nihil amplius. *Vos—Nise*, ut inf. 525. *Vos, o Calliope;* nota figura. 259. *Assaraci Larem;* non tamquam Assaracus Lar fuerit, sed pro *Lare majorum*, inter quos fuit Assaracus, doctius hunc unum memoravit poëta, ut sup. I. 284. *domum Assaraci*, dixerat. 260. *fides* exquisite pro spe et voto sæpe ponitur: quæcunque mihi fortuna, et quæcunque mihi fides seu spes est: erat autem et fortuna et spes in desideratissimi parentis reditu posita.

264 *devicta genitor quæ cepit Arisba.* Repetit hoc poëta ex rebus, quæ Trojanum bellum antecesserant. Potuit igitur narrationem de Arisba ab Ænea capta sequi, quæ cum pluribus aliis de rebus Trojanis narrationibus intercidit. *magna talenta* e poëtica ratione, ut ornet. Nam, quod partes in se continet, totum *magnum* est respectu partium. *Cratera* autem *antiquum* int. antiquo

Contigerit victori, et prædæ ducere sortem:
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipsum illum, clipeum cristasque rubentis,
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma;
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Adcipio et comitem casus conplector in omnis.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus;
Seu pacem seu bella geram: tibi maxuma rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit; tantum: Fortuna, secunda
Aut adversa, cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumque pericli est
Inque salutatam linquo; Nox, et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnis. Percussa mente dederunt
Dardanidæ lacrimas; ante omnis pulcher Iulus;
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.

opere. 267. *capere Italiam* magnifice, si sedem obtineat, et terram in Latio, quam inhabitent Trojani, et prædam sortiri, dispertiri, contigerit. 269. Turnus *aureus*, aureis in armis. 270. 271. habebis equum exsortem, γέρας; ἐξαίρετον, et Turni spolia. 272. 273. Promittit duodecim mancipia, ancillas et pueros. *Matres* poëtæ simpliciter sunt feminæ; non gravidæ. Quod adjecit *suaque omnibus arma*, obscurum esse potest, si servos cogites. Sed *captivos* memoravit, quos armatos ceperat, armisque adeo spoliaverat, hos assignabit cum armis. 274. Recte Servius ad τὸ τίμιον, seu portionem agri regibus priscis pro honore assignati refert. Spectat ad hanc ipsam regis sortem locus circa lacum Albanum inf. v. 388. *ubi tum rex stabula alta Latinus habebat* h. armenta pascebat. 277. *Accipio*, facio, *et complector te pectore toto*, *comitem* junge. 279. 280. *tibi maxima rerum verborumque fides* erit et habebitur; tecum omnia consilia mea et gerendas res communicabo. Quodcunque autem vel cum fide ac fiducia vel propter fidem facimus, id omne *fides* designat. 281. 282. 283. Ego vero allaborabo, ut huic forti facto tota vita mea sit consentanea: sive bona sive adversa fortuna in eo exequendo usus fuero. *tantum*

Tum sic effatur:
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusæ
Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicumque sequuntur:
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:
Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait inlacrimans; humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius atque habilem vagina aptarat eburna;
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.
Protenus armati incedunt: quos omnis euntis
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis. Nec non et pulcer Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata. Sed auræ
Omnia discerpunt, et nubibus inrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, adrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma, jacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra. Nunc ipsa vocat res.

scil. dico, profiteor de me, polliceor. Ad pietatis sensum præclare seqq. sunt comparata.

294. Locus, suavissimi affectus plenus. Conscientia ac cogitatio, adeoque imago pietatis suæ in patrem Æneam, acriter pungit animum Ascanii, exemplo pietatis in Euryalo erga matrem percepto.

298 *nec p.* et ipsi imputabo in beneficium acceptum hoc, quod talem filium peperit. Meretur magnam gratiam, quæ te genuit: vel ut Serv. " debet ab omnibus coli, quæ talem creavit."

303 sqq. Hæc ex heroicæ vitæ more illustranda, quo propriis armis alium instruere summi affectus pignus erat. 313. *nubibus;* dant ventis, auris, ut toties.

315 Impeditam sententiam facit vox *ante*. Servius, etsi durius, vult ut *ante* respiciat *inimica*, in quo vis lateat, perniciosa ipsis, unde redituri non erant; igitur *ante* quoad sententiæ ex ea voce supplendum: *antequam ipsi perirent*. Præstat interpretari: antequam ad Æneam pervenirent. 317. *arrectos currus* sublato in altum jugo, et depressa in terram parte currus extrema, si binis rotis instructum currum cogites. mox *vina*, vasa vini.

Hac iter est. Tu, ne qua manus se adtollere nobis
A tergo possit, custodi, et consule longe.
Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum;
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tris juxta famulos temere inter tela jacentis,
Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis; ferroque secat pendentia colla;
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque,
Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra deo victus: felix, si protenus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemque tulisset.
Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans;
Suadet enim vesana fames; manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes: Incensus et ipse
Perfurit; ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Herbesumque subit, Rhœtumque, Abarimque,
Ignaros; Rhœtum vigilantem, et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:

321 Anteit Nisus: Euryalo mandat, ut sequatur et a tergo omnia tuta præstet. *consule*, prospice, provide. *vasta dare* pro facere, vastare. *vocem premit:* submissa voce loquitur. 325. 326. ornate, docta verborum immutatione, pro vulgari: *in tapetibus alte extructis ipse Rhamnes proflabat somnum*. Posuit autem tapetes pro pulvinis qui tapetibus instrati sunt.

329—334. Remum (quem expresse non nominat), cum trinis famulis, ejusque armigerum (θεράποντα) et aurigam (ἡνίοχον) opprimit. 333. 334. *sanguine singultantem truncum*, qui collo reciso sanguinem emittit ebullientem. Doctius quoque dixit *singultantem sanguine*, pro *s. sanguinem*. 335. sq. Lusibus et jocis inter epulas Sarranus magnam noctis partem exegerat, et nunc vino gravatus *(multo deo victus)* obdormierat; quanto melius fuisset, si potationem per totam noctem continuasset et in lucem protulisset ac produxisset! ita enim opprimi a Niso non potuisset. 339. Homericum locum Iliad. ζ, 485. 486. ornavit: *turbans*, consternans pecudes, ut tumultuetur per ovile. Spectat autem comparatio, etsi paullo durius, ad Nisum: Simili modo furebat Nisus. Tum subjicitur: *Nec minor Euryali cædes.*

343. *sine nomine, πανώνυμος*, obscuros, ignobiles. *nomen* non modo pro fama, sed et

Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti, et multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam; et cum sanguine mixta
Vina refert moriens. Hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat; ubi ignem
Deficere extremum, et religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus
(Sensit enim nimia cæde atque cupidine ferri),
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est; via facta per hostes.
Multa virum solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulcrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio quum jungeret absens,
Cædicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;
Hæc rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex urbe Latina,

pro nobilitate ac dignitate. *in medio* vel de loco vel de tempore. *magnum se post cratera tegebat.* Non Virgilius credi potest finixisse ea, quæ ad sensum uniuscujusque obviam reprehensionem haberent. Statuendum itaque est, craterem cum ipso abaco, aut mensa, cui ille impositus erat, esse intelligendum. 348. *multa morte recepit*, retraxit ensem multo cum sanguine; ut φόνος. Tum *purpuream animam* dixit sanguinem vitalem, cum quo vita efflatur. 349. 350. *et cum sanguine mixta vina refert*, ἀναφέρει, rejicit. Sensum igitur fœdæ et ingratæ rei poëta habuit nullum, qui ista memorare non dubitavit. Non jungam *furto fervidus*, sed fervide instat *furto*, furtiva et occulta cæde.

351—356 Messapus excubiis erat præfectus, sup. 159. etc. *ignem extremum* quis dubitet jungere, ut *lumen extremum*, jam jam fere consumtum et deficiens? *religatos rite*, equos rite alligatos, uti res poscebat, uti consentaneum erat facere, ne liberi discurrerent. 356. *Pœnarum* h. l. pro cæde ad ulciscendum hostem facta; cædes satis multæ factæ sunt.

357—366 Omissis cæteris spoliis phaleras et cingulum Rhamnetis aufert Euryalus; una cum galea Messapi, qua paullo post ipse proditur hostibus. *phaleræ*. Euryalus induisse videtur illas phaleras una cum balteo. Itaque h. l. saltem pro viri ornamento erit accipiendum, et quidem viri e curru pugnantis: etsi quale id fuerit nusquam declaratum reperio. Remulum *Tiburtem* dicere malim, quam *Tiburti filium*. Mox balteum int. aureis clavis insignitum. Balteus ille olim Cædici fuerat, qui eum miserat Remulo, Tiburtino homini, hospitale munus, ξενήϊον; Remulus moriens nepoti reliquit; quo aliquando in pugna cæso, balteo illo potiti sunt Rutuli. Atque hi, vel in prædæ parte vel ut ἀριστεῖον, balteum Rhamneti dederant. 362. δῶκεν ἔχων, δῶκε φέρων Homer. simpl. dedit. 364. *nequicquam aptat*, non fruiturus; puta respectu calamitatis, quam accepturus est, dum per eum impeditus proditur ver. 384. *habilem*, aptam capiti.

367 sqq. Subticuit poëta sapienter nonnulla, quæ ex ipsa narratione intelliguntur.

Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regis responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, murosque subibant,
Cum procul hos lævo flectentis limite cernunt;
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit inmemorem, radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:
State, viri; quæ caussa viæ? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra;
Sed celerare fugam in silvas, et fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi conplerant undique sentes;
Rara per occultos lucebat semita callis.
Euryalum tenebræ ramorum onerosaque præda
Inpediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit: jamque inprudens evaserat hostis,
Atque lacus; qui post Albæ de nomine dicti
Albani; tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum:
Euryale, infelix qua te regione reliqui?

Præcesserat Turnus cum expedito agmine ad castra Trojanorum expugnanda. Interea in urbe Laurentum coguntur copiæ. Ad earum adventum accelerandum miserat Turnus ad regem Latinum: a quo, dum cæteræ copiæ satis instructæ sint, præmittuntur trecenti equites. In hos ipsos, dum ad castra appropinquant, incidunt miseri Nisus et Euryalus. 371. *murosque subibant.* Res sic expediendæ: Rutuli obsidebant vallum et portas castrorum Trojanorum, adeoque turma, quæ ad exercitum mittebatur, *castris propinquare murosque subire* dici poterat, qui ab exercitu oppugnabantur. 372. *lævo limite:* sc. in *bivio portæ quæ proxima ponto* v. 238. Nisus et Euryalus tendunt læva versus Tiberim et Palatium Evandri. cf. sup. 196. 374. Variavit ingeniose quod ap. Homerum est Iliad. z, 258. 375. res animadversa est haud in vanum; non neglecta est. 377. *tendere* verbis tendere adversus aliquem, hoc est, respondere. 379. *divortia* doctius, quam diverticula.

385 *fallitque timor regione viarum* h. via, periphrastice; ut aberraret a via. *regio viæ*, et poëtice, *viarum*, pro ipsa via. Timor ipse, ne in hostes incideret, a via, qua elabi poterat, abducit. 386. *imprudens*, Euryalum remanere non animadvertens. *Lacus Albanus* aliquantum sane a Castro Trojanorum, seu Nova Troja, abfuit, et majore forte intervallo, quam ut paucis horis a media nocte ad diei ortum eo usque procurrere et rursus inde silvas repetere potuerit Nisus. Enimvero nec geometrica subtilitate in poëta hæc exigenda sunt, qui omnino longius cursu evectum Nisum declarare voluit. Poterat is lacum Albanum, longo etsi intervallo adhuc dissitum, tamen prætergredi, versus Tiberim tendens, et a tergo relinquere eumque evadere, etsi aliquot milliibus ab eo abesset. Ad oculorum sensum hæc in locorum planitie sunt dijudicanda.

Quave sequar? Rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvæ, simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus; quum clamor ad auris
Pervenit, ac videt Euryalum: quem jam manus omnis
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses
Inferat, et pulcram properet per volnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
Tu, dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos;
Si qua tuis umquam pro me pa er Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.
Dixerat: et toto connixus corpore ferrum
Conjicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure;

stabula conf. ad v. 274. Ceterum tota hæc narratio egregie ad expectationem movendam est comparata. 396—398. Euryalum ignoratione viarum tenebrisque oppressum, inopinato hostis adventu turbatum, frustraque modo hoc modo illud conantem, dum nunc fugam nunc arma parat, capiunt et abducunt.

402 Consilium Nisi ex v. 409. declarandum est: volebat occulto et repentino assultu conturbare et consternare hostes, ut incerti, quibus insidiis peterentur, in fugam se conjicerent; ita liberandi Euryali copiam [illegible] res, nisi morte Euryalo intentata in apertum ille prorupisset. Formula precum v. 406. solennis et nota vel ex Iliad. λ, 39. sq. ε, 115. sqq. Od. δ, 763. sq. et alibi. *præsens*, propitia, ut alibi monitum. 407. *auxi* aut alia ipse tuli, addidi, aut, quæ vox sacra est, auxi, struxi, apposui. 408. *tholus* est interius tectum rotundæ ædis in testudinem concameratæ, *fastigium* est in aditu et super foribus. 409. *sine* ἔασον ut Iliad. ϑ, 242. 243.; solennius erat δός με, *da, fac, me.* 413. Iliad. ξ, 437. κελαινεφὲς αἷμ' ἀπέμεσσεν. 415. Ge. III. 506. *imaque longo Ilia singultu tendunt.*

Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quo se ardens inmittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit; simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens
Conclamat Nisus; nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me (adsum, qui feci), in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,
Nec potuit: cœlum hoc et conscia sidera testor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus
Transabiit costas, et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulcrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix conlabsa recumbit:
Purpureus veluti cum flos, succisus aratro,
Languescit moriens; lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnis
Volscentem petit; in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc comminus atque hinc
Proturbant. Instat non secius, ac rotat ensem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.

417. *summa telum librabat ab aure.* Cogita statum vibrantis hastam, elevata a dextra capitis parte manu. 418. 419. Homericum vulnus v. c. Iliad δ, 502. et υ, 473.

424 sqq. Observa hic incalescere orationem cum ipso Nisi calore. Et illa *Me, me,* etc. ad 430. usque, quis non æstuet juvenilis animus inter legendum! Naturalis verborum ordo ex animi perturbatione mutatus est. *me* aut me petite, aut retrahendum *in me* convertite. 433. *volvitur*, provolvitur, concidit, cæsus, moriens: pro hoc dixit *leto.* 435—437. Eximia et suavis comparatio, sed in qua Maroni nil imputandum præter verborum ornatum. Nam præclarum illud *succisus aratro* a Catullo mutuatus est: Carm. XI. f. et LXII. 39. sq. alterum de papavere totum Homericum est Iliad. Θ, 306. 307. Versus 444. 445. præclari et facto et verborum dilectu: nunc enim recte memorata *placida* mors, et *quiescere* in amici complexu.

Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Æneæ Capitoli inmobile saxum
Adcolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores præda Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui, et primis una tot cæde peremtis,
Sarranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque viros, tepidaque recentem
Cæde locum, et plenos spumanti sanguine rivos.
Adgnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat; æratasque acies in prœlia cogit,
Quisque suos, variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa adrectis (visu miserabile) in hastis
Præfigunt capita, et multo clamore sequuntur,
Euryali et Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem (nam dextera cingitur amni)

446—449 Splendidissimum epiphonema! et ad miserationem altius infigendam animo, dum se ipsum ea tactum significat poëta, aptissimum. Splendor autem et pondus in ornamentis ac verbis. *domus Æneæ*, gens Julia, aut, quod minus mallm, omnino populus Romanus. *immobile saxum:* quippe *æternum* Capitolium, et nota narratio de Termino deo, qui in fundamentis Capitolii jaciendis non cessit loco. *pater Romanus* est Jupiter Capitolinus, non Augustus: is non æternum habiturus erat imperium.

452. cf. Iliad. ν, 523. sq. 455. 456. *tepidaque recentem cæde locum;* docte et eleganter, propter exquisitiorem et remotam a vulgari usu formam. Nam *locus recens cæde*, doctius dictum est, quam *locus recenti cæde*, in quo cædes recens facta. At *cædes tepida* propter tepentem adhuc cruorem φόνος, αἷμα λιαρόν. Ita et mox *plenos spumanti sanguine rivos* dictos accipe pro *rivis sanguinis*. Nec tamen infitiandum, paullo tumidius et tragice hoc dictum esse. 463. Debebat esse: *acies in prœlia cogunt et acuunt: rumoribus* docte videtur positum pro hortatibus, vocibus. 468. De situ locorum vid. sup. ad v. 194. Poëtam puta in Rutulorum, castra adorientium, agmine versantem nunc sinistram versus mare, dextram partem versus Tiberim memorare. *a læva parte* castrorum, quæ in mare conversa erant, porta erat, a qua duplex via ducebat, altera secundum littus, adeoque versus Laurentum, altera in interiora agri, qua, retro ad Tiberim versus collem Palatiuum perveniri poterat. Firmant Trojani præsidiis vallum ab læva parte qua Rutuli oppugnare munitionem seu urbem, quam Virgilius perhibet, poterant: collocant ea in

Ingentisque tenent fossas, et turribus altis
Stant mæsti: simul ora virum præfixa movebant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque adlabitur auris
Euryali. At subitus miseræ calor ossa reliquit.
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix, et, femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virum, non illa pericli,
Telorumque memor; cœlum dehinc questibus inplet:
Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune, illa senectæ
Sera meæ requies, potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,
Adfari extremum miseræ data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date præda Latinis
Alitibusque jaces! nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens; tibi quam noctes festina diesque
Urguebam, et tela curas solabar anilis.
Quo sequar? aut quæ nunc artus, avolsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli; me primam absumite ferro:
Aut tu, magne pater divom, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

ipso vallo seu muro et turribus, quas fossa ambit.

473 sq. Comparant Andromachæ trepidationem et luctum, Iliad. χ, 447. seqq. et Iliad. ζ, 388. sq. 479. *prima agmina* haud dubie jungenda. Nam procurrit ante propugnatores valli. 485. 486. ex prisci ævi atrocitate, satis nota, vel ex Iliadis primis versibus, visum est infaustissimi casus esse, si cui funus duci nequiret. Ad sequentes quoque versus illustrandos undique locorum copia suppetit, etiam ex Homero, v. c. Od. ω, 291. sqq. Iliad. χ, 86. sqq. conf. inf. X. 557. sqq. 486. *nec te t. f.* Ut nunc legitur, ratio grammatica accipere sic jubet, ut *tua funera* sit appositum voc. *te*. Scilicet funus ducitur, producitur, adeoque et corpus. Friget tamen vel sic locus cum cadavere. Probabile fecimus, legendum esse *funere*; nec ego funus tuum duxi; pro hoc doctius dictum: *nec te produxi funere*. 491. *hoc caput*, quod ante oculos erat suffixum pertica v. 465. 492. *hoc sum secuta?* ut mihi aliquando id esset sic adspectandum! Nisi *hoc*

Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omnis
It gemitus; torpent infractæ ad prœlia vires.
Illam incendentem luctus Idæus et Actor,
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli,
Conripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit. Sequitur clamor, cœlumque remugit.
Adcelerant acta pariter testudine Volsci;
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditum, et scalis adscendere muros;
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: quum tamen omnis
Ferre juvat subter densa testudine casus.
Nec jam sufficiunt. Nam, qua globus inminet ingens,
Inmanem Teucri molem volvuntque ruuntque:
Quæ stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam

pro eo, propterea, malis accipere. *fœnus* est cadaver. 500. *incendentem luctus*. Uti *ardere* dicuntur ea, quæ in magno motu sunt, agitantur, turbantur, versantur: sic *incendere* est excitare, augere. cf. X. 895.

503. 504 Præclare ad revocandum a mœrore, et recipiendum ex tam longa narratione animum, utitur versibus ad movendos animos idoneis: priores lineas ductas esse ex illo Ennii: *at tuba terribili sonitu taratantara dixit*, omnes monuere. *increpuit sonitum* ut, sonuit sonitum: sed variando; sonando emisit, fecit. 505. Ceterum novam Trojam, urbem, poëta ita descripsit, ut simul castrorum vicem ea præbere posset: lib. VII. 157. *Ipse* humili *designat* mœnia fossa, *Moliturque locum, primasque in littore sedes* Castrorum *in morem* pinnis atque aggere *cingit*. Itaque libro nono ex Æneæ præcepto non in aciem procedunt Rutulis accedentibus, sed *castra et tutos servare aggere muros* student. Erat autem, quantum video, ex poëtæ mente, fossa ducta cum aggere seu vallo, ex humo aggesta, vallis seu stipitibus præfixis: Vallo impositus erat murus, turribus ex intervallis distinctus. Itaque oppugnatio ita instituitur, ut primum alii testudine facta succedere, fossam implere ac vallos convellere, alii, qua parte murus nudatus erat, scalas admovere tentent. Rupta ac soluta testudine, v. 515—517. missilibus e longinquo muros propugnatoribus nudant. Tandem v. 521. in turrim impetus fit: igni immisso expulsis Trojanis irruunt Rutuli. 512. *infesto pondere* pro gravi, et ob gravitatem exitioso. 518. *cæco Marte* sub testudine,

Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignis;
At Messapus equum domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in mœnia poscit.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti;
Quas ibi tunc ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit: quem quisque virum demiserit Orco:
Et mecum ingentis oras evolvite belli.
* Et meministis enim, divæ, et memorare potestis. *
Turris erat vasto suspectu, et pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi
Certabant; Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam adfixit lateri; quæ plurima vento
Conripuit tabulas, et postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt
In partem, quæ peste caret: tum pondere turris
Procubuit subito, et cœlum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, inmani mole secuta,
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elabsi: quorum primævus Helenor,
Mæonio regi quem serva Licymnia furtim

quam modo *tectam aciem* et *armorum tegmina* dixerat; pugnæ tectæ opponitur pugna aperta. 522. *pinus* nulla alia est quam ardens, quæ pro face esset.

525 sqq. Præclare hæc: facit enim Musarum invocatio plurimum ad convertendos animos in Turnum, qui nunc rebus gestis erat illustrandus. 528. *oræ* videntur dictæ simpl. pro partibus, ut *fines*, de toto loco, spatio. *Bellum* est pugna, quæ quomodo omnibus locis per totam aciem facta sit, quis exponere possit? Ἀργαλέον δέ μι ταῦτα, θεὸν ὡς, πάντ' ἀγορεῦσαι. (Iliad. μ, 176.)

530 *pontibus*, vid. sup. v. 170. Fuit turris, sejuncta a vallo seu muro, et ante vallum posita, ponte juncta cum vallo; trabibus illa coagmentata, ita ut igni consumi posset.

533. *defendere* sc. turrim. 536. *Et flammam adfixit lateri*, ergo turrim ligneam fuisse credendum est, si exterius adhæsit fax allisa et affixa. 540. *pestis* de incendio, ut V. 683. Dum omnes in alteram turris partem, quæ intacta ab igni est, concedunt: illa, quæ solo imposita et superstructa erat, utpote lignea et mobilis, inæquali pondere inclinatur et corruit. 542. Videntur sequentia ad hanc rerum faciem esse revocanda. Turrim ligneam nunc corruentem ferri in præceps in partem oppugnatoribus adversam. Ii, qui in turri sunt, affliguntur gravi turris ruina solo, partim hastis suorum mutuo transfixi: hoc est *veniunt ad terram*.

545 Ornat Helenorem, sed Homeri vestigia legens Iliad. ζ, 23. sq. tamquam regis,

Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis,
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies adstare Latinas;
Ut fera, quæ, densa venantum sæpta corona,
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, et saltu supra venabula fertur:
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostis
Inruit; et, qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus inter et hostis,
Inter et arma, fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociumque adtingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperasti te posse manus? simul adripit ipsum
Pendentem, et magna muri cum parte revellit:
Qualis, ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum,
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur. Invadunt, et fossas aggere conplent;
Ardentis tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portæ subeuntem, ignisque ferentem;

seu viri principis Phrygii, pro quo Mæonium dixisse videtur, e serva filium.

547 *vetitis armis:* quæ tractare nondum posset propter teneram adolescentiam: nam erat *primævus*. 548. *parmaque inglorius alba;* Morem, nescio quem, respexit poëta, quo picta, ac cœlata argumento, scuta virtutis et clarorum facinorum erant insignia ac præmia. Itaque Helenor, etsi mox fortiter in hostes irruat, tum tamen prima militiæ stipendia meriturus, ipse ἄσημος, nullis clipei insignibus discerni et dignosci posset. Contra vs. 582. Arcentis filius *clarus* chlamyde purpurea dictus.

549 Turri in fastigio aperta, non tecto clausa, in præceps data, extra vallum, desilientes duo, Helenor et Lycus, in medio hostium versari se videbant. Alter Lycus v. 556. sq. in aggerem et murum vibrato in altum corpore escendere conatur, ut se intra urbem recipiat. Ad 551. sq. comparandus Iliad. μ, 41. sq. υ, 164. sq. conf. inf. XII. 4. sq. Murum humilem fuisse necesse est, qualis est Homericus murus seu vallum Achivorum, cujus pinnas Sarpedon manu convellit: Iliad. μ, 397. *tecta* pro valli superiore parte, ut v. 568. *fastigia*. hinc 562. *pendentem*, nam prehenderat manu superiora muri ut saltu se in altum libraret; *et magna muri cum parte* uti Homer. l. c. ἔπαλξιν ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσιν, Ἕλχ', ἡ δ' ἔσπετο τᾶσα διαμπερές.

566 *Martius lupus*, Marti sacer; male aliter alii.

566 sq. Cum uno loco perrupisset munitionem Turnus, facti inde cæteri Rutuli audaciores undique novo impetu invadunt eoque res succedit, ut fossam *humo aggesta* expletam habeant. Tum propius murum et

Emathiona Liger, Corynæum sternit Asylas:
Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta;
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus;
Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
Et Sagarim, et summis stantem pro turribus Idan;
Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Temillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad volnus tulit: ergo alis adlabsa sagitta;
Et lævo adfixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ letali volnere rumpit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis;
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Hibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum Matris luco, Symæthia circum
Flumina: pinguis ubi et placabilis ara Palici:
Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena:
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.

portam subeuntes jactant faces. 575. *stantem pro turribus* pro vulgari, stantem in summa turri. 577. manum admoverat lateri vulnerato, abjecto *tegmine*, scuto: eaque re latus nudavit: itaque demens. 578. *alis allapsa s.* ornate, pro allapsa est. Quia toties πτερόεντες ὀϊστοὶ apud Homerum, item *alata, ales sagitta* occurrunt: nunc velocem motum et volatum teli per *alas* expressit, ut sup. lib. V. 319. *fulminis alæ*. 580. h. rupit vulnere facto eam partem, illud viscus, quo respiratio fit.

582—589 Ad variandam et ornandam narrationem nunc miserationem excitat brevi episodio; mox Numanus Remulus indignationem injicit vecordi superbia elatus. 582. *ferrugine clarus Hibera*, purpura indutus Hispana, quæ est nigricantis coloris. Arcens Siculus est. Est autem in orientali Siciliæ parte *Symæthus, fl.*, circa quem lucus fuisse a poëta narratur eo loco, quo Palicorum templum erat. *Lucum matris* appellat; simplicissimum esset accipere matrem nympham, nomine non appellatam, cujus ille lucus erat. Verum doctrina poëtæ Matrem Ennæam intelligere jubet, Cererem (ut sæpe Μήτηρ σῖτον Κόρη). De *Palicis* loc. class. ap. Macrob. V. 19. 588. *liquefacto plumbo*. Erat plumbum funda emitti solitum fere olivæ simile. Poëta haud dubie sequutus est vulgare loquendi genus ex vulgi persuasione: celeri ac fulmineo motu plumbum emissum in aëre inculescere, et liquefieri. Lucret. VI. 176. *ut omnia motu Percalefacta vides ardescere: plumbea vero Glans etiam cursu longo volvenda liquescit*. 589. poëta non satis atten-

Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia regno
Ibat, et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et Marti prætendere muros?
En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Ulixes.
Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus et undis;
Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant;
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adsueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versaque juvencum
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recentis
Conportare juvat prædas, et vivere rapto.
Vobis picta croco, et fulgenti murice, vestis;
Desidiæ cordi; juvat indulgere choreis;
Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.

dit, se in oppugnatione murorum versari. Nam *arenam* vix bene, saltem parum proprie, de homine in muris aut vallo stante, posuit.

594. *sociatus habebat* pro vulgari: sibi nuper sociaverat. 595. *digna atque indigna relatu*, fanda et nefanda ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα, nam vs. 603. seqq. virtutem popularium recte crepat; mox contumeliosa et turpia in Trojanos jacit. 596. *novo regno*, docte pro matrimonio cum regiæ stirpis femina inito; nova enim sponsa erat regina. 597. *ingentem se ferebat*, h. e. incedebat, homo vasto corpore, cum clamore. 598. In *iterum* et in *O Phryges bis capti* Servius et alii Trojam ab Hercule captam huc advocant. Ita nunc obsidentur Trojani tertio, bis jam antea expugnati. Sane inf. XI. 402. eodem modo dicitur gens *bis victa*, ut duplex clades, sub Laomedonte et sub Priamo intelligenda esse videatur. Et Silius I. 43. *Dardaniam et bis numina capta Penates*. Hæc nisi forent, ex ipso loco et sententia *bis captos Phryges* dicerem, qui antea urbe capta profugi nunc tolerant alteram hanc in castris obsidionem post illam ab Achivis factam. Lusum in hoc jam supra vidimus. *Num capti potuere capi* VII. 295. *muros prætendere Marti*, pugnæ; quia vallo et muris continent se, et inclusi pugnam detrectant, post muros latentes. 600. invidiose respectu Laviniæ, quam Turno ereptum ibat Æneas. *fandi fictor* docte, qui fingit fanda h. e. qui ficta fatur. 603. Locus qui sequitur egregius et ornatus est de veteris Italiæ disciplina et vita quæ in Sabinis diutissime viguit. 605. *silvasque fatigant*, multum pererrant. Sic *qualere*, *movere*, *turbare* dicimur silvas, feras. v. lib. VIII. 94. 609. hasta inversa, σαυρωτῆρι, boves aratores cessantes pungimus. 612. etiam senes armati sumus et militamus.

614—620 Etiam hi versus inter ornatissimos: notabilis quoque rhetoricæ proprior tractatio. Phryges cum Trojanis permisceri

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma; ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecyntia matris
Idææ. Sinite arma viris, et cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem,
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Intendit telum, diversaque brachia ducens
Constitit, ante Jovem supplex per vota precatus:
Juppiter omnipotens, audacibus adnue cœptis.
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
Audiit et cœli Genitor de parte serena
Intonuit lævum: sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum stridens adducta sagitta:
Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Trajicit. I, verbis virtutem inlude superbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Lætitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.

et tamquam ab eadem stirpe profectos haberi, jam alias vidimus. Iidem mollitie et luxu infames: quandoquidem primi in minore Asia opibus excelluerunt, inprimis pauperum colonorum, qui e Græcia advenerant, judicio. Ante oculos autem habuit poëta aliquot loca Homerica: Od. ϑ, 248. 249. de Phæacibus et Iliad. ω, 261.; tum in illis: *O vere Phrygiæ* Iliad. β, 235. η, 96. 614. vestem aliam crocotam, aliam purpuream intellige, utramque Phrygio opere, acu pictam. 616. tunicæ manicatæ, χειριδωτοί. cf. Stat. VII. Theb. 657. tum *mitræ quæ ridimicula habent*, int. pileos Phrygios fimbriis pendulis, quibus mento subligatis malæ ac tempora teguntur. cf. sup. ad lib. IV. 216. Male plerique omnes *mitras* Græcorum, diademata, cum his Phrygiis confundunt. 618. Sacra magnæ matris Deum in Dindymo, Phrygiæ monte: τὰ Δίνδυμα ὄρη. 621. *canentem* simpl. dicentem, ut ipsa res docet.

622 sqq. Memorabile erat hoc telum, quippe primum, quod Ascanius in pugna emisit, primum virtutis documentum: itaque ornare poëta potuit. Fecit autem Homeri exemplo, qui sic Pandari in Menelaum mittendam sagittam exornat. Il. δ, 116. etiam preces 119. Conf. XI. 587. Apollon. III. 275. 285. sq. Ex hoc illud habet: *diversaque brachia ducens*, in diversam partem, ἀμφοτέρῃσι διασχόμενος παλάμῃσι. *nervo equino*. ut corda arcus sive ex setis sit sive ex tendinibus ac nervis equinis. 626. *dona*, sacrificium. 628. *caput cum matre ferentem*: æqualem matri. 631. *sonat una*. Αἴγξε βιὸς etc. Iliad. δ, 125. 632. *adducta*, adducto arcu concitata. Nisi malis in eo manere, ut sagitta adducta dicatur nervi respectu: ad quem sagitta adducta, admota, ei imposita fuerat. *horrendum stridens* jungenda.

634. 635 Schema traductæ narrationis ad dialogum, quod orationem egregie animat, notarunt passim grammatici. cf. Clark. ad Iliad. δ, 303. ο, 348. 637. *animos ad sidera tollunt* audacter poëta novavit; successu, gloria ac virtutis seu conscientia seu opinione ferocientes et exultantes *efferri animis* aut

Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem adfatur Iulum:
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,
DIs genite, et geniture deos. Jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident.
Nec te Troja capit. Simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit, spirantis dimovet auras,
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocemque, coloremque,
Et crinis albos et sæva sonoribus arma;
Atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
Sit satis, Æneada, telis inpune Numanum
Oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis;
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortalis medio adspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Adgnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fuga sensere sonantem.

ipsi *animos efferre* dicuntur, et nunc quidem tam sublimes, ut cælum sibi attingere videantur. Sensu facilius rem assequare quam verbis.

638 Apollo gentis Juliæ inprimis studiosus: ita Actiaca victoria ad eum referebatur VIII. 704. sqq., et Palatinum templum in ejus honorem factum. 639. *Ausonias acies urbemque*, oppugnationem castrorum seu urbis Trojanorum, novæ Trojæ. 641. *mactus laude, virtute*, est qui fruitur laude e re bene gesta, ex successu gaudens, fructum lætitiæ inde capiens: et sic nihil est, quod melius vocem reddat, quam ὀνήμενος in illo Homerico Odyss. β, 33. Ἐσθλός μοι δοιὼ ἴδοι ὀνήμενος, qui fructum inde capiat, cui bene sit, bene eveniat! Unde vulgare Græcorum ὄναιο, ut h. l. ὄναιο τῆς ὁδοῦ. Bene eveniat primum hoc virtutis documentum! læti sit ominis! 642. *geniture deos* propter Julium Cæsarem et Augustum. 642. 643. Merito hoc tuæ genti debetur, ut oriundus ex ea Augustus omnia bella finiat. *gente Assaraci* ad splendorem orationis pertinet. *bella fato ventura*; bona determinatio, inprimis respectu bellorum civilium, de quibus maxime accipiendus locus. 644. *Nec te Troja capit*; majore virtute ornatus quam pro tam tenuibus rebus, ad quas nunc Trojani redacti sunt. 645. *spirantes auras*. flantes, πνέοντας αὔρας; accipe. 651. Butæ similis etiam canis, et armis, quæ ille gestabat; *arma sæva sonoribus*, h. e. sonore, sæve, terribiliter sonantia Butæ sunt. 655. *et paribus non invidet armis*: hoc sublime et magnificum: suæ sagittandi peritiæ, suæ virtuti, Ascanii futuram virtutem æquiparat deus Apollo. 657. *medio sermone*; simpliciter: antequam plura subjiceret, discessit. 659. 660. Ergo in *fuga*, discessu, divinam formam Apollo receperat;

Ergo avidum pugnæ, dictis ac numine Phœbi,
Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris;
Intendunt acris arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis; tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu galeæ; pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens, pluvialibus Hædis,
Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant, quum Juppiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem, et cœlo cava nubila rumpit.
  Pandarus et Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco silvestris Iæra,
Abietibus juvenes patriis et montibus æquos,
Portam, quæ ducis imperio conmissa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextra ac læva pro turribus adstant
Armati ferro, et cristis capita alta corusci:
Quales aëriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Adtollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis.

adsciverat humanam ut cum mortali agere posset. 661. *numen* declaratur per *dicta;* jussa, auctoritas. 664. *totis per propugnacula muris,* per loca murorum, e quibus propugnatur, adeoque simpliciter per muros. De voce v. sup. ad 170. 665. *Acris;* ipsi arcus intendunt acriter, et jaciunt tela amentis religata.

668 sq. Ornavit Homericos versus Iliad. μ, 156—161. *Hædis pluvialibus;* propter hædos. Bene et clare Servius: "Supra Tauri cornua est signum, cui Auriga nomen est. Retinet autem stellas duas in manu, quæ *hædi* vocantur, et capram—quarum et ortus et occasus gravissimas tempestates faciunt. Oriuntur autem cum Scorpione mense Octobri." De occasu Hædorum sub medium Decembrem maxime poëta cogitasse videtur. 670. Quod alias austris insurgentibus, id nunc Jovi tribuit: *torquet* is *aquosam hiemem,* h. versat, agitat, nubes pluvias, tandemque, ut illis imber exprimatur, facit: *cælo cava nubila rumpit.*

672 sqq. Ingeniose est usus loco Iliad. μ, 127. sqq. et respexit duo Lapithas, Polypœten et Leonteum, pro portis castrorum Achivorum stantes. Ut silvestrem daret originem fratribus, in monte Ida educatos tradit, in luco Jovis Idæi: parentibus silvestrem in nemoribus Idæis vitam agentibus. 674. ἐλάτῃσιν ἐοικότες ὑψηλῇσιν Iliad. ε, 560. Cum *montis* autem *cacumine* comparatur Polyphemus Odyss. ι, 191. 192. 675. *commissa,* haud dubie, credita, custodiæ eorum a duce mandata. et sup. 176. *Nisus erat portæ custos.* 676. *mœnibus;* in mœnia. 677. *pro turribus,* ἀντὶ πύργων, tamquam binæ turres. 679. ornavit poëta adjunctis a certo genere ac loco petitis circa Padum et Athesim. *flumina liquentia;* ut fons

Continuo Quercens, et pulcher Aquicolus armis,
Et præceps animi Tmarus et Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ;
Et jam conlecti Troës glomerantur eodem,
Et conferre manum et procurrere longius audent.
Ductori Turno, diversa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
Fervere cæde nova, et portas præbere patentis.
Deserit inceptum, atque inmani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos;
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri volneris undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;
Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem,
Non jaculo: neque enim jaculo vitam ille dedisset:
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit; conlabsa ruunt inmania membra.

liquidus: epitheton ornans. Qui 684. nominantur, e Rutulis sunt. 688. *animis discordibus*; ornate, pro iis. Tum magis increscunt iræ Trojanis. Jam autem ii erant hostilibus in Rutulos animis.

691 Semper inhæret animo Homeri τεῖχεμαχία. Qui ibi Hector, hic Turnus est. Hic nuntio accepto, portam valli Trojanorum patere, eo accurrit, castra irrumpit, et Trojanos ad summum discrimen adducit.

697 *Thebana de matre*; oriunda ex Thebe Mysiæ urbe sub monte Placio, olim a Cilicibus colonis insessa, Eetione rege clara, quem Achilles interemit, et cujus filia Andromache erat. 698. *cornus* vide Georg. II. 447. 448. 699. *aëra tenerum*; alias tenuem; spectatque hoc nec minus ad aëris naturam, cum impulsui cedit et pervius est. *stomacho*; Græcus sermo est, dixit scilicet στόμαχον, guttur, gulam; tum *specus* h. cavum, vulnus hians, reddit *undam atri vulneris*; h. sanguinem ebullientem in undarum morem, undantem. 702. *manu*; ense, vi oppositi: nam v. 698. *jaculo* Antiphaten prostraverat.

703. 704 Bitiam tam vasto et immani corpore fuisse declarat, ut jaculi vulnus nimis leve, nec mortem allaturum fuisset. *dedisset* pro reddidisset. 705. *phalarica* est simpliciter pro lancea et hasta latioris ferri dicta. 707. *lorica fidelis* (quæ munit, tutum reddit, bona adeo et idonea) *squama duplici et auro*, duplicibus squamis aureis, seu duplici squamarum

Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens:
Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis inlisa recumbit;
Miscent se maria, et nigræ adtolluntur arenæ;
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Jovis imperiis inposta Typhoëo.
Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acris sub pectore vertit;
Inmisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Undique conveniunt; quoniam data copia pugnæ;
Bellatorque animos deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res:
Portam vi multa converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque suorum
Mœnibus exclusos duro in certamine linquit;

ordine; uti *bilicem loricam* dixit XII. 375. Tum 709. *ipse ingens intonat super clipeum:* Potest ita, cum Julio Sabino, verborum ordo institui, quod et Burmanno probatur. Sed doctior est Serviana ratio, ut *clipeum* neutro genere dixerit: *hoc* clipeum *ingens intonat super*, sc. super immania membra collapsa. Ita est Homericum ἀσπίδησί τε πύγχ' ὑπ' ἀυτῇ. Ad verbum reddidit inf. X. 488. *sonitum super arma dedere.*

710 sqq. In sequentibus iterum magnum poëtam agnoscas: rem posuit novam, per se magnam et terribilem, eamque ornavit ἐναργῶς et docte. Interceptus erat Crater seu sinus Baianus molibus in altum ductis, partim quibus prætoria inædificata erant, et temperati aëris et prospectus caussa, partim quibus portus Julius muniebatur. vid. sup. Georg. II. 161—164. *Euboico littore*, propter vicinas Cumas, Chalcidensium coloniam. *pila saxea molibus magnis*, h. alte aggestis cæmentis, constructa, quæ in pontum jaciunt. Est *ante* ex πρὸ vel πρὸ πρὸ, procedendo a littore. Erant autem hæ structiones ac moles ex saxis ac cæmentis pulvere Puteolano solidatis confectæ. Eum enim solidescere sub aqua nota res est. 715. 716. Ruina molis facta, vicina loca, insulas quoque, contremiscere narrat. *Prochyta* promontorio Campaniæ Miseno objecta (nunc *Procida*) cum Pithecusa s. Ænaria (nunc *Ischia*), quam *Inarimen* dixit. Ut tamen verbo hic moneamus: Typhoëus fulmine fuit percussus ἐν Ἀρίμοις. Quærendi autem *Arimi* et τὸ Ἄριμα ὄρη in Cilicia, quoniam in eo tractu erant loca terræ motibus et incendiis occultis fœdata: quam locorum faciem vetustas ad monstrorum et gigantum molitiones referre solebat. Translata res est ab aliquo poëta ad insulam Pithecusam, quæ et ipsa aliquando subterraneos ignes et ruinas experta est; igitur cum re et ipsum nomen traductum Inarime. Prochyta *alta* epitheton commune omnium insularum, quatenus mari eminent. *cubile*, ut Pind. Ætnam στρωμνὰν Typhoei Pyth. I. 54. Homerus ἰνὰς dixit Arimos montes.

717—719 Homerica conversio fortunæ certaminis; Homericum quoque phantasma est hoc, quod Mars ἐτεραλκέα νίκην ipse machinatur. 718. *stimulos vertit:* plus quam adhibet. vid. lib. VI. 101. 719. *atrum* Timorem: epitheti vis, pertinet ad phantasma Terroris, ut sit tenebris et nocte involutum. 720. *conveniunt* Latini ac Rutuli, inventa opportunitate irrumpendi in castra.

726. 727 Occlusa porta multos suorum excludit, hostes, qui irruperant, includit.

Ast alios secum includit recipitque ruentis,
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit inrumpentem, ultroque incluserit urbi:
Inmanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis obfulsit, et arma
Horrendum sonuere: tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clipeoque micantia fulmina mittunt.
Adgnoscunt faciem invisam atque inmania membra
Turbati subito Æneadæ. Tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternæ fervidus ira
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ;
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides: nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Excepere auræ volnus; Saturnia Juno
Detorsit veniens; portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, inpubesque inmani volnere malas.
Fit sonus: ingenti concussa est pondere tellus.
Conlabsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens; atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troës.

728. Νήπιος etc. Iliad. β, 38. et sup. VI. 590. *Demens qui nimbos* etc. 730. *pecora inertia* oves.

731—735 Præclare hæc in majus aucta. Scilicet cogitandum est, principum virorum ac regum arma præcipuo aliquo lævore ac fulgore splendere debuisse, cristas fuisse altiores, et sic porro. Turno autem intra castra intercepto crescit adeo audacia: *nova lux oculis obf.* affulsit, adeoque effulsit. 733. *mittunt* scil. se, mittuntur: durum tamen hoc. 737. *dotalis regia*, Laurentum. 748. *neque enim is teli nec vulneris auctor* ut tu effugere illud possis; immo vero infertur telum et

Et, si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque inmittere portis:
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim et, succiso poplite, Gygen
Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus: Juno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem, et confixa Phegea parma;
Ignaros deinde in muris Martemque cientis
Alcandrumque Haliumque Noëmonaque Prytanimque;
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno dejectum comminus ictu
Cum galea longe jacuit caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Unguere tela manu, ferrumque armare veneno;
Et Clytium Æoliden, et amicum Crethea Musis;
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis;
Semper equos, atque arma virum, pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;

vulnus a viro fortissimo. 757. Καὶ νύ κεν ἔπρησεν πυρὶ etc. Iliad. ϑ, 217. sq. Si meminisset Turnus portam castri Trojani revellere, ad suos admittendos: castrum captum fuisset a Rutulis. 760. at ille occæcata mente ad cædem faciendam ruit.

762 Ordo est, inquit Servius, Excipit (in se irruentem) et succidit poplitem; ut sup. 537. *Postibus hæsit adesis.* Idem 763. *raptas* scil. de hostilibus cadaveribus. 765. Phegeum, parma transfixa confossum, et 766. Alcandrum et cæteros pugnam agitantes in muris *aversos* cædit, at Lynceum *adversum.* 767. Cum hic versus ad verbum ex Homero conversus sit, ibique iidem homines ab Ulysse occisi narrentur: Servius inde apparere ait, non ad historiam sed ad ornatum poëmatis hæc nomina pertinere. Sed quis inde ornatus existit? Scilicet ad ἐνάργειαν narrationis et ad animum in rem præsentem deducendum valet, si non omnino cæsos esse multos dicas, verum etiam nominatim eos persequaris. 772. *felicior*, peritior, ut alibi quoque. *manu* vacat, sed adjectum, quoniam de peritia agitur. ἰοὺς χρίεσθαι, non nisi admodum barbarorum populorum mos, in Iliade vix occurrit, sed in Odyss. λ, 260. 774. Suaves versus de Cretheo lyrico, quorum præclara imitatio est in Gloverii, ubi de Aristandro IV. 213. sqq. (lib. V. 239.). 776. Proprie *intenduntur nervi* seu fides, sed cum iis ipsis intenduntur *soni*, pro quibus doctius *numeros* posuit: sunt enim soni numerosi, si arte eliciuntur. *equos* ut Homericum ἵππους, currus dixit: non equestres cursus; nam adjecit *arma* et *pugnas.*

778 *Tandem.* Bene Servius "Servat τὸ πρέπον, ne præsentibus ducibus Turnus tot

Palantisque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, et vestris, o cives, undique sæptus
Aggeribus, tantas strages inpune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque deorum,
Et magni Æneæ segnes miseretque pudetque?
Talibus adcensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paullatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis; at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit; et neque terga
Ira dare aut virtus patitur: nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Inproperata refert, et mens exæstuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes;
Bis confusa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus e castris propere coit omnis in unum.
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere; aëriam cœlo nam Juppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem;
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

strages fecisse videatur." 781. 782. Ajacem hic reddit ex Iliad. ο, 732. sqq. Ἠέ τινάς φαμεν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω; Ἠέ τι τεῖχος ἄρειον. etc. 786. *infelicis patriæ* in nova Troja redditæ. *veterum deorum*, Penatium, quos alias *patrios*, a patribus acceptos, appellat; quique nunc urbe capta in hostium manus venturi sunt.

789 Discessus Turni impavidi et animosi in ipsa fuga egregie ornatus est. 790. A dextra parte, si a Laurento venisse Latinos et Rutilos reputes, castra ad Tiberim pertingebant. 794. *acerba tuens* δριμέα δερκόμενος. Sed de terribili aspectu eadem verba jam posuit Lucret. V. 34. 795. Nec ira aut virtus patitur Turnum dare terga, nec ille, cupiens quidem hoc, potest contra tendere per tela virosque; h. e. per incumbens Trojanorum agmen conglobatum.

802 Ergo tacite intelligi vult poëta, Junonem pugnæ huic interfuisse præsentem. Quod sæpe monuimus, poëtam deorum interventu minus feliciter uti, quam Homerum, qui rerum actum non minus diis quam hominibus assignaverat, hoc quoque loco inculcandum videtur. non audet Juno vires

Ergo nec clipeo juvenis subsistere tantum,
Nec dextra valet: injectis sic undique telis
Obruitur. Strepit adsiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida æra fatiscunt;
Discussæque jubæ capiti; nec sufficit umbo
Ictibus; ingeminant hastis et Troës et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur, et piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit; fessos quatit acer anhelitus artus.
Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et lætum sociis abluta cæde remisit.

sufficere Turno contra Trojanorum agmen, ut adhuc fecisse intelligenda est, ex v. 764. *sufficere ὑποστῆναι* pro *παρέχειν* ut jam Æn. II. 618.

806 *tantum—sic;* pro vulgari: *nec clipeo* excipiens tela, *nec dextra*, pugnans ense, satis resistere valet:—adeo obruitur telis. 809. *fatiscunt æra*, cedunt ictibus; galea, nam de hac agitur, agit rimas, rumpitur. cf. ad Georg. I. 180.; itaque cum dilectu adjectum epitheton: *solida*. 813. *Sudor pri-ceum flumen agit;* hoc est, sordidum; pulvere et cruore. 816. *suo cum gurgite* aut ut vacet *cum*, ut sæpe, aut ut capiatur ac si esset *in*. Sic *σὺν* pro *ἐν*. Usus ubique obvius. 817. 818. Scilicet secundo flumine, parvo intervallo, delatus ad suos pervenire debuit. *mollibus* ornans epitheton, et simpliciter naturam aquæ refert. 818. *abluta cæde:* ornamentum ex adjunctis arreptum est; nihil amplius. *cæde* h. sanguine.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

Jupiter, convocato Deorum concilio, ad concordiam ipsos adhortatur—15. Ibi Venus de Trojanorum periculo insatiabilique Junonis odio conqueritur, aliquamque tandem tot calamitatum requiem petit—62. Juno contra malorum omnium causam in Trojanos, veluti primos belli auctores, atque adeo in Venerem ipsam rejicit—95. Frustra itaque tentata reconciliatione Jupiter, ubi nullum videt esse contentionum finem, ne aut uxorem aut filiam læderet, se neutrarum partium studia sequuturum pronuntiat, sed pro sua æquitate omnia fatis esse permissurum—117. Interim Rutuli totis viribus ad oppugnationem redeunt, non minore animo obsessi se ad defensionem parant—145. Dum hæc in Latio geruntur, Æneas, rebus in Etruria ex animi sententia confectis, multorumque sibi populorum auxiliis adjunctis, triginta navium classe ad suos revehitur—214. Ibi Nymphas, paullo ante in eam formam ex navibus suis transformatas, obvias habet: ex his et de classis amissione et de suorum periculo certior redditur—255. Inde in hostium usque conspectum profectus, copias suas exponit. Rutuli oppugnatione desistunt, occurrentesque ad littus terra hostem prohibere conantur. Magno utrimque detrimento pugnatur —364. Ibi Pallas, magna prius edita hostium strage, tandem a Turno occiditur—509. Cujus rei dolore percitus Æneas, magnos Rutulorum acervos amico inferias mittit—601.: Ascanius quoque eruptione facta suas cum patre copias conjungit—605. Quibus rebus permota Juno et pro Turno sollicita, impetrata a Jove venia, præsenti eum periculo eripit, objecta illi falsa Æneæ imagine, quam dum in navim quandam fugientem insequitur, vinculis a Junone ruptis, vi tempestatis ad littora Ardeæ proxima devehitur—688. Interim Mezentius, Jovis monitu pugnæ succedens, magnum tam Trojanorum quam Etruscorum numerum prosternit—761.; donec ab Ænea hastæ ictu vulneratus, et a Lauso filio protectus, ægre se ad obligandum vulnus ex acie recipit—795. Ibi Lausus quoque, dum patrem ulcisci conatur, ab Ænea interficitur—832.: ejus rei nuntio accepto Mezentius conscenso equo in prælium redit: ubi, dum filii mortem vindicare parat, eadem qua filius dextra concidit—ad fin.

PANDITUR interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divom pater atque hominum rex

1 Dum hæc geruntur, dii ad concilium habendum convocantur. Est poëtis, Olympus accommodatus ad formam ædium priscæ vitæ: cf. sup. ad Ge. III. 261. adeoque in eo sunt portæ: ingens atrium, quo negotia vitæ conventus adeuntium aguntur; ab utraqu

Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidum adspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse:
Cœlicolæ magni, quia nam sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quæ contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?
Adveniet justum pugnæ, ne arcessite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes inmittet apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite; et placitum læti conponite fœdus.
Juppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.
O Pater, o hominum divomque æterna potestas!
(Namque aliud quid sit, quod jam inplorare queamus?)

parte thalami seu minora cubicula singulis, qui domum inhabitant, parata sunt. Eodem modo in Olympo ab utraque parte deorum sunt cubicula, in media autem domus parte quam μέγαρον, δῶμα, δόμον, appellare solet Homerus, conventus ac consessus deorum fit, sive ad deliberandum de rebus communibus, sive ad epulandum. Cum ad conventum admittendi sunt dii: *panditur domus*, atrium, δῶμα. *omnipotentis Olympi*: insolentior paullo translatio epitheti a diis ad ipsum Olympum. 5. *tectis bipatentibus*. Si *tectum bipatens* audias, seu domum bipatentem, non aliter accipies, quam ut sit, quod *ab antica et a postica parte aditum habet*, templorum more, quæ ναοὶ ἀμφιπρόστυλοι dicuntur. Alii bipatens esse putarunt, quod habet fores binis valvis apertas. *quianam*, cur, quare.

6 Oratio Jovis majestatis plena, ipsa brevitate et antiquæ orationis studio; sic *versa retro* pro mutata. *animis iniquis* pro infestis. 8. sqq. Nusquam, si bene meminimus, poëta commemoravit in superioribus, Jovem interdixisse, ne dii bellum inter Trojanos et Latinos foverent. Refero hunc, et fere omnia loca, in quibus deorum interventus exponitur, inter ea, quæ Æneidem nondum absolutam arguunt.

9 Quis metus, cujusnam mali aut periculi depellendi, adduxit, ut utraque pars bellum moveret? Docta oratio. *ferrum lacessere*, poëtæ idem est, quod alias movere, Lucretii exemplo: *Namque alias aliud res commovet atque lacessit* lib. IV. 1033.

11 Egregie instructa oratio! *Alpes inmittet apertas*; magnifice: quandoquidem Alpibus patefactis Annibal ingressus est Italiam. *exitium et Alpes apertas* junxit; hæc enim omnis calamitatis et tot cladium acceptarum caussa et origo fuit, quod Alpes pervias erant factæ. Ad vulgarem morem oratio fuisset hæc: cum Carthago immittet exercitum, qui Alpes trajiciet cum exitio Romanorum. Poterat poëta hoc ipsi trajectui tribuere, doctiusque ipsas Alpes commemoravit transitas. 14. *res rapuisse. rapere res* est raptim, turbate, agere, exequi. Sic *consilia rapta*. Quid si h. l. accipias: tum licebit præcipitare res, temere ex odiis, non consilio, agere. Dictum fere quomodo *iter, cursum, rapere*, raptim agere. Porro *placitum fœdus*. Placita sunt omnia pacta, in quæ consensere plures, h. e. quod iis placuit.

16 sqq. Artificii plena oratio Veneris: ut faciat miserationem pro Trojanis et indignationem adversus Junonem. *Venus aurea*, notissima res, χρυσῆ Ἀφροδίτη ex Homero: Exponitur vulgo, pulchra. Verum est, ex antiquissima religione, auro ornata. *potestas* est pro potens: abstractum pro concreto. 19.

Cernis ut insultent Rutuli; Turnusque feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt jam mœnia Teucros;
Quin intra portas atque ipsis prœlia miscent
Aggeribus mœrorum; et inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. Numquamne levari
Obsidione sines? Muris iterum inminet hostis
Nascentis Trojæ; nec non exercitus alter,
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem, credo, mea volnera restant;
Et tua progenies mortalia demoror arma!
Si sine pace tua, atque invito numine, Troës
Italiam petiere: luant peccata; neque illos
Juveris auxilio. Sin tot responsa secuti,
Quæ Superi Manesque dabant: cur nunc tua quisquam
Vertere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classis?
Quid tempestatum regem, ventosque furentis
Æolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manis (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet, et superis inmissa repente
Allecto, medias Italum bacchata per urbis.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjunx
Dura: per eversæ, genitor, fumantia Trojæ

Namque. Solus enim tu restas, quem implorare possim, cum fere omnes dii in favorem Junonis concesserint. 25. *Nunquamne*, an ubique ea ipsa fortuna manet, ut obsidione se pressos videant. 27. Nec non alter exercitus et Diomedes surgit Ætolis *ab Arpis*, ab Ætolis sub Diomede insessis, ad quem belli societate jungendum missi erant a Latinis legati. cf. sup. VIII. 9. et lib. XI. 225. sqq. 29. Supersunt adhuc cicatrices vulneris a Diomede accepti. vid. Iliad. 5, 334. sqq. 30. *demoror*, ego, dea, iterumne sustinebo ac depellam Diomedis impetum hostilem, et verendum mihi erit, ne a mortali iterum vulnerer? *Mavis* Hectoris lib. II. 294. 295. Creüsæ II. 780. Anchisæ V. 729. seq. nisi descensum ad inferos maxime respexit.

36 Facit invidiam Junoni commemorandis ejus in Trojanos machinationibus. 39. *Nunc etiam*: ex quo tandem Trojani ad Italiam appulerunt. Antea *mare terrasque motu cælumque* fatigabat Juno lib. I. 280. Nunc et orcum adit ad Alecto excitandam. v. supra VII. 323. sq. 40. *sors rerum*; pro vulgari, pars, portio: loca infera. 41. *bacchata per* u. vagata. VII. 342. sqq. 42. *super imperio*: a Jove promisso sup. I. 257. sqq. 44. *Si nulla*; ut I. 234. quibus—*Cunctus ob Ita-*

Excidia obtestor; liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Æneas sane ignotis jactetur in undis;
Et, quamcumque viam dederit Fortuna, sequatur:
Hunc tegere, et diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera,
Idaliæque domus: positis inglorius armis
Exigat hic ævum. Magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam; Nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, et Argolicos medium fugisse per ignis,
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ:
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?
Non satius, cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum, quo Troja fuit? Xanthum et Simoënta
Redde, oro, miseris: iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere, et obductum verbis volgare dolorem?
Ænean hominum quisquam divomque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus; esto:
Cassandræ inpulsus furiis. Num linquere castra

liam terrarum clauditur orbis. 47. *Ascanium*—sc. *cui regnum Italiæ Romanaque tellus debentur*: IV. 275. et a quo gens Julia oriunda. 48. *in undis.* Sede in Italia negata iterum conscendenda fuisset Æneæ navis et errandum per ignotum mare. 50. Ascanium saltem liceat *tegere, subducere*; ὑπάγειν, ὑπαγάγειν. Il. λ, 163. ε, 318.

51. 52 Repete supra dicta ad lib. I. 680. 681. *domus Idaliæ* terræ, τῆς Ἰδαλίας. Sic *lucos* Idaliæ dixerat. *domus* pro habitatione, sede. Dicuntur autem dii amare terras eas, frequentare et inhabitare, quæ ipsis sacratæ sunt, in quibus templa eorum sunt. 53. 54. Respicit Jovis verba paullo ante v. 12. cf. Æn. I. 19. sqq. Verba ad invidiam gravia: *magna ditione*, potenti imperio, et *premat* pro teneat. 54. *inde*, ab Ascanio, et ejus posteris, nulla esto mora coloniæ Tyriæ, quo minus imperium Italiæ consequatur. 55. *pestem* simpl. perniciem. 58. *revidiva Pergama*, renascentia, restituta: cf. IV. 344. VII. 322. Tota conclusio orationis, qua expostulat Venus, egregia est vi ac nervo, quo argumentum per se grave potenter vibrat. Quam παθητικῶς *cineres patriæ* memorat! *solum, quo Troja fuit:* ut lib. III. 11. Scilicet præstabat sic in urbis solo æquatæ ruinis remansisse. Illa vero sublimiter: redde nobis Trojam antiquam! Præstabat sic in Troade remansisse et iterum easdem ærumnas tolerasse. Erat enim metuendum ibi, ne denuo Achivi incursarent Troadem et easdem injurias inferrent, quas Troës antea erant experti. 63. sqq. In oratione hac Junonis, necio annon poëta paulo nimis *ἐντεχνῶς*; versetur. Summa sententiæ redit ad notum illud: *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes.* 67. *Fata* maligne interpretatur Juno *Cassandræ furias* h. vaticinia, quæ adeo

Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem aut gentis agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostri,
Egit? Ubi hic Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est, Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater:
Quid, face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Æneam manibus subducere Graium,
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes;
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juvisse, nefandum est?
Æneas ignarus abest: ignarus et absit.
Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera.
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo

primo omnium loco Æneam ad iter suscipiendum adigere debuere. 69. *ventis*: ἱστοπέδαις; de navigatione in Tiberi, qua Evandrum et inde Etruscos petiit Æneas. 71. *agitare* ad utrumque diverso paullum sensu retulit: *gentes a. quietas*, excitas ad belli societatem impellere, *Tyrrhenam fidem agitare*, movere, sollicitare, societatem et fœdus ciere, expetere; pro vulgari, permovere Tyrrhenos, ut auxilii ferendi caussa societatem ineant. *fides* est societas, fide interposita facta. cf. ad IX. 79. In v. 72. respicit v. 48. *fraudem*, est *fraus* nunc malum, ἄτη, ut toties.

74 *Indignum est—Quid*; pro: Si indignum est, an minus indignum, an tolerabilius est? *Trojam*, Trojam novam, castra. 76. *Pilumnus* inter heroës seu deos Latii indigetes fuit, nunc inter Turni majores habitus: *Venilia* ex deabus marinis seu nymphis fuit, data a poëta, aliorum forte exemplo, Dauno in matrimonium, orta a Pilumno, soror Amatæ Latino nuptæ. Vult autem poëta declarare, Turnum esse in Italia natum, et *defendere terram suam* adversus advenas (lene verbum: *consistere* delegit): contra, Trojanos advenas bellum intulisse Latinis. 77. *Quid*, an minus indignum est? *atra face*; in hoc et sqq. exaggerat notionem belli per Trojanos moti, dum ea cumulat, quæ in bello fieri solent, etsi a Trojanis ea facta esse nondum constat. *face* itaque proprie. 79. *legere*, eligere, sumere. *gremiis* socerorum, adeoque parentum. *pactas* aliis; scil. Laviniam. Decet numeri enallage iram et habet vim. 80. Non eadem sed diversa est sententia. Ad minas a Trojanis factas, obtinere se posse vi, quod precibus non concedatur, spectat alterum: *præfigere puppibus arma*.

81 *Tu potes*: ad Iliad. ε, 315. sqq. Æneæ Diomedi erepto spectat: alterum v. 82. Veneri imputatur, quod a Neptuno in ejus gratiam factum Iliad. υ, 321. sqq. De 83. constat nobis sup. ex lib. V. 809. 82. *proque eo—ventos inanes*, auram, ἀέρα. 83. Etiam hoc per aliam deam factum erat, sed in Veneris gratiam: sup. IX. 82.

86. 87 Si, quod ipsa dixisti, tibi est P. quo eum incolumem abducere possis, quid *urbem* Latini, adeoque ipsum Latium, bello

Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quæ caussa fuit, consurgere in arma
Europamque Asiamque, et fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis adsurgis, et inrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno: cunctique fremebant
Cœlicolæ adsensu vario. Ceu flamina prima,
Cum deprensa fremunt silvis, et cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit. Eo dicente deum domus alta silescit;
Et tremefacta solo tellus; silet arduus æther;
Tum Zephyri posuere; premit placida æquora pontus.
Adcipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum; nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:

illato sollicitas? gentem bellicosam, *gravidam bellis* sc. quæ illa gerit; multa bella gerentem.

88 *vertere fundo* pro vulgari, funditus evertere. *res fluxas*, infirmas Trojanorum in Latio res. 89. *an is qui*; absolute dictum: sed interpretandum de Venere, quæ belli Trojani auctor fuit Helena rapta: mox statim redit ad proprium: *quæ fuit caussa* etc. 91. *fœdera solvere furto*, ut solveretur, dirimeretur, pax, pactus status, inter Trojanos et Græcos, abducta furtim Helena. *furtum* pro raptu. 92. gravi et odiosa voce usa est dea *expugnavit* ad vim et atrocitatem raptus declarandam: quasi hoc idem esset ac bellum inferre.

97—117 In hoc animorum æstu Jupiter tandem decernit, et profitetur, se fatali rerum ordini omnia permissurum esse. Ad comparationem hanc conf. Georg. I. 356—359. at exornationem comparationis Miltonus dabit *Parad. Lost* II. v. 284. sqq. *deprensa*, intercepta, impedita, inclusa: proprie deprensus aliquis est ex insperato; ut de navibus Ge. IV. 421. et de Caco Æn. VIII. 248. 249. tum simpliciter, ut h. l. oppressus, inclusus. 100. *rerum cui summa potestas*: οὗ πρῶτος ἐπὶ μήγιστον. Il. β, 118. Splendidos hos versus quilibet facile mirabitur. 102. *tremefacta solo tellus*: adjectum *solo* spectat ad poëticum ornatum; pro vulgari, solum telluris; solum terræ. 103. *Z. posuere* se, quievere, *premit pontus æquora*: æternitur, tranquillatur mare. Dictum ex eo more loquendi, quo *æquora ponti* dicuntur, et, quod *premere se*, comprimere se, dici potest. 107. Quam utraque pars fortunam hodie experietur, quam spem magnarum rerum prædictarum et expectatarum alterutri sibi præcident (qua spe excident), seu Trojani seu Rutuli, juxta et eodem loco habebo: sive (quod Venus putat) fatis suis iniquis, sive (quod Juno v. 68.) stultitia Trojanorum et vaticiniis falsis eo res adducta est, ut nova Troja nunc oppugnetur. Nec Rutulos seu Latinos a fatis impendentibus libero, non intercedo, quo minus fortunam sibi debitam consequantur. Experiatur utraque pars seu tristia seu læta pro hodiernis rerum initiis et actu. Ego neutris studebo: evenient, quæ fata ferent. *quam*

Seu fatis Italum castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ monitisque sinistris,
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Juppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Juppiter aureo
Surgit, cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, et mœnia cingere flammis.
At legio Æneadum vallis obsessa tenetur;
Nec spes ulla fugæ. Miseri stant turribus altis
Nequidquam, et rara muros cinxere corona:
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Thymbris,
Prima acies. Hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,

quisque secat spem: quam alteruter fortunam aut habet, aut sibi ipse præcidit et evertit. Sic *secare* est incidere, intercipere spem: ut ap. Horat. *spem incidere, spem longam resecare.* Respiciunt autem hæc ad spem Veneris de futuro Iuli in Italia regno, quam incidi, et interimi necesse erat, si castra a Turno expugnabantur. cf. sup. 42. 50.

109. 110 Jungo *castra tenentur obsidione Italorum:* seu *fatis*, quod fata iniqua, quod Venus volebat, prosequuntur Trojanos etiam in medium Latium, *sive errore malo Trojæ* (h. Trojanorum, qui oracula accepta male interpretati sunt) *monitisque sinistris*, oraculis et vaticiniis falsis, *furiis Cassandræ.* v. sup. vs. 67. 68. Porro v. 111. *Nec Rutulos solvo*, obscurum est per brevitatem affectus. Videtur supplendum esse ex iis, quæ proxima sunt: non solvo, exsolvo, eximo, Rutulos *labore et fortuna*, quæ eos manet. *nec* h. non magis Rutulos quam Trojanos. 112. 113. Omnibus æquus ero; neutri parti studebo. Nihil obstabit fatali rerum ordini; pro, ego non obsistam. 114. docte dixit *ripas* (pro ipso amni) *torrentes pice et voragine atra* h. alta aqua nigra defluens flumen. 117. *medium.* Hic Romanum agnosce: ut magistratum, deducunt Jovem.

118. 119 *et mœnia cingere flammis*, immittere undique ignes, *stant prima acies;* in acie prima. 131. *Moliri ignem.* Narrantur adeo Trojani etiam parare ignes missiles de vallo? Non enim possunt esse alii quam Trojani: et hi quidem alii—alii.

Qualis gemma, micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti; vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho,
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crinis
Adcipit et molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes
Volnera dirigere, et calamos armare veneno,
Mæonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque inrigat auro.
Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere mœrorum sublimem gloria tollit;
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: media Æneas freta nocte secabat.
Namque, ut ab Evandro castris ingressus Etruscis,
Regem adit, et regi memorat nomenque genusque;
Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, violentaque pectora Turni,
Edocet; humanis quæ sit fiducia rebus
Admonet, inmiscetque preces. Haud fit mora; Tarcho
Jungit opes, fœdusque ferit; tum libera fati

133—138 Ornatus locus de Iulo: in Julie gentis gratiam. *Veneris justissima cura* quem merito amabat Venus quia ei debebatur imperium, vel simpliciter, quia dulcissimus puer. Is, etsi jussus abstinere pugna (sup. IX. 661. 662.) adeoque hinc sine armis, pœtæ *sine galea*, tamen in medio pugnantium e muris repente iterum conspicitur. *caput honestum*, pulchrum. *Qualis g.* Emicat inter cæteros adstantes Iulus formosus, ut gemma auro inclusa, aut opus eburnum buxeo vel terebinthino margine ambiente: κυμάλιον aliquod Homericum seu ἄλαμμα, ornamentum, cogitat poëta. *aut collo aut capiti decus*, sive ut monili sive ut diademati inseratur gemma. *Oricia terebinthus.* Oricus, Epiri civitas ad sinum Ionium, juxta quam nascitur terebinthus nigrum lignum habens. Retulit autem, inquit Servius, comparationem ad candidum vultum, *qui erat nigris crinibus cinctus.* In hoc tamen comparationem constitutam nolim putare; sic enim omni dignitate caret; sed quod supra posui, inter ceteros bellatores Ascanius conspectus effulget nitore oris. 137. 138. capillum promissum diadema aureum, quod inter Phrygii luxus ornamenta esse debuit, colligit. *molli auro*, ductili: ex bractea aurea.

141 *M. g. domo* natus nobili genere in Lydia. 143. Iterum studet gentis Memmiæ nomini. vid. sup. V. 117.

146. 147 Dum ita pugnabatur utrinque, interea Æneas Cære redux, unde auxilia adducebat, e portu Cæretano solvens, mare iter faciebat cum navibus; inde ab VIII. extr. *conferre manus, arma:* hinc etiam *pugnam. media nocte*, quæ diem pugnæ memoratæ insequuta est. Adest Æneas cum classe postero die orto et pugnam novam in ascensu facit. inf. 260. sqq.

152 *quæ sit fiducia* h. nullam esse: esse rerum humanarum varietatem et vicissitudinem summam: posse adeo fieri, ut Mezentius expulsus iterum in regnum remeet. 154. *libera fati* a vaticinii necessitate soluti Etrusci, quo ad persequendum bello Mezentium externum ductum asciscere debuerant supra VIII. 495. *fatum* pro vaticinio aruspicis:

Classem conscendit jussis gens Lydia divom,
Externo conmissa duci. Æneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Inminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro
Adfixus lateri jam quærit sidera, opacæ
Noctis iter, jam quæ pasus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete;
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Æneän, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus ærata princeps secat æquora tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas: quis tela, sagittæ
Corytique leves humeris et letifer arcus.
Una torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.

vaticiniis et responsis deorum *illigatur* vel *obligatur* is, qui aliquid ex deorum jussu facere debet. *liberatur*, cum res vel conditio eventum habet. 155. *gens Lydia* Etrusci.

156—158 Navis Æneæ, quæ primum locum tenet, habet insigne seu parasemon in extrema prora leones binos, matri Idææ sacros, sub monte Ida. Ea navis *subjunctos* habet leones *rostro*, adeoque infra proram extremam. Proprie tamen parasemon est supra rostrum; igitur *subjuncta* non urgendum est, sed est: appositos, additos. Sedet *hic*, h. in navi, Æneas cum Pallante. *Ida profugis gratissima Teucris*. cf. sup. lib. III. 5. 6. Illud forte paulo obscurius est qua ratione Ida in prora picta et leones sub monte expressi fuerint. Debebat Ida in personam mutata saltem ad latus adjunctos habere leones. Unde porro hæc navis cum insigni ex Trojanis religionibus petito Æneæ apud Cæretanos statim parata et ad manus fuit? Dicendum, Cæretanos jam ante ad bellum instructos classem in promtu habuisse: Æneæ autem navem festinanter ornasse.

161 *opacæ noctis iter*, h. quibus navis cursus per noctem regitur.

166 Quatuor copiarum turmas edidit: primam Clusinorum et Cosanorum ducit *Massicus*: qui nomen quidem commune habet cum monte Campaniæ. Infra v. 655. *Osinius* Clusinorum rex (seu Lar) inducitur: quem sub Massici imperio egisse necesse est. Alteram ex Populonio et Ilva, s. Æthalia insula, ducit Abas, tertiam ex Pisa Asylas, quartam ex Cære et vicinis locis Astur. Accedunt auxilia e Liguribus v. 185. et e Mantuanis v. 198. Classis omnino erat XXX navium v. 213. Copiæ autem mille sagittarii a Massico ducti; nongenti armati sub Abante, mille alii sub Asyla, et totidem sub Asture. *ærata tigri*, pro navi cum insigni tigridis in prora. Sub Massico *manus* turma, *mille juvenum* erat. 171. *a. f. Apolline puppis*. Ergo is tutela navis erat. *puppis* pro navi omnino dictam velim: ut paulo ante versu 156. Tribuit autem *arma insignia* huic turmæ, respectu ad ferri metalla, quibus olim Ilva clara erat, habito. 172. *Populonia ma-*

Tertius, ille hominum divomque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ:
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcerrimus Astur,
Astur equo fidens et versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt, mens omnibus una sequendi,
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres, intempestæque Graviscæ.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, et paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ:
(Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.)
Namque ferunt, luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondis umbramque sororum
Dum canit, et mœstum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam;
Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius, æqualis comitatus classe catervas,

ter h. l. patria. 174. *generosa metallis* pro fecunda, adjecta notione præclari metallorum generis, quorum venas inexhaustas habet.

175. 176. 177 *hominum divumque* est *interpres*: accipio, ut sit inter deos homines-que, tamquam medius et arbiter. *Parent* ei fibræ pecudum et cet., quatenus eas pro lubitu interpretatur, in bonam vel in sinistram partem. 178. *rapit*, pro vulgari, ducit, sup. VII. 725. *Mille rapit populos.*

179 *Pisæ Alpheæ* s. Pisa, ab iis condita, qui Pisa Elidis profecti erant; unde *Alpheæ ab origine*, pro, ab origine Alphea, seu Elisea; at *solo*, sede ac situ, urbs Etrusca. 181. *equo fidens et v. a.* ornate pro habens. *versicoloribus armis*, e diversis metallis. 182—184. Asturem sequuntur trecenti ex Cære, et agro ad Minionem, Pyrgis et Graviscis. 653. *adjiciunt* tercentum viros ii *qui sunt Cærete domo* etc. h. qui domo sunt Cæretani, h. e. ei additi sunt, eum comitantur. Burm. supplet *adjiciunt se*. *intempestæ Graviscæ* æris intemperie, cum in humili ac palustri loco essent sitæ.

185 sqq. Obscurior locus, seu ex interpolatione, quod equidem suspicor, seu propter obscuriorem fabulam a poëta aliter quam ab aliis tractatam. Ut locus nunc se habet, ut aliquo saltem modo expediatur illud: *Crimen amor vestrum*; statuere necesse est, Cinyram et Cupavonem turpi se amore prosequutos esse: quo ducere videtur voc. *vestrum*. Mox tamen non illi, sed Phaëthon amatus fertur a Cycno: itaque quocunque te vertas, versu illo servato, res non procedit. *Cupavo* et *Cinyras* vix videntur posse conjungi, tamquam Cycni filii: itaque aut sustinenda est pronuntiatio post *Cinyra: Non ego te Transierim Cinyra; et* (pro *nec te*) *paucis comitate Cupavo*, *Cujus*: aut accipienda et scribenda sunt: *Cinyra et paucis comitate Cupavo*, ut Cupavo Cinyram et paucos comites habuerit. Extruso versu: *Crimen amor vestrum*, reliqua expedita sunt; *Cupavo* cristam habet ex pennis olorinis v. 187. in memoriam patris Cycni in olorem mutati ex nimio luctu de Phaëthontis, quem amaverat, casu. *inter populeos frondes umbramque* sororum, populos (nigras, αἰγείρους), electrum sudantes in quas Phaëthontis sorores fuere mutatæ; ex

Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquæ, saxumque undis inmane minatur
Arduus, et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen;
Mantua dives avis: sed non genus omnibus unum;
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni:
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires;
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctus
Verberat adsurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit inmanis Triton et cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

nonnullorum saltem narratione. Mox v. 192. ferunt Cycnum *duxisse*, induxisse sibi, nactum esse, *senectam canentem molli pterma*, candidas plumas, quæ pro canis essent. 194. *æquales catervas:* h. turmam æqualium; nisi potius est, æquali numero: alios trecentos ex v. 182. 195—197. Cum navi vectum dicere vellet, quæ Centaurum pro parasemo habebat, suaviter insigne navis ad ornatum orationis convertit: Centaurus ita erat sculptus, ut saxum evulsum terra projiceret.

198 sqq. Tandem *Mantuani* accedunt Etruscis, quippe auctoribus civitatum XII transpadanarum, adeoque etiam Mantuæ. Ocnus dux, Mantus nymphæ et Tiberis fluvii filius, diversus ab eo Ocno, quem poëtæ in inferis collocarunt, condidit et a matre appellavit Mantuam. 201. 202. 203. Mantua, potens olim copiis urbs, quæ tamen non ejusdem erant generis, sed ex trinis gentibus ac populis XII constabant, quorum quaterni sub una gente erant comprehensi, quibus illa caput erat; copiæ autem illæ erant Etruscæ. Videamus singula: *dives avis*, non est, quæ multos avos habet, sed quæ avos claros habuit, adeoque aliquando potens fuit. Est adeo h. l. Mantua, ut bene Servius explicat: majoribus præpotens, h. e. habens majores potentes. Constabat tamen agmen e diversis populis: *sed non genus omnibus unum: omnibus* non ad *avos* erat referendum, quod vulgo faciunt, sed ad *agmen*, quod Ocnus adducit patriis ab oris. Pergit: Namque Mantua trinas gentes et duodenos populos habebat: *Gens illi triplex* etc. *Gens* tamquam latius sub se continet populos. Populi igitur erant XII in trinas gentes divisi. Mantua vero horum XII populorum, qui Etrusci erant, caput erat. *vires*, copiæ.

204 *Hinc in se armat* eleganter de copiis adversum Mezentium ductis. 205. 206. Navis, qua vehitur Ocnus, parasemum seu insigne habet in prora Mincium fluvium: is supra quoque Georg. III. 15. *tenera prætexit arundine ripas*. ubi vid. Not. et ad Ecl. I. 52. *patre Benaco;* ducit enim ortum Mincius *(Menzo)* ex Benaco lacu *(Lago di Garda)*, aut potius ex Alpibus ortus medium eum transit.

207 Sequitur Aulestes *gravis*, puto propter navem mole sua gravem, in navi C remorum: hoc extulit magnifice: *Aulestes adsurgens verberat fluctus centena arbore*, centenis remis. *adsurgere, insurgere, consurgere*, vocabula, de nisu ejus, qui aut magna vi ictum infert, aut incumbit, protrudit, impellit. Navis hujus parasemon in prora Triton est buccinam inflans. *frons laterum tenus*, exquisite pro ipse a fronte usque ad la-

Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojæ, et campos salis ære secabant.
Jamque dies cœlo concesserat; almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum:
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
Occurrit comitum: Nymphæ, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse,
Jusserat, innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius æratæ steterant ad litora proræ.
Adgnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
Quarum, quæ fandi doctissima, Cymodocea
Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet, ac læva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum adloquitur: Vigilasne, deum gens,
Ænea? vigila, et velis inmitte rudentes.
Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, classis tua. Perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammaque premebat:
Rupimus invitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus. Hanc Genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, ævumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentis Marte Latinos.

tera, seu medium corpus. 212. Suavissimæ modulationis versus ex Apollonio ductus est lib. I. 542. 543. Ἀφρῷ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κελαινὴ ἐκήκιεν ἅλμη, Δεινὸν μορμύρουσα ἐρισθενέων μένει ἀνδρῶν. 214. *Trojæ* novæ.

215 *dies*; erat is tertius, ex quo castra reliquerat Æneas: is ipse dies, quo Rutuli castra oppugnarant: sup. inde a IX. 459. *almaque curru Noctivago Phœbe.* ἅρματι νυκτιπόλῳ. 218. Utrumque docte ut poëtam decet: *clavum regit:* proprie navem regimus clavo: tum *velis ministrat*, pro, ministrat, ministerium præstat nauticum, ad vela. cf. sup. ad VI. 302.

219 *medio in spatio.* Nam sup. IX. 121. novæ Nymphæ: *pontoque feruntur*; qui totus locus huc animo revocandus. *suarum comitum:* quia cum eo venerant naves. cf. sup. IX. 80. 221. *numen habere maris* exquisite pro, numina esse: sup. IX. 101. 102. *magnique jubebo Æquoris esse deas.* 224. *lustrant choreis*, ornate, pro circumdant, circum natant.

229 *velis immitte rudentes*, ut vela laxentur ad ventum excipiendum. Sic *immittere habenas*, *frena*, alibi cf. sup. V. 146. 147. 231. *Perfidus*, quandoquidem fœdere jam inter Latinos Trojanosque facto bellum moverat. 234. *Hanc Genetrix faciem refecit*, fecit, mutavit: nihil amplius. *dedit*, fecit ut. 237. *horrentes Marte Latinos*; erunt igitur horrendi, qui horrorem faciunt, bello, pugna;

Jam loca jussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge age, et Aurora socios veniente vocari
Primus in arma jube, et clipeum cape: quem dedit ipse
Invictum ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non inrita dicta putaris,
Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos.
Dixerat: et dextra discedens inpulit altam,
Haud ignara modi, puppim. Fugit illa per undas
Ocior et jaculo et ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades; animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera adspectans convexa precatur:
Alma parens Idæa deum, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones;
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.
Tantum effatus; et interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.
Principio sociis edicit, signa sequantur,

cujus significatus me exemplum in Marone desiderare supra ad exordium Æneidis fassus sum cum *horrentia Martis arma* explicarem. *Horrent* omnia, quæ superficiem habent inæqualem et asperam. Quibus opponuntur ea, quæ nitent. Hinc omnino *horrere* pro asperum esse atque hinc squalere interdum, nec hic aliter dictum: sed *Latini horrent Marte* h. armis: exquisita dictio, pro habentes arma horrentia, hastas crebras erectas: dum stant in acie densis ordinibus et pugnant.

238. *Jam loca jussa tenent.* Ad artificium narrationis et suavitatem ex brevitatis studio hoc referamus, quod nunc illud innuit, quod facile intelligi potest: conscendisse Æneam naves in portu Cæretano, equitatu in littore præmisso, qui ne castra intrare posset, Turnus objecta copiarum parte cavebat. Nec tamen memoratur, cum his equitibus Tiberis trajiciendus esset, qua parte aut quo paratu id factum sit: ne Turnus ab escensione in alterum littus eos prohiberet. 240. *jungant* se: ut solet Maro. 247. *Modus* est, quod bene monuit Servius, moderatio. "Impulit navem libramento peritiæ (malim *libramenti peritia*) et moderationis, quippe quæ fuerat navis." 249. *Inde aliæ*, sc. naves, *celerant cursus*, cum Æneæ navem evolare videnl. 250. *omine.* ostento, prodigio. Mox v. 255. simili metonymia *augurium* dixit.

253 *Turrigeræ urbes:* Hinc ipsa Cybele turrita; est enim mater Terra sup. lib. VI. 786.; cui curæ sunt, quæ amas, *ad frena leones*, frenari solitos. 254. *pugnæ princeps* πρόμαχος, h. l. opitulans. *tu rite propinques augurium:* h. e. fac ostentum hoc rite eventum suum habere. *Propinquare*, admovere, adducere. *Augurium* autem, ut omen, oraculum, sors, sæpe pro eventu. Est igitur: fac eventum ostenti haud longe abesse.

256. 257 Ornate *revoluta ruebat* pro revolvebatur, redibat; *ruebat* pro veniebat, ut sup. II. 250. *ruit oceano nox. matura luce:* adulto die.

258 Parat nunc Æneas escensionem facere. Occurrit Turnus. Fit pugna in lit-

Atquè animos aptent armis, pugnæque parent se.
Jamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsa in puppi: clipeum cum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ e muris. Spes addita suscitat iras.
Tela manu jaciunt. Quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis; donec versas ad litora puppis
Respiciunt, totumque adlabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus, ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:
Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris
Nascitur, et lævo contristat lumine cœlum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora præcipere, et venientis pellere terra.
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra.
In manibus Mars ipse, viri. Nunc conjugis esto

tore, ad prohibendos Trojanos ne escensionem faciant: quod novum pugnæ genus poëta ingeniose commentus est. Edicit, ut ad signa conveniant Trojani; ut *animos aptent armis*, pugnam exspectent, eique se accingant.

261 *Clipei* a Vulcano fabrefacti usus nunc a poëta non male in medium adducitur. 266. *noti* pro quibuscunque ventis hibernis dicti sunt. *dant signa*, edunt clamorem; quatenus is pro signo est, eos adesse. *Clamor secundus*, lætus. 269. *totumque allabi classibus æquor*. Docte de magna navium copia, ad Rutulorum phantasiam, et ad mirationem faciendam accommodate. Vulgari oratione classis allabitur late per totum mare. Nunc mare ipsum, quam longe prospectus patet, navibus tectum, videtur adfluere ad littus cum *classibus*. 270—275. De summo armorum Æneæ, quæ a Vulcano erant facta, splendore cogitandum est, quem per ignem et flammam reddi sollenne est. Quomodo nostri poëta excellere et superare possint veteres, exemplum esto hoc Miltoni *Parad. Lost* lib. II. 708. sqq. ubi cometen exustum igni et consumtum ab Ophiucho flammare et coma quassa pestem et famem immittere dicit.

270 *apex*; cogitavit λόφου, conum, cui crista inserta; designat tamen totam omnino galeam ære coruscantem. 272. *liquida nocte*: translate ab aëre liquido, pro clara. 274. *Ille nascitur*, oritur *ferens* h. e. ille ortu suo fert, *sitim morbosque*, nimium æstum et febres. Adjecta hæc ad exornandam et amplificandam comparationem. 275. *lævo lumine*, noxio, ut *infelix*. *contristat cœlum*, magna cum vi pro, fulget.

276 seqq. Turni et animus et oratio digna heroe. *littora præcipere*, ante capere, occupare. 279. *perfringere*, grave verbum, pugnare cominus, cum adhuc castra oppugnassent: ductum ab eo, quod *perfringere aciem*, perrumpere, pugnantes dicuntur. 280. *In manibus Mars ipse*. Nunc res ad discrimen

Quisque suæ tectique memor; nunc magna referto
Facta patrum, laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi egressique labant vestigia prima.
Audentis Fortuna juvat:
Hæc ait, et secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;
Per remos alii. Speculatus litora Tarcho,
Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti adlabitur æstu;
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso;
Adrepta tellure semel. Quæ talia postquam
Effatus Tarcho: socii consurgere tonsis,
Spumantisque rates arvis inferre Latinis;
Donec rostra tenent siccum, et sedere carinæ
Omnes innocuæ. Sed non puppis tua, Tarcho.
Namque, inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo,

adducta. Pugnandi tempus, quod optastis, adest; *in manu pugna*, pugnandi opportunitas est. Adhuc enim oppugnatio castrorum facta erat, non acie pugnatum. *referto* animo, memor esto, quod modo præcessit. *laudes*, præclara facta.

288 Pontes: τὰς ἐπιβάθρας et ἀποβάθρας navium dixit. *servare recursus Languentis pelagi*. De refluxu reciprocantis maris accipi nequit: nam eum profecto nunc non expectarunt: sed sunt *loca vadosa* littoris, non abrupta, sed declivia, in quibus deficiunt extremi fluctus. *recurrit*, currit, procurrit, adeo fluctus per magnum arenæ spatium; is locus, qui fere in sinuosis littorum plagis esse solet, est *recursus pelagi languentis*: et eadem sunt *brevia*. cf. sup. I. 111. V. 221. Non autem animo dimittendum, agi hæc in ostiis Tiberis, ubi mare sese infert aliquantum flumini, turbatumque, et vento adverso spirante adactum, retundit flumen veniens, et intra ostia late immittitur. 290. *Per remos alii*: assumendum: terræ se credere saltu; remis, pro contis littore infixis, quibus nixi in littus prosiliunt.

291 *Qua vada non spirant*, aqua non æstuat, nullos fluctus movet, adeoque scopulis non alliditur aut latentes scopulos arguit. 292. *crescenti æstu*, accipe de provolutis latius maris fluctibus, qui si locum littoris molli clivo assurgentem acceperint, eo explicant se et late exundant adeoque *crescere* videri possunt: *æstum* autem pro fluctu, ut poëta, dixit. 295. *Tollite*, attollite remos puta, *ferte*, impellite, agite navem; mox v. 300. *inferre* littori. *consurgere remis*, cf. sup. v. 294. et 208. alibi *insurgere remis*.

301 *siccum* de littore, ut Ge. I. 363. *In sicco ludunt fulicæ*, et Homerus, ξηρὸν, pro χέρσον, Odyss. ε, 402. *innocuæ*, illæsæ;

Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat:
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Inpediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora; sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes
Æneas, omen pugnæ, stravitque, Latinos,
Occiso Therone, virum qui maxumus ultro
Ænean petit: huic gladio perque ærea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum jam matre peremta,
Et tibi, Phœbe, sacrum, casus evadere ferri
Quod licuit parvo. Nec longe, Cissea durum,
Inmanemque Gyan, sternentes agmina clava,
Dejecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validæ juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, usque gravis cum terra labores
Præbuit. Ecce Pharo, voces dum jactat inertis,
Intorquens jaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon;

passive. 302. 303. *dorso iniquo*, dorsum est durior arena (Stv), quæ remeantibus fluctibus plerumque densatur et in modum saxi indurescit, quod a nautis *pulvinus* vocatur. *iniquum*, noxium, exitiosum; uti quis *in lucrum iniquum adductus* dicitur. *pendet anceps sustentata*, suspensa, se librat, agitat, quoniam sulcum nullum impressit nec firmata carina stabilem habet sedem. *fatigat fluctus* navis, dum allabentes ac recedentes eos agit, versat (cf. ad lib. VIII. 94.), adeoque librata ipsa in diversas partes versatur: hoc magis poëticum, quam si *fluctus fatigat* navem. 307. *unda relabens*, fluctus littus alluens et ex allisu remeans: qui facit ut pedem in lubrico figere nequeant.

311 Prudenter poëta primum Æneam fortiter pugnantem inducit. *turmas agrestes*— Latinos conf. sup. VII. 573. 582. *omen pugnæ* ad sqq. spectat: *stravit Latinos*. 313. *ærea suta*, thoracem sutilem ex ære, hoc est, ex æreis lamellis vel catenulis. Suberat thoraci 314. *tunica squalens auro*, aurea. *squalere* videtur traductum primum ad superficiem sordido ac squalido colore vel nitore impuro, lutulento aut pulverulento, inductam, qualis in piscium ac serpentum cute est, tum omnino de nitore quocunque, ut auri. Est adeo *squalere* doctius dictum h. l. quam splendere. De voce *haurit*, pro transfudit, hausto sanguine sup. ad II. 600. *apertum*: si per thoracem adactum ferrum fuit, nudatum corpus esse non poterat: sed voc. ornat; dum vulnus infligitur, aperitur ea corporis pars. 315. 316. *Phœbo sacrum* quippe deo medico, cujus ope ex matris utero esset servatus. 317. *Nec longe*: pro, nec multo post, adverbium loci pro temporis, antique. 321. *usque cum*, usque dum; tamdiu quam.

325 sqq. *nova gaudia*, deliciæ; quem primum tunc amare cœperat. *securus*, oblitus, in morte, nec memor amoris puerorum, qui

Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies; septem numero, septenaque tela
Conjiciunt: partim galea clipeoque resultant
Inrita; deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Æneas adfatur Achaten:
Suggere tela mihi, non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos, steterunt quæ in corpore Graium
Iliacis campis. Tum magnam conripit hastam,
Et jacit. Illa volans clipei transverberat æra
Mæonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: trajecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem;
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Ænean petiit; sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus, fidens primævo corpore, Clausus
Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit, trajecto gutture; at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tris quoque Threicios Boreæ de gente suprema,
Et tris, quos Idas pater et patria Ismara mittit,

tibi semper erat. 331. ea, quæ stringere poterant, corpus, *deflexit*, ut Juno lib. IX. 725. 726. in Turno. 333. *Suggere tela mihi;* puta igitur hastas ex pugnis cum Achivis collectas et diligenter servatas Æneam secum attulisse.

339—341 impetum et vim jactus, adeoque robur Æneæ, declarat poëta: *Mæonem clipeo*, thorace et pectore transfixo occiderat; nunc hasta alia ab Ænea emissa Alcanoris brachium transfigit, et *trajecto lacerto* ejus *ea fugit protinus*, porro, ulterius abit, *servatque tenorem*, nec remittit quicquam de impetu, quem ex jactu fortis viri habebat. Uno verbo brachium Mæoni suppositum transfigitur hasta, et tantum non rescinditur. Reliqua ad ornatum adjecta. Ita sententiam constituo ut duæ sint hastæ ab Ænea emissæ. 341. *Dextera moribunda:* qualis esse solet moribundi hominis, languida: pendet *nervis*, per nervos, h. e. tendines, ligamenta et musculos.

342 Color ubique Homericus, ut et in hoc versu et in sequ. *figere contra* κῆξαι ἀντικρὺ in adverso Æneæ corpore.

345 *Clausus*, qui Latinis Sabinos adduxerat. *fidens primævo corpore*, juventa. 347. *hasta graviter pressa*, impressa, dum ille ἐπιθλίβει, ut Hom. Iliad. ε, 47. et alibi. 350. *Tres Threicios Boreæ de gente suprema.*

Per varios sternit casus. Adcurrit Halesus,
Auruncæque manus; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi; certatur limine in ipso
Ausoniæ. Magno discordes æthere venti
Prœlia ceu tollunt, animis et viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedunt;
Anceps pugna diu; stant obnixi; omnia contra.
Haud aliter Trojanæ acies aciesque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Impulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestris,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci;
Aspera quis natura loci dimittere quando
Suasit equos; unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem adcendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudi,
Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostis
Est via. Qua globus ille virum densissimus urguet:
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.

Duplex suppetit interpretatio, nec definire licet utra sit verior; ad sensum tamen meum præstat posterior: *Boreæ gens suprema* potest esse extrema terra borealis, ut venerint illi ex Thraciæ partibus versus septentrionem ultimis. Potest tamen *Boreas* etiam esse auctor stirpis, a qua ducti illi tres dici potuere: *Boreæ de gente suprema* h. ultima, antiquissima; ut *gens* pro genere sit. *Ismara* pro Ismaria. Mons et urbs Thraciæ Ismarus. 354. *Expellere;* loco depellere, movere.

356 Comparatio prœliantium cum ventis Homero frequentata, v. c. Iliad. π, 765—771. 359. Meliore interpunctione lectionem, prisca auctoritate pollentem, vindicatam esse puto: *Stant venti obnixi; omnia* stant obnixa *contra.*

362 Arcades, equites ex Pallanteo ducti et a Pallante præmissi (v. sup. 238. 239.), alia ex parte Rutulos adorti erant, et duce Pallante pugnabant ea parte littoris, qua torrens in mare exierat: itaque equi in lubrico et aspero solo consistere non poterant: quare iis relictis pedites pugnabant; verum, cum pedestri pugnæ parum assueti essent, loco cedebant; cum ecce Pallas eos increpat.

365 *Latio*, Latinis et Rutulis. 366. *quis —quando* paulo durius structa oratio; quandoquidem natura loci aspera et impedita adduxerat eos ut equis descenderent. 367. *rebus egenis*, dubiis, egentibus consilii.

369 Oratio Pallantis plena fiduciæ et indignationis, sed qualis juvenem, qui nondum propriam laudem habebat, decere poterat. *devicta bella* nove dixit: ut pugnata bella, depugnata. 371. *subit*, succedit, *æmula laudi*, qua virtutem paternam ego æmulor.

374 *hac vos patria alta reposcit;* aut pro, *poscit*, ut eo subeatis, invadatis hostem; aut *reposcit*, vel ut e fuga conversi eo subeatis,

Numina nulla premunt: mortali urguemur ab hoste
Mortales; totidem nobis animæque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos objice pontus;
Deest jam terra fugæ: Pelagus Trojamne petemus?
Hæc ait, et medius densos prorumpit in hostis.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: nunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dabat: hastamque receptat
Ossibus hærentem. Quem non super occupat Hisbo,
Ille quidem hoc sperans; nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit, et Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini, Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis gratusque parentibus error;
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis;
Te decisa suum, Laride, dextera quærit;
Semanimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas adcensos monitu, et præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter
Trajicit. Hoc spatium, tantumque moræ fuit Ilo;
Ilo namque procul validam direxerat hastam:

aut ut inde victores fugato hoste redeatis. Hoc postremum forte præstat.

378 Num mare fuga petemus, an *novam Trojam*, castra Trojanorum? atqui via ad hanc interclusa est, hoste objecto; et obsidentur castra a parte copiarum a Turno relicta sup. v. 286. 382. 383. verbo: qua parte spina per medium dorsi procedit; quæ discrimina costarum facit, s. costas intervallis diremtas inter se. 384. *super* aut est, super hoc, dum in eo est occupatus, aut desuper. Pallanti inclinanti se ad recipiendam hastam vulnus desuper inferre volebat Hisbo; sed id antevertit Pallas. 388. 389. Sequitur poëta et h. l. fabulam antiquam, quam Servius narrat. Rhœtus Marubiorum (Marsorum: vid. sup. VII. 750.) rex, Anchemolo filio Casperiam novercam superinduxerat, quam privignus stupravit, pœnæque et iræ paternæ metu ad Daunum confugerat, Turni patrem. 391. Fuit ergo Daucus aliquis, cujus filii Larides et Thymber. 392. ut ne a suis quidem parentibus discerni possent.

399 seq. Pallas Rhœtum, *præterfugien-*

Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus
Cædit semanimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut, optato ventis æstate coortis,
Dispersa inmittit silvis incendia pastor;
Conreptis subito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Volcania campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantis:
Non aliter socium virtus coit omnis in unum,
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Halesus
Tendit in adversos, seque in sua conligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque;
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in jugulum; saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
Fata canens silvis genitor celarat Halesum;
Ut senior leto canentia lumina solvit:
Injecere manum Parcæ, telisque sacrarunt
Evandri. Quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halesi.
Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus: dum texit Imaona Halesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.

tem bigis, ne a Teuthrane et Tyre fratribus interimeretur hasta trajecit. Ita Ilus mortem effugit, quem Pallas hoc telo petierat.

404 Quod *Rutulorum arva* pro solo, et quidem Latino, posuit, ornatus causa fecit. 405. Puta silvam esse h. l. stipulas agri demessi, quas pastor seu omnino agrestis ad solum recreandum incendit. Sic *silvam* dixit Maro de leguminum calamis Ge. I. 76. et de herbis lib. I. 152. 406. *dispersa* epitheton ab eo, quod sequitur, sumtum: quod se dispergit incendium: non quod diversis locis pastor fecit. 407. *correptis mediis:* eleganter ad interiora penetrare dixit. Reliqua v. 407. 408. ornatissima, comparatione incendii cum pugna facta; unde et mox *flammas ovantes*, quasi successu exultantes, dicere ausus est. 409. *victor;* voti compos, ἐπιτυχών; et 410. *in unum* locum. Est autem vis et momentum comparationis in hoc, quod in stipula flamma uno loco exorta late extenditur, et nunc pugna semel a Pallante incepta, mox ab Arcadibus collectis late per hostiles turmas propagatur. 411. Halesus Auruncorum dux, in Turni agmine. vid. paullo ante v. 352. 412. *seque in sua c. a.* post scutum se clausit. Est συσταλεὶς ἐν ἀσπίδι, ὑπ' ἀσπίδος. 415. *Elatam in jug.* puta, Halesi, quem Strymonius ense vel hasta petebat; jugulo suo vulnus minantem. 417. Ergo Halesi parens erat vates, qui filium, cujus fata prævidebat, eduxit, quoad viveret, in silvis. 418. *lumina canentia* audacter pro senilibus, seu senis canentis; canent enim supercilia, tempora, ipsæ genæ. 419. In altero juris, in altero sacrorum vocabulo usum poëtam observat Servius: *Manus*, inquit, *injectio, quotiens, nulla judicis auctoritate exspectata, rem no-*

At non cæde viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles; sternuntur Etrusci;
Et vos, o Graiis inperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque et viribus æquis.
Extremi addensent acies: nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urguet,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat ætas,
Egregii formæ; sed quis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi;
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum; qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios: Tempus desistere pugnæ;
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.
Hæc ait; et socii cesserunt æquore jusso.
At, Rutulum abscessu, juvenis tum, jussa superba
Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu.
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni. Sorti pater æquus utrique est.

bis debitam vindicamus. Agnoscas facile verba juris. Alterum ductum ex eo, quod Diis vel Manibus sacrati dicuntur quibus moriendum est. *tela Evandri*, Pallantis hasta, quia, a patre acceptam attulerat. 424. Halesus, clipeum prætendens amico Imaoni, suum ipsius pectus nudat, ut Pallantis hastæ pateret.

426 *Lausus*, Mezentii f. nunc prodit; amabilis et Pallanti haud prorsus dissimilis juvenis; is *non sinit agmina esse perterrita* morte Halesi. 427. *pars ingens belli*, h. pugnantium. 428. *nodum pugnæ*. a nodo arboris sub cuneo petitum: de eo accipe, qui fortunam belli diutissime sustinet, longissime resistit, ἐνταῦθα νίκην sua virtute facit. *moram*. Sic in noto illo: *belli mora concidit Hector*. cf. sup. ad IX. 155. 432. Qui in extremis ordinibus collocati sunt, urgent priores ordines, adeoque condensant aciem, ut arma vix moveri possent.

439 *soror alma*. Juturna nympha: de qua tamen nondum mentio facta: sed v. inf. XII. 139. sq. 443. conf. II. 538. 539. 444. *cesserunt æquore jusso*: doctius dictum, quam *jussi ipsi*: campo, quo ipsi jussi erant cedere. vid. Var. Lect. 445. sqq. Pallantis personam egregie tuitus est poëta: immota juveni mens in tanto discrimine etc. 447. *omnia* dixit pro, totum Turnum. 450. Ornatius quam Homericum Iliad. χ, 253. ἴλεται κεν, ὅ κεν ἀλέσσῃ (h. e. ἀλῷῃ). *Sorti pater æquus utrique*, scil. ferendæ par est: is est pater, qui utramque fortunam, et victoriæ et mortis

Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis; pedes adparat ire
Comminus. Utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in prœlia taurum,
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si qua fors adjuvet ausum
Viribus inparibus; magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, et mensas, quas advena adisti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis;
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrimasque effudit inanes.
Tum Genitor natum dictis adfatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot gnati cecidere deum; quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.
Illa volans, humeris surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque, viam clipei molita per oras,

gloriosæ, æquo animo ferat. Respicit enim ad verba Turni vs. 443. *cuperem ipse parens Evander adesset.* 453. *Desiluit*, ut par pari congrederetur: ita enim heroicæ vitæ lex fert. 454. Comparationes multæ similes sunt apud Homerum; sed novum in Marone hoc, quod *a specula* h. montis vertice, ἐκ σκοπιῆς prospicit, et quod taurum videt *meditantem in prœlia* (h. exercentem se ad pugnam, v. c. spargendo arenam pede, ictum cornu minando). 457. 458. Ubi intra teli jactum venisse Turnum videt, prævertere et occupare decrevit Pallas, si qua ratione fortuna adjuvet se: pro *se* dixit *ausum imparibus viribus.*

460 De hoc sup. VIII. 362. 363—462. 463. Ornate *Cernat Turnus* se spoliari et ferat, sustineat, videre me victorem. 467. *Stat*, est, *sua cuique dies*, τὸ μέρσιμον ἦμαρ apud Homerum. *irreparabile* h. l. quod renovari, iterari, nequit. 473. *rejicit* quasi retro jacit; pro vulgari: retorquet, avertit: tamquam a spectaculo ingrato, quod impedire nec vult nec potest.

476. 477 *tegmina humeri* seu *humerorum* non esse possunt thorax, ut vulgo accipiunt,

Et servare modum, rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum
Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque
Inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos!
Nec jam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Æneæ, tenui discrimine leti
Esse suos: tempus, versis succurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro; te, Turne, superbum
Cæde nova quærens. Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensæ, quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes; totidem, quos educat Ufens,
Viventis rapit, inferias quos inmolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam contenderat hastam:
Ille astu subit; at tremebunda supervolat hasta;
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios Manis, per spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serves natoque patrique.
Est domus alta; jacent penitus defossa talenta
Cælati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrum
Vertitur; aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. Æneas contra cui talia reddit:

orsus erat poëta deserit, et a quarto ad primum casum transit. Erat enim *impressa manus juvenum*, exsculptum balteo *nefas Danaidum*, nocte nuptiali suos sponsos interimentium. 499. Quod artificis nomen adjicit, ut poëta, facit Homeri quoque exemplo; artis enim præstantiæ fidem hoc facit.

510 Pugnabat Æneas in altero agmine 310—361. *tenui discrimine leti*, modico mortis intersitio. *latum* pro exitio, strage copiarum. 513. *latum limitem agit*. Elegans translatio a vacuo spatio ad viam et actum inter duo agros relicto petita. *Agere limitem* autem proprie dicitur pro facere. Vid. Gronov. ad Taciti German. 29. 516. *mensæ quas*. Respicit sup. VIII. 102. 175. sq.

518 *Ufens*; is scilicet de quo sup. VII. 745. VIII. 6.

520 *captivoque* h. e. captivorum, eleganter pro, et quorum sanguine etc.

Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior jam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchisæ Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam læva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus adplicat ensem.
Nec procul Hæmonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus conlucens veste atque insignibus armis:
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Inmolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropæum.
Instaurant acies Volcani stirpe creatus
Cæculus et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clipei ferro dejecerat orbem;
Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, cœloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos.
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Silvicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,

521 sqq. *Mago*, in Magum, ut toties. *subit*, ὑπέδραμε. *supervolat* ἐπέπτατο. *dabit* pro faciet, ut toties et alibi, et δώσει. Male vero poëtam ad grammaticam subtilitatem revocant interpp. post Servium, ut tria genera auri, argenti, ærisque: *signatum* (in numis), *factum* (in vasis et signis), *infectumque* (rude, grave, in massis), exprimere debuerit. *Argentum cælatum* est in vasis, opere ectypo ornatis, ut *aurum factum* quoque; et *talenta* simpliciter pro ponderibus dixit.

532. 533. *parce gnatis tuis* pro serva. *belli commercia* redemtionem captivorum. 534. Eandem Anchisæ Manium et Iuli sententiam esse aio.

537—542 *Nec procul Hæmonides—Quem congressus agit*; more haud insolito, structuram mutavit; cum esse deberet: Nec procul Hæmonidem *agit*. 541. *ingentique umbra tegit* sc. super adstans et inclinans se, ut spolia legat. Ordo verborum simplicior erat: *lapsum inmolat, superstansque ingenti umbra tegit*. Arma detracta dat Seresto abportanda: ex more, v. c. Iliad. π, 663—665.

543 *Instaurant acies* succedunt in pugnam cum Æneæ. *Cæculus* supra VII. 678. 681. *Umbro* ibid. 750. 752. Brevitati studens poëta, non addit Cæculum et Umbronem fuisse cæsum: pergit ad Anxurem, sed variata oratione, ut eum jam ante cæsum dicat, et narrationem de eo subjungat, nam *dejecerat* sc. *Dardanides*, Æneas. Abciderat is Anxuris manum una cum clipeo, quam tenebat. Etsi sic parum placet *Et totum clipei orbem*: cum sit *sinistram et* totum *clipeum* dejecerat. *Dixerat ille* sc. Anxur. 548. *cæloque animum fortasse ferebat*. Singulare dictum hoc. *Ferre cælo*, pro ad cælum efferre, alias jam vidimus poëtæ frequentatum de arrogantia et superbia: et fortasse ille arrogantiorem se gesserat; dum de Æneæ victoriam et longam vitam sibi promiserat.

550 *exsultans* simpl. prosiliens, prodiens.

Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clipeique ingens onus inpedit hastá.
Tum caput orantis nequidquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terræ; truncumque tepentem
Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace. Non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquere feris; aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque inpasti volnera lambent.
Protenus Antæum et Lucam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis.
Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret ensis:
Sic toto Æneas desævit in æquore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphæi
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit;
Atque illi, longe gradientem et dira frementem

552. 553. *Ille*, Æneas (non Tarquitus), *hasta reducta*, quam reduxerat adeoque magna cum vi immiserat, *impedit loricam clipeique onus*, transfigit Tarquiti clipeum et loricam, sic ut infixa hasta hærereret nec retrahi facile posset: hinc Æneas arrepto statim ense caput dejicit. Est autem exquisite dictum: *loricam et clipeum impedit hasta*, pro vulgari: *hastam impedit lorica:* nam hasta impedita et fixa tenetur: sicque et ipse clipeus impeditus est, nec libere regi ac moveri potest: cf. inf. 794. 795. Sed in his quæ reciproca sunt, poëtæ illud sequuntur, quod minus vulgare est. 558. *onerabit:* Scilicet sepulchrum h. l. est tumulus, τύμβος; impositus corpori, quod alias inde tumulo *premi* dicitur. 560. *pisces lambent*, sanguinem haurient.

561 *prima agmina Turni*, vel προμάχους, qui pugnant ante ordines, vel qui in prima acie, ἀριστεῖς. 564. *Ausonidum*. Ausonidarum; *Ausonidas* autem pro Ausonibus dixit, quibus, cum olim omnem Italiam inferiorem tenerent, sedes a Circeiis ad Lirin usque etiam serioribus ætatibus mansere. Jam in his locis inter Tarracinam et Caietam juxta mare *Amyclæ* fuerunt, a serpentibus deletæ, seu viperæ seu hydri illi fuere, incolentibus urbe excedere coactis. Has Amyclas *tacitas* dixit, epitheto huc retracto ab alteris Amyclis Lacônicæ, quæ ab Achæis habitatæ ac diu fortiter propugnatæ tandem a Doriensibus expugnatæ sunt; hostium enim adventu sæpe temere nuntiato, cum vere hostis veniret, nemine nuntiante, et *tacentibus omnibus*, urbs capta est.

565 sqq. Splendida comparatio. Qui primus nunc deductus erat in prælium Æneas, quanta virtute quo furore fit conspicuus! *Pectoribus* addit 567. quia efflat ignem, ut Cacus supra, ut Typhœus, et tot alia monstra. *tot paribus*, pari numero, scilicet quinquaginta clipeos. *Sic*, ut non unam manum putares, *toto* etc.

572 *longe gradientem;* longis gradibus incedentem. Magnificum vero et hoc de

Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos: strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes:
Inruit, adversaque ingens adparuit hasta.
Cui Liger;
Non Diomedis equos, nec currus cernis Achilli,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis et ævi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri; sed non et Troïus heros
Dicta parat contra; jaculum nam torquet in hostem.
Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos: projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ: subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei, tum lævum perforat inguen;
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis adfatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertere ex hostibus umbræ;
Ipse rotis saliens juga deseris. Hæc ita fatus
Adripuit bijugos. Frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delabsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, et miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas: haud talia dudum
Dicta dabas. Morere, et fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ, pectus, mucrone recludit.

Æneas et mox *ingens apparuit*. 579. accipe: venit, adstitit intenta cum hasta. 581. Congressus quidem est Æneas cum Diomede Iliad. ε, 217. 275. sqq., et cum Achille Iliad. υ, 79. sqq. Sed neutrius pugnæ exitus is fuit, ut poëta eum hic respexisse videri possit. Itaque Cerda est audiendus, qui sententiam eo retulit, ut omnino Latinos præferat Achivis Liger, Latium Troadi; esse ipsi rem nunc cum fortioribus viris, quos non tam facile effugiturus sit; ut supra lib. IX. 154. 155. 586. *pendens in* Hic Lucagus gladio pro flagro usus e moræ impatiens, equos ipse incitat Ligeri eos regente. Notabile autem quod Lucagus in curru stans, non l perpetuo heroum more, sed ense utit *pius* epitheton nullam vim habet. Non proditus es hosti aut fuga aut natione equorum. *nulla fuga segnis*

Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt, et castra relinquunt
Ascanius puer et nequidquam obsessa juventus.
Junonem interea conpellat Juppiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima conjunx,
Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes; non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.
Cui Juno submissa: Quid, o pulcerrime conjunx,
Sollicitas ægram, et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares,
Omnipotens, quin et pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga
Sæpe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex ætherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis leti tempusque caduco

rum sc. quoniam hos incitaverat v. 586. *aut vanæ umbræ* exemplo Niphæi v. 572. 573. 574. sed sponte desiluisti de curru. Similis sarcasmus Iliad. π, 745—750. 604. 605. Artificium narrationis velim observari in judicio et dilectu rerum, quas narrat, tot aliis omissis. Pugnari debuit interea non minus acriter circa muros; sed his nunc recte caremus; itaque satis erat binis versibus moneri nos de exitu oppugnationis.

606 sqq. Eo jam res erat adducta, ut Turnum Æneas assequeretur adeoque pugna inter eos fieret. Hæc ex rerum in Æneide ordine destinato adhuc erat differenda. Deorum interventu ad hoc usus est, ut epicus poëta Homeri exemplo semel instituerat facere. 606—688. Juno, salute Turni in tempus tantum a Jove impetrata, Turnum elusum per εἴδωλον Æneæ pugna educit. 607. 608. Amare hæc ad Junonem. 609. 610. *non* v. v. immo vero Æneæ virtus pugnam restituerat. *dextra viris*, virorum: ut solet poëta.

611 *pulcerrime* h. l. notabile, inter blanditias. 612. *tristia dicta* h. l. exprobrantis, acerba. 613. *Vis in amore mihi*, pro, si tuo in me amori esset vis. Alias *potentia* dicitur de amantibus. Vulgaris oratio esset: *Si tantum valeret amor meus apud te, tantam haberet vim et auctoritatem*, ut olim inter amoris nostri primordia. 614. *namque* non vacat, sed asseverat: scilicet, utique, γάρ τοι, γὰρ δή. 617. *Nunc pereat* stomachabunda pronuntiat: pro, nunc vero ei pereundum est in Trojanorum gratiam; etsi ille etc. 618. *deducit nomen* h. stirpem, genus.

619. 620 *et tua larga sæpe manu*. Frequens ad exorandos deos et ad rudiora hominum, qui sacris factis tamquam donis et muneribus numen placari posse putant, ingenia accommodatum argumentum, cujus prima exempla in Homero Iliad. 9, 238. sq. et 203. sq.

621 Juno hoc spectabat, ut Turnum omnino morti eriperet. Huic occurrit Jupiter sic, ut in præsens modo tempus fata Turni differri patiatur. cf. sup. VII. 313. sqq. Est vero totus locus Homericus Iliad. ϖ, 439.

Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis:
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum: spes pascis inanis.
Et Juno adlacrumans: Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares; atque hæc Turno rata vita maneret!
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
Hæc ubi dicta dedit, cœlo se protenus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras;
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum Dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis; clipeumque jubasque
Divini adsimulat capitis; dat inania verba;
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis:
Morte obita quales fama est volitare figuras,
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exsultat imago,
Inritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Conjicit; illa dato vertit vestigia tergo.

sqq. 622. *caduco*, exquisite, mox casuro, vel cui mox cadendum, moriendum est: 623. *meque hoc ita ponere sentis:* sique ita hoc factum interpretaris, in hunc sensum accipis, ut in eum modum a me constituatur nunc hoc: scil. ut Turni fata differantur, non ut mutentur. *ponere* docte τιθέναι pro διατιθέναι, ordinare, constituere. 625. *vacat* exquisitius quam *licet:* nihil ultra. 626. *venia*, concessio: quod concedam, indulgeam.

628 Belli exitum fatalem immutatum non iri Jupiter pronuntiaverat: de Turno nil meminerat. Juno itaque Jovem cetera de Turni vita et incolumitate eloqui non audere arbitrata, utinam id, inquit, quod disertis verbis promittere mihi gravaris, animo saltem et voluntate annueres, scilicet, ut Turno vita esset incolumis. *Quid si*, valet idem, quod, cur non? quid ni? τί δ'ἄν; εἰ καὶ, quid mali inde futurum esset, si; reditque adeo sententia ad optativam: o si! *gravaris* sc. dare. *rata* eleganter, adeoque perpetua et integra, incolumis. Mox se ipsam retractat: Enimvero, *nunc*, *manet* etc. 630 631. *aut ego v.* nisi admodum fallor, a vero aberro. *vanus*, qui sibi vana et inania persuadet, *vanus veri* Græce dictum, ut fallax veri, deceptus, falsus veri h. vero. *Quod*, καθ' ὅ, qua in re tamen utinam frustra metuam et utinam tu consilium de Turno mutes.

634 sq. *nimbo succincta*, nube. *hiemem agens*, turbinem, procellam. Novum hoc ad deæ præsentiam designandam, sed in ἐπιφανείαις deorum in templis non insolens. 638. *telis* h. l. pro armis, paullo durius; nisi de valida Æneæ hasta accipere præstat. Mox *jubas* pro galea cum crista. 639. *inania verba* ipse mox interpretatur: " *dat* sine

Tum vero Ænean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis, Ænea? thalamos ne desere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæsita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, et ponte parato;
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat;
Exsuperatque moras, et pontis transilit altos.
Vix proram adtigerat: rumpit Saturnia funem,
Avolsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prœlia poscit;
Obvia multa virum demittit corpora morti.
Tum levis haud ultra latebras jam quærit imago,
Sed sublime volans nubi se inmiscuit atræ:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis,
Et duplicis cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti, et talis voluisti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet?
Laurentisne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virum, qui me meaque arma secuti?
Quosne (nefas) omnis infanda in morte reliqui?
Et nunc palantis video, gemitumque cadentum

mente *sonum*." 641. *figuras*, εἴδωλα. 648. *turbidus*, tumens, elatus arrogantia, inquit Serv. Perturbatur scilicet mens superbientis tumore, ira, spe, metu. 652. nec sentit et intelligit, suam exultationem esse inanem. Loquendi ratio poëtis non infrequens. Nisi mavis gaudia esse dicta pro ipso simulacro, quod nunc a se ferro attingi posse gaudebat.

653 Stabat forte navis ita admota littori saxoso, ut pons applicitus esset. *crepido saxi*, ornate de littore, quatenus eminet. *rex*, ex more veteris ævi pro viro ex principibus: aut fac fuisse Lartem Clusinorum sub Massico duce totius agminis. cf. v. 166. 660. *æquora revoluta*, de fluctuum recessu, refluxu, a littore accipio.

666 *ingratus salutis* ad Græcum morem ἀχάριστος σωτηρίας sc. ἕνεκα: quod ad salutem, vitam servatam, attinet. Sic paullo ante, *veri venæ*. 668. Vir fortis fugæ flagitium appellat *crimen* et *pœnam*. Tota oratio gravissima et affectus plena. 678.

Adcipio. Quid ago? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos o potius miserescite, venti,
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, sævisque vadis inmittite Syrtis,
Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc;
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, et crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an jaciat mediis, et litora nando
Curva petat, Teucrumque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxuma Juno
Continuit; juvenemque animi miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque æstuque secundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantis.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille; velut rupes, vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque,
Ipsa inmota manens; prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem:
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam: poplite Palmum

Quosne docte pro eosne? 675. 676. In pudore sollenne hoc jam Homero τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθὼν, nec argutandum in eo quod nunc mari fertur. conf. sup. ad IV. 24. 678. immittite navem in vada Syrtis, in Syrtin vadosam. 681. Sollenne est poëtis: *induere se telo* et *in telum*, mucrone infixo et visceribus recepto, ut corpore quasi condatur et tegatur. 683. *fluctibus*, in medios fl. an in medium, h. altum mare se jaciat. 686. *animi miserata:* miserata animum, dolorem animi; nam ordo est: *juvenem repressit, miserata* (eum) *animi*. 687. *æstu*; an h. l. vento? usu tamen grammatico *fluctus* est ex vento; *æstus*, motus maris ex natura sua. Erit ergo *æstus secundus* h. l. qui non in altum abripiebat, sed littori admovebat navem. 688. *urbem*, Ardeam.

689 *Jovis monitis*, impulsu. cf. sup. IX. 184. 185. adde Servium, qui multa argutatur super viro impio a Jove monito. Atqui antiquiores poëtæ multa impia et scelesta, intercedente deorum opera, facta narrant: cum id solum reputarent, ut rei miræ et insolitæ caussa et auctor inventus esset. 691. Tyrrheni in Ænea acie, qui sub Tarchonte tenebantur, agmine in Mezentium incurrunt. Ex iisdem sunt, qui v. 696—699. occiduntur. 693. *velut rupes* Iliad. ο, 618. sqq. sed majore cum ornatu. cf. sup. VII. 586. sqq.

702—706 Mimas Amyci et Theanus filius

Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso
Donat habere humeris, et vertice figere cristas.
Nec non Euanthem Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqualem comitemque: una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face prægnans
Cisseis regina Parin: Paris urbe paterna
Occubat; ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosve palus Laurentia, silva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus;
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant:
Ille autem inpavidus partes cunctatur in omnis,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Graius homo; infectos linquens profugus hymenæos:
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactæ conjugis ostro;
Inpastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans;
Suadet enim vesana fames; si forte fugacem

eadem nocte natus, qua Paris ab Hecuba: Commentum poëtæ ad variandam narrationem: quale ap. Homerum de Hectore et Polydamante Iliad. σ, 251. 704. *face prægnans Cisseis* vid. sup. VII. 319. 320. 706. *ignarum* h. l. pro ignotum; passive. ut et alibi in poëtis v. c. Ovid. Met. VII. 404. *Jamque aderat Theseus proles ignara parenti.* Eadem nocte, sed dispari fato nati sunt. Alter in patria occubuit, alter in terra longinqua ignotus jacet. conf. Guell. IX. 12. f. Quod si vetus hæc auctoritas non esset, mallem dicere, *ignarum* esse fati sui, uti quoque Serv. 712. 713. *irasci* de virtute et audacia pugnantium, quæ facit, ut cominus congrediantur vel cum vitæ periculo. In 716. *est iræ* poëta primus notavit, pro vulgari, esse odio.

719 *Corythi fines.* Cortona. *Graius homo.* In hoc aut eandem fabulosam a Corytho Cortonæ originem respexit poëta, aut id, quod a Dionysio nobis servatum est, Cortonam, Umbrorum urbem, captam et habitatam a Pelasgis, qui in societatem belli cum Aboriginibus venerant, atque antiquam formam usque ad paucos ante eam ætatem annos servasse. 721. *miscentem*, perturbantem: non aliter; ἀλοιτοῦλα redditum puta. 722. quæsito artificio omnia dicta sunt, pro: gestantem purpuream cristam et vestem a sponsa textam.

723—729 Egregie varia comparatio,

Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum;
Gaudet, hians inmane, comasque adrexit, et hæret
Visceribus super incumbens; lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta cæcum dare cuspide volnus:
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus et hasta:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant socii lætum pæana secuti.
Ille autem exspirans: Non me, quicumque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere; te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere. Ast de me divom pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen;

cui similem jam sup. IX. 339. sq. vidimus. *peragrans stabula impastus*, circumiens jejunus, qui frustra stabula lustravit. *stabula alta*: epitheton parietes nimis altos declarat, quam ut saltu leo superare possit. *surgentem in cornua c.* Notio per se obvia est; ferentem cornua ardua, ut fere lib. I. 189. 190. Dictum arbitror pro; surgere: eminere, erigere se, cornibus; sed plus ἐναργείας habet, erigere se in cornua: ut arbor surgit in ramos, mons in cacumen. 727. *improba*, immodicæ voracitatis. 731. *infracta tela* sunt fracta. Sæpe vero hasta in vulnus adacta in ipso ferro, qua ligno vinctum est, infringitur ipso hastilis pondere.

732 *fugientem*. aversum: ut tergum petere posset hasta. Bene Serv. monet, non h. l. ignavi hominis fugam esse, sed necessitate factam. Firmat hoc quod sequitur: *seque viro vir contulit*, et v. 732. Accipio fugere simpl. pro, ante alterum incedere. *cæcum vulnus*, quod averso infligitur adeoque non prævisum. 734. 735. Mezentius indignum viro forti arbitratus a tergo hostem cædere, eum cursu antevertit, tunc conversus adverso ore in eum processit. *furto*; non dolo ac fraude præstantior vir. 736. *abjectum*, h. l. prostratum. 738. *Conclamant secuti* jung. 739. affectus plena hæc morientis verba! et quanta ferocia Mezentii! sed viro forti digna. In utroque Homerus peccavit in Hectore et Achille Iliad. χ, 358—366. et in Sarpedone et Hectore Iliad. π, 851—861. 741. hoc eodem solo prosternere. 743. *Ast de me d. p.* ex vulgari loquendi ratione eorum, qui aliquid curare se nolle dicunt, de eo dii viderint, diis hæc permissa sunto.

Partheniumque Rapo et prædurum viribus Orsen;
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten;
Illum infrenis equi labsu tellure jacentem,
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealcen,
Insignis jaculo et longe fallente sagitta.
Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors
Funera; cædebant pariter pariterque ruebant
Victores victique; neque his fuga nota, neque illis.
DI Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores;
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Juno:
Pallida Tisiphone media inter millia sævit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut, summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet inperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastæ:

747 seq. Latina nomina Latinos, Græca Trojanos, designare videntur. 754. *longe fallente sagitta*, feriente e longinquo incautum. v. sup. IX. 572.

755—832 Locus de pugna Æneæ cum Mezentio, interventu Lausi intercepta, et Lausi morte. Comparant Iliad. λ, 70. seq. 758. *iram inanem*, qua neutra acies proficiebat quicquam; neutra enim alteram impellere poterat. Tum inflexit orationem, pro vulgari: miserantur iram et labores tantos eorum. 760. Nominat inter cæteros deos duas deas, quibus potissimum pugnæ exitus cordi esset. Quod vero sequitur de Furia, ad ipsam aciem spectat. Est enim veterum poëtarum phantasma hoc: Ἔρις, Ἐνυὼ, Κῆρες, inter acies pugnantium volitans. Ut unum exemplum memorem, cf. Hesiod. Scut. 248. sq.

763 *Turbidus*: quod alias sæviens, furens: ingreditur tam magnus, *quam magnus Orion humero s. u. cum p. i.* Nota est prodigiosa Orionis proceritas et per mare incessus. Nata fabula a sidere hujus nominis ejusque ortu. Orion oriens ἀπ' Ὠκεανῶ πόδας ἴσχει ut rem Theoc. effert VII. Idyll. 54. Ad Polyphemi staturam corporis idem transtulerat Maro sup. III. 664. 665. *Nerei stagna* supra ad lib. I. 126. 766. 767. *Aut* (cum) *ingreditur* —Etiam Homerus Orionem venatorem exhibet in Necyia Od. λ, 571. 771. *mole sua stat* sumtum a rupe, quæ suo pondere librata firmum situm habet. De magnæ molis homine stante nescio quam bene dicatur.

Dextra, mihi deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint: voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropæum
Æneæ. Dixit; stridentemque eminus hastam
Injicit: illa volans clipeo est excussa, proculque
Egregium Antorem latus inter et ilia figit:
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Evandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno volnere, cœlumque
Adspicit, et dulcis moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Æneas hastam jacit: illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit a femine, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus; lacrimæque per ora volutæ.
Hic mortis duræ casum, tuaque optuma facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus
Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat.
Prorupit juvenis, seseque inmiscuit armis;
Jamque adsurgentis dextra plagamque ferentis

775. Cum alii tropæa in deorum honorem consecrent: Mezentius vovet, se armis induturum esse Lausum filium, ut adeo ille tamquam tropæum adstet.

777. 778 Intelligo hastam, magna vi actam, superficiem convexam clipei (quem divina arte factum, Ἡφαιστότευκτον, memineris) tantum strinxisse, hinc resiliisse, transversim actam, et in Antorem adstantem aberrasse. 779. *missus*, profectus, ut bene Serv. conf. VI. 812. 813. 781. 782. Versus dulcissimi. *alieno vulnere*, quod Silius VIII. 630. *telo non in sua vulnera misso.*

783 seq. Homeri vestigia jam veteres hic agnoverunt Iliad. γ, 355. seqq. 361. sq. Clipeus Mezentii septemplex fuit; ex triplici ære, ex tegumento lineo, triplicique corio taurino compactus; *tribus tauris:* coriis taurinis.

791 Observandus locus etiam propterea, quod poëta epicus suam ipse personam prodit et interponit; nec indecore aut absurde; advertit enim animum lectoris, dum ipse poëta miseratione contactum se significat. 792. *Si qua vetustas:* pro posteritate dicta esse debet. Si qua serior ætas fidem habebit tantæ Lausi pietati et virtuti. *opus* pro facinore. 794. *inutilis*, vulnere debilitatus: *illigatus* sc. hastæ, quæ clipeo transfixo in inguen penetrarat. At Æneas vs. 797. *assurgit dextra*, insurgit ad ictum ense inferendum, manu elevata ac reducta.

Æneæ subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit; socii magno clamore sequuntur:
Dum genitor nati parma protectus abiret; vid: Pyth: VI. v. 26
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Æneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola; et tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris; ut possint, sole reducto,
Exercere diem: Sic obrutus undique telis
Æneas nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet, et Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens; sævæ jamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro;
Inplevitque sinum sanguis: tum vita per auras
Concessit mæsta ad Manis, corpusque reliquit.
At vero ut voltum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:

802 *tectus tenet se:* sub clipeo, quo missilia excipit. Sic sup. X. 412. *seque in sua colligit arma.* conf. Iliad. v, 405. 803. præclara comparatio: nec Homero quicquam in ea debet Virgilius. *diffugit*, aoristo modo ut toties. 805. 806. *tuta arce*, latebris, refugio, cavo ripæ vel antro. 807. 808. *exercere diem* opere faciendo: exquisite, pro, exercendo opere transigere diem: ut noctem producere cœna, extendere sermone; diem fatigare remigio sup. VIII. 94. ubi vid. Not. 809. *nubem belli*, de pugnæ mole et h. l. de telorum multitudine accipe. Bene Serv. "Bellantium impetum sustinet, donec deferbeat."

814. 815 *Parcæ fila legunt.* "Proprium, inquit Servius, fuerat, *rumpunt.*" Leguntur, puto, inter nendum fila, dum in fusum colliguntur, h. dum lana e colo in filum ducta in fuso glomeratur. Quod si itaque Parcæ *fila extrema* ducunt, nent, etiam ea *legere* recte dicuntur, colligere, ut penso absoluto ea rumpant. 817. *transiit et parmam*—describit nunc tanti vulneris modum disertius. *minacis* pro, ejus sc. Lausi. 818. Decens in Etrusco juvene vestis auro texta; quod vestimenti genus frequentatum Etruscis fuisse constat. 819. 820. *per auras, ad Manes*, sunt Homerica: Iliad. π, 856. 857. nihil amplius, nec in his oppositis argutandum. *Vita* pro anima, ψυχή.

821 seq. Ad miserationem egregie facit ipsa Æneæ miseratio, et respectus Ascanii, et in alterius fortuna cogitatio de casu, qui

Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit;
Et mentem patriæ strinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;
Æneæ magni dextra cadis. Increpat ultro
Cunctantis socios, et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comtos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Volnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris adclinis trunco. Procul ærea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum juvenes; ipse æger, anhelans,
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam;
Multa super Lauso rogitat, multumque remittit,
Qui revocent, mæstique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti volnere victum.
Adgnovit longe gemitum præsaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad cœlum tendit palmas, et corpore inhæret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ,

sibi accidere posset. 824. *patriæ pietatis imago*, amoris sui in Ascanium recordatio: et quem ipse dolorem suscepturus sit in simili casu. Ea, quæ *recordamur*, poëtæ per *imaginem* efferre licet animo objectam v. sup. ad IX. 294. 825. *pro laudibus istis*, ista virtute. h. l. virtus, qua, ut patrem servaret, ipse vitæ discrimen adiit. 827. *Arma habe tua*. Magnus scilicet honos in illo ævo habitus, si victum victor non spoliaret. 827. 828. *te remitto parentum manibus et cineri* h. e. ad sepulcrum patrium, ut te inferant; *si qua est ea cura*, simplicissimum est, sive ad ipsum Lausum cæsum hæc inter cætera referre: si modo tu hoc curas, si sensum hujus rei habes; sive ad eos, quorum ea cura esse debebat: ut sit: remitto te iis, quibus ea cura est; h. e. quibus id curæ est, ut te recipiant. 832. *comtos de more* Etruscorum.

834. *volnera siccabat lymphis*, sanguinem sistebat frigida aqua. 835. "*Procul*, modo juxta, ut Ecl. VI. 16." Servius non male. Eidem videtur novasse h. l. poëta *adclinis* et *propexam barbam*: equidem novatum dicerem primo loco *quiescunt*, jacent, de armis, seu clipeo. 838. *Colla fovet*: sustinet caput arboris trunco. *fusus barbam*, habens barbam, eamque propexam, fusam in pectus, non otiosum est, sed ad ἐναργειαν narrationis requirebatur, dum ad truncum acclinatus capite demisso, recubat. *in pectore*, pro in pectus, antique.

841 *super arma*, super clipeo, ut facile assequeris. 847. *hostili succedere dextræ*.

Quem genui? Tuane hæc genitor per volnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exilium infelix! nunc alte volnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriæ pœnas odiisque meorum:
Omnis per mortes animam sontem ipse dedissem!
Nunc vivo! neque adhuc homines lucemque relinquo!
Sed linquam. Simul hoc dicens adtollit in ægrum
Se femur; et, quamquam vis alto volnere tardat,
Haud dejectus, equum duci jubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus. Adloquitur mærentem, et talibus infit:
Rhœbe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo
Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acutis;
Ære caput fulgens, cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit. Æstuat ingens
Uno in corde pudor mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus:

sup. vss. 797. 798. Æneæ manum ad ictum patri inferendum sublatam subierat Lausus et vulnus moratus fuerat, dum pater asportaretur: nunc *succedere dextræ*, est dextram h. e. vulnus excipere alterius loco. 848. *tua per vulnera*, pro vulnere. 850. *Exilium* præclare memorat; hoc enim primum erat, quod in Mezentii fortuna occurrere poëtæ animo debuit, eum regno pulsum exulare. 850. *nunc alte v.*; loquitur de proprio vulnere. 851. *crimine*, criminatione et odio; te infamem et odiosum feci meis sceleribus. 853. 854. *Debueram*, si debebam pœnam civibus meis; si merebar mortem: utinam ipse vitam, vel omnibus suppliciis expulsam, reddidissem superstite te! At nunc vivo, te erepto!

857 *vis alto vulnere tardat*: h. vis ademta, virium defectus, per altum vulnus, tardat. *Haud dejectus*, animo haud dejecto. 860. sqq. Displicuit hæc ad equum suum Mezentii oratio venustioribus nostra ætate. Sed in naturæ humanæ indole hoc ipsum videtur alte insitum esse, ut cum iis ipsis animantibus, quibus diu adsuevimus, tamquam cum familiaribus et sodalibus agamus et confabulemur. 861. *res si qua diu mortalibus ulla est*. scil. in fluxa hac rerum conditione. Gravis sententia et h. l. affectus plena. 863. *Lausi dolorum*, ex Lausi cæde. 867. sqq. ad ἐνάργειαν a poëta subjecta sunt, ut Mezentii imago sensibus nostris alte insideat.

871 Pudor, furor, luctus, una et conjunctim (hoc enim est *uno in corde*, si poëtice

Atque hic Æneam magna ter voce vocavit.
Æneas agnovit enim, lætusque precatur:
Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, et infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me, erepto, sævissime, nato,
Terres? hæc via sola fuit, qua perdere posses.
Nec mortem horremus, nec divom parcimus ulli.
Desine. Jam venio moriturus, et hæc tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem;
Inde aliud super atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum adstantem lævos equitavit in orbis,
Tela manu jaciens; ter secum Troïus heros
Inmanem ærato circumfert tegmine silvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, et urguetur pugna congressus iniqua:
Multa movens animo, jam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se adrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cœlum Troëque Latinique.

hoc extuleris) cum inflammant. 874. *agnovit enim*, utique; δὴ γάρτοι; enimvero. 875. Faxint vero dii, ut tecum congredi liceat! *altus* Apollo est magnus, ut jam aliquoties novavit Maro. 877. *subit* h. l. simpl. it, occurrit. *hæc via sola fuit, qua perdere posses*, sc. nato erepto, filii morte. 880. *nec divum parcimus ulli*; ut ab eo auxilium expectemus. *parcere*, pro vereri, metuere, adeoque omnino *curare*. 881. *Desine* terrere. 885. Lævam in partem non modo ob naturalem equi flexum in lævum, sed ideo maxime equitabat, ut, ipse læva clipeo tectus, et dextra expedita, Æneæ, qui ei semper a læva in interiore gyri orbe stabat, dextrum latus peteret, quod a clipeo tectum non erat. Sed Æneas clipeum circumfert, et hunc quidem 887. oneratum infixis hastis: is exceperat et sustinuerat tela.

889 *pugna iniqua*, contra equitem ipse pedes. 892—894. Quod natura in tali vulnere fert poëtam scripsisse probabile fit. Igitur equus primum prioribus cruribus elevatus se erigit: simul præ dolore calcibus calcitrat; sic eques effunditur, et h. l. quidem *in latus* (non in caput, nec resupinus; neutrum reliqua admittunt); mox ipse equus in caput procumbit, et, armo suo, incumbit prostrato Mezentio. Sic mihi videntur singula esse tenenda, ut locus expediatur. *tollit se arrectum*, prioribus pedibus erectis haud dubie; conf. inf. XI. 637. 638. 639. inter multa inania Cerda laudavit Livii locum VIII. 7. *Siculum inter aures equi fixit* etc. Adde Silium lib. IX. 594. sqq. *calcibus* de posterioribus pedibus accipio: quis enim neget equi naturam sic ferre, ut præ dolore calcitret? *Implicat*: hoc ipse poëta dilucidat: *cernuus incumbit armo* suo equus (quis enim aliter accipiat?) domino *ejecto*: quippe qui

Advolat Æneas, vaginaque eripit ensem,
Et super hæc: Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas; nec sic ad prœlia veni;
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem;
Et me consortem nati concede sepulcro.
Hæc loquitur, juguloque haud inscius adcipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

ad latus equi excidérat. *cernuus* proprie de præcipitato, qui *κυβιςᾶ*. 895. *incendunt* pro *implent*. *incendere* poëtis est augere, magnum facere quid. Inde dicitur aliquis *incendere clamorem in aëre*, *cælo*, h. magnum clamorem movere. Sic *incendere luctum* sup. IX. 500. ubi cf. notam; *vires* V. 455. Jam poëta hoc ipsum doctius transfert ad cœlum, quod hactenus proprie adeo incendi dici potest quatenus res, magno motu accepto, omnino *incalescunt*, *fervent*. Hinc *fora fervent clamoribus*, *theatra strepitu*. 899. *hausit cœlum*, s. hausit oculis, quod malim; seu cœlum pro aura, anima, quam recepit. Sic expeditius esset forte jungere: *auras hausit*, *suspiciens cœlum*: nisi oratio sic nimis tenuis efficitur pro epico carmine. 901. 902. Interfice me: mortem non deprecor. Hoc sic extulit poëta: Non erit crimini me interfecisse, *nullum in cæde nefas; nec sic—Lausus* sc. ut ne me interficeres, aut ut ego mortem deprecarer. Imo vero, dum superstes Lauso esse non sustinet, mori decreverat. *nec tecum* h. nec Lauso a te caeso pugnae hæc conditio nobis proposita est.

903 *Per, si qua est venia*: ex more in precum formulis; pro: *per veniam, si qua est. venia*, gratia, beneficium, ut jam alibi vidimus. 905. *defende f.* propulsa (ut jam toties sic ex ἀμυνῖν) odia et iras, quominus corpus meum insepultum abjiciant et male mulcent. 906. *Et me c.* pro vulgari oratione *consortem sepulcri nato* posuit exquisitius. In toto hoc de Lausi et Mezentii morte loco se ipsum superasse poëtam tragico affectu et carminis dignitate epica fatendum est.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Occiso Mezentio victor Æneas Marti tropæum erigit: Pallantis mortui corpus magno pompæ apparatu ad Evandri urbem remittit: ubi summo et patris et suorum omnium luctu excipitur—99. Interim oratores a Latinis missi dierum duodecim inducias impetrant: quo temporis spatio utrique suorum cadavera perquirunt, supremoque sepulturæ honore prosequuntur—224. Eodem quoque tempore Venulus, quem sub belli initium legatum ad Diomedem miserant Latini, ad suos rediens auxilia sibi denegata renuntiat—295. Ea spe destitutus Latinus, consilio convocato de summa belli consultat, legatosque de pacis conditionibus ad Æneam mittendos censet—335. Ibi Drances et Turnus pro inveterato inter ipsos odio se mutuis conviciis proscindunt—444. Interim Æneas, bipartito divisis copiis, levis armaturæ equites planis itineribus ad urbem præmittit: ipse cum reliquo exercitu per loca silvis montibusque impedita ad editiorem oppidi partem contendit. Cujus rei nuntio Laurentum perlato consilium dimittitur: paranturque ea quæ ad urbis defensionem putantur pertinere—465. Turnus cognito per exploratores Æneæ consilio bifariam et ipse suas copias partitur: equitibus Messapum et Camillam præficit, eosque hostium equitibus opponit; ipse cum peditibus angustias, qua necessario Æneæ ad urbem iter erat, breviori itinere occupat, atque ibi in insidiis subsistit—531. Interponitur episodium de Camilla—596. Interim equestre prælium committitur, diuque dubio utrimque eventu pugnatur—647. Ibi Camilla, magna prius edita hostium strage, dum Chloreum, Cybeles sacerdotem, armorum ejus pulchritudine capta, incautius sequitur, ex insidiis ab Arunte hasta trajicitur—835. Quam tamen sacræ virginis cædem Aruns non diu tulit insultam: nam et ipse paullo post ab Opi, Dianæ ministra, sagitta trajectus offensi numinis pœnas persolvit—867. Camillæ nece consternati Rutuli fugam arripiunt: Trojani urbis oppugnationem parant—895. Ejus calamitatis nuntio ab Acca, Camillæ comite, ad Turnum perlato, relictis quas obsederat angustiis, suis auxilio accurrit. Eodem subsequitur et Æneas; et, quoniam imminente jam nocte prælium committi non poterat, utrique positis ante urbem castris considunt—*ad fin.*

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Æneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est,

1 Altero mane post superioris diei pugnam, cujus exitum non diserte memoravit, sed Mezentii cæde territos Rutulos in fugam se dedisse facile unusquisque assequitur.

Vota deum primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
MezentI ducis exuvias; tibi, magne, tropæum,
Bellipotens; aptat rorantis sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clipeumque ex ære sinistræ
Subligat atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantis:
Maxima res effecta, viri; timor omnis abesto,
Quod superest; hæc sunt spolia, et de rege superbo
Primitiæ; manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe præsumite bellum;
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Adnuerint superi, pubemque educere castris,
Inpediat, segnisve metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait; egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus; mæstamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas; quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Sic ait inlacrimans recipitque ad limina gressum:

2. 3 *curæ præcipitant*, potentius quam, urgent, premunt, ut impenderet tempus humationi cæsorum militum. *funere*, dolore ex funeribus suorum, inprimis Pallantis. 4. *Eoo*, Lucifero, ut sup. III. 588. Ad religionem autem Æneæ hoc spectat, quod ante omnia persolvit diis vota *(vota deorum)*, et nunc quidem tropæo in Martis honorem constituto. 6. *tumulo*, seu eminentiore loco, seu terra aggesta. 9. *Tela trunca viri*, fractas Mezentii hastas. *bis sex*; ad fastidium argutantur intpp. Illata fuere vulnera per totam pugnam. v. sup. X. 691. 692. 715. 716.

14. 15. 16 Similis oratio Achillis victo Hectore Iliad. χ, 391—394. ubi Ἡράμεθα μέγα κῦδος quod hic *Maxima res effecta*, simpl. pro magna res peracta. *Primitiæ* sc. vel belli, vel spoliorum, τὰ ἀκροθίνια: ut poëtice ornaverit rem et propria et exquisita voce. *de rege s.*, Mezentio, non Turno. 16. et mea virtute de Mezentio nihil superest quam hoc tropæum, hæc ejus arma trunco imposita. 19. *ubi primum vellere signa Annuerint superi.* Verba Romana: et captis auguriis id fieri solitum: sed hic poëta ornatus causa tantum posuisse videri debet: cum primum licebit agmen ducere: 21. *sententia*, sensus animi, *segnis*, pro segnitie, cunctatione; quod adjuncta efficiunt: *segnis metu* et *tardet*. 25. *hanc patriam* novas sedes in Latio.

29 *ad limina*, in receptis castris seu nova

Corpus ubi exanimi positum Pallantis Accetes
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit; sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulumque manus Trojanaque turba
Et mæstum Iliades crinem de more solutæ.
Ut vero Æneas foribus sese intulit altis:
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mæstoque inmugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, lævique patens in pectore volnus
Cuspidis Ausoniæ, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam: cum me conplexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acris esse viros, cum dura prœlia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis.
Nos juvenem exanimum, et nil jam cœlestibus ullis
Debentem, vano mœsti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?
Hæc mea magna fides? At non, Evandre, pudendis

Troja. *Uli*, in vestibulo ex more. 32. *Armiger*, ὑπάσπιστης, ut jam supra, et *comes* Satellitium. 35. *Iliades*, matronæ Trojanæ. Mos autem perpetuus veteris ævi, ut lamenta super mortuo facerent feminæ; idem mos barbarorum ac ferorum populorum. 36. sqq. Ad naturæ veritatem hoc, quod Æneæ adventu renovatur luctus. 40. *lævi*, pulcro, puerili: nondum setoso, ait Serv. Malim de loto et a cruore purgato accipere. *Mitteret in magnum imperium*, respectu puto fatorum et vaticiniorum de initiis potentis imperii, quod in Italia conditurus esset Æneas. Sollenne vero nostro poëtæ, ut ex hac ipsa prædictione petat ea, quæ ad amplificandam rerum tenuitatem vim habere possint; ut paulo ante: *Invidit Fortuna mihi, ne regna videres*. Igitur nunc pro vulgari: mittere ad debellandos Latinos et novas sedes in Latio parandas. 51. *nil jam cœlestibus ullis Debentem*. Animose dictum! Referendum autem ad v. 50. *vota facit c. a. donis* atque hinc illustrandum. Qui vota facit, *debere* dicitur *diis*, si rata sunt; sin irrita sunt, nihil debet. Adeo juveni justa persolvimus, pro quo vota ab Evandro patre frustra suscepta fuere, et quem dii salvum et incolumem esse noluere. *vano* hactenus, quod eo mortuus in vitam non revocatur. Sic VI. 806. *inane munus*. 54. *Hi nostri reditus*, a nobis promissi. Et

Volneribus pulsum adspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis; solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii cratis et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi;
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit;
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tunc geminas vestis, auroque ostroque rigentis,
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro:
Harum unam juveni supremum mæstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu:
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos, et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam;

sequitur: *Hæc mea magna fides? At non pulendis* (sed pulcris, et honestis, adverso corpore; cf. Iliad. ν, 288. sq.) *Vulneribus pulsum*; πληγήν, percussum. 56. *sospite —nato* scil. cum infamia, turpi fuga e pugna servato: cujus dedecoris dolore exardescens pater infaustus sibi mortem, *dirum funus*, optat.

66 *obtentu frondis*, obtentis frondibus ac ramis, qui umbram desuper corpori facerent.

68—71 Obvia comparatio et multis frequentata ac variata (cf. sup. IX. 435—437.) sed h. l. suavissima, ornamentorum copia et dilectu: *virgineo* pollice, florem, *seu—seu—*, et qui nondum marcidus elanguit: *Cui neque—recessit:* nec tamen pristino vigore nitet: *Non jam mater.* 73—75. Magistro Homero hoc didicit Maro: commendare rem seu artificis auctoritate, seu muneris auctore. *læta laborum*, adeoque illa sibi placens in opera sua et operis successu: quo ipso intelligitur præclari fuisse artificii opus. 77. *obnubit:* sc. altera veste caput velavit; videtur et hoc ad religionem pertinuisse, cum Manibus et diis inferis nunc consecratus esset Pallas. 81. De juvenibus his, quos inferiis

Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Accœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur et toto projectus corpore terræ.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus
Victor habet. Tum mæsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve æternum mihi, maxume Palla,
Æternumque vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ;
Nullum cum victis certamen et æthere cassis;
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantis,
Prosequitur venia, et verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Inplicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte perentis

destinaverat, v. sup. ad X. 518—520. 82. *cæso sanguine* audacter pro, cæsorum, ut ibidem: *captivo sanguine*. 83. 84. Fercula describit in triumphis gestari solita humeris: arma cæsorum truncis infixa vel perticis, cum titulis, seu nominibus eorum, quorum arma fuerant. 87. *Sternitur et*; pro, nunc —*nunc* stratus et projectus humi. 88. *currus* acciperem Pallantis currum, quo in pugna usus erat, nisi navibus venisset et statim unus equus subjiceretur; nunc hosti erepti currus intelligendi; cf. lib. X. 399. etc. 91. *nam cetera Turnus victor habet*. Supra X. 496. sq. balteum tantum commemoraverat, e quo ensis pendere debuit. Reliqua tum subticuit. 93. *versis armis* h. hastis.

96 *Nos alias hinc—vocant*. Egregie hæc ad effectus et ad rerum veritatem; idemque cum sapientiæ præceptis conjunctissimum; obtemperandum est naturæ in gravi casu; est flendum, elugendum; tum animo composito ad vitæ officia redeundum. 101. *Velati* ἐστεμμένοι, gestantes ramos vittatos manibus. vide ad lib. II. 249. V. 72. 366. VII. 154.

Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero; rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Æquius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Adparat: his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris subponite civibus ignem.
Dixerat Æneas. Olli obstupuere silentes;
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
Infensus juveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Justitiæne prius mirer, belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem:
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi. Quærat sibi fœdera Turnus.
Quin et fatalis murorum adtollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et, pace sequestra,
Per silvas Teucri, mixtique inpune Latini,
Erravere jugis. Ferro sonat icta bipenni
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinus;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,

237. 101. 102. *veniam* sc. hanc, ut redderet; mox *pacem*, indulgentiam, concessionem. 112. *Nec veni*, pro venissem; οὐδ' ἦλθον ἄν, εἰ μὴ. 115. *huic se opponere morti*; se objicere, periculum mortis subire. *huic*; qua hi cæsi occubuerunt. At ille videri tum poterat navi aufugisse sup. X. 665. sq.

121 *Conversi—tenebant*: pro vulgari conversos oculos. 122. *et crimine*, crimen pro criminatione. 124. *armis* pro factis, rebus gestis. 130. 131. Quin nos parati sumus in extruenda urbe fatis tibi in Latio destinata ipsi operas nostras adjungere. 133. *pace sequestra* h. induciarum fide et auctoritate. *Sequester*, seu medius et arbiter inter duo litigantes, fidem facit ejus, de quo convenitur vel ejus arbitrio constituitur. *pax*, pactio, tutos præstabat h. l. et Latinos et Trojanos, ut permixti discurrerent. Numerum XII dierum ab Homero arripuit Iliad. ω, nec aliud quid quærendum. 134. *Per silvas*; itidem ut Iliad. τ, 419. 135. sqq. Similia sup. lib. VI. 180. sq. 137. *olentem cedrum*, odoratam.

Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam Fama volans, tanti prænuntia luctus,
Evandrum Evandrique domos et mœnia conplet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces. Lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt
Agmina. Quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque hæret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti.
Cautius ut sævo velles te credere Marti!
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis miseræ! bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita deorum
Vota precesque meæ! tuque, o sanctissima conjunx,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret!

142. 143 Refert h. l. poëta ingeniose ad veterem Arcadum morem, quod Romanis sollenne erat, ut facibus et cereis accensis pompam funebrem ad rogum ducerent. Omnino nocturno tempore exequias facere mos erat: quod tamen in nobilium funeribus non æque obtinuisse inde colligas, quod pro rostris laudationes habebantur. Cum facibus forte etiam mos fuit, ut obviam progrederentur mortuis, qui ex præliis reportabantur. 146. *succedere tectis* h. l. ingredi urbem. 147. *incendunt clamoribus urbem*, clamores per urbem. v. ad X. 895.

152. 153 Turbata oratio dolore loquentis. Si vera est lectio, ita, ut fecimus, interpungenda, et sic explenda est: Non hoc promiseras mihi in discessu! *ut velles*, utinam voluisses, *credere te Marti*, pugnæ, periculo, *cautius!* Etiam id sqq. sententiæ abruptæ dolorem acuunt. 156. *Primitiæ juvenis*, juvenilis virtutis, factorum. *belli propinqui*, finitimi: ac nimium vicini, quo Pallas mitti posset: 160. *vivendo vici mea fata*; simpl. accipio: vitam protraxi longius quam natura ferre videbatur, mihique adeo ipse supervixi, ut pater superstes essem nato! *fata* pro morte, quam ex naturæ lege jam dudum subire debuisset, ætate adeo provecta. 162.

Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec, quas
Junximus hospitio, dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ. Quod si inmatura manebat
Mors natum: cæsis Volscorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Æneas, et quam magni Phryges, et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc stares inmanis truncus in armis:
Esset par ætas, et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, et hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera caussa tua est; Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. Non vitæ gaudia quæro;
Nec fas; sed nato Manis perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarcho

Obruerent; utinam me ipsum obruissent! 166. *Quod si.* Si tamen. Solari se ipsum incipit. 167. *Volscorum:* ut poëta, omnino pro hostibus dixit: nam Rutulis et Latinis aderant Volsci, duce Camilla: *juvabit*, juvato, solatio esto, filium non cecidisse nisi aditu jam Teucris in Latium patefacto: sc. per prælium secundum.

172 Obscura est hujus versus sententia. Ratio quidem grammatica sic accipere jubet: Nihil se honori funebri, quem Trojani nato persolverant, addere posse. Spolia et exuvias eorum, quos Pallas interemerat, esse pro maximis decoribus. Illi, inquit, quos tua dextera, o Palla, leto *dat*, dedit, *ferunt magna tropæa* tibi, afferunt; tropæa magna ducuntur in pompa funebri, eorum, qui a filio meo cæsi fuere. v. sup. 83. 84. Est alius modus, isque melior, si ita verba jungas: *magna tropæa ferunt* (sc. Troes et Tyrrheni, eorum) *quos dat*, dedit, *tua dextera leto.* Ait Evander, insignius se funus filio parare haud posse, quam hoc ipsum quod ducitur, spoliis hostium cæsorum tamquam pompa funebri ductis: quibus accessuræ fuissent Turni exuviæ, si Pallantis vires animum æquassent. 173. atque etiam tu esses tropæum, s. truncus armis indutus, Turne: pro, tropæum de te esset factum, si fuisset par ætas et robur Pallanti.

175 Quid vos retineo a bello prosequendo? 177. Vitam mihi adeo invisam esse necesse est, ut eam quocunque modo abrumpam. Ut tamen eam tolerem, caussa est *dextera tua;* spes de virtute tua, qua Turni cæde Pallantis mei mortem ex ulturus. Hanc dextram, hanc ultionem debes patri filioque. 179. 180. *Tibi fortunæque hic solus locus vacat meritis:* ad meritum, ut de me mereamini. Hæc una ratio est, qua et mereri de me et fortunæ ego aliquid debere possim. 181. *sed quæro*, in votis habeo, *nato perferre*, nuntiare (hoc, de Turno sumtam esse pœnam), *Manes sub imos:* nimirum in morte; quam sibi brevi obeundam esse auguratur.

182 *miseris*, δειλοῖσι βροτοῖσι, alias generaliore epitheto, nunc propio, serumnosis, sc.

Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum; subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum adcensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos; ter mæstum funeris ignem
Lustravere in equis; ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma.
It cælo clamorque virum clangorque tubarum.
Hinc alia spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni; galeas, ensisque decoros,
Frenaque ferventisque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos, et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti;
Sætigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes. Tum litore toto
Ardentis spectant socios, semiustaque servant
Busta; neque avelli possunt; nox humida donec
Invertit cœlum stellis fulgentibus aptum.
  Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, et corpora partim
Multa virum terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt;
Cetera, confusæque ingentem cædis acervum
Nec numero nec honore, cremant; tunc undique vasti

propter hoc, quod sequitur: *referens* iis *opera atque labores*. 184. In seqq. ritus funebres ævi heroici expressit. 186. *ignibus atris* propter fumum, non aliter; patet ex altero versu, ubi *caliginem* vocat. 188. Vi oppositi *decurrere* ad pedites spectare videtur. 191. Non visum est fidem excedere hoc *humectari humum lacrimis*. Ex Iliad. ψ, 15. Δεύοντο ψάμαθοι, δεύοντο τεύχεα φωτῶν. 192. *clangor tubarum*. Tubas ex suo ævo adscivit Maro. 195. 196. alii arma, quibus ipsi mortui usi erant, in ignem conjiciunt: ea, *munera*, quia proprie sic dicuntur omnia, quæ ad honorem funebrem spectant: *non felicia*, quibus illi, mortui, se defendere nequiverunt. 197. *Morti* tamquam deæ. Notabile tamen hoc: alias Orco vel Manibus et Inferis victimæ hæ mactari solent. 202. usque ad auroram: ad sensus errorem dictum, poëtarum more, ac si per noctem cælum circumagatur ab occidente versus orientem. Rem ipsam eodem modo expositam vides Iliad. ψ, 154. 226. sq. ω, 788. sq. Interdiu struitur rogus: nec accenditur nisi vesperi: ardet per noctem. Altero die, vel tertio, ut h. l. v. 210. ubi rogi refrixerant, legebantur cineres.

203. 205 De industria hoc memorasse videtur, quoniam in Italia semper variavit sepultura, modo humatione modo crematione in usum recepta. Sic apud Romanos: sic apud Etruscos. *avecta tollunt*, ornate, avehunt: sc. sublatos in currum. *urbi*, Laurento. 207. *cædis*; cæsorum. 208. *nec* cum *numero*, non numero inito, *nec* cum *honore*, quia indiscrete, nec singulis singuli rogis

Certatim crebris conlucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram:
Mærentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Jam vero in tectis, prædivitis urbe Latini,
Præcipuus fragor, et longi pars maxima luctus.
Hic matres, miseræque nurus, hic cara sororum
Pectora mærentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiæ et primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginæ nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropæis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce, super mæsti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt; nihil omnibus actum
Tantorum inpensis operum; nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendam.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Ænean manifesto numine ferri,
Admonet ira deum, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio adcitos, alta intra limina cogit.

cremantur: quod honorificum fuisset. *ruebant*, de cineribus eruebant, pro, legebant. 212. *focus* audacter de pyra. *tepido*: translate, cui tepida ossa inferebantur.

213 *in tectis*, per appositum, *urbe, Latini*: pro in tectis, domibus, urbis. 215. seqq. Enumeratio apta et omnibus poëtis frequentata. Exempla vel Cerda dabit. 219. *primos honores*, ut præferatur in Laviniæ matrimonio, cumque ea in regni successione. 220. 221. conf. quæ supra ex Ænea audierat Drances v. 115. seq. 222—224. Contra etiam multæ sententiæ diversæ erant pro Turno: eumque et regina Amata, quæ ei studebat, et fama magnarum rerum gestarum sustentabat. *obumbrat* eum, tuetur, defendit.

225 seqq. Insuper, super hæc omnia, legati redeunt ad Diomedem Argyrippam missi. Vide sup. lib. VIII. 9. seqq. 232. 233. *ira deum* (propter adversam belli fortunam; unde etiam subjicitur: *tumuli ante ora recentes*) *admonet, numine manifesto*, clara voluntatis deorum significatione, *ferri* (esse) *Æneam fatalem*: fatis ei sedem in Latio esse destinatam. 235. Comparant locum de simili concilio Iliad. β, 51. sqq. et ad v. 239. sqq. renuntiationem legatorum Iliad. ζ, 667.

Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maxumus ævo,
Et primus sceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætola ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet, et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra;
Atque iter emensi casus superavimus omnis;
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi:
Munera præferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quæ caussa adtraxerat Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros
(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat ille viros), infanda per orbem
Supplicia et scelerum pœnas expendimus omnes,

sqq. *imperio accitos*, cum iis imperatum esset, ut venirent. 238. *primus sceptris*, imperio et dignitate, inter reges ac duces copiarum, qui auxilio venerant. *sceptris* pro sceptro.

243 *Argiva castra* pro urbe, Argyrippa, ut toties novam Trojam Trojanorum castra dicta vidimus. 245. *Contigimus manum* ad dextram datam refer, ut sup. VIII. 124. in accessu ad Evandrum. *Ilia tellus*, Ilium urbs, ut toties *gens*, *urbs*, *terra*, poëtis permutantur. Argos Hippium in Peloponneso designat, cujus nomine novam in Apulia conditam urbem a Diomede appellatam tradidit antiquitas; ut corrupto eo nomine postea Argyrippa facta sit, tandemque hinc Arpi. *patriam* autem gentem seu urbem Argos appellat poëta improprie; fuit enim Diomedes Ætolus; sed Adrasti filia, Ægialea, ducta in regno Argivorum successerat. 247. *Victor*, armis cum Dauno adversus Messapios junctis, conditione proposita, ut pro auxiliis latis agri partem acciperet. *Gargani Iapygis*, Iapyx, pro Iapygius. Patuit autem Iapygiæ nomen latius, et ad Apuliam, Calabriam, et Messapiam pertinuit. *arvis Gargani*; paullo latius, in tractu terrarum, quæ ad eum montem pertingunt.

252. 253 *Saturnia regna*; quibus olim regnavit Saturnus; et hoc respectu *fortunatæ*. cf. VIII. 324. 325. *Antiqui Ausonii*; ab Ausonibus enim oriundi, et ipsi Ausonum pars, Latini: *Ausonios* autem (populos, viros) dixit pro Ausonibus. 254. *lacessere bella*: ut: movere bellum; *ignota*, pro bello dubii et incerti exitus. 256. 257. Ne memorem, ut omittam, ea, quæ urbe expugnanda ab Achivis tolerata sunt: quot viri in locis illis circa Simoëntem occubuerint. *Simois ille*, cum execratione. *premat* sc. mersos. 258.

Vel Priamo miseranda manus: Scit triste Minervæ
Sidus, et Euboicæ cautes, ultorque Caphereus.
Militia ex illa diversum ad litus adacti,
Atrides Protei Menelaus adusque columnas
Exsulat; Ætnæos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque Penatis
Idomenei? Libycone habitantes litore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivom
Conjugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus aris
Conjugium optatum et pulcram Calydona viderem!
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus inplent.

Supplicia et pœnas; atrocibus vocabulis utitur, pro malis et ærumnis, quasi hæ pro pœna excisi Ilii fuerint; et ante *violavimus* dixerat, tamquam in sacrilegio. 259. Servius laudat Pacuvii illud: *Si Priamus adesset, et ipse ejus commisereseeret.* Vides, qua brevitate sententiam complexus Maro vibraverit. *triste Minervæ sidus.* Quod simplicissimum est hoc tenebimus. Tempestates ortas per siderum ortus et occasus declarare, perpetuus poëtarum usus est. Tempestas, qua Achivorum classis disjecta est, Minervæ ira fuit concitata. Nihil igitur magis in promtu, quam tempestatem a Minerva commotam *sidus Minervæ* appellare, nullo respectu alio habito. *ultorque Caphereus;* promontorium Euboeæ versus orientem, ὁ Καφηρεύς, propter latentia sub unda saxa et vortices, marisque æstum, inprimis propter naufragia Græcorum a Troja redeuntium, infame. *ultor* omnino ornat, tamquam calamitosum saxum; nisi malis ad Ajacis naufragium referre, quo Minerva eum ulta est. Res ipsa sæpe a poëtis in memoriam revocatur. v. Propert. IV. 1. 114. sq.

262 In sequentibus noli nimis subtiliter quærere, unde Diomedes in littus Calabriæ ejectus hæc omnia resciscere potuerit. Poëtæ licet hæc sumere ac ponere. *Atrides* Menelaus: de cujus erroribus v. Od. δ, 81. sqq. 351. sqq. *ad usque Protei columnas;* novavit paullo audacius poëta pro finibus Ægypti; nam Proteus ad Pharum insulam agebat: sed, ut majore animum phantasmate percuteret, *columnas* dixit *Protei*, ut extremas terræ plagas significaret; quemadmodum *Herculis columnas* extremas versus occidentem terras dicere mos est. *exulat:* errat. 264. *Regna Neoptolemi.* Novum regnum Pyrrhi in Epiro, v. sup. III. 296. 319. *versos penates Idomenei* eversam domum et regnum. 265. *Libycone habitantes littore Locros.* Memorari hoc alio loco non memini. 266—268. De Agamemnone, qui Clytæmnestræ et Ægisthi insidiis periit. *prima intra limina*, puto dictum, pro, in primo statim limine, h. e. primo sedium ingressu, cum vix domum intrasset. 268. victorem Trojæ insidiis excepit adulter. Magnifice verbis ornatum! *Sul-sidere* de insidiis, ex quibus aliquis ex improviso adoritur, invadit et intercipit rem. 269. 270. *Invidisse deos* sc. an referam! *p. Calydona viderem.* Hic sui non satis memor fuit Maro. Argos redire Diomedes debuit, quibus regnabat, et ubi uxor degebat, unde copias eduxerat, non Ætoliam, unde genus ducebat: inprimis cum sup. v. 243. *Argiva castra* memorasset.

271—274 Aves Diomedeæ, certum avium genus in insulis Diomedeis littori Apuliæ,

Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro cœlestia corpora demens
Adpetii, et Veneris violavi volnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales inpellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Æneam. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Græcia fatis.
Quidquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Graium
Hæsit, et in decumum vestigia retulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. Coëant in fœdera dextræ,
Qua datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optume, regis
Audisti, et quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati; variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu, saxa morantur
Cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.

contra montem Garganum, objectis frequens, nunc *Artenas* appellant. 275. *speranda*, metuenda, ut toties, vel simpl. cogitatione præcipienda, expectanda. sup. IV. 419. *hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* 276. 277. Ingeniose hæc repetiit ex Iliad. ε, 330. sqq. cf. sup. X. 29. 282. 283. Congressi Diomedes et Æneas, singulari certamine; sed in pugna hoc sæpius factum supponere et fingere licet poëtæ. 283. 284. *quantus in clipeum assurgat.* De eo, qui gladio infert vulnus alias dictum vidimus: *assurgere*, vel *insurgere*, erigi, *in ictum*, *in hastam*, *in ensem*; at h. l. *in clipeum*, quia elato in altum clipeo hastam vibrat: namque is naturalis motus est, et ad corpus tuendum valet. 287. *Dardanus* pro Dardanius: et hoc pro Dardaniis, Trojanis. 288. *Quicquid*, quantum, ὅ,τ' ἔσον, per omne tempus, per quod *cessatum est*: quæ mora excidii facta; *hæsit*, retardata est, substitit victoria Achivorum et *retulit vestigia*, relapsa est, adeoque dubia et incerta fuit Hectoris et Æneæ opera. 295. *quæ sit magno sententia bello. bello* paullo durius seu tertio casu, quod ad bellum attinet, seu pro, de bello.

296 seqq. Sollennis hæc comparatio, præeunte Homero Iliad. β, 144. sqq., ubi non minus est ornata; sed Maro phantasma variavit: pro mari flumen posuit. Aliter

Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt,
Præfatus divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros adsidet hostis.
Bellum inportunum, cives, cum gente deorum
Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant
Prœlia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem, si quam adscitis Ætolum habuistis in armis,
Ponite; spes sibi quisque. Sed hæc, quam angusta, videtis.
Cetera qua rerum jaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso. Potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quæ sit dubiæ sententia menti,
Expediam, et paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus, in occasum, finis super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent collis, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, et celsi plaga pinea montis,
Cedat amicitiæ Teucrorum; et fœderis æquas

tractaverat sup. lib. X. 96—99. *clauso gurgite*, præcluso aquarum cursu saxorum objectione. 301. *Præfatus divos*, præclare, more antiquo etiam a Romanis servato, in Senatu et Comitiorum habendorum causa factis verbis.

302 Latinus de bello temere suscepto conquestus et spe omni melioris fortunæ dejectus pacem cum Æneа suadet ineundam. *statuisse*, pro deliberasse. Nam bellum aggressi sunt Latini tumultuario modo, cum nihil ipse rationibus, quibus dissuadebat, efficeret, sup. VII. 591. sq. 304. *cum m. adsidet hostis.* Facile intelligitur, rhetorico more hoc dici factum, quod minantur Trojani facere. 305. *gente deorum*, σὺν παισὶ Διῶν: Æneа. 307. *possunt absistere* s. simpl. pro absistunt, s. pro non possunt sibi temperare, ne rebellent. 309. Nunc unumquemque in se omnem repositam habere necesse est: non alienam operam expectare. Pergit inde: Sed hæc ipsa spes, quam in sua quisque virtute sitam habet, quam sit exigua videtis. Nam reliqua omnia, quam afflicta sint, ante oculos et inter manus vestras est: h. oculis manibusque tenetis, tamquam quod certissimum est: Græce, πρόχειρόν ἐστι. *Cætera*; exercitum, auxilia, vires imperii. Scilicet copias intelligit ad bellum gerendum necessarias. pro explicatione sunt inf. vss. 419. 420. Turni verba: *opes, intacta juventus, auxilia.* 312. *quæ plurima* h. quanta maxima. ὅσην πλείστην. 313. *corpore regni*, pro viribus, copiis.

316—321 Suadet Latinus cedi Trojanis agrum ad Tiberim: quem his notis designat: *est antiquus ager mihi*, h. non nostra demum memoria occupatus et cultus, *longus in occasum*, non quod in occasum protendatur, sed quod a Laurento in occasum spectat et late versus orientale Tiberis littus procedit *usque ad Sicanorum fines*, quos versus Romam a poëta poni credibile fit. Ager hic, qui Latii pars erat, ab Auruncis et Rutulis partim colebatur partim pascebatur: v. 318. 319.; ergo hos Rutulos et Auruncos sub Latini im-

Dicamus leges, sociosque in regna vocemus;
Considant, si tantus amor, et mœnia condant.
Sin alios finis aliamque capessere gentem
Est animus, poscuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore navis,
Seu pluris conplere valent: jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Præcipiant; nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant, et fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos;
Munera portantis aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens: genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,

perfo fuisse necesse est. Sunt in hoc agro colles, et tractus asperi et saxosi nec nisi pascuis idonei, tum quoque pineta. Videtur hoc ad colles Albanos spectare, quos ager iste attingere debuit, quandoquidem iidem omnino agrum Laurentem finiebant. Quod tandem Latinus ait sibi *esse agrum* vs. 316. potest hoc, si quis ita velit, proprie accipi, ex vetere vita, qua regibus assignata agri portio, τέμενος, ut vel ex Homero notum Iliad. μ, 313.

324 *aliam gentem*; iterum pro terra. 327. *complere* proprium vocabulum de sociis et copiis navalibus; ut πλήρωμα. *Serv.* 329. *navalia*, res navales, ceram, funes, vela et alia hujusmodi. *manus*, operas. 331. *prima de gente*; primis de gentibus, ex nobilitate. *pacis ramos*: vid. sup. 101. 333. *auri talenta* et *eboris sellam*: videri debet implicita inter se collocasse. 334. Sella curulis et trabea insignia imperii, et inter munera mitti solita, apud Romanos, Albanos, Etruscos, adeoque h. l. recte et apud Latinos.

338 *lingua melior*, fortior, quam manu. At *largus opum* alienum ab h. l. videri potest, sive ut dives sit, sive liberalis. In verbis Turni, quibus respondet, est v. 378. *Largo—copia fandi*. 340. 341. Poëtam hoc ad ornatum excogitasse probabile est. Julius tamen Sabinus, nescio unde, hæc annotavit: "filius sororis Latini, patre rustico." 342. *onerat*, docte pro auget, accumulat odia in eum. 345. *mussant*, cunctantur, non audent dicere. 346. *flatus*, φόρημα, de arro-

Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troïa tentat
Castra, fugæ fidens, et cœlum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optume regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenæis
Des, pater, et pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quod si tantus habet mentis et pectora terror:
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso;
Cedat, jus proprium regi patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula civis
Projicis, o Latio caput horum et caussa malorum?
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne; simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en, supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi
Vidimus, ingentis et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est:
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjunx,
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,

gantia. Ad eandem et obstinatum Turni animum refero *mores sinistros. ob auspicium:* auspicia et ductus belli. 350. *Consedisse luctu*, in luctum esse demersam. sup. II. 624. *considere in ignes Ilium;* it. IX. 145. Saltem *considere luctu* dictum erit ut collabi, concidere, jacere, calamitate, dolore. 351. *et cœlum territat armis:* tamquam qui provocat.

352 *Unum etiam. etiam* h. l. pro adhuc est. *dici*, destinari, promitti. 357. Quod si, quominus hoc facias, Turni metu teneris. 359. invidiose: *regi* Latino *patriæque*, populo Latinorum, *remittat jus proprium*, suum, quod Latinus Latinique in regiam puellam habent, ut possint eam matrimonio jungere cui velint. 363. *pacis pignus*, Lavinia conjugium cum Ænea. 364. *invisum:* haud dubie pro, inimicum, active. 366. *pulsus abi;* pugna victum te fatere ac cede. 369. *dotalis regia:* dotale regnum. Sic et alibi. 372. Expressit vulgare Græcorum ἐμοῖς, ἄθλιος

Si patrii quid Martis habes, illum adspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, cum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger mœrorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropæis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet; nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine, et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere sæptus.
Nulla salus bello. Capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno

καὶ ἄκλαυστος ὄχλος: quasi tam viles habiti, ut projiciantur vel insepulti. 374. *Martis:* patriæ virtutis.

376 Ad verba comparant Iliad. α, 188. et sup. lib. VII. 445. et ad vs. 378. Iliad. β, 796. Ceterum in hac Turni oratione, multo etiam magis quam in altera Drancis, sæculi sui genium artibus rhetoricis imbuti declaravit Maro. 380. Sed nunc non tempus est orationi in curia faciendæ. 381. 382. magna loqueris, dum intra mœnia tutus ab hoste lates, necdum, murorum oppugnatione facta, fossæ sanguine cæsorum implentur. 383. Cum itaque muris adhuc hostis distineatur. *Proinde* ad formam τῦ ιτα, ἴτωτα; quæ cum ita sint. Mox *quando*, pro quandoquidem. 389—391. *Imus.* Quin imus. Age eamus adversus hostem! 393—395. Omnia in majus aucta. Arcadas dixit, cum de uno duce Evandro cogitaret.

399 Pergit in repellendis Drancis verbis et nunc ad v. 362. "*Nulla salus bello.*" *Cane talia*, ominare hoc, nullam salutem esse bello, pugnando salvos esse nos non posse, Æneæ

Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ; contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt,
Nunc et Tydides, et Larissæus Achilles:
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus, et formidine crimen acerbat.
Numquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum:
Oremus pacem, et dextras tendamus inertis.
Quamquam, o, si solitæ quidquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique supersunt:
Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine; sunt illis sua funera, parque per omnis
Tempestas: cur indecores in limine primo

et tibi. Vertant dii in tuum caput! 400. Perge itaque, quod facis, metum de Trojanis ingravare, etc. *gentis bis victæ*, ab Hercule primum. (cf. sup. ad IX. 599. *Bis capti Phryges*); contra deprimere res Latinorum. 403—405. ῥητορικῶς hæc vel maxime. Auget scilicet per ironiam quod Diomedes belli societatem detrectaverat; erat is inter Græcorum principes, pro quibus *Myrmidonum* posuit, quibus solus Achilles imperabat. 405. *Amnis et Hadriacas*—h. et terrorem, quo Diomedes audito Æneæ nomine percussus fuerit, amplifica verbis quam maxime. Poëtas id, quod populis vel regibus proprium est, terris, tandem et fluviis, tribuere, notum est; itaque h. l. terror ad fluvium Aufidum translatus: phantasmate poëtico. 406. *Vel cum se*. Respicit sup. 348. et 364. Abrupta vero oratio irati hominis pro: cum tu fingis te; *vel* refer ad 401. *Ne cessa turbare metu* fingendo. *artificis scelus* pro, artifex. *jurgia* sunt minæ.

410 seqq. Utitur Turnus callido et subtili aditu ad persuadendum id, quod non audet palam dicere: melius esse interire, quam pacem rogare. *tam deserti*; propter Diomedem, qui solus negavit auxilia. 415—418. Seu turbavit affectus seu calliditas inflexit orationem, quæ sic procedere debebat; quanquam, nisi inertissimi essemus, debebamus illum habere fortunatissimum et fortissimum, qui etc. (h. e. debebamus mortem præferre tali dedecori). Hoc alterum transtulit ad se: *Ille mihi ante alios f.* Est autem *fortunatus laborum* (ut *lætus laborum* sup. v. 73.), felix in malis suis et calamitatibus. 419. 420. Respicit Latini verba supra 309—311. *urbes Italiæ*: iterum respectu Diomedis, tamquam Græci et exteri hominis. *supersunt*, superabundant. 421. *gloria* pro victoria.

Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis ævi
Retulit in melius; multos alterna revisens
Lusit et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus et Arpi:
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces; nec tarda sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentis ære catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra; vel magnum præstet Achillem,
Factaque Volcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Æneas vocat. Et, vocet oro.
Nec Drances potius, sive est hæc ira deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant

425. *labor ævi* pro ævo simpliciter cum notione ærumnæ quæ in ævo toleratur, adjecta: die et ævo, h. e. temporis vicissitudine multæ res mortalium in melius mutantur. Ad ornatum spectant adjuncta: *ævum varium*, in quo fortuna varia jactamur. *labor*, πόνος, ærumna, *mutabilis*, in meliorem fortunam mutari solita, *alterna* potest esse dicta ipsa Fortuna; nisi malis *alterna* (κατὰ) *lusit et rursus in solido locavit*, in firmo, tuto, ἐν τῷ ςαθερῷ, antea in lubrico labantes. *ludere*, præter expectationem aliquid inferendo, mutando: plerumque in deterius: h. l. in melius. *in solido*, in integrum, in incolumem statum, restituit.

428. 429 *Ætolus et Arpi*: sup. 239. sq. *Messapus*, de quo lib. VII. 691. sqq. et alibi. *Tolumnius* cf. inf. XII. 258. *felix* autem h. potens, florens opibus, videtur infelicitatem Diomedis respicere. 430. et parata erit gloria ipsis Latinis. 433. *florentes ære*, fulgentes. 435. *tantumque b. c. obsto*: et in tantum obsum commodis publicis, ut, nisi solus dimicavero, concidat universa resp. 437. *tanta pro spe*, ut solus dicar servasse remp. 443. 444. Solus cum Æneæ vult congredi Turnus, etiam ea de caussa, ne cum Drance quicquam sive secundæ sive adversæ rei communicet, utque is et a calamitate et a felicitate sua absit. Et *vocet* Æneas, ut ego solus cum eo congressus de summa belli transigam: *Nec Drances potius morte luat* sua, occidat, communi clade, *si hæc ira deorum est* (h. si eventus erit belli hujus infaustus), nec, *sive est virtus et gloria*, si hoc bello laudem virtutis (ἀλκῆς) et gloriam (κῦδος, victoriam) consequi dabitur, *tollat* eam ille, auferat hanc laudem pro sua parte (ut αἴρεσθαι κῦδος).

445 Cum solertia et cum arte poëta partim deliberationum et incertorum fluctuantiumque conciliorum exitum facit non prævisum; partim instruxit et præparavit inde a v. 434. sq.

Certantes; castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus inplet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque volgi
Pectora, et adrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt; fremit arma juventus;
Flent mæsti mussantque patres. Hic undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras:
Haud secus, atque alto in luco cum forte catervæ
Consedere avium, piscosove amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, adrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Conripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capessant:

pugnam inter Æneam et Turnum, in qua narrationis et carminis tela olim erit detexenda. 445. Artem poëtæ observet lector in narrationis ordine a vulgari tenore et pedestri rerum narrandarum structura avocato. Nam secundum hanc res sic erat exponenda: Æneam interea castris motis duplici agmine adversus urbem Laurentum incessisse, pedestri per saltus montium, equestri per planitiem camporum. Poëta vero singula singulis locis commode dicenda servavit. Vide inf. v. 511. sqq. 522.

452 *et arrectæ stimulis iræ:* de virtute bellica; exasperati sunt animi. Nam ira erigitur, arrigitur ac stimulatur, h. e. movetur. Et *stimulus durus*, qui adeo penetrat, infixus hæret. *fremit arma*, pro vulgari: cum fremitu postulat.

457. 458 *Padus* cycnorum copia apud poëtas celebratus: in septem ostia cum tempore diductus, binis primum ostiis in mare delatus est, quorum alterum septentrionem versus erat *Volana*, alterum a meridie *Padusa* prope Spinam a mari exceptum. Creditur esse illud, quod nunc *il Po d' Argenta* appellatur. Ostium hoc *amnem* dixit et quidem *piscosum*. Facit illud quibusdam locis paludem, hinc *stagna*, quæ *loquacia* dixit eleganter, a loquacibus cygnis; hos *raucos* vocavit simpliciter, a clamore vel cantu.

459 Concilium habete *arrepto tempore*, εὐκαίρως, ἐν καιρῷ, cum irrisione. 462. *sese corripuit*, ὤρνυτο, ὡρμήθη, ἔσσυται. Ex his ac similibus ductum videtur *rapere*, *corripere*, pro movere, adeoque *se*, ut *eripere se*. Jam sup. VI. 472. *Tandem corripuit sese atque inimica refugit in nemus.* 463. Festinationem Turni bene assequitur oratio abrupta, dum Turnum esse loquuturum non prædictum est. 464. *Equitem in armis*, pro armatum. *Messapus*, Græce, pro Messape, et *Coras*, pro Cora, *cum fratre* Catillo. v. sup.

Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma.
Illicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt;
Multaque se incusat, qui non adceperit ultro
Dardanium Ænean, generumque adsciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona
Matronæ puerique; vocat labor ultimus omnis.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
Caussa mali tanti, oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, et templum ture vaporant;
Et mæstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens, præses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in prœlia Turnus.
Jamque adeo Rutulum thoraca indutus aënis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc; laterique adcinxerat ensem;
Fulgebatque alta decurrens aureus arce;
Exsultatque animis, et spe jam præcipit hostem.

VII. 672. 467. *qua jusso*, pro jussero: ut, levasso, declarasso, amasso et al. 472. *urbi* erit in urbis, regni, utilitatem.

473 Ante portas fossas faciunt, et vallum ducunt saxis stipitibusque humo aggesta. Cum autem res ad summum discrimen adducta esset, *(labor ultimus vocat omnes)* procurritur in muros, ut Trojæ, cum prælium cum Achivis propius urbi admotum esset, factum esse narrat Homerus. 477. Manifesta vestigia Iliad. ζ, 86. sqq. 269. sqq. Illud autem miror, quod Palladem jam tum coli a Laurentibus tradidit, quam Trojanos primum intulisse communis fama obtinebat. *Subvehitur:* supra VIII. 666. *castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus.* 480. κατ' ὄμματα καλὰ βαλοῦσα; oculis dejectis. cf. Ruhnk. ad H. in Cer. 194. 481. *Succedunt* sc. templum, intrant. 482. *de limine*, est pro, ingressæ templum. Nam ex more in primâ templi parte vota faciunt, qui deos adeunt, nec interiora intrant, ut nos. 483—485. Preces fere ad verbum conversæ ex Homerico l. c. v. 305. 306. 307. *effunde*, de prolapso, prostrato ante urbis obsessæ muros.

487 sqq. Æmulatur et h. l. Maro Homerum. Sed orationem egregie ornavit et variavit: *thoraca indutus aheneis Horrebat squamis*, pro thoracem induerat ex ære in

Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis,
Tandem liber, equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut, adsuetus aquæ perfundi flumine noto,
Emicat, adrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians; luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit; quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo, et Æneadum promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, et mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ, virgo, quas dicere gratis,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia inprobus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite silvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem conlatis excipe signis;

squamarum speciem contextum, *surasque i. auro*, ocreas aureas induerat. 497. *Luxurians;* reddidit feliciter ex Homerico loco κυδιόων quod ibi est pro γαυριῶν, de equo exultante, ferociente. *alte* autem possis jungere: *arrectis alte;* ut Homericum ὑψοῦ κάρη ἔχει. Forte tamen sic languescit versus et jungenda sunt *alte Luxurians*, etsi insolentius dictum videri possit, pro alte exultans.

500 *Desiluit*, honoris caussa factum volunt. *cohors* pro turma: nam equitum h. l. est. 507. *horrenda in virgine* h. l. admiranda. Nam, quæ *admirationem*, *stuporem*, *horrorem*, faciunt, ad idem fere genus referri possunt. 510. *partire*, respicit illud *Solaque T.* v. 504. In illis: *quando animus est supra omnia*, expressit magnanimam: adeoque int. supra pericula, fortunæ casus et sic porro; non aliter.

511 *fidem* eleganter pro nuntio. Nam, quæ nuntiantur, fidem facti faciunt. 512. *improbus*, accipio pro: audax: proprie, qui nimium audet. 513. *quaterent campos*, ad incessum equorum referri præstat. Lucret. II. 326. *equites—mediosque repente Transmittunt valido quatientes impete campos.* Servius ad perturbationem agrorum, h. e. agrestium revocat. *ardua montis deserta;* necesse est extremas Albanorum montium partes respexisse poëtam. 515. *Furta*, pro

Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,
Tiburnique manus: ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in prœlia dictis
Hortatur, sociosque duces; et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, adcommoda fraudi
Armorumque dolis; quam densis frondibus atrum
Urguet utrimque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus;
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ:
Sive instare jugis, et grandia volvere saxa.
Huc juvenis nota fertur regione viarum;
Adripuitque locum, et silvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Conpellabat, et has tristis Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequidquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. Neque enim novus iste Dianæ

insidiis. 519. *Tiburni manus*, copiæ Tiburtinæ, a Tiburno heroë ac conditore designatæ, fratribus ejus Catillo et Cora ducibus. Adversus equitatum Æneæ, in quo turmæ Arcades ab Evandro missæ, et Etruscæ erant, per planitiem camporum incedentem mittitur Messapus, qui nunc non suas copias sed Latinas et Tiburtinas turmas equestres ducit, et cum eo Camilla. 522. seqq. Insidiarum locus et ratio hujusmodi animo representanda. Via Trojanorum agmini pedestri, quod Æneas ipse ducebat (cf. ad 445. 446.), erat facienda per montium juga et saltus: in his erat *vallis, curvo anfractu*, sinuoso flexu, quæ ex adversa venienti Æneæ parte in clivum assurgebat; isque erat agmine superandus: ab utraque vallis parte silvæ. Has insedit Turnus: Equitatum autem Messapo et Camilla duce præmittit, ut manus cum præmisso ab Ænea Etruscorum equitatu conserat, qui per camporum planitiem incedebat, Tarchontis ductu. Hic pugna equestris fit, in qua Camilla cæsa, equites Latini fugiunt ad urbem. Audita Camillæ cæde equitatusque fuga, Turnus consilio insidiarum abjecto ex saltibus obsessis in campum procedit, ut fugam Latinorum equitum sistat, urbemque, ne primo incursu capiatur, præsidio firmet. Quo facto Æneas liberas saltus angustias superat; v. 896. sqq.

523 *quam—atrum* h. silva densa, per quam, *qua*, angusta semita est. 525. *aditus maligni*, angusti, exigui; non, obscuri. 526. *in speculis*; in collis vertice, ut σκοπιαῖς. Erat is planus, adeoque omni ex parte opportunus, seu ad procurrendum, 528. seu ad propulsandum hostem, si superare collem vellet: 529. Nam *instare jugis*, de jugo desuper urgere hostem adortum. 527. *ignota* Trojanis.

532 Recte Servius transitum tamquam abruptum et nimis tritum reprehendit. cf. sup. Not. ad IX. 638. *Opim* autem h. l. nympham edidit in Dianæ consortio; cum alias ipsius Dianæ nomen fuerit. Juvat autem illud notare, Dianam h. l. *cum Nymphis suis*, quibus silvæ solent pro sedibus assignari, in Olympo sedere, unde vss. 595. 596. Opis devolat in terram. 536. *nostris armis*, quibus Camilla in morem Dianæ et Nympharum utitur.

Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prœlia belli,
Sustulit exsilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.
Ipse, sinu præ se portans, juga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugæ medio, summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix hæc sententia sedit:
Telum inmane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto;
Huic natam, libro et silvestri subere clausam,
Inplicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ;
Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Adcipe, testor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis conmittitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Inmittit: sonuere undæ; rapidum super amnem

539 *vires superbas*, h. nimias opes, potentiam libertati civium infestam; unde odia in eum: *Pulsus ob invidiam*. 543. Tribuit igitur poëta patris voluntati, quod emollita pronuntiatio serioribus ætatibus attulit, ut, pro *Casmilo Camillus*, pro *Casmila Camilla* diceretur. Vox illa a Pelasgis in Italiam illata Etruscis quoque fuit frequentata, qui Mercurium Casmilum appellarunt tamquam *ministrum* deorum. 544. *juga longa*, non longinqua et remota, sed longo tractu continuata. 549. *Ruperat*, eruperat se. 551. Cum omnia secum versasset, *vix hæc sententia sedit subito*, quæ subito animum subierat. 553. *robore cocto*, igni durato, præusto. 554. *Telum immane—Huic*; nota structuræ immutationem, quæ vel ob negligentiæ speciem suavitate non caret. *clausam*, involutam cortice. *habilem*, ita ut haberi, tractari, pro jaculo emitti cum hasta posset. sic I. 318. *habilem arcum* vidimus, *ensem* IX. 305.; *galeam* ibid. v. 365. De alligata porro puella ingeniose v. 558. 559. *tua tela tenens supplex*. Hasta autem illigatum pondus in alteram ripam transmittit, ut ipse liberis manibus transnatare possit; *famulam* dixit consecratam: quia ministri deorum ἱερόδουλοι, θεῶν δοῦλοι diis se consecrant. 560. *dubiis auris*, per quas ipsa infans dubia salute fertur. 562. *sonuere undæ*; h. aër super undis, sibilo per hastam tra-

Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urguente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviæ de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Adcepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum et solis exegit montibus ævum.
Hic natam, in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris inmulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto;
Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena;
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum. Sola contenta Diana,
Æternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud conrepta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi, comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finisque invise Latinos,
Tristis ubi infausto conmittitur omine pugna.
Hæc cape et ultricem pharetra deprome sagittam:

jectam facto. Hastam autem sic missam puta, ut alteri littori ea infigeretur. 563. *Infelix;* vel respectu præsentis Camillæ fati, vel quod jam illa ætate tantum vitæ discrimen adiret.

565 *victor* compos voti (ut sæpe v. c. VIII. 6.), scil. flumine trajecto, et filia servata. *donum Triviæ*, ex voto; quam Dianæ voverat. *manus dat* proprie victus, tum omnino qui cedit, qui placatur, h. l. qui quod humanitas aliorum vel hospitalitas offert accipit. 569. non *pastorum ævum*, ut Serv., pro pastorali vita, sed *in montibus pastorum:* qui a pastoribus habitabantur. 570. *dumi, lustra* pro silvis. 571. *lacte ferino;* quia *ferus* etiam de equo. 573. Proprie erant *vestigia prima*, in quæ, quibus institit plantis pedum. Sed doctius alterum, pro vulgari: Ut primum infans pedibus institit. 581. *Tyrrhena per oppida.* Amaseno trajecto Metabus ad Campanorum fines accedere debuit: hos insedere olim Etrusci. 590. *Hæc cape;* puta cum

Hac, quicumque sacrum violarit volnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube cava miserandæ corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa levis cœli delapsa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis;
Conpositi numero in turmas. Fremit æquore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis
Huc obversus et huc; tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillæ,
Adversi campo adparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.
Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, frementisque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, cœlumque obtexitur umbra.

his dictis Dianam arcum et pharetram Opi tradere. 591. Auguste: pro: qui vulnus intulerit; sed loquitur de virgine Deæ consecrata. Et ducta hinc ultionis ab Arunte sumtæ caussa. Nam, qui sacra violant, a Diis puniuntur. 594. *patriæ*, Græce; in patriam vel in patria terra. 595. 596. volatus velocitatem bene declaravit per *insonuit*: involuta *turbine*, nigra nube.

597 *manus Trojana*; de pedestri agmine, quod Æneas ducebat, accipe, ut sequentia de equitatu. Constabat autem equitatus maxime ex Etruscis: sup. 450. 517. et Not. ad 519. et h. l., isque per campos incedebat: hinc *æquore toto*. 599. *numero*: ad numerum suum militum, quos quæque turma habere debebat; unde etiam *numeri*, ipsæ cohortes, turmæ. 599. 600. 601. ἐναργεστάτη descriptio equorum generosiorum incedentium: *Insultans*, vid. Ge. III. 117. *pugnat* spectat ad reluctationem equorum, qui frenis cohiberi se vix patiuntur et repugnant: hinc *Huc obversus et huc*. 601. 602. Poëticum hoc phantasma satis notum. De hoc igitur nihil nunc monemus. Sed *ferreus ager* audacius etiam quam sup. VII. 525. *atraque late Horrescit strictis seges ensibus*. Scilicet *ager horret late hastis*, atque inde *ferreus* ad visum et opinionem, ferreis hastis totus collucens: hinc subjicitur: *campique armis sublimibus ardent*. *ardent*, exquisitius quam refulgent.

605 Aliæ sunt *hastæ*, alia *spicula* h. jacula: his eminus, illis cominus, pugna fit. Igitur hastas *reducunt*, ut cum impetu immittant, jacula *vibrant*, rotant. 607. *Adventus virum ardescit*, h. strepitus ex adventu, seu strepitus advenientium, major majorque ad aures accidit et increbrescit, quo propiores invicem sibi turmæ fiunt. Etenim, quæ augentur, inprimis motu, incalescere, adeoque et exardescere, dicuntur. Progressus utriusque exercitus eo jam factus erat ut intra teli jactum ventum esset: quando utraque acies substitit. *cælum obtexitur umbra*. conf. inf. XII. 578. *et obumbrant æthera telis*. Etiam vulgari sermone tritum.

Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Aconteus,
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies, versique Latini
Rejiciunt parmas, et equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt: princeps turmas inducit Asylas.
Jamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens
Saxa, fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos;
Bis rejecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in prœlia, totas
Inplicuere inter se acies, legitque virum vir:
Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti cæde virorum
Semanimes volvuntur equi; pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,

612 *Tyrrhenus* h. l. nomen viri Etrusci proprium; *Aconteus* e Latinis. 613. *ruinam dant*, ruunt. *perfractaque—rumpunt* pro perfringunt, pro, illiduntur invicem; scilicet hasta neuter alterum attigerat, itaque ipsi equi concitati summo impetu in se ipsos irruunt: qua ruina, quo conflictu, labefactatus Aconteus equo dejicitur. 620. *Troës* nunc: mox *Tusci* 629. quoniam ex utraque gente equitatus constabat, *agunt:* versos in fugam impellunt, ut supra V. 265. *Asylas*, qui Pisa Etruriæ copias adduxerat: sup. X. 175. sqq. 622. *colla* equorum: qui quoniam domiti, ut facile flecti queant, hinc colla *mollia*. ut Ge. III. 204. *molli collo:* et *mollia crura* ibid. v. 76. 624. sqq. Comparatio ornatissima. Non [illegible]em ad æstum maris crescentis et de[illegible] trahendum est; sed de motu maris littus alluentis et alternis accedentis ac recedentis. Ornatum observa in singulis. *alterno gurgite*, unda, fluctu. 626. *arenam extremam*, in interiore littore, *perfundit sinu*, fluctu in sinum undas jam languentes curvante. Nunc *pontus*, unda, *æstu*, vicissitudine maris æstuantis, graviter commoti, *rapidus retro* (παλιῤῥόθιον κῦμα, v. c. Od. 8, 430. Sic malo, quam retro fugit) *atque resorbens* (se, ἀναῤῥοιβδῶν) *fugit saxa revoluta*, h. per quæ unda revolvitur, ἀνακυλίνδεται, *et relinquit* pontus *littus vado labente*, fluctu recedente ac decrescente; donec novus fluctus iterum alluat.

631 *in tertia prælia:* eleganter pro, tertio. 632. *legitque virum vir* h. e. percussit.

636 *Orsilochus* ex Trojanis est. v. inf. 690. *Remulus* ex Latinis, diversus ab eo, qui supra

Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Volneris inpatiens adrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolan,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri; nec volnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulcramque petunt per volnera mortem.
At medias inter cædes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnæ, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset;
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, et æratam quatiens Tarpeia securem,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threiciæ cum flumina Thermodontis

IX. 592. 593. memoratus. Ad reliqua v. 637—640. cf. sup. X. 890. sq. de simili vulnere. 640. *Catillus*, qui Tiburtes agebat: adeoque Iolas et Herminii inter Trojanos et Etruscos referendi. 643. 644. *nec vulnera terrent: tantus in arma patet:* arte cohærent cum illis: *nudo cui v. f. C. nudique humeri.* Habebat nudum caput et humeros nudos, ut satis appareret, eum vulnera non timere; tantum, tanta sui parte, patebat in vulnera s. in tela hostilia. 645. *duplicat virum:* recte Guell. accipit et cum eo Cerda: incurvat, ut reddatur Homericum ἰδνοῦν. Ἰδνώθη τε πεσὼν Iliad. ν, 618. ut iis accedendum sit, facit adjectum *dolore*. 647. Hæc ad reliquos pugnantes spectant, mortem dant et accipiunt.

648 De Camilla episodium est inter elaboratiores carminis partes. *Unum exserta latus*, mammam; inf. 803. *sub exsertam papillam.* sup. I. 492. *aurea subnectens exertæ cingula mammæ.* Disputant Intpp., utram exseruerit. Cerda ait lævam, nam dextra in Amazonibus erat exusta. Recte. Verum comparatio instituitur ad tantum nudationem mammæ: in venatricibus autem et bellatricibus ut Diana ac Nymphis dextrum pectus, dextrum humerum, nudatum videmus in numis ac statuis. *pugnæ*, ad pugnam, ut expeditior esset ad pugnandum. 650. *spargens denset:* id est, dense spargit, jacit. 653. *in tergum p. recessit:* etiam hoc a vulgari ratione deflexit; nam vulgare est: si tergum vertit, dat. 654. *spicula fugientia*, ipsa fugiens. 658. *ministras*, comites. 659. *Threiciæ Amazones:* pro Scythicis vel Sarmaticis dixit, tamquam poëta, jure suo. 659. *cum flumina Thermodontis pulsant.* pro ripis flumen dictum opinatur Cerda et alii ut v. c. Ge. II. 11. 12. aliæ arbores *campos et flumina late Curva tenent.* Mihi tamen cum ipsa res persuadet, agi de flumine glacie obducto, tum vero etiam Claudiani imitatio, qui non aliter

Pulsant et pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu quum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum, aspera virgo,
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eunæum Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in volnere versat.
Tum Lirim, Pagasumque super: quorum alter habenas
Suffosso revoltus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inermem,
Præcipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden; sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta Chromimque;
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis,
Agrestisque manus armat sparus. Ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Trajicit, et super hæc inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?

intellexisse videtur: Pros. rapt. II. 62—66. 660. *bellantur* pro bellant. Sic *nutritor* pro nutrito Ge. II. 425. *pictis armis*, auro argentoque distinctis, maxime pelta. cf. sup. ad VIII. 588. *se refert*, redit. *tumultu ululante*. invertit, cum ipsæ ululent cum tumultu pro tumultu ululantium. *Martia Penthesilea* proprie.

664. 665 *Eunæum* int. e Trojanis, *Lirim Pagasumque* ex Etruscis: reliquos v. 673. sqq. iterum Trojanos: e quibus *Amastrus* Hippotæ f. *Mandit humum:* quod alias *mordere* v. sup. 418. 671. *habenas dum colligit, revolutus equo suffosso*, ut equum ex vulnere cernuum retrahat. 674. *sequitur incumbens*, ἐφέπει ἐρείδουσα vel ἐφερειδομένη puella. hoc refertur ad nisum emittentis hastam, qua illa insequitur eminus, h. petit, Tereum et alios.

677 *Ornytus* ex Etruscis. *armis ignotis;* novis h. l. inconsuetis, insolentiore specie: nam habebat exuvias tauri pro thorace et rictum lupi pro galea. ut VII. 666. 667. Aventinus: *tegumen torquens immane leonis, Terribili impexum sæta cum dentibus albis Indutus capiti. Iapyge* pro Iapygio, Apulo. vid. sup. ad v. 247. 682. *Sparus:* rusticum telum in modum pedi recurvum. 683. *Vertitur*, versatur. 684. *exceptum*, assequuta fugientem. *Excipere* a venatione ductum.

Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protenus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrum
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et lævo dependet parma lacerto;
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem;
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti
Congeminat: volnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque adspectu territus hæsit
Appenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque, ubi se nullo jam cursu evadere pugnæ
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit;
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, si femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te comminus æquo
Mecum crede solo, pugnæque adcinge pedestri:
Jam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit. At illa furens, acrique adcensa dolore,

690 Butes diversus forte ab eo, qui lib. IX. 647. sqq. memoratur, et ab altero utique V. 372. At *Orsilochus* e Trojanis sup. 636. 692. *sedentis* in equo. Non enim inter hæc omnia animo dimittendum, nos in pugna equestri versari. *Lucent*, eleganter pro, apparent nuda, et quidem in lævo humero. Orsilochum se insequentem ipsa fugit, ita tamen, ut in orbem equum circumflectat, ipsa quidem 694. 695. *gyro interior*, adeoque ab læva Orsilochi; quo facto cursu æquato illa ejus lateri juncta, dextra sublata Orsilochi capiti ictum bipenni infligit. *securim congeminat*, pro, ictum, vulnus. 697. *oranti et multa precanti*, hoc non video quam commode a poëta adjectum sit: Orsilochus ipsam aggressus erat; nunc arte Camillæ præventus fugiebat: quis hic erat supplicandi locus?

699 sqq. Quod sequitur episodium novitate et varietate præclarum et ab omni parte perfectum. Ligures fraudibus et perfidia omnino infames fuere: forte quia montium latebris hostium incursus eludere eosque inter silvarum ambages et saltus in insidias allicere solebant. Liguriæ autem magna pars per ipsa Appennini juga protendebatur. *Incidit huic*, in hanc, græce. 701. *Haud L.* h. fraude, quoties ea uti licebat, nemine inter populares inferior. 702. *evadere pugnæ*, Græce pro vulgari, pugna, et *ingressus*, pro pedestri aggressus, moliens. 705. *Forti equo.* Epitheton primum observant usum Ennium (apud Cic. Cat. 5.), tum Lucret. III. 8. nunc hinc Maronem. Faciunt autem vires ad velocitatem. 706. *dimitte fugam*, cursum equestrem, equi usa velocitate. 707. Desiliamus uterque de equis et pugnemus pedites. 708. *laudem*, decus ex victoria, κλέος. *ventosa*, vana, inanis, gloriatio (de pugnæ equestris successu, cujus major pars equi præstantiæ, cui insides, debetur), ut simpliciter ornet epitheton; non male comparant ἐπμόν

Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,
Nequidquam patrias tentasti lubricus artis;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisque adversa prehensis
Congreditur pœnasque inimico ex sanguine sumit.
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Conprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor et volsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum sator atque deorum
Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchonem in prœlia sæva
Suscitat, et stimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarcho
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans; reficitque in prœlia pulsos.
Quis metus, o numquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Femina palantis agit, atque hæc agmina vertit?
Quo ferrum, quidve hæc gerimus tela inrita dextris?
At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,

φρόνημα, apud Sophoc. Antig. 534. *cui ferat:* an tibi ferat. 710. stat in armis *paribus*, sicut etiam illum congressurum putabat. 711. *parma pura.* Epitheton arbitror simpliciter ornare: ut sit parma sine insigni et ornatu. 714. *ferrata calce;* hoc de suo ævo sumsit poëta. Heroum vita αἰνητόν, stimulum, norat, non calcar.

716 *lubricus*, fallax. 718. ignea. A Catullo sumtum jam alii observarunt LXIV. 337. *Flammea prævertet celeris vestigia cervæ:* de Achille. Ut alias ὀξὺς, rapidus, de igni; sic nunc *igneus* pro celer. 719. *Transit equum cursu:* hæc de ejus celeritate præstruxerat sup. lib. VII. 808. 809. 721. *sacer ales;* accipio dictum, propter augurium ex eo avium genere capi solitum, v. c. Od. o, 524. sq. *sacra* autem diis ea quoque quæ ad augurium spectant et divinationem quamcunque. 724. versus inserviit exornandæ comparationi: hunc que ornatum de suo addidit Maro.

725. 726 Homericum esse: Οὐδ' ἀλαοσκοπίην ἴχει quilibet facile videt; h. e. omnino vidit oculis suis Jupiter. 728. *suscitat*, ὦρσεν, ὄτρυνεν. 732. *O numquam dolituri*, dedecoris, infamiæ sensum habituri. 736.

Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, et plenæ pocula mensæ;
Hic amor, hoc studium; dum sacrâ secundus haruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios, moriturus et ipse,
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert,
Dereptumque ab equo dextra conplectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor: cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus æquore Tarcho,
Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, et partis rimatur apertas,
Qua volnus letale ferat: contra ille repugnans
Sustinet a jugulo dextram, et vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, inplicuitque pedes, atque unguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Adrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus urguet obunco
Luctantem rostro; simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarcho
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem jaculo et multa prior arte Camillam

Egregie in rem suam vertit poëta famam de veterum Etruscorum luxurie: alacriter dicit eos ruere ad epulas et quidem sacrificiorum. Bacchum cum judicio videtur nominasse, nam Bacchi sacra et initia cum in reliqua Italia, tum inter Etruscos vel maxime viguisse, jam olim ex tanto vasorum et sarcophagorum numero, in quo illa occurrunt, suspicati sumus. Amaritudo dicti sic satis intelligitur, si cogites eos fugere in prælio cum femina.

739 *haruspex secundus*, qui secunda nuntiat ex extis inspectis: ubi autem litatum est, epulæ sacræ subsequuntur. Et h. l. quidem sacra fiunt in luco; adeoque et epulæ; etiam hoc ex veterum more; quod servatum inprimis in sacris rusticis.

741 *moriturus et ipse;* animo, h. animi proposito. *turbidus* h. l. ira; ut alibi. 742. *Venulus* e Latinis, idem qui ad Diomedem missus fuerat VIII. 9. et XI. 242. 748. *partes apertas* in jugulo, ut e seqq. apparet. cf. Iliad. χ, 321. sqq. cf. sup. v. 692. 693. *rimatur*. De voce cf. sup. VI. 599. Georg. I. 384. 750. *vim virilus exit:* fallit, evitat, avertit. 751. *volans alte* jungendum, est ὑψιπετὴς αἰετός. 752. *unguibus hæsit* est ex ἐμφῦναι vel ἐμφύεσθαι, inhæret draconi, unguibus infixis. *urget*, instat tundendo et percutiendo draconem rostro. 758. *eventum* pro successu, fortuna, dixit; et *Mæonidæ:* ut VIII. 499. 479. a credita vulgo Etruscorum e Lydia origine.

759 *fatis debitus*, v. sup. 590. 591, 592. Est autem Arruns ex Etruscis, quos Tarchon Æneæ adduxerat. *jaculo* (quod vibrat, ad ictum paratum. v. mox v. 767.) *et multa* cum *arte* Camillam Aruns *prior:* quod ad *velocem* spectat; prævertens eam, dum lateri semper

Circuit, et, quæ sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo:
Hac Arruns subit, et tacitus vestigia lustrat;
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat:
Hac juvenis furtim celeris detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; et certam quatit inprobus hastam.
Forte sacer Cybelæ Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis, aënis
In plumam squamis, auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati
Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantis
Carbaseos fulvo in nodum conlegerat auro,
Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur; totumque incauta per agmen
Femineo prædæ et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis quum tandem tempore capto

adhæret. 761. *quæ sit fortuna facillima*, eleganter, qua facillime hasta peti ea poterat; omnis autem jactus aliquo fortunæ munere successum suum habet. 762. *furens*, utpote in pugna, ardens. 767. *certam*, cujus ictum certum destinaverat.

770. 771 Hærent in his Iutpp. Mihi sic jungenda videntur: *pellis* ferina *auro conserta*, h. aureis fibulis, subter alvum equi oras pellis constringentibus, collecta et firmata; sed *pellis aënis in plumam squamis*, h. cum squamis, habens squamas in plumæ modum ex ære factas, seu habens laminam æream, in squamas elaboratam, quæ plumarum speciem præferrent; huic autem laminæ pellis, ne corpus æris rigore læderetur, pro stragula substrata erat et subjecta. Plumæ igitur eæ ipsæ squamæ sunt; a forma dictæ. *In plumam:* ut VI. 42. *Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum. peregrina ferrugine et ostro*, h. purpura ferruginea. ut *ferrugine clarus Hibera* sup. IX. 582. *clarus* h. l. conspicuus. Epitheta v. 773. tantum ad ornatum pertinent: 775. *Cassida:* forma hæc vocabuli etiam apud Propertium occurrit. Collegerat in nodum *sinus carbaseos crepantes:* de eadem chlamyde crocea, ut adeo ea sit ex tenui linteo, croceo colore. Linteum hoc ut crepet et sonitum edat, mota chlamyde, intextæ faciunt laminæ aureæ; jungendum enim: *sinus crepantes fulvo auro. nodum* in vs. 776. de fibula accipere cogimur, quippe in chlamyde. Tandem interior vestis seu tunica v. 777. erat opere Phrygio. cf. sup. III. 483. 484. Ad Phrygium amictum etiam referendum est, quod de crurum integumentis sequitur: *et* erant *barbara* (h. Phrygia) *tegmina crurum*. Bene autem Servius: "Sane armorum longa descriptio eo spectat, ut in eorum cupiditatem merito Camilla videatur esse succensa." Scilicet, etsi virilis animi femina, tamen a cultu et ornatu

Concitat, et superos Arruns sic voce precatur:
Summe deum, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur; et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna;
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias, pulsæve tropæum
Virginis, aut spolia ulla peto. Mihi cetera laudem
Facta ferent. Hæc dira meo dum volnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbis.
Audiit, et voti Phœbus succedere partem
Mente dedit; partem volucris dispersit in auras.
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Adnuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque notos vocem vertere procellæ.
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras
Convertere animos acris oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque auræ
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli:
Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suspiciunt. Fugit ante omnis exterritus Arruns,
Lætitia mixtoque metu; nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,

intactam mentem non habuit. Hinc v. 782. *femineo ardore*, impatienti.

786 *primi* præcipue inter cæteros, quod vulgo: inprimis. *acervum* pro strue lignorum dixit: et quia ea pinea, hinc traduxit ad ignem; *pineus ardor*. 788. *premimus vestigia*, plantas: ut *ponere, imprimere*, h. incedere pedibus, *multa pruna*, in prunis. Fieri hoc plantis medicamento tinctis, non ignoravit Varro, cujus verba Servius servavit. 790. *pulsæ*, aut impulsæ, prostratæ, aut fugatæ et h. l. victæ. *inglorius* ut δυσκλεὴς de Agamemnone Iliad. β, 115. 794. 795. Ad Homericum Iliad. π, 249. sqq. *Mente γνώμῃ*, consilio, decreto animi; nullo tamen signo declarato. 797. *patria alta*. Ornans epitheton satis frequens, h. clara, nobilis. Interdum ad situm refertur, etiam ad murorum ac turrium altitudinem. Sed in talibus epithetis satis est, animo obversari obscuram notionem magnæ alicujus et præclaræ rei.

799 Egregie animus Camillæ imperterritus describitur: inprimis vss. 801. 802. In 804. hasta, *alte acta, bibit cruorem*, Homericum λιλαιομένη χροὸς ἆσαι exprimi jam Macrobius VI. 6. putabat: quod tamen paullo diversum est. 803. Argutantur Intpp., dum de mamma Amazonum exusta cogitant: est *mamma* exserta, humero dextro nudato. Comparatio autem v. 809. subjecta tam egregie ornata et ad naturam animantis propius adducta (inprimis vss. 812. 813.) est, ut inter præstantiores

Continuo in montis sese avius abdidit altos;
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, silvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga mediis se inmiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex æqualibus unam,
Adloquitur; fida ante alias quæ sola Camillæ;
Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc volnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla,
Et captum leto posuit caput, arma relinquens;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero inmensus surgens ferit aurea clamor
Sidera; dejecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum,
Tyrrhenique duces, Evandrique Arcades alæ.
At Triviæ custos jam dudum in montibus Opis

numeranda sit. 810. *sese abdidit*, abdere solet, abdit, fugit, ex Græc. aoristo. *conscius audacis facti*, quem θῆρα κακὸν ῥέξαντα dixerat. *caudam pavitantem*, quæ est feræ pavitantis, *remulcens*, reflectens, ὀῤῥωδῶν; sed exquisite: ut *mulcere* sit mulcendo inflectere.

821 *ante alias sola fida* quæ erat: quod communius solet dici: *una ante alias fidissima*. 823. *Hactenus potui*, viribus valui. Pro vulgari: nunc vires deficiunt, vel deficio jam. 825. Animum generosum Camillæ facile unusquisque miretur, quæ in ipsa morte non de sua, sed de reip. salute cogitat. 829. *exsolvit se*. Proprie anima corpore exsolvi dicitur. Tamen et sup. IV. 703. *teque isto corpore solvo*: Iris allocuta Didonem moribundam. 830. *captum leto caput*, h. victum, adeoque languens. 834. *omnis copia* h. copiæ, totus exercitus.

836 Exsequitur nunc Opis quod mandatum erat a Diana sup. v. 587. sq. *custos*, Dianæ comes, famula, ut lib. V. 546. Epitydes *custos comesque* Iuli. VIII. 270. de-

Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam;
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema jam in morte; neque hoc sine nomine letum
Per gentis erit; aut famam patieris inultæ.
Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;
Hic dea se primum rapido pulcerrima nisu
Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. Tune etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, et aurata volucrem Threissa sagittam
Depromsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus jam tangeret æquis,

mus Herculei custos Pinaria sacri de sacerdote. 843. *desertæ in dumis* venustius ex poëtica ratione, quam, in dumis desertis, h. silvis. 846. non erit hoc letum ignobile, nec habebis *famam inultæ*, ignominiam, h. non morieris inulta; non narrabitur de te, tulisse eum impune, qui te interemit. Fit hoc ex Dianæ mandato.

849 Tumulorum hoc genus antiquissimum ex aggesta in collis altitudinem humo, apud omnes fere veteres populos. Exemplum etiam apud Homerum Iliad. η, 86. sqq. β, 603. ψ, 245. sq. Nunc illud observandum, quod quercubus consitus est. Regem Dercennum aliunde non novimus. 854. *vana tumentem* (κατ') ἐτώσια εἰδαίνοντα. *diversus*, in diversa, ἑτέρωθι. 856. *digna C. præmia*, pœnam meritam Camillæ morte. 857. *Tune etiam telis moriere Dianæ?* Ut verba sunt, sensus erit: etiamne Dianæ telis opus erit, ut tu pereas?

858 sqq. Quandoquidem memorabilis inter tot alias hæc est sagittatio, qua dea ulciscebatur mortem Camillæ, cujus admiratio adhuc animos nostros tenuit, ornata ea est a poëta exemplo Homerico in Pandaro Iliad. δ, 116. sqq. *Threissa* Opis, forte tamquam una e puellis Hyperboreis. Thracum autem nomen late propagatum, ut supra quoque de Amazonibus ex Scythia v. 659. 859. *infensa*, infenso animo, qui vires novas adjiciebat. 861. *æquis* pro æque, æqualiter dextra

Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantis
Audiit una Arruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt;
Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas;
Disjectique duces desolatique manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus;
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussæ pectora matres
Femineum clamorem ad cœli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi inrupere patentis,
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Adcipere orantis; oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrimantumque ora parentum,

pectus ac læva sagittæ cuspidem: scilicet dextra nervum tetenderat, ita ut mammæ admotus ille esset; læva tenebat arcum ea parte, qua sagitta arcui imposita erat a nervo impellenda. 866. *obliti*, negligentes, h. e. non curantes præ fugiendi studio.

868 *levis* simpliciter ornat. Equitatus omnino levis, quatenus expeditior est ad iter, fugam, pedite. 870. *manipli*. De signiferis accipiunt Serv. Cerda; quidni ipsi militum numeri? ut vocabulum hoc accipi solet: h. l. turmæ equitatus. *desolati*, ut, *vastatæ cohortes*, ex dispersione et fuga. 872. Trojanos letum inferentes. 874. ipsi languentes, fessi.

875. *campum putrem*, qui in pulverem resolvitur, ut jam sup. VIII. 596. Mox *e speculis*, de muris, unde prospiciunt.

880 *super* a tergo: ut alibi quoque; premit fugientes hostis. 884. *nec mœnibus*, urbe, portis; ex more loquendi; non, pro, muris. 885. 886. Paullo obscurum est, utri sint *defendentes* et *ruentes*. Simplicissimum hoc esse arbitror: agi de portis nondum clausis, sed claudendis. Dum in eo sunt oppidani, ut portas claudant, ecce irruunt primi fugientes, quos isti accipere intra urbem nolunt. Hinc oritur cædes partim eorum, qui vi ab ingressu portæ fugientes prohibere

Pars in præcipitis fossas, urgente ruina,
Volvitur; inmissis pars cæca et concita frenis
Arietat in portas et duros objice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ), ut videre Camillam,
Tela manu trepidæ jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Interea Turnum in silvis sævissimus inplet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostis, et Marte secundo
Omnia conripuisse; metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens (et sæva Jovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos collis, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat, campumque tenebat:
Cum pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt;

volunt, partim eorum, qui vi irrumpunt et in resistentes irruunt. 888. *urgente ruina* soli, ut fit in ora seu margine fossarum, ut ruat solum et fatiscat.

891 Affectum Latinarum matronarum aut ex hoc profectum dicere necesse est, quod *Camillæ corpus* deportatum ex pugna conspiciunt: quam cum pro Latinorum salute cecidisse videant, ipsæ partim miseratione partim patriæ defendendæ studio inflammantur: aut *Camillam pugnantem* ipsæ de muris prospexerant. Hoc si sequaris, interpretatio ita instituenda est: cum matronæ Latinæ viderunt Camillam *summo certamine;* in extremo discrimine: (ut sup. v. 476. *labor ultimus*) adeoque etiam viderunt eam cadere: ipsæ incensæ arma sumunt et in hostem propugnare volunt. 892. *Monstrat amor verus patriæ.* sc. *amor verus patriæ monstrat Camillam* sc. pugnantem et occumbentem pro patria: quo exemplo inflammatæ ipsæ arma capiunt. Ita *virtus* aliquem *monstrat*, insignem reddit, ut conspiciatur inter cæteros et noscatur. 893. 894. Junge *stipites robore duro:* quibus et sudibus pro ferro utuntur. 895. *Præcipites*, ut *trepidæ*, festinationem ac studium declarat.

897 *Nuntius* pro re nuntiata. Hoc facile quisque videat. Malim illud observatum: *Nuntius implet Turnum*, ut absolute, *implere aliquem*, dictum sit. Sed res sic expedienda: usum esse poëtam more suo, et id, quod adjiciendum erat: *implet Turnum ingenti tumultu*, in binas enuntiationes resolvisse: *Nuntius implet Turnum* et *Acca fert juveni ingentem tumultum*, perturbationem, rem nuntiat, quæ turbet ejus animum. *M. s. omnia corripuisse*, et victores pugna facta omnia loca occupasse.

901 Comparant illud Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή Iliad. α, 5. Pertinet autem hoc, ut toties vidimus, ad epicam œconomiam, ne casu factum videatur, sed Jovis voluntate. *sæva*, infesta, adversa: at mox *sævum Æneam* fortem, ut I. 99. et al. 902. Locorum notationem v. sup. 522. 527. sqq. et Nota ad e. l. 904. *saltus apertos* non obsessos amplius, vacuos ab hoste. 905. *Æneas in armis* junge, armatum, cum agmine armatorum.

Ac simul Æneas fumantis pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
Et sævum Ænean adgnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et prœlia tentent;
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Hibero
Tinguat equos, noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem, et mœnia vallant.

911 *flatus*, hinnitus. 912. *ineant, tentent*; iniissent, tentassent, ni tinxisset h. mersisset equos Phœbus Oceano occiduo, qui ultra Hispaniam patet. Monuere olim Grammatici ap. Servium *tingat* humiliter dictum esse. Poterat simile quid moneri paullo ante in v. 912. *ineant pugnas et prœlia tentent*. Potest tamen defendi hoc, cum et discrimen habeant illa duo, et jungi fere sic soleant ab Homero: πολεμιζέμεν τὸ μάχεσθαι.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM.

Attritis duobus adversis prœliis Latinorum viribus, animisque eorum fractis, Turnus, ubi omnem spem suam in se sitam videt, frustra dissuadente Latino, reginaque multis eum cum lacrimis nequicquam retinente, singulari certamine cum Ænea dimicare statuit: ejusque rei Æneam per quendam ex suis, Idmonem nomine, facit certiorem—106. Accipit conditionem Æneas, sollennique utrimque sacramento fœdus sancitur—215. Id Junonis impulsu 134—160. a Juturna Nympha, Turni sorore, in falsam Camertis imaginem conversa, perturbatur—248: primusque omnium Tolumnius augur, falso augurio certam suis victoriam promittens, unum ex Gylippi filiis hasta trajicit—276. Quo facto in conflictum armorum utraque pars ruit—310. Æneas quoque, dum subiti tumultus causam ignorans suos revocare conatur, ab incerto auctore sagitta vulneratus, prœlio excedere cogitur—323. Qua re intellecta Turnus, magnam sibi rei bene gerendæ occasionem oblatam ratus, ingentem hostium stragem edit—388. Interim Venus, decerpto ex Ida Cretensi dictamno herba, filio suo medetur—429. Refectis viribus Æneas, Ascanium paucis suo exemplo ad virtutem cohortatus, suis auxilio occurrit, Turnumque nominatim ad pugnam deposcit—445. Verum cum Turnus sui copiam non faceret (Juturna enim, quæ, excusso Metisco auriga, currum ejus moderabatur, in diversam semper partem habenas deflectens, congredi eos non patiebatur)—485., cæde multorum facta—553., oppugnandæ urbis consilium capit: admotoque ad mœnia exercitu, in propugnacula proximaque ædificia ignem conjicit—592. Ibi Amata, cum Turnum occisum arbitraretur, doloris impatientia laqueo vitam finit—613. His rebus Turno per Sacem nuntiatis, cum eo rem redactam videret, ut sibi necessario dimicandum esset, nisi perpeti mallet sociorum urbem, se inspiciente, in hostium potestatem pervenire, ultro Æneam ex præscripto fœderis ad singulare certamen provocat—696. Ea pugna superior Æneas, cum victi hostis precibus jam pene ad misericordiam flecteretur, conspecto in humeris ejus balteo, quem occiso Pallanti Turnus detraxerat, repente ira accensus gladio per pectus adverso eum vita spoliat—ad fin.

TURNUS ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultro inplacabilis ardet,

1 *infractos*: Monuerunt nunc satis multi *infractum* esse valde fractum. *in* in his habet vim Græcorum α intensivi, si modo utrumque intendit, nec potius, ut sæpe fit, otiosum vacat et α et *in*. 2. *sua nunc promissa*: de meliore armorum successu, et de pugna cum ipso Æneæ ineunda. v. XI. 496. sqq. *posci*, expectari ut iis satisfaciat. 3.

Adtollitque animos. Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum volnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Inpavidus frangit telum, et fremit ore cruento:
Haud secus adcenso gliscit violentia Turno.
Tum sic adfatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiæ (sedeant spectentque Latini),
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjunx.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me inpensius æquum est
Consulere, atque omnis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est;
Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri.

ultro; nullis adhuc probris et conviciis a quopiam factis. 4—9. Sumta comparatio ab Homero Iliad. *s*, 136. sqq. *υ*, 164. sqq. quæ inter splendidissima Homeri loca sunt: Ut leo vulnere accepto multo magis furit, sic Turnus adverso rerum successu magis etiam quam ante irascitur: hoc enim est *attollit animos, et gliscit violentia Turno accenso*. 6. *movet arma*, a virorum pugna petitum; nihil amplius; ad pugnam se parat. cf. Ge. III. 236. *gaudet:* gravius quam, solet; voluit *exultare*, *γαυριᾶν*, exprimere, quod hic alacritatem animi indicat et ferociam. *fixumque* sc. in vulnere, receptum corpore. *latronis* h. l. venatoris, qui ex insidiis eum aggressus est: translate, ab iis, qui vias obsident prædandi caussa.

11 Repetit Turnus quæ jam sup. XI. 434. sq. dicta, dum se pugnæ singulari cum Ænea obtulerat. 11. 12. Respicit sup. XI. 115. sq. Æneæ verba ad legatos Latinorum, sed in invidiam Æneæ translata. *retractent*, revocent, recantent recedendo ab iis, de quibus jam conventum erat; nam sequitur *recusent*. 13. *concipe fœdus*, verbis conceptis. 15. *Desertorem Asiæ*, invidiose, quasi transfugam; supra VII. 359. *exules Teucros* dixerat Amata. *sedeant s. L.* ad ignaviam exprobrandam accommodatum. 16. *crimen commune*, criminationem Turni ab omnibus factam (cf. sup. XI. 215. sqq.) abolere vult. 17. aut ille vincat me. *victos*, victum me.

18 Decorum ætatis, *τὸ πρέπον*, in Latini sermone, hoc est, prudentia, moderatio, et lenitas, in oculos incurrunt. 19. *quantum ipse* ornate: quo ferocior tu es, eo magis consentaneum est etc. 22. *Sunt tibi—Sine me;* hæc jungenda ad absolvendam sententiam. Callide senex Latinus ea præmittit, quæ dolorem et iram lenire possint. Habes

Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Conjugis et mæstæ lacrimis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero; arma inpia sumsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus:
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia: ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis
Longævi, quem nunc mæstum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, ægrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optume, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et nostro sequitur de volnere sanguis.

regnum paternum cujus ditio nuper captis aliquot oppidis aucta est: mihi aurum est, et animus largiendi tibi quantum satis est (h. si aurum insuper cupis, habebis id a me. *animus*, propensa voluntas); sunt aliæ puellæ tuis nuptiis non indignæ; verbo adsunt omnia, quæ moderatis votis satisfacere possint; sed meæ filiæ conjugio potiri non potes. 27. *veterum procorum*: respectu adventæ Æneæ dicti *veteres*, indigenæ illi. 29. *cognato sanguine*, quia Venilia, mater Turni, soror erat Amatæ. 30. *vincla o. r.* religionis et fœderis. 31. *Promissam eripui genero*. Nam Æneæ per legatos promiserat filiam. 35. *Italas* ornat: simpl. spes nostras. *recalent* pro *calent*; aut *recalent*, iterum calent, magna quod bis victi pugna. 37. 38. 39. Cur toties consilium muto, fœdere cum Trojanis semel sancito? Si, quod vides mihi faciendum esse extincto te, ad societatem cum Trojanis antea initam redeundum est, cur idem non facio te vivo et incolumi? 44. *longe Dividit*; ne dubita sic jungere; etsi Ardea non adeo longe aberat a Laurento.

46 *Exsuperat*, felix dilectu vocabulum pro vulgari crescit, prævalet.

49 *letum pro laude pacisci*, ἀντὶ κλέους mortem recipere, non recusare; h. leto redimere laudem, gloriam. *Letum* autem, cujus saltem discrimen subibat pugna suscepta. conf. inf. 74. Supra V. 230. eodem sensu *vitam pro laude, pacisci* erat dictum.

Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Feminea tegat; et vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnæ conterrita sorte,
Flebat; et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum (spes tu nunc una, senectæ
Tu requies miseræ; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit):
Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. Simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
Adcepit vocem lacrimis Lavinia matris
Flagrantis perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: talis virgo dabat ora colorea.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus;
Ardet in arma magis, paucisque adfatur Amatam:

Scilicet pactione et damus aliquid et accipimus; utrumque *pacisci* designare potest: adeoque et vitam pacisci quis et mortem potest, illam reddendam, hanc ferendam. 51. *nostro vulnere*, quod ego infero. 52. *Longe illi erit*: formula minarum frequens inprimis poëtis. 53. Distinximus post *tegat*; quo facto loci difficultas sublata est: *Longe illi dea mater erit,—et vanis* (h. e. in vanum) *sese occulat* (pro occulet) *umbris*, quibus ille antea nube a matre (unde materna et nunc *feminea* nubes) tectus, occultatus fuerat.

54 *nova pugnæ sorte*. nova pugnæ conditione, novo genere: singulari sc. certamine. 55. *moritura*, tamquam quæ mori decrevisset, nisi ille flecteretur. cf. XI. 741. et sæpe. 57. *honos*; *αἰδὼς*; passive, qui habetur, reverentia. 58. *imperii* notionem ornat et auget *τὸ decus*, dignitas, auctoritas. *in te o. d. i. recumbit*; ornate: nititur, tu columen es, tamquam futurus gener, *ἐν οἴκῳ ἐρέμνῃ*. 60. *Teucris* pro Teucro, Æneæ, positum esse unusquisque videat. Sed quorsum factum? ut a vulgari oratione recederet. Ita mox 62. *hæc lumina* pro, hoc lumen, vitam. 63. *captiva* ad invidiam adjectum: satis erat victa, cujus propositum exitu caruit; vel obnoxia, quæ, marito mortuo, sub generi manu futura est.

64—69 Præclare *τὸ ἦθος* in virgine servatum. Erubescit illa; animi sensa non eloquitur. Erubuisse autem putanda est cum præsente Turno nuptiarum esset facta mentio, quas mater cum ipso, non cum Ænea, factas esse vellet. Nam de amore Laviniæ, in utrum illa animo inclinaret, nihil usquam si bene memini, posita meminit. 65. 66. Non est hypallage, quod volunt, inepta figura; sed utrumque dici et animo repræsentari potest: ut et ignis h. calor sanguinis ruborem faciat, et rubor sanguine moto, calorem.

67 *violaverit*, docte pro tinxerit: quia adscititius color omnino nativum *φθεῖραι*, corrumpere dicitur.

68 *rubent* int. de repercusso rubore vicino. Supplendum autem: *Indum s. velati—Alba rosa*: qualis tum color esse solet, *tales virgo d. o. colores*: talis color erat in virginis ore.

70 Ut ipse rubor decebat puellam, Turnus Laviniæ amore magis incenditur: nec tamen

Ne, quæso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit:
Non Teucros agat in Rutulos. Teucrum arma quiescant,
Et Rutulum. Nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quæratur conjunx Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit:
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementis,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo
Ensemque clipeumque et rubræ cornua cristæ;
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, validam vi conripit hastam,

alloquitur eam, sed oculis in eam conjectis matri respondet. Aliter heroum vita, aliter nostri mores ferunt.

72 *omine tanto;* ipsis lacrimis ominosis in exitu ad pugnam. 74. *neque enim Turno mora libera mortis,* si mors fatalis instat non liberum mihi est ei moras injicere. Vera igitur altera apud Servium ratio: *neque enim in potestate mea est, moram inferre venientibus fatis.* 76. *Haud placitura* tamquam ignavo Æneæ, qui retractare vellet dicta.

83 Poëtico more equorum genus ornat. Sunt hi Turni equi ex Thracia, Boreæ sede, cujus uxor Orythia ex Attica. 85. *Lacessunt plausa* ornate pro plaudunt. conf. Ge. III. 186. De voc. *lacessere* v. ad X. 10. 87. *squalentem auro,* splendentem. *alto orichalco.* Cum de metallis omnino multa, fide parum explorata, crediderit vetustas: etiam pretiosum aliquod et auro proximum metallum narrant poëtæ ὀρείχαλκον. Æris genus aliquod pallidius fuisse ex hoc Virgiliano loco colligitur. 88. *aptat habendo,* ad habendum, h. e. ut habere eum commode manu ac tractare possit; explorat, an habilis sit ensis. 89. capiti aptat galeam. *cornua cristæ* nove dixisse videtur. Servius comas interpretatur, cornua enim proprie esse cincinnos. Sed a poëta designari videtur galea duplici vel triplici crista ornata, quæ explicita et discriminata in ternas diversas partes vergit ac nutat: Tales λόφοι, ex comis s. φάλαις suis prodeuntes, potuere per cornua designari. 91. *tinxerat,* ad temperandum, seu indurandum ferrum. *Stygia* autem *unda* tinxisse ferrum Vulcanum ait; nescio, an satis commode; quandoquidem diis superis Stygis adeundi nulla est data facultas; argute tamen et ingeniose; quandoquidem Styx non modo amnis ille est et ipsis diis sacer et horrendus: verum etiam quoniam et ipse ἀφθίτος amnis erat et incorrupta atque ab omni vi secura reddebat ea, quæ in eo mergebantur.

92. 93 Ad veteris ævi morem omnia. vid.

Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos et dIs communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
Velati limo, et verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori,
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asylas,
Et Messapus equum domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit:
Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant.
Tum studio effusæ matres, et volgus inermum,
Invalidique senes, turris et tecta domorum
Obsedere: alii portis sublimibus adstant.
At Juno e summo, qui nunc Albanus habetur,
Tum neque nomen erat, nec honos aut gloria monti,
Prospiciens tumulo campum adspectabat, et ambas,
Laurentum Troumque, acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est adfata sororem,
Diva deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet; hunc illi rex ætheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate sacravit;

commune est. 116. In seqq. potuit ante oculos versari simile inter Trojanos et Achivos fœdus de pugna singulari Iliad. γ, 314. sqq. Campum *parabant*, instruebant, sequando, purgando, ab arbustis etc. 118. In *ara*, quæ h. l. e cespite fuit, puta esse *focum*, qui *ignem* recipit. *Dii* autem *communes*, per quos utrique juraturi erant Latinus et Æneas. 120. *limus* est subligare, περίζωμα, quo cincti erant ministri sacrorum.

121 *pilata agmina*, pilis armata. Recte hoc armorum genus Romanis proprium (cf. Ge. I. 495.) nunc tribuit *Ausonidarum* h. Latinorum agmini; ut supra Aventini cŏpiis lib. VII. 664. 127. Mnestheum, Asylam, et Messapum excitat nominatim, primum ut poëta, quandoquidem singula enarrata plus ἐναργείας habent quam summatim annumerata; tum quia hi inter viros principes maxime memorabiles, quorum etiam mox opera erit præcipua. De Mnestheo Trojano vid. sup. ad lib. V. 116. 117. de Asyla Etrusco lib. X. 175—178. Messapus in Latinorum auxiliis erat. cf. sup. VII. 691. 131. seq. Ornate: cupiditate spectandi domo egressæ feminæ, pueri, et senes, ædium tecta et muros adscendunt.

135 *neque nomen:* nam hoc demum ab Alba condita habuit: *neque honos*, qui per ferias Latinas in eo haberi solitas accessit. 139. *Juturna* proprie unius fontis Nympha est, qui non longe a Numicii fonte aberat,

Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile,
Prætulerim, cœlique lubens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua mœnia texi:
Nunc juvenem inparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam adspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu, pro germano si quid præsentius audes,
Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: quum lacrimas oculis Juturna profudit;
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Adcelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam volnere mentis.
Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo et cœlestibus armis,

ex montis Albani radicibus progressus, mox in lacum diffusus, et in Tiberim delatus. Habita nympha inter deas Latinorum indigenas. *Diva deam* h. dea deam, nihil amplius, nec audiendi grammatici qui distinguunt. 141. *sacravit*: cum dilectu positum verbum, pro, *dedit*. 142. *decus fluviorum* pro aquarum, fontium. 144. *ingratum cubile*: h. invisum, quatenus stuprum Junoni invisum a Jove in eo exercetur. 151. Comparant Iliad. γ, 305. 306. 307. saltem ad verba. Ad rem nota Servii facit, qui numina, quoties morituros viderint eos, quibus favent, ab iis recedere monet: vid. Stat. VII. Theb. 789. et Iliad. χ, 213. 153. *decet*; plus est quam licet; ἴσως. *forsan*. ut fiat: possit fatorum ordo mutari. 155. *honestum*, pulcrum ex καλὸν. 157. *si quis modus*, exquisite pro, quocunque modo; etiam docte mox *excutere*, pro concutere, turbare, συγχεῖν. 160. *Incertam*: s. utrum tentaret quod Juno jusserat, s. de eventu incerta. Nam v. 153. *forsan miseros meliora sequentur*.

161 sqq. Multum superavit Maro Homerum in sollennibus fœderis exponendis: cf. Iliad. γ, 259. sqq. *ingenti mole*, magna molitione, apparatu. 164. Corona radiata ornatus Latinus in stirpis a Sole ductæ argumentum. *specimen* est δεῖγμα, documen-

Et juxta Ascanius, magnæ spes altera Romæ,
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Sætigeri fetum suis, intonsamque bidentem,
Adtulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis et hæc mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et pater omnipotens, et tu Saturnia Juno,
Jam melior, jam, diva, precor, tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
Fontisque, Fluviosque voco, quæque Ætheris alti
Religio, et quæ cæruleo sunt numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno:
Convenit, Evandri victos discedere ad urbem;
Cedet Iulus agris; nec post arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem:
(Ut potius reor, et potius dI numine firment),
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambæ

tum. *Solis avi* ad maternum genus et Circen, Solis filiam, hic recurrendum. 165. *Bina*: ex more heroum. v. Cerda et sup. lib. I. 313. 167. habens clipeum et arma a Venere matre accepta. *Sidereus* h. l. vel divinus vel fulgens, coruscus; sideris instar; ἀστερόεις; frequens poëtis; alterum hoc cum *flagrans* convenit. 170. In fœdere jungendo, porca mactatur more Romano. cf. sup. VIII. 641.; agna Trojano et Græco vid. Iliad. γ, 246. sq.

172—174 Notandus mos horum sacrorum. Orientem spectantes molam salsam injiciunt victimæ, pilos e fronte ejus exscindunt eosque, (cf. sup. VI. 245. 246.) quos in flammam conjiciunt: tum vinum in aram libant. Fieri hæc ad consecrationem victimæ putanda sunt. Inde inf. 213. *rite sacratæ pecudes*. Græcis uno verbo est κατάρχεσθαι. *pateris altaria libant*, exquisite, libando rigant. 179. *jam melior*, propitia, placata; ad Heleni monitum respicere putatur sup. lib. III. 435. sqq. 180. *torques* h. l. regis, moderaris, proprie, flectis, ut currum. 181. *quæque Ætheris alti Religio*. Variavit orationem; h. Ætherem invoco. Si numen ei est, si religiose colitur, etiam religionem ætheris esse necesse est: hinc suum *quæque* etc. petiit. 184. *Convenit*: συγχωρεῖται; conventum esto in hoc, ut. 187. *Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem*: Est doctior loquendi ratio pro vulgari: si annuerit Victoria, faverit, nostræ pugnæ: quod fit fausto ejus exitu; nunc, cum pro pugna Mars memorari soleat, pro pugnæ eventu secundo *nostrum Martem* dixit, h. exitum secundum, qualem nos optamus. Ita Mars non modo pugnam, sed et fortunam et successum pugnæ, in voto illo denotat: *æquo Marte*, ut sup. VII. 540. et al. 188. *reor*, h. l. pro spero. 189. sqq. Hæc egregie ex eo, quod

Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra deosque dabo: socer arma Latinus habeto;
Imperium sollemne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, Terram, Mare, Sidera, juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine sancit;
Tango aras; medios ignis et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent; nec me vis ulla volentem
Avertet; non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, cœlumque in Tartara solvat:
Ut sceptrum hoc, dextra sceptrum nam forte gerebat,
Numquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Cum semel in silvis, imo de stirpe recisum,
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos; nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas

vere factum esse ex historiis constat adumbrata sunt. 190. *Paribus legibus.* Hoc jam præmunierat poëta oraculorum veterum auctoritate: cf. sup. VII. 256. 192. *Sacra deosque*, intell. Penates ac Vestam. Latinus habebit summum imperium cum jure belli: ut adeo sub eo legibus suis vivant Trojani. *sollemne* accipio legitimum: ut solent ea, quæ legitima sunt, sollenni ritu suscipi, tradi. 198. Deos in Italia vetustissima religione, Pelasgica scilicet, cultos nominat. 199. *vim deum*, deos inferos et Ditem. Nihil amplius. κρᾶτος θεῶν pro θεοὺς κρατερούς. 200. *fulmine*, tamquam ostento: aruspicinam spectat. Nisi malis cum aliis de Jove perjurii ultore cogitare. 201. *medios ignes*, in medio positos: ut sæpe. Elegantior tamen Heinsii interpretatio, ut sint tamquam sequestres et conciliatores pacis. 203. *volentem* bene adjectum: nam potest fœdus rumpi eo nolente et invito, ut factum sup. VII. 586. sqq. 204. 205. non, si vis ulla Terram, Mare, Cælum ac Tartarum misceat. Exquisite autem hoc extulit. *Diluvium* pro aquis inundantibus, quibus misceantur tellus et undæ. *effundat tellurem in undas.* constituenda est notio τοῦ *effundat* ex altero *solvat.* Tellurem mari obrutam et dissolutam ac liquefactam vis major diluat et effundat in mare: tamquam glebam illam, βῶλον ὑγρὰν Medeæ ap. Pind. Pyth. IV. 67. sq. *cælum in Tartara solvi*, h. resolutum cum T. misceri. Ad 206—211. vix necesse ut moneamus hæc ex Iliad. α, 234. sqq. esse adumbrata. Comparent studiosi ipsa verba. 208. *cum semel* ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν (h. stirpem, unde recisum fuit) ἐν ὄρεσσι λέλοιπε. *matrem*, de terra ut sup. XI. 71. Potest tamen, quod malim, de ipsa stirpe, trunco cum radicibus, accipi. 210. Ære ornatum sceptrum cogita. Vis autem

In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis inpar ea pugna videri
Jamdudum, et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt, non viribus æquis.
Adjuvat, incessu tacito progressus, et aram
Suppliciter venerans demisso lumine, Turnus,
Tabentesque genæ, et juvenali in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et volgi variare labantia corda:
In medias acies, formam adsimulata Camerti;
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis;
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non sumus? En, omnes et Troës, et Arcades hi sunt,
Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.

comparationis in hoc: ut hoc sceptrum, hæc hasta, nunquam repullulabit, sic nunquam ab hoc fœdere recedam. *In flammam jugulant*, ut sæpe jam vidimus, verbo motus resoluto in alterum verbum, pro in *flammas* projiciunt jugulatas. 215. *cumulantque oneratis*, cumulate imponunt aris: *viscera* sunt exta, quorum primitias (ἀπαρχάς) lanci impositas ad aram allatas in flammam immittebant cremandas.

218 *ut propius cernunt* scil. pugnam, *non viribus æquis* ineundam. 219. *Adjuvat*, facit, ut ita iis videretur; auget metum. 229. *pro cunctis talibus:* in laudem dictum ne dubita vel propter vs. sequ. pro his, pro omnibus his viris fortibus, qui et ipsi pugnare poterant, *numero et viribus æqui*. 232. *Fatalis manus:* De Trojanis, qui fataliter ad Italiam venerant, vix bene cum Servio accipias: propter copulam, quæ hoc ad Etruscos revocat: quos vel omnino epitheto hoc ornavit ut sint agmen dirum, tetrum, exitiale, vel ut respexerit sup. lib. VIII. 497. sqq.; ut quoque Cerdæ visum; etsi hoc molestum satis et longe petitum est. 234. Augusta rei species: *superos, quorum se devovet aris:* sententia tamen obscurior: *Aris deorum* proprie *se devovere* dicitur is qui aut sacerdotio consecratur, aut sacris templisque tuendis se consecrat ac devovet, adeoque pro aris: ut sup. XI. 440. *vobis animam hanc soceroque Latino Devoveo:* vobis tuendis, pro vobis, pro vestra salute. Neutrum hic locum habet. Erit igitur *aris deorum* absolute, pro *in aris*, ad aras; devovet ille se, vitam suam, morti, pro Latinis, fœdere facto ad aras deorum: re

Talibus incensa est juvenum sententia dictis,
Jam magis atque magis; serpitque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant: nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, et alto
Dat signum cœlo; quo non præsentius ullum
Turbavit mentis Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in æthra
Litoreas agitabat avis, turbamque sonantem
Agminis aligeri; subito cum labsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit inprobus uncis.
Adrexere animos Itali, cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam; mirabile visu;
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, et ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi;
Adcipio, adgnoscoque deos; me, me duce ferrum
Conripite, o miseri, quos inprobus advena bello
Territat, invalidas ut avis, et litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo

omni in majus aucta. 238. *juvenum sententia*, ut γνώμη, pro animo.

244 sq. In his manifesta vestigia Homerici prodigii Iliad. μ, 200. sqq. 245. *præsentius*; h. non aliud tam clarum et manifestum unquam visum fuerat a Latinis. *monstro*, h. l. ostento, augurio ipso. 248. Fuere cygni, ut ex seqq. patet: hos, quam ornate designavit! *littoreæ aves*, pro fluvineis, palustribus. *improbus* h. l. audax. 252. *Convertunt clamore fugam:* redeunt cum clamore, ait Servius, quod in exercitu fieri solet. Acceptit itaque fugam de dispersis aquilæ adventu cygnis: ut sit pro, convertunt se a fuga. Nec improbo: nisi malis fugam de volatu simpliciter accipere; sic *convertimus iter*, non modo, quod mutamus, ut sup. V. 581. sed etiam simpliciter, ut sit dirigere, intendere, et h. l. volatum, in abeuntem aquilam, quam persequuntur. *Penitus:* in interiora nubium.

257 *salutant:* venerantur, cum acclamatione omen accipiunt. 258. *Expediunt* ad arma capienda, *manus*, quas, utpote otiosi, palliis vel togis involutas habebant. 260. pro vulgato: accipio omen. Facile autem vides, Tolumnium augurium in eum sensum interpretari, ut aquilam de Æneæ, cygnum de

Vela dabit. Vos unanimi densate catervas
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostis
Procurrens; sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcerrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjunx Tyrrhena Gylippo;
Horum unum, ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus, et laterum juncturas fibula mordet,
Egregium forma juvenem, et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx, adcensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Conripiunt, cæcique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum; hinc densi rursus inundant
Troës Agyllinique et pictis Arcades armis.
Sic omnis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto fœdere divos.
Infrenant alii currus, aut corpora saltu

Turno, accipiat. 268. *Certa;* directo. *Simul hoc, simul,* variat id, quod alias est *simul simulque,* ἅμα τε καὶ. 269. *cincos* ornate pro consessu et consessus ordinibus dixit.

270 *Hasta—transadigit unum costas.* 273. 274. Secundum exemplum in Iliad. Δ, 132. *laterum juncturas* aliter vix accipere licet, quam ut sint *latera,* h. oræ baltei, ζωστῆρος ὀχῆες, quas *fibula mordet,* colligit, jungit: hincque ornate *juncturas laterum* dixit. Vulnus igitur h. l. acceptum est *ad medium,* in medio corpore, ea ipsa parte, qua coit in alvo balteus, fibulaque inserta constringitur. *balteus* ita *teritur,* adstrictu fibulæ.

277 sqq. Prælio jam pedestri et equestri justo descripto, restabat poëtæ, ut tumultuariam pugnam describeret. Hoc in h. l. fecit, qui sequitur. Comparent studiosi harum rerum pugnam Centaurorum et Lapitharum Ovid. Met. XII. 210. seqq. 280. *inundant* campum, felix voc. ad copiam declarandam. *Agyllini,* conf. sup. VIII. 478. sqq. *pictis A. armis:* ad diversorum metallorum mixtionem sup. lib. X. 181. *versicoloribus armis.* Nisi simpliciter γεραφὲς ἀσπίδων designare voluit: quæ tamen *picta* quidem sed non *versicoloria* possunt dici *arma.*

286 *Pulsatos deos,* gravius verbum posuit, quod αἰκίζεσθαι Græcis esset, ut violatos et ignominiose habitos designaret. Morem autem fuisse necesse est, ut fœderibus faciendis ipsa deorum signa ad aram statuerentur: quippe quæ h. l. attulit Latinus et secum revehit. 287. *Infrenant currus,* ut ἅρματα, pro equis jugalibus. cf. I. Ge. 514. et al. ut contra Homer. ἵππος pro curru. *Subjiciunt*

O cohibete iras! ictum jam fœdus, et omnes
Conpositæ leges; mihi jus concurrere soli;
Me sinite, atque auferte metus. Ego fœdera faxo
Firma manu; Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis adlapsa sagitta est,
Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, deusne,
Adtulerit. Pressa est insignis gloria facti;
Nec sese Æneæ jactavit volnere quisquam.
Turnus, ut Ænean cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virum volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentis
Bella movens inmittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant. Gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atræ Formidinis ora,
Iræque, Insidiæque, dei comitatus, aguntur.

tot exempla et ipsa res docent, galeam non impositam capiti nisi ultimo loco, et re ad discrimen adducta; in negotiis vitæ communibus incedere ac discurrere armatos thorace, nudo adhuc capite, et manu sine hasta, ut h. l. *manum inermem*. 316. 317. Nolite timere pro me: ego firmabo, ratum faciam fœdus, pugna cum Turno ineunda ex fœderis conditionibus, sacro hoc sancitis.

318 sqq. Ad pactionis inter Achivos et Trojanos turbatæ morem hæc esse adumbrata, jam monitum est; sed pleraque docte variata. 319. *alis adlapsa* jungendum, h. advolavit. Docet alter locus sup. lib. IX. 578. *alis adlapsa sagitta, et lævo infixa est lateri manus*. 320. *pulsa*, pro, emissa: sagitta impellitur nervo, cornu, manu. *quo turbine*, docte, pro motu, sed vehemente, magno. 322. *Pressa*, suppressa. 324. sqq. Oblique hoc ipso amplificat Æneæ laudem ac virtutem. Nunc recedente Ænea Turnus conscenso curru redintegrat pugnam, multis virtutis editis specimiuibus. 326. *superbus*, nunc pro, animosus, audax; et *molitur* pro movet, adeoque tractat, regit. 330. *hastas raptas*, correptas, arreptas. Curru vectus non poterat hastas e vulneribus eductas et raptas jacere.

331 seq. Mirifice exornat comparationem Homericam, etsi simplicitate et gravitate non minus insignem, Iliad. ν, 298. sqq. Marti sedes proprie assignata Thracia. *Sanguineus*: gaudens sanguine, αἱματοφόις. Ita Servius: qua auctoritate nescio. Nam alias esset cruentus, sanguine respersus, αἱματόεις. *concitus*, concitate, *clipeo increpat*, docte pro clipeum movet, quatit, rotat: quod faciens alliso clipeo sonitum facit. *Bella movens*, faciens, pugnans. *Thraca* ex Θρῄκη pro Thracia. *circumque*, circa deum, *aguntur*, die-

Talis equos alacer media inter prœlia Turnus
Fumantis sudore quatit, miserabile cæsis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque,
Hunc, congressus, et hunc; illum eminus: eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis;
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia media Eumedes in prœlia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis;
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus;
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Adfecit pretio; nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto:
Ante levi jaculo longum per inane secutus;
Sistit equos bijugis, et curru desilit, atque
Semianimi labsoque supervenit, et, pede collo
Inpresso, dextræ mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tinguit jugulo; atque hæc insuper addit:
En, agros, et, quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic mœnia condunt.

currunt, incedunt, Formido (pro qua *Formidinis ora* dici obvia res est), Ira, Insidiæ.

337—340 Talis rerum species sæpe ab Homero oculis objicitur: v. Iliad. λ, 531.

342 *congressus* cum illo, cominus. 345. ut seu pedites seu ex equo pugnarent.

346 sqq. Ingeniose Eumedem nunc in carmen suum produxit et ornavit, tamquam avo Eumede et patre Dolone natum: cf. Iliad. ι, 314. Homerus quidem de Dolone ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσιν, sed qui tot alia meminerit, in quibus versandis et ornandis poëtæ, inprimis tragici, seu ut novitate et varietate delectent, seu pro consilii diversitate, ab Homero suo recedunt, non mirabitur, Maronem h. l. sibi tantum licere putasse, ut et nobilem et fortem faceret Dolonem. *Antiqui* pro nobilis et magni. 352. *nec equis adspirat A.* mutato tempore, pro *adspiravit*, paullo durius. Dictum cum respectu ad *ausus*: ut jam a Diomede deprehenso ei exciderit magna illa audacia, qua Achillis equos sibi pro mercede explorationis pactus erat: nec tum ille amplius adspiravit ad Achillis equos. 354. Per longum spatium jaculo insequutus e longinquo vulnerasse putandus est. Hinc ille *semianimis lapsusque*: et Turnus, qui hastam nunc non haberet, *mucronem*, seu gladium illius manu extorquet, quo eum jugulet. 355. Desiliit Turnus curru, ut sæpe pugnantes de curribus cominus congressuri, v. c. Iliad. γ, 29. inf. v. 681. 358. *tingit* ensem

Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit;
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque;
Et sternacis equi labsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere; fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies; fert inpetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
Objecit sese ad currum, et spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat volnere corpus.
Ille tamen clipeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat:
Cum rota præcipitem et procursu concitus axis
Inpulit, effunditque solo; Turnusque secutus,
Imam inter galeam, summi thoracis et oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenæ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus:
Interea Ænean Mnestheus et fidus Achates

jugulo, immittit alte in jugulum, ut sanguine tingatur. 360. Amara irrisio; *metire* agros corpore, quos novis colonis Trojani metiri et assignare volebant.

365 Velut boreas nubes fugat, sic Turnus late ante se Trojanos agit. *Edonus* boreas, Thracius. Incumbunt autem aquilones mari Ægæo inprimis graviter, sunt enim hi etesiæ. *fugam dant*, faciunt. 369. *Conversæ*, seu verse in fugam, seu turbatæ; ex κλονεῖσθαι. 370. Poterat poëta vulgari more efferre: *fert impetus ipsum Adverso curru, et cristam quatit aura volantis*. Sed vides Maronis studium exquisitioris et doctioris orationis, cristam *volare adverso curru* absolute posuit: dum currus adversus ventum fertur. 371. 372. Vero proximum est jungere: *spumantia frenis ora*, h. in frenis, circa, per frena. Nam frenum spuma oris madet. 374. 375. Non a Turno, sed a tergo immissam Phegeo fuisse hastam arbitror ab alio. Phegeus *pendet jugis* ab equis, quos frenis apprehenderat, cumque iis luctatur, dum illi obnituntur et procurrunt. Inter hæc *lancea consequitur retectum*, h. in loco corporis patenti nec clipeo tecto percutitur. Tum ille *conversus* stricto gladio in *hostem* ibat, qui adeo alius ac diversus ab Turno esse debuit. Tum equis ejus manu dimissis Turnus invehit eumque prostratum obterit. 375. *bilicem*, binis liciis, filorum ordinibus, seu ex lino seu ex ære, (bracteolis, catenulis, squamis) factam. ut *trilicem* sup. III. 467. V. 259. ubi Not. 376. *degustat*, ut bibere: sic jam γεύεσθαι pro stringere Iliad. υ, 258. *rota et axis procursu concitus*, Turni puta. 381. 382. De vulneris sede ac modo in ipsa cervicis vertebra illati, conf. sup. XI. 691—693.

383 Redit ad Æneam vulneratum, cujus curationem, ut *epicum* poëtam decebat, *mi-*

Stare vident; subeuntque equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans; spargitque salubris
Ambrosiæ succos, et odoriferam panaceam.
Fovit ea volnus lympha longævus Iapis
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor; omnis stetit imo volnere sanguis.
Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro! Quid statis? Iapis
Conclamat, primusque animos adcendit in hostem.
Non hæc humanis opibus, non arte magistra,
Proveniunt. Neque te, Ænea, mea dextera servat;
Major agit deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est:
Ascanium fusis circum conplectitur armis,

Aër pulvere plenus et quasi condensatus potenter sic describitur a poëtis.

413 *Pulera folia*, sunt efflorescentia, exuberantia.

416 Qua igitur simpliciter usus dici poterat medicina Iapis: hanc poëta a Venere allatam narrat; quæ succum expressum, ambrosia et panacea admixta, clam adstantibus aquæ infundit, qua Iapis vulnus abstergit ac fovet. Ornavit poëta singula, utpote in re mirabili: pro aqua *amnem*, pro vase *labrum splendens* sere, seu lebetem, pro miscere *inficere* ponit, et sic porro.

419 *Ambrosiæ* succus, qua dii utuntur, pro unguento est, quod vulnus levat et lenit. *panacea*, πανάκεια, est inter fabulosos succos. *Quippe*, pro utique, δή, ut alias *scilicet*. *rediere in pristina*, in pristinum, *vires*, restitutæ sunt.

425 Exclamationis repentinæ vim facile sentis. Egregium narrationis hoc artificium.

428 *Proveniunt*, pro vulgari, fiunt, eveniunt. 429. *agit*, non accipio cum Servio, Apollo facit hæc, nam id tenue; sed προκίμπει mittit ad pugnam, concitat, idem quod mox *remittit*. 430. Mira festinatio etiam in Ænea et præclare tempus præteritum: *incluserat*. 432. *est habilis lateri*, ἁρμός, ᾧ ἁρμός (ἐστιν,) ἥρμοσται, vel ut Iliad. γ, 332. 333. thorax ἥρμοσται δ' ἀυτῷ, sedit in corpore, adap-

Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostis.
Tollitur in cœlum clamor versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentis
Insequitur; solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longe labsum temone relinquit;
Ipsa subit, manibusque undantis flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cum divitis ædis
Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Juturna per hostis
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Jamque hic germanum, jamque hic ostentat ovantem;
Nec conferre manum patitur; volat avia longe.
Haud minus Æneas tortos legit obvius orbis,
Vestigatque virum, et disjecta per agmina magna

ductor Rhœteius, Trojanus: v. sup. III. 108. 457. dehsentur, ut cuneatim dimicent. 458. *gravem.* non satis definiit poëta, quo sensu accipi vellet, nec refert: nam simpliciter ornat; fortem exponit Servius. Refero ad auctoritatem, dignitatem, annos. Qui cædunt, *Thymbræus* et ceteri, e Trojanis sunt. *tela ferentes*, inferentes, ut sup. quoque XI. 872. h. adortos se, contra stantes.

468 *Juturna virago.* Virago et virgo prorsus eandem vim habent: sed alterum antiquius adeoque epico carmine dignius. Hinc apud poëtas virago Pallas, Diana, Nympha: ut παρθένος, παρθενική.

473 Exemplum hujus comparationis, quantum quidem constat, ante Maronem non occurrit aliud. Nisi itaque poëta is, unde ducta est, intercidit: est hoc ipsum inventa Maronis. Observanda autem ars in re tenui et humili ornanda et amplificanda. *Nigra hirundo:* Dicam hirundinem rusticam describi, ἀχαονθυλλίδα, quæ dorso nigro cærulescente est: et agi hic non de palatio urbano, sed de villa aliqua, illa docent: *nunc porticibus vacuis, nunc humida circum Stagna sonat:* quæ in urbe non facile quæras. *penitus* in interiora domus penetrando. cf. sup. v. 256. 263. 475. Suavis versus: *parva* cum dilectu! ut paulo ante *vacuis* declarat spatia porticus et amplitudinem. *nidis loquacibus* pro pullis.

480 *Nec conferre manum;* cum Æneæ. Nam alios persequitur. 481. Ut *legere vestigia, oras, vias*, est persequi, sic *legit* h. l. *Æneas tortos orbes*, obliquas et implicitas vias, pererrat ac pervagatur. 482. *disjecta per agmina* impetum ruentis currus declarat,

Congressus pedes: hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,
Tris uno congressu, et mæstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ;
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,
Et juvenem exosum nequidquam bella Menœten
Arcada: piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Limina; conductaque pater tellure serebat.
Ac velut inmissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prœlia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci
Pectora; nunc totis in volnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Prœcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo; hunc lora et juga subter

latus docte, pro, excipit, vulnerat, in latere. *qua fata celerrima* Ὅτι—μάλιστά τι καίριόν ἐστι. *crulum* pro cruento.

513 *Ille*, Æneas. 514. *mœstum*, ipsa morte, puto, quam subiturus erat. 515. *Nomen Echionium*: quoad nomen, nomine, Echionis filium. Ita tandem fieri potest, ut nomen per filium explicetur: uti et *genus* mox. 516. *Hic*, Turnus. *Lycia et Apollinis agris*: respicit Patara cum templo Latonæ et liberorum. 517—520. Egregie ad miserationem faciendam ornavit locum: idque eo sagacius fecit quod statim atrox rerum facies succedit. *Lerna* autem etsi Argivi agri, fluvius et palus, non tamen a confiniis Arcadiæ multum abest. Ex Evandri autem copiis fuisse putandus.

521 Hic jam variavit ea, quæ sup. lib. II. 304. sqq. posuerat, ubi vide Notam.

522 silvam lauream intellige: posito genere subjungit formam seu speciem, ex more; pro virgultis laurorum, lauris, doctius dixit *virgulta lauro*, ut *virgulta sonantia silvis*, sup. III. 442. VI. 704. 525. *quisque suum populatus iter*. graviter pro, decurrens, sed cum vastatione agrorum. 526. *per prœlia*, ordines pugnantium, aciem. 527. *Fluctuat ira*: petita rei imagine ab aqua effervescente et æstuante: quæ dum, vas eam non capit, luctatur et allaborat, ut erumpat. Hinc plenum aqua vas *rumpitur*; vocabulo sollenni de copia. Sic *rumpuntur horrea messibus*. Itaque nunc *rumpuntur pectora*, exæstuante ira, quam vix continere possunt.

529 *hic*, Æneas esse debet, nam Latinum occidit: et cf. inf. v. 638. *sonantem* h. crepantem, jactantem, dixit: ut alias *sonare*, est loqui, commemorare. 530. *actum*, exactum, ductum, procedens; omnes ejus majores regia fuerant dignitate. 531. *turbine*

Huc atque huc acies circumtulit; adspicit urbem
Inmunem tanti belli, atque inpune quietam.
Continuo pugnæ adcendit majoris imago;
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,
Ductores, tumulumque capit; quo cetera Teucrum
Concurrit legio; nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora. Juppiter hac stat.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum adcipere et victi parere fatentur,
Eruam, et æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum prœlia Turno
Nostra pati; rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces propere, fœdusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum; densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ inproviso, subitusque adparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque deos, iterum se ad prœlia cogi;
Bis jam Italos hostis; hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia civis:

556. *clade:* proprie, metu cladis, captæ urbis.

560 In seqq. adumbratur Allocutio militum. Brevitas et asperitas in ea commendanda venit. 565. *Jupiter hac stat:* hac parte, h. pro nostra parte. Respicit scilicet fœdus a Latinis violatum. 567. *caussam belli*, Servius ait: quia illic erat Lavinia. Cerda ad Amatam refert: ut inf. v. 600. Immo vero, ut in *regna ipsa Latini* pro regia, graviore usus est verbo poëta, pro auctore belli, h. urbe Latinorum, qui bellum intulerant. Quod Latinis tribuendum erat, urbi tribuit. Sic et v. 572. accipiendus. 568. *Urbem* et *victi* ad sensum, non grammatice, positum. 572. *caput belli et summa* est ipsa Laurentum urbs, quatenus illa caput est populi bellum gerentis. 573. *fœdusque reposcite flammis:* Nescio, an nimis argute dixerit poëta, si flammam sacrorum fœderi feriundo respexit. Malim accipere simpliciter: illato urbi igni reposcite id, quod fœdere jam pepigerant Latini.

575 Ipsi certatim, certantes inter se, *Dant cuneum*, faciunt, ut toties *dare* nostro poëtæ. 576. *Scalæ improviso:* nota figura verbum petendum ex altero membro, *apparuerunt, prolatæ, admotæ sunt.* 577. *primos:* qui primi ad portas erant obvii, scilicet stationem agentes. 582. Variat orationem: *hæc jam*

Urbem alii reserare jubent, et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem;
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros:
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque inplevit amaro;
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis; tum murmure cæco
Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.
  Adcidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignis ad tecta volare;
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Exstinctum; et, subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat, crimenque, caputque malorum;
Multaque per mæstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam adcepere Latinæ:
Filia prima manu flavos Lavinia crinis
Et roseas laniata genas, tum cetera circum
Turba, furit: resonant late plangoribus ædes.
Hinc totam infelix volgatur fama per urbem.
Demittunt mentis; it scissa veste Latinus,

altera, pro bis ruptum fœdus, bis Italos hostes factos. 585. trahunt regem ad muros, haud dubie dedendæ urbis et renovandi fœderis caussa. Nihil apertius.

587 sqq. Accipiendum de fumigatione, qua, ut favos eximat mellarius, expelluntur alvearibus apum examina. cf. Ge. IV. 229. *vestigavit* est pro invenit: et ἀορίστως accipiendum, in latebra, antro, detegit: *trepidæ rerum*, sollenni ornatu pro *trepidæ* simpliciter: trepidæ de rebus; propter res, propter casum repentinum; in trepidis rebus constitutæ, ἀμηχανοῦσαι. 591. 592. tantum ad exornandam comparationem valere debent. Studium ornatus videmus vel in his *fumus amarus, ater odor*. Omissa in fine ad v. 592. applicatio comparationis: Similis fortuna et trepidatio nunc erat in urbe Latinorum.

593 Nova calamitas afflixit Latinos casu Amatæ. *fessos* dixit, sc. malis, et jam animis fractos. 600. *caput;* auctorem, ut sup. XI. 361. de Turno: *o Latio caput horum et caussa malorum. crimen*, reum, qui culpam meruit. 603. Mortem Amatæ jam expectare nos fecerat sup. vss. 62. 63. Nec pro odio illa suo in Æneam superstes Turno esse debebat. Sed infame hoc mortis genus poëtam maluisse mirum videri debet. Scilicet nec hoc ad sui sæculi sensum attemperavit, nec ad nostram opinionem; est enim hoc ge-

Conjugis adtonitus fatis, urbisque ruina,
Canitiem inmundo perfusam pulvere turpans:
* Multaque se incusat, qui non adceperit ante *
* Dardanium Ænean, generumque adsciverit ultro *.
Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantis sequitur paucos, jam segnior, atque
Jam minus atque minus successu lætus equorum.
Adtulit hunc illi cæcis terroribus aura
Conmixtum clamorem, adrectasque inpulit auris
Confusæ sonus urbis et inlætabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit;
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Æneas Italis, et prœlia miscet:
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc:
O soror, et dudum, adgnovi, cum prima per artem
Fœdera turbasti, teque hæc in bella dedisti;
Et nunc nequidquam fallis dea; sed quis Olympo

nus mortis heroicum ac tragicum, h. e. carminibus et tragœdiis Græcorum frequentatum. *Nodum leti* egregie dixit pro nodo letifero; et *letum informe* pro turpi, fœdo, eximie!

611 Pathos habet versus et mirationem facit: *immundo* simpliciter ornat ut Ge. I. 81. Scilicet κόνιν ἀιθαλόεσσαν reddidit, quae non modo de cinere foci in propinquo stantis (ut Iliad. σ, 23. de Achille) sed et de pulvere occurrit Od. ω, 315.

614 Revocandum in animum, quod Turnum Juturna ad extremos ordines deduxerat: sup. 483. sqq. 616. tristis et sollicitus *successu equorum*, quos viribus ac cursu deficere tandem videbat. Ergo *successus* h. l. non est fortunae, sed processus, procursus equorum, cujus velocitas sensim sensimque imminuebatur. Videtur poëta vocem exquisitiorem ad significatum minus frequentem traduxisse. 617. *cæcis terroribus*, quorum caussam ignorabat. 621. *diversa ab urbe*, in diversa parte sita: clamor enim ei a tergo oritur. 629. *mittamus funera*; alias adjectum: neci, Orco: et *mittamus f. Teucris*, pro Teucrorum funera: h. corpora. 630. *numero* sc. funerum, h. caesorum.

632 Non est acerbe a poëta exigendum, ut argumenta exponat diserte, quibus agnoverit Turnus deam sororem. Sufficit evenisse multa inopinato et a causis obscuris inde a v. 225. sqq. Potuit quoque in habitu vel motu corporis aliquid esse, quod deam argueret.

Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit. Æstuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Ut primum discussæ umbræ, et lux reddita menti:
Ardentis oculorum orbis ad mœnia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat:
Turrim, conpactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontisque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo deus, et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis;
Perque hostis, per tela ruit; mæstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti, montis saxum de vertice præceps
Cum ruit, avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublabsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons inprobus actu,
Exsultatque solo; silvas, armenta, virosque

tibi; ad formam illius: tui amantissima: inflexum. 660. exterrita: quod sup. 599. dixerat: *sulito mentem turbata dolore*, in furorem acta. 664. *deserto in gramine*, extremo campo: 668. *Furias* ad desperatas Laviniæ nuptias refer.

669 *umbræ*, quia in vulgari sermone *caligo mentis* dicitur. 672. Turrim, diversi generis ab ea, quæ supra IX. 530. fuit narrata, ex seriore ævo heroicæ vitæ intulit poëta. Admovebatur illa muris ab oppidanis, ut inde desuper et ex alto hostis missilibus peti posset. *Tabulata* sunt turris contignationes. v. sup. II. 463. 464. *vortex flammis volutus* elegantius quam vertex flammarum. 673. *pontisque* quibus discursus fieret per turres et muros. v. sup. IX. 170. et 530. 680. *ante*, ante quam *morte patiar quicquid acerbi est.*

684 sqq. Comparatio ex ipsa rerum natura unicuique facile poëtæ obvia. Nec tamen ignorare potuit Virgilius, eam jam ab Homero tractatam Iliad. v, 137. sqq. Maronis laudem cumulat oratio elaborata et phantasmatum dilectus simulque ἐνάργεια. 685. 686. variat orationem pro vulgari: avolsum vento seu imbre seu vetustate. *sublabsa vetustas* saxi, pro saxo sublabso vetustate: traducto attributo. 687. *actu*, exquisite, impetu, impulsu. *mons* pro saxo, ut augeat phantasma, *improbus*, ingens.

Involvens secum: Disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus auræ;
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini;
Quæcumque est Fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis fœdus luere, et decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arcis;
Præcipitatque moras omnis; opera omnia rumpit;
Lætitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Quum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se adtollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero et Rutuli certatim, et Troës, et omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros,
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant. Fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut, ingenti Sila, summove Taburno,

694 *verius* est, justius est, me unum pro omnibus rupti fœderis pœnam luere. Nota nunc vocis *verus* significatio vel ex illo Horatiano: *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.*

697 Præclarus locus: primum in exhibenda impatientia moræ et festinatione, tum in phantasmate miræ heroum magnitudinis et speciei corporis. *Præcipitaque moras omnes*, omnia, quæ eum morari poterant, festinanter agit. 700. *intonat armis*, tantus corporis specie, *quantus Athos*. Duxit hinc Miltonus magnificum ac sublime illud Satanæ phantasma: *dilated stood, Like Teneriff or Atlas, unremov'd: His stature reach'd the sky, and on his crest Sat Horrour plum'd. Parad. Lost*, IV. 984. *Cum fremit* ventorum procellis; hinc et *coruscæ* ilices, variante variato arborum motu luce et umbra. Sic sup. I. 164. *silvis scena coruscis*. 709. *cernere*, decernere. 712. *Invadunt Martem*: elato spiritu, pro, incipiunt pugnam. *clipeis atque ære sonoro*: utrumque de clipeis collisis. 714. *Fors et virtus*. Non fors Turni, Æneæ virtus: sed pugnantes non modo virtutem præstant, sed et casum ac fortunam in ictibus et vulneribus inferendis observant.

715 Ornatissima comparatio: facile cui-

Cum duo conversis inimica in prœlia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi volnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Æneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis. Ingens fragor æthera conplet.
Juppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, et fata inponit diversa duorum;
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, inpune putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troës trepidique Latini,
Adrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque adspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cum prima in prœlia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci;

vis obvia, sed tam splendide et magnifice vix a quopiam tractata. 717. 718. 719. Valent hæc ad pugnæ atrocitatem declarandam. *mussantque*, anxii expectant, cf. sup. 657. *nemori*, pro pascuis, saltu. ut in Georg. v. c. II. 216.

725. 726. 727 Apud Homerum Jovem fata Hectoris et Achillis Iliad. χ, 209. sqq. Achivorum et Trojanorum Iliad. Θ, 69. libra expendere, notum est: sed ibi alterutrius exitium jam instare declaratur; quod sequutus est Miltonus in præstantissimo loco lib. IV. 996. sqq. Maro ad diversum phantasma Interpretes avocare debebat: ad magnitudinem pugnæ et expectationem exitus, quam ea faciebat. Non modo homines suspensi expectant, sed ipsi dii; ipse Jupiter libra pugnantium fata trutinat, sed æqua adhuc lance nec in alterutram partem propensa. *Quem damnet labor, quo vergat pondere letum.* prægnans oratio. Videamus primum de posteriore, quod esse debebat proprie, utra lanx pondere vergat, eoque ipso mortem denuntiet. *letum* itaque pro ipsa lance dixit. *quem damnet labor* sic accipio, ut eandem sententiam more suo bis exponat poëta: quem *damnet* sc. leto, utrum e duobus morti destinet iniqua sua fortuna, calamitas sua; seu, quod præstat, *labor* simpliciter pugna, ut πόνος, μάχη.

728 *impune putans* id sibi futurum; tuto se illaturum ictum. *consurgit* sup. XI. 284. *quantus in clipeum consurgat*, pro insurgit. 732. Sententia imperfecta. Post hunc versum animo supplendum: et inermis sic relictus Turnus periisset utique, ni fuga sibi consuluisset. *Ni fuga subsidio subeat*, potest duplici modo expediri: aut, ut junga. *subsidio subire*, subsidio venire, esse; aut nisi, id quod auxilio, *subsidio*, fuit, fugæ cogitatio subiisset ejus animo. Capulum mutilum *ignotum* dixit, quoniam alienum, non suum,

Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit; postquam arma dei ad Volcania ventum:
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit; fulvâ resplendent fragmina arenâ.
Ergo amens diversa fugâ petit æquora Turnus;
Et nunc huc, inde huc incertos inplicat orbis.
Undique enim densâ Teucri inclusere coronâ;
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Æneas, quamquam tardata sagittâ
Interdum genua inpediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu, canis et latratibus, instat;
Ille autem, insidiis et ripa territus altâ,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor: ripæque lacusque
Responsant circa, et cœlum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnis,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contra, præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementis,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbis explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur
Præmia: sed Turni de vita et sanguine certant.

sed Metisci, ut statim exponit disertius poëta. Nam cinxerat ille quidem, cum exiret ad pugnam, ensem Dauni patris; (v. sup. hoc lib. 89. 90.) sed mox, eo deposito, ad fœdus ibat in bigis, *Bina manu lato crispans hastilia ferro* sup. vs. 165.

739 *arma dei ad Volcania:* novatum docte, pro, ad arma dei Volcani, vel arma divina Volcani. 740. *futilis*, pro vulgari, fragilis. 743. *orbes* v. sup. v. 481. *inplicat*, pro facit, implicito cursu. 745. *vasta palus*, non Juturnæ, nam is nimium quantum aberat, sed colluvies aquarum agrestis.

746 Genua tardata *sagitta*, vulnere. sup. v. 319. 750. *aut puniceæ*. Ge. III. 372. *Hos non—Puniceæ agitant pavidos formidine pinnæ* ubi vide. 752. *insidiis:* sunt illæ ipsæ lineæ pinnis ac formidine distinctæ, quas expavescens cervus non transilit.

753. *Umber*, canis ex Umbria. 756. *lacus*, cf. 745.; intelligenda autem arundo et arbusta circa paludem. 763. *reter-*

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, et votas suspendere vestis.
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Æneæ stabat: huc inpetus illam
Detulerat, fixam et lentâ in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit; tuque optima ferrum
Terra tene; colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.
Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. Dum nititur acer et instat:
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere,
Adcessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
Adsistunt contra certamine Martis anheli.
Junonem interea Rex omnipotentis Olympi

unt eleganter, repetunt, recurrunt. 764. 765. *levia aut ludicra*: scil. qualia erant in certaminibus ac ludis seu στραπίταις seu χαμαιτίταις.

766 Vim poëticam Maroni propriam in oleastro hoc ornando agnosce: Simpliciter declarandus erat locus, quo hasta hærebat. Videtur ea sata quasi esse ex caprifico Homeri Iliad. χ, 145. 767. *lignum*, arbor. 770. *nullo discrimine*, adeoque nullo respectu habito, quod sacra erat arbor. 771. *puro campo*, vacuo, non impedito. Sic Gr. καθαρὸς χῶρος, ut Iliad. ψ, 61. Passim mos loquendi illustratus a viris doctis, v. c. ad Ovid. Fast. III. 582. 772. *hasta stabat*, ex jactu sup. 711. 774. 775. Eadem in hasta Achillis convellenda opera ponitur ab Asteropæo Iliad. φ, 174. sqq. 778. *colui—honores*, ut: sacra colere, religiones colere. 781—783. quam ornate, non potuit evellere hastam! *discludere morsus roboris* ejusdem radicis seu trunci, qui ferramentum hastæ arcte amplexus erat, ut difficile esset ad solvendum. Sic *mordet fibula*. 785. Facit Juturna, quod Pallas in Achillis gratiam Il. χ, 267. 789. *arduus*, ut alias, elatus animo, fidens, audax.

791 sqq. Novo invento poëta nos, cum jam pugnam et Æneæ instaurari expectamus, avocat, et animos suspensos tenet deorum con-

Adjuro Stygii caput inplacabile fontis:
Una superstitio superis quæ reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cum jam connubis pacem felicibus, esto,
Conponent, cum jam leges et fœdera jungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestis.
Sit Latium; sint Albani per sæcula reges;
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Et germana Jovis, Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, et inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis; et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt;
Utque est, nomen erit; conmixti corpore tantum
Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adjiciam, faciamque omnis uno ore Latinos.

poëtarum probetur, haud novi. Fulminis usui vix locus est. *trahereque Teucros inimica in prælia:* pro, Teucros aggrederer: nam qui aggreditur, pugnare secum alterum cogit trahitque in pugnam. 816. 817. Res per se notissima: sed ornatum est egregie *caput fontis Stygii* pro simplici Styge. *Una superst.*, h. quæ maxima jurisjurandi inter deos est religio: jusjurandum sanctissimum. Est idem ac si Juno diceret, obstringo me jurejurando sanctissimo. *est reddita*, pro facta est. *Superstitio* pro religione satis frequens. 820. *pro m. tuorum.* Bene Serv. "Respexit ad Saturnum, qui in Italia quandoque regnaverat; inde ait *tuorum*; nam et Latinus inde originem ducit. Sup. VII. 48. 49." 822. *leges* sunt fœderis conditiones. 823. Argute poëta rem facti jam ad deorum voluntatem retrahit. Nam mansit nomen Latinorum: mansit sermo Latinus, vestitus Latinus: nec Trojani coloni quicquam in his immutarunt. Verendum autem erat, ne gens Latinorum victa in nomen victorum cederet, ut fere fieri solitum. 827. Sint Romani potentes, sed tamquam Itali, non tamquam Trojani; ut Italorum virtutem referre videantur, non Trojanorum.

830 Tu, cum sis germana Jovis soror, tantas iras in mortales exercere potes, ut ne nomen quidem gentis exosæ ferre possis? 832. iram perperam susceptam, conceptam. 833. *me remitto:* dictum ut: remittere animum, ab ira. Remittit se, qui mollescit adeoque concedit: nec amplius *contendit.* Uti se remittunt ea, quæ laxantur, solvuntur. *Ausonios*, ut *Ausonidas*, dixit pro Ausonibus, ut poëta. 835. 836. Permixti cum tanto populo Trojani comprehendentur, delitescent, latebunt sub Latinorum nomine. *Subsidere* de iis, quæ in commixtione infimum locum occupant, ut in elementis terra subsidit. 836. 837. *Adjiciam.* Sacra tantum ac religiones

Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni:
Alitis in parvæ subitam conlecta figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit inportuna per umbras;
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor;
Adrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit,
At, procul ut Diræ stridorem adgnovit et alas,
Infelix crinis scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis;
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam duræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscenæ volucres; alarum verbera nosco,
Letalemque sonum; nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit!
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.
Inmortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quæ satis alta dehiscat
Terra mihi, Manisque deam demittat ad imos?

lib. VIII. 303. 304. 857. *Fel veneni*, ornate, ut virus, i. e. succus amarus, noxius. *armatam*, tinctam. 858. *telum immedicabile*, quod vulnus insanabile facit. 859. *umbras* pro aëre dixit.

862 Habet hæc Megæræ in bubonem mutatio aliquid, quod insigniter ad terrorem accommodatum est ex veterum superstitione. *Alitis parvæ*. Videtur recte monitum a Servio, hoc alienum esse a bubone, quem grandi esse corpore satis constat. Et potuit poëta noctuæ genus aliquod, v. c. minimam illam noctuam, quam *funeream* dicunt, intelligere. Reliqua tamen buboni accommodatiora sunt. cf. Plin. X. 12. s. 16. et sic sup. IV. 462. 463. Itaque *parvam* comparative accipiendum: dea mutatur in avem, parvam respectu deæ. *subitam*, pro subito. Scilicet *subitam*, in quam subito *collecta*, conversa, est. *Colligere* de re in minorem speciem mutata. 864. *importuna*, nocte intempesta, importuna. 869. *stridorem*, ad *alas* retrahe. 873. sqq. *duræ* mihi, quæ sustineo fratrem cernere in ultimum discrimen adductum. *Obscenæ* male ominatæ. *terrete volucres*; invidiose dixit, nam una est, inquit Serv. Poëtam hoc ad exquisitiorem orationem pertinere vidisse, si pro individuis genus, pro uno plures, poneret, sæpe vidimus: v. c. 799. 877. Intelligo, nec latet me, fieri hæc Jovis numine ac voluntate. 878. *reponit* doctius quam rependit. Expostulationes si-

Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.
Æneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, et sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
Non cursu, sævis certandum est comminus armis.
Verte omnis tete in facies; et contrahe, quidquid
Sive animis, sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumve cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; dI me terrent, et Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis;
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus;
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens, et cursu concitus, heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu saxumque inmane moventem;
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.

miles apud poëtas sæpe occurrunt, ut et querelæ de immortalitate seu inutili, seu votis infesta. Et habent illæ aliquid quod ad miserationem egregie facit. 882. *quicquam meorum*, quicquam meum, ulla mea res: nunc immortalitas. 885. 886. Nympha se in fontem suum ac lacum immisit: quem *fluvium* nunc dixit, quandoquidem et fluvius inde prodit. Simile exemplum Tiberis se in fluvium immittentis v. VIII. 66.

887 sqq. Major est totius loci suavitas, si quis Hectoris cum Achille pugnam mente teneat. Grave autem pathos in illis inest: *Non me tua fervida terrent dicta.* Sunt autem *fervida dicta* superba, arrogantia. 895. *Jupiter hosti* est infestus.

Hasta emissa, cum altera deficiat, sæpe sic heroes Homerici saxa jaciunt. Ad talem morem hæc quoque exigenda sunt. Turnus autem etsi ensem receperat, (vs. 785.) hasta erat destitutus (vid. vs. 711.) quam eminus in Æneam mitteret; nec igitur cominus congreditur. Ut quis vero victum hostem etiam nudum, ipse armis melioribus instructus insequeretur, dedecori in heroum vita non erat. 898. *litem*: remotius posuit: pro, fines, adeoque litem de finibus. 899. *Vix illud*; ad notam illam fidem et opinionem de priscorum hominum vastis corporibus eorumque robore incredibili. 901. *manu trepida*, festina adeoque non satis firma, *torquebat*. cf. sup. v. 394. *dabat*.

903. 904 Non hæc Turnum, præ metu, mentis male compotem, ἀνοηςον, arguunt, sed, quod vs. 913. 914. diserte quoque exponitur, torporem, quem Furia injicit, viresque adeo corporis debilitat. Itaque Turnus ipse *nec se cognoscit*, vires solitas sibi deesse videt: se videt esse plane alium.

Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos adspectat, et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit;
Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, aurigamve sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis; et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita numquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricæ, et clipei extremos septemplicis orbis;
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest; oro (fuit et tibi talis

908 sqq. Egregie ornavit comparationem per se jucundam, ex Iliad. χ, 199. sqq. 913. quamcumque viam iniit vulgari modo dices. 914. 915 Dictum exquisitius pro sollenniore: vertit, versat, varia consilia, sensus, animo Turnus.

919 *coruscat*, vibrat, πάλλει Homerus Iliad. χ, 320. sed multo ornatius, et respectu comparationis, quam ipse ibi attulerat, hastæ sic vibratæ cum Lucifero. 920. *fortunam*, h. locum in corpore, quem fortuna dabat. Tum omnibus corporis viribus emittit hastam. 924. 925. Hasta trajicit clipeum in extrema, puta, parte, tum loricæ oram, et in femore sedet. Sup. lib. X. 587. sq. simile fere vulnus fit. Scilicet, quod jam alii viderunt, noluit poëta vulnus lethale esse, ut locus esset iis, quæ sequuntur: quibus ad tragicæ fabulæ exitum epos suum propius adduxit. 927. *duplicato poplite*, pro inflexo genu.

928 *Consurgunt gemitu Rutuli*: sollenni poëtæ more, quo a vulgari orationem abducit pro: *gemitus Rutulorum consurgit*. 930. sqq. Vides Hectorem ne sepultura careat supplicantem Iliad. χ, 338. seqq. 930. 931. *oculos* convertit, *manus* protendit, sed illud latet in hoc: ut toties fit. 933. *fuit et tibi talis*. Notum artificium supplicantium: ad exemplum illud omnium aliorum præstantis-

Anchises genitor), Dauni miserere senectæ;
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia conjunx:
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cum adparuit alto
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri; victum quem volnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis adcensus, et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere, Pallas
Inmolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

simum: Μνῆσαι πατρὸς σεῖο etc. 935. *Et me, seu corpus.* Viro forti digna oratio; aperte mortem non deprecatur: vitæ tamen usum nec renuit. 938. *acer in armis* jungenda esse monet Serv. nescio an satis bene. Ego *in armis* malim absolute dictum, armatus, ut erat, *stetit*; est enim poëtica ἐνάργεια. Æneas stabat tenens clipeum et ensem, strictum, ut ex v. 950. apparet.

942 Hæc jam præparaverat sup. lib. X. 495. sq. 500—505. Balteum, e quo ensis pendebat, mox ornate declarat, tamquam rem, in qua nunc rerum cardo vertitur et quæ luculentius animo erat repræsentanda. Tum vero *notis fulserunt cingula bullis* poëtica forma dictum, pro: et bullæ, ornamenta nota, fulserunt in cingulo. 945. *oculis hausit:* jam sup. IV. 661. *Hauriat hunc oculis ignem.* traductum ab auribus. *monumenta doloris* h. l. quæ memoriam renovant, recordationem doloris ex Pallantis morte. 947. *meorum* graviter, pro uno ex suis, ex amicis: Pallante. 949. sqq. *Immolat*, non sibi; sed, diis inferiis. 952. Versum Homericum esse expressum, ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων etc. Iliad. χ, 362. 363. jam notavit Servius. *indignata cum gemitu* pro gemens, mœrens: ὃν πόλιον γοόωσα, anima. cf. sup. XI. 831. Jamque cum Turni morte fœderis supra concepti conditiones vss. 187. seqq. exitum habent: Lavinia in matrimonium accepta, Æneas Trojanos in Latinum nomen adjungit, novam urbem Lavinium condit, jusque socero in regno succedendi consequitur: adeoque Æneas accepit *sedem in Italia intulitque deos Latio*, ut lib. I. 5. 6. fore poëta prædixerat.

FINIS.

Excudebat S. Hamilton, Weybridge.

INDEX *.



Misenus, Æ. 6, 164. Clytius, 9, 774.
Æolus, Æ. 1, 52. 65. 76. 140.
Æolus, Æneæ comes, Æ. 12, 542.
Æpytus, v. Epytus.
Æqui Falisci, Æ. 7, 695.
Æquiculus, Æ. 7, 747.
Æsculapius, Phœbi f. Æ. 7, 773.
Æsculus, G. 2, 16. 291.
Æthiopes, E. 10, 68. G. 2, 120. Æ. 4, 481.
Æthon, equus, Æ. 11, 89.
Ætna, Æ. 3. 571 sq. G. 1, 471. Æ. 3, 554. 571. 579. 674. 8, 419. G. 4, 173.
Ætnæus, Æ. 3, 678. 7, 786. 8, 440. 11, 263.
Ætolus Diomedes, Æ. 11, 428. Ætola urbs, Æ. 11, 239. Ætoli Arpi, Æ. 10, 28.
Afer armentarius, G. 3, 480.
Afri, E. 1, 65. G. 3, 344. veste laxa induti, Æ. 8, 724.
Africa, Æ. 4, 37.
Africus, Æ. 1, 86.
Agamemnonius, Æ. 3, 54. 4, 471. 6, 489. 838. 7, 723.
Aganippe, E. 10, 12.
Agathyrsi picti, Æ. 4, 146.
Agenoris urbs, Æ. 1, 338.
Agrorum indoles et natura, G. 2, 177. quinam frumentis idonei, G. 2, 203. agri genus optimum, G. 2, 217. agri mali notæ, G. 2, 212.
Agis Lycius, Æ. 10, 751.
Agragas, v. Acragas.
Agriculturæ laus, G. 2, 458. 490.
Agrippa, Æ. 8, 682.
Agylla, s. Cære. Agyllinus, Æ. 7, 652. 8, 479. 12, 181.
Ajax, Oilei f., Æ. 1, 41. 2, 414.
Albæ Longæ origo, Æ. 3, 389. 8, 41. reges, Æ. 1, 272. 6, 766. ludi, Æ. 5, 596. urbes, Æ. 7, 601.
Albanus mons, Æ. 12, 134. lacus, Æ. 9, 387.
Albula, s. Tiberis, Æ. 8, 332.
Albunea, fons et nympha, Æ. 7, 83.
Alburnus, mons, G. 3, 147.
Alcander, Æ. 9, 767.
Alcanor, Æ. 9, 672. 10, 338.
Alcathous, Æ. 10, 747.
Alcides, Hercules. E. 7, 61. Æ. 5, 414. 6, 123. 392. 802. 8, 203. Cacum necat 219. 249. 256. 363. 10, 321. 461. 464.
Alcimedon, E. 3, 44. 37.
Alcinoi horti, G. 2, 87.
Alcippe, E. 7, 14.
Alcon, E. 5, 11.
Alcyone, G. 1, 399. 3, 338.
Alecto, Furia, Æ. 7, 323. 571. furore corripit Amatam, Æ. 7, 346. Turnum accedit, 446. 421.
Aletes, Æ. 1, 121. 9, 246. 307.
Alexis, E. 2, 1. 6. 56. 73. 7, 55.
Alga, herba, E. 7, 42. Æ. 7, 590.
Allia, fl., Æ. 7, 717.
Allium, E. 2, 11.
Almon, Tyrrhi f., in prælio cadit, Æ. 7, 532. 575.
Alnus, arbor, E. 8, 58. 6, 63. 10, 74. G. 1, 136. 2, 110. 451.
Aloidæ, Œtus et Ephialtes, Æ. 6, 582.
Alpes, G. 1, 474. 3, 474. Æ. 10, 13. Alpinus, E. 10, 47. Æ. 4, 442. 6, 830. 8, 661.
Alpheus, fl., G. 3, 19. 180. Æ. 3, 694. Alphea Pisa, 10. 179.
Alphesiboeus, pastor, E. 5, 73. 8, 1. 5. 62.
Alsus, Rutulus, Æ. 12, 304.
Altaria fumant, G. 1, 84. ardent, G. 3, 490. libando rigata, Æ. 12, 174. vittis cincta, E. 8, 64. struere donis, Æ. 5, 54. cumulare donis, Æ. 11, 50. libare, Æ. 12, 174. altaribus addit, Æ. 7, 211.
Alvearia, G. 4, 34. 8.
Amaracus, herba, Æ. 1, 693.
Amaryllis, E. 1, 5. 31. 2, 52. alia, E. 8, 77.
Amasenus, fl., Æ. 7. 685. 11, 547.
Amastrus, Hippotæ f., Trojanus, Æ. 11, 673.
Amata furiis correpta, Æ. 7, 376. laqueo vitam finit, Æ. 12, 595.
Amathus, Æ. 10, 51.
Amazonum arma et mamma, Æ. 1, 490. 11, 648. 660. 5, 311.
Ambarvalia sacra, G. 1, 338. 345. E. 3, 77.
Ambrosiæ comæ, Æ. 1, 403. ambrosia vires auget, G. 4. 415. salubres succi, Æ. 12. 418.
Amellum, herba, G. 4, 271.
Amerinus, G. 1, 265.
Amineum vinum, G. 2, 97.
Amiternum, urbs, Æ. 7, 710.
Ammonis Jovis sacra in Libya, Æ. 4, 198. ignis æternus, Æ. 4, 200.
Amomum, frutex, E. 3, 89. 4, 25.
Amphion, E. 2, 24.
Amphitryoniades, Æ. 8, 103. 214.
Amphrysus, fl. Thessaliæ, G. 3. 2. et urbs in Phocide; unde Amphrysia vates, Æ. 6, 398.
Amsanctus, lacus, Æ. 7. 565.
Amyclæ, inter Tarracinam et Caietam, Æ. 10, 564.
Amyclæ, Laconiæ oppidum. Amyclæus Pollux, G. 3, 89. canis, G. 3, 345.
Amycus, comes Æneæ, Æ. 1, 221. 12, 509. alius, Æ. 9, 772. maritus Theanus, Æ. 10, 704.
Amycus, rex Bebryciæ, Æ. 5, 373.
Amyntas, pastor, E. 2, 35. 39. 3, 66. 75. 83. 5, 8. 15. 18. 19. 37. 38. 41.
Amythaonius Melampus, G. 3, 550.
Anagnia, urbs, Æ. 7. 684.
Anchemolus, Æ. 10, 389.
Anchises negat se esse Trojæ discessurum, Æ. 2. 637. fulmine ictus, Æ. 2, 648. in humeros filii subiatus, Æ. 2, 721. doctus augurals scientiæ, Æ. 2, 687. 3, 539. moritur apud Drepanum, Æ. 5, 710. Æneæ in somno apparet, Æ. 5, 722. eum apud inferos alloquitur, Æ. 6, 687. oraculum Apollinis falso interpretatur, Æ. 3, 102, 180. Ejus crater, Æ. 5, 535. sepulcrum in monte Eryce, Æ. 5, 760. Dardanius, Æ. 1, 617. 9, 647. pater, Æ. 2, 687 et al. longævus, Æ. 5, 535. magnus, Æ. 8, 156.
Anchiseus, Æ. 5, 761.
Anchisiades, Æ. 5, 407 et al.
Ancile, Æ. 7, 188. 8, 664.
Ancus Martius, Æ. 6, 816.
Androgeus ex Achivis, Æ. 2, 370. 381. 392.
Androgeus, Minois f., Æ. 6, 30.
Andromache Hectoris uxor, Æ. 3. 456. ei inferias fert, Æ. 3, 301. serva Neoptolemo Molossum pepererat, Æ. 3, 325. Heleno nuptum datur, Æ. 3, 329. Ascanio dat dona, Æ. 3, 482.
Anethum, herba, E. 2, 48.
Anguitia, Æ. 7, 759.
Anio, fl., G. 4, 369. Æ. 7, 683.
Animæ purgantur, Æ. 6, 735. et in nova corpora transeunt, Æ. 6, 751. anima musæ, Æ. 6, 724. ex ea animæ hominum ductæ, Æ. 6, 728. G. 4, 219.
Animalium morbi, G. 3, 440.
Anius, rex et sacerdos Apollinis, Æ. 3, 80.
Anna, Æ. 4, 9. Didoni nuptias suadet, Æ. 4, 31. ejus sororem accessit, Æ. 4, 63. et mortem luget, Æ. 4, 672.
Anser improbus, G. 1, 119. in Capitolio, Æ. 8, 655. odore, E. 9, 36.
Antæus, Æ. 10, 561.
Antandrus, Æ. 3, 6.
Antemnæ, Æ. 7, 631.
Antenor, Æ. 1, 242. ejus duo filii, Æ. 1, 434.
Antes, ordines vitum, G. 2, 417.
Antheus, Æ. 1, 181. 510. 1243.
Antigenes, E. 5, 89.
Antiphates, Æ. 9, 696.
Antonius pugnam navalem contra Augustum committens, Æ. 8, 685.
Antor, Æ. 10, 779.
Antrum Cyclopum, Æ. 3, 617. Sibyllæ, Æ. 6, 42.
Anubis, Æ. 8, 698.

Atridæ, Æ. 2, 104. 415. 9, 602 et al.
Atys, unde gens Atia, Æ. 5, 568.
Avaritia, Æ. 1, 347. 3, 55.
Audacia, Æ. 10, 276.
Avena pro frumenti vitio, G. 1, 154. 77. E. 5, 37. calamus, E. 1, 2. 10, 51.
Aventinus mons, Æ. 8, 231. collis, Æ. 7, 659. Herculis f., Æ. 7, 655 sqq.
Avernus, Æ. 6, 126. 5, 732. 7, 91. unde nomen acceperit, Æ. 6, 239. 201. lacus silvâ inclusus, Æ. 3, 442. 6, 238. 704. Acherontis exundantis aqua, Æ. 6, 107. fons Avernus, Æ. 4, 512. portus, Æ. 5, 813. luci, Æ. 6, 118. 564. freta, G. 2, 164. stagna, G. 4, 493.
Aves pestilenti morbi vexantur, G. 3, 546. marinæ præsagia pluviarum, G. 1, 383. calidiorem plagam volatu petunt, Æ. 5, 310. Diomedeæ, Æ. 11, 271. cœlo et aere mutato naturæ earum mutationem subeunt, G. 1, 417. imbre et nocte ingruente silvis se tegunt, G. 4, 473.
Aviaria, G. 2, 430.
Aufidus, fl., Æ. 11, 405.
Augurium, Æ. 9, 327. e cygnis, Æ. 1, 393. 12. 244. flamma e capite micante, Æ. 2, 680. stella cadente, Æ. 1, 692. equis quatuor candidis, Æ. 3, 537. et sagitta exardescente, Æ. 5, 522.
Augusti Cæsaris templum, res gestæ et triumphi, G. 3, 13 sq. 4, 560. Æ. 6, 792. 8, 678. 714. G. 1, 24. 505. Æ. 1, 286. imperium, G. 1, 25. 2, 170.
Aulæa in theatro, G. 3, 25. vestes et vela, Æ. 1, 697.
Aulestes, Æ. 10, 207. occiditur, Æ. 12, 289.
Aulis, Æ. 4, 426.
Aunus, Æ. 11, 700. 717.
Aura luminis, G. 2, 47. ignis, Æ. 6, 747. auri, Æ. 6, 204. famæ, Æ. 7, 646.
Aureum Sæculum, E. 4, 4. G. 1, 125. 2, 536. Æ. 7, 203. 8, 319.
Aureus ramus, Proserpinæ sacer, Æ. 6, 136.
Aurora ad Vulcanum accessit, ut Memnoni arma peteret, Æ. 8, 384. auroræ descriptio, G. 1, 446. Æ. 3, 521. 588. 4, 129. 5, 64. 104. 6, 535. 7, 25. 12, 76.
Aurunci Turnum adjuvantes, Æ. 7, 206. 795. 10, 353. ab eo perdomiti fuisse videntur, Æ. 12, 22. 93. pars eorum ultra Lirim habitavit, Æ. 7, 726. et alii versus Sicanorum fines non longe a Tiberi, Æ. 11. 316. Auruncus Actor, Æ. 12, 94.
Ausonii coloni, Ausones, G. 2, 385. antiqui, Æ. 11, 253.
Ausonia, Æ. 3, 477 et al. Ausonidæ, Æ. 10, 546 et al. Ausonius, epitheton, passim.
Auster, deus, G. 1, 461. frigidus, G. 4, 261. austri sunt sævissimi in mari Mediterraneo, Æ. 1, 51. 536. austrini calores, G. 2, 271.
Anthronius, v. Thronius. Æ. 10, 753.
Automedon, Achillis auriga, Æ. 2, 477.
Autumnus arbores foliis spoliat, Æ. 6, 309. ejus initio tempestates frequentius ingruere solent, G. 1, 311. et vites serendæ sunt, G. 2, 321. ejus æstus gravis esse et morbos gignere solet, G. 3, 478.

B.

Baccar, herba, E. 4, 19. 7, 27.
Bacchus cothurnatus, G. 2, 7. qua faciem convertit, summa agri ubertas sequitur, G. 2, 392. curru tigribus juncto vehitur, E. 5, 29. in ejus sacris hircus mactatur, G. 2, 380. 395. et ad choros tibia adhibetur, Æ. 11, 737. ejus orgia s. sacra enthusiastica, G. 4, 521. Æ. 4, 301. 7, 385. 580. chorus, E. 5, 30. thyrsus, E. 5, 31. Æ. 7, 390. sacra inter Etruscos vel maxime viguerunt, Æ. 11, 737. festum Liberalia vindemia facta, G. 2, 385. ei comam alunt Bacchæ, Æ. 7, 391. ejus sacra celebrantur in jugis Naxi, Æ. 3, 125. et Taygeti, G. 2, 487. ejus ex India triumphus, Æ. 6, 805.
Bactra, G. 2, 138. Æ. 8, 688.
Baiæ, urbs Campaniæ, Æ. 9, 710.
Balearis funda, G. 1, 309.
Balsamum Orientis, G. 2, 119.
Balteus sculptura ornatus, Æ. 10, 496. ex aureis catenulis compactus, Æ. 12, 273. balteus Pallantis, bullis ornatus, Turno causa mortis, Æ. 12, 941.
Barce, urbs Cyrenaica, unde Barcæi, Æ. 4, 43.
Barce, Sichæi nutrix, Æ. 4, 632.
Batulum, Æ. 7, 739.
Bavius, poëta, E. 3, 90.
Bebrycia, Æ. 5, 373.
Belgica esseda, G. 3, 204.
Bellona pronuba, Æ. 7, 319. cum flagello, Æ. 8, 703.
Belli malorum descriptio, G. 1, 505. Æ. 1, 294. portæ, Æ. 1, 294. 7, 607. locus in ipso limine Tartari, Æ. 6, 279. indicendi mos apud Albanos et Romanos, Æ. 7, 601. 611. signum, vexillum in arce positum, Æ. 8, 1. belli mala, G. 1, 505. bello interfectorum apud inferos locus, Æ. 6, 477.
Belus Didonis pater, Æ. 1, 621. alius Tyriorum regum progenitor, Æ. 1, 729.
Benacus, lacus, G. 2, 160. Æ. 10, 205.
Berecynthia, Æ. 6, 784. 9, 82. 619.
Beroe, nympha, G. 4, 341.
Beroe, Dorycli uxor, Æ. 5, 620. 646. 650.
Bianor, Mantuæ conditor, E. 9, 60.
Bisaltæ, Thraces, G. 3, 461.
Bitias, Æ. 1, 738.
Bitias, Pandari frater, Æ. 9, 672. ejus educatio, ibid. vastum corpus, 674. 703. mors, 705. Æ. 11, 396.
Blattæ, vermes ceram depascentes, G. 4, 243.
Bola, urbs, Æ. 6, 776.
Bootes, stella, G. 1, 229.
Boreæ frigora, E. 7, 51. G. 1, 93. 370. 2. 316. 3, 278. Æ. 4, 442. 3, 687. spiritus, Æ. 12, 365. de gente, Æ. 10, 350.
Boves qui optimi, G. 3, 51. candidi in triumpho immolantur, G. 2, 146. boum pugna, G. 3, 217. 220. Æ. 12, 720. nivearum usus ad pompam in Junonis sacris ducendam, G. 3, 532.
Briareus, Æ. 6, 287.
Britanni, E. 1, 67. G. 3, 25.
Brontes, unus Cyclopum, Æ. 8, 425.
Brutus, Æ. 6, 818.
Bubo, avis, Æ. 4, 462. 12, 862.
Buccina dat signum belli, Æ. 7, 519. 11, 474.
Bufo, reptile, G. 1, 181.
Bullæ, ornamenta cinguli, Æ. 9, 359. 12, 942.
Bumastus, G. 2, 102.
Bura s. buris, pars aratri, G. 1, 170.
Busiris illaudatus, G. 3, 5.
Butes, ex Bebrycia, a Darete in cæstu vincitur, Æ. 5, 372.
Butes, armiger Anchisæ et Ascanii comes, Æ. 9, 647.
Butes, Trojanus, a Camilla interfectus, Æ. 11, 690.
Buthrotum, urbs Epiri, Æ. 3, 293.
Buxus, G. 2, 437. 449.
Byrsa, seu Bisra melius, ara Carthaginis, Æ. 1, 367.

C.

Cacus Herculis boves abigit,

INDEX*.

A.

Abaris, Rutulus, Æ. 9, 344.
Abas, Trojanus, Æ. 1, 121. 10, 170. Abantis clipeus, Æ. 3, 286. mors, Æ. 10, 427.
Abella, malifera Campaniæ urbs, Æ. 7, 740.
Abies, ex ea naves, G. 2, 68. Æ. 8, 91. 5, 663.
Abydus, urbs Troadis ostreis nobilis, G. 1, 207.
Acalanthis, avis, G. 3, 338.
Acamas, Thesei f., Æ. 2, 262.
Acanthus, arbor, G. 2, 119. Æ. 1, 649. 711. herba, E. 3, 45. 4, 20. G. 4, 123. 137.
Acarnan, Æ. 5, 298.
Acca, Camillæ amica, Æ. 11, 820. 823. 897.
Accipiter, Æ. 11, 721.
Acerræ, urbs Campaniæ, G. 2, 225.
Acestes, rex, Æ. 1, 195. 550. 5, 36 et sqq. Ej. urbs Acesta, Æ. 5, 718.
Achates, Æ. 1, 120. 174. 188. 192. 644. 656. 10, 344. 12, 459 et al.
Achelous, Ætoliæ fl., G. 1, 9.
Achemenides, Ulyssis socius, Æ. 3, 614. 691.
Acheron, G. 2, 492. Æ. 5, 99. 6, 107. 295. 7, 91. 312. 569.
Achilles cristatus, Æ. 1, 468. sævus, Æ. 1, 458 sq. Larissæus, Æ. 2, 197. Hectoris cadaver reddit, Æ. 1, 484. 2, 540. Troilum occidit, Æ. 1, 475. Ej. currus, Æ. 10, 581. G. 3, 91. ab eo Perseus, Macedonum rex, genus ducit, Æ. 6, 840.
Achivorum doli et Trojæ expugnatio, Æ. 2.
Acidalia, Venus, Æ. 1, 720. a fonte Bœotiæ.
Aclides, jacula, Æ. 7, 730.
Acmon, Æneæ comes, Æ. 10, 128.
Acœtes, Evandri comes, Æ. 11, 30. 85.
Aconteus, Latinus, Æ. 11, 612. 615.
Acragas, mons et urbs Siciliæ, Æ. 3, 703.
Acrisius, Æ. 7, 372. Acrisioneis, Æ. 7, 410. Danae.
Acron de Corytho Etruriæ, Æ. 10, 716. 730.
Actæus Aracynthus, E. 2, 24.
Actiaci ludi, Æ. 3, 280. pugna, Æ. 8, 675. G. 1, 505.
Actias Orithyia, G. 4, 463.
Actius Apollo, Æ. 8, 704.
Actor, Æ. 9, 500. alius 12, 94. 96.
Adamastus, Æ. 3, 614.
Adonis, oves pascens, E. 10, 18.
Adrastus, Æ. 6, 480.
Adriacus, Æ. 11. 405.
Æacides, Achilles, Æ. 1, 99. 6, 58. Pyrrhus, 3, 296. Perseus, Æ. 6, 840.
Ææa, h. Colchica Circe, Æ. 3, 386.
Ægæon, unus e centimanis, Æ. 10, 565.
Ægæus Neptunus, Æ. 3, 74.
Ægæum altum, Æ. 12, 366.
Ægis Jovis, Æ. 8, 354. Palladis, Æ. 8, 435.
Ægle, Nais, E. 6, 20 sq.
Ægon, pastor, E. 3, 2. 5, 72.
Ægyptus, G. 4, 210. 291. Æ. 8, 687. 705. Ægyptius, Æ. 8, 688.
Æneas Silvius, Æ. 6, 769.
Æneadæ, urbs, alias Ænus, Æ. 3, 18. Æneadæ Trojani, Æ. 1, 157 et sæpe. Æneades Ascanius, Æ. 9, 653.
Æneas Trojæ excidium, suum discessum, et errores narrare incipit, Æ. 2, 1. in Helenam commotus, Æ. 2, 575 sq. redire ad arma prohibitus ab uxore, Æ. 2, 671 sq. Hectori comparatur, Æ. 11, 291 sq. Creusam amissam requirit, Æ. 2, 736 sq. Ejus navigatio, Æ. 3, 1 sqq. in Africæ littus escendit, Æ. 1, 170 sq. a Didone exceptus, Æ. 1, 613 sq. ab ea amatur, Æ. 4, 1. cum ea in speluncam venit, Æ. 4, 160 sq. ei discessum suum nuntiat Æ. 4, 345 sq. discedit, Æ. 4, 571 sq. redit in Siciliam, Æ. 5, 32. Ilium ædificandum designat, Æ. 5, 755. Cumas delatus, Æ. 6, 2. Sibyllam accedit, Æ. 6, 9. inferna loca ingreditur, Æ. 6, 237. Ibi alloquitur Palinurum, Æ. 6, 337. et Didonem, Æ. 6, 450. et Deiphobum, Æ. 6, 494. Elysium adit, Æ. 6, 637. ad Anchisen venit, Æ. 6, 679. Italiam adit, Æ. 7, 120. inde libb. sqq. reliquæ ejus res gestæ narrantur. Deus indiges, Æ. 12, 794. Ejus virtus, Æ. 6, 489. 10, 565. Ejus clipeus, Æ. 8, 625. ad Evandrum profectio, Æ. 8, 100. pugna cum Achille, Æ. 5, 804. cum Turno, Æ. 12, 710. cum Diomede, Æ. 1, 96. 11, 282. ab eo Romani oriundi, Æ. 3, 97. 6, 756. 893. 12, 166.
Æneas Silvius, Æ. 6, 769.
Æolia ins., Æ. 1, 51. 8, 416. 10, 38.
Æolides, Ulysses, Æ. 6, 529.

* Indicem vides, si non qualem volebam, saltem qualem dare potui. Confectus ille est a Io. Alex. Ruperti, Bremensi, discipulus nostræ alumno, Seminarii quoque philologici sodalibus adscripto, juvene probo, modesto, ac diligente; nunc Rectore Gymnasii Stadensis. Emendatior nunc ille novis curis et locupletior prodit.

Cervus venatione interemtus caussa belli inter Latinos et Trojanos, Æ. 7, 475. 483. cervos jaculatur Æneas, Æ. 1, 184. cerva telo confixa, Æ. 4, 69.
Cethegus, Æ. 12, 513.
Chalcidicus, E. 10, 50. Æ. 6, 17.
Chalybes, gens dura et in ferro cudendo occupata, G. 1, 58. Æ. 8, 421. 10, 174.
Chalybe, sacerdos, Æ. 7, 419.
Chaon, Trojanus, Æ. 3, 335.
Chaonia terra, Æ. 3, 335.
Chaonius, E. 9, 13. G. 1, 8. 2, 67. Æ. 3, 293. 334.
Chaos, G. 4, 347. Æ. 4, 510. 6, 265. 534.
Charontis inferni portitoris descriptio, Æ. 6, 298. ab Hercule compedibus vincitur, Æ. 6, 292. ejus cymba, Æ. 6, 413. 303.
Charybdis descriptio, Æ. 3, 420. periculosa, Æ. 3, 564. 684. 7, 302.
Chelæ, G. 1, 33.
Chelydri, angues fœtore intolerabili, G. 2, 214. 3, 415.
Chersydrus, s. dryinus, ex hydrorum genere, G. 3, 425.
Chimæra, Æ. 6, 288. 7, 785. navis, ejus parasemo ornata, Æ. 5, 118. 122. 223.
Chiron, G. 3, 550.
Chlamys, Æ. 4. 137. 5, 250. crocea, Æ. 11, 775.
Chloreus, Cybeles sacerdos, Æ. 11, 768. a Turno interficitur, Æ. 12, 363.
Chorus in ambarvalibus, G. 1, 346. Saliorum in vetere Latio, Æ. 8, 285. eum Diana ducit, Æ. 1, 498. et Apollo, Æ. 4, 143.
Chromis, Satyrus, E. 6, 13.
Chromis, Trojanus, Æ. 11, 675.
Cicadæ rore pascuntur, E. 5, 77. querulæ, G. 3, 328. E. 2, 13.
Cicones, populi ad Hebrum fl., G. 4, 520.
Ciconia tempus serendarum vitium indicat, G. 2, 319.
Ciminius lacus, Æ. 7, 697.
Cinna, poëta, E. 9, 35.
Cinyps, fl., unde Cinyphii, G. 3, 312.
Cinyras, Æ. 10, 186.
Circe Ææa, Æ. 3, 386. mutavit Ulyssis socios, E. 8, 70. ejus insula et fabula, Æ. 7, 10. 190. 282. 3, 386. Circæum jugum, Æ. 7, 799.
Circenses ludi, al. Consualia, Æ. 8, 636.
Cisseus, Hecubæ pater, Æ. 5, 537. unde
Cisseis, Hecuba, Æ. 7, 320. 10, 705.
Cisseus, Æ. 10, 317.
Cithæron, Bœotiæ mons, G. 3, 43. Æ. 4, 303.
Citharœdus in conviviis, Æ. 1. 740.
Citrus. arbor, G. 2, 126.
Clanius, fl., G. 2, 225.
Clarus Sarpedonis Lycii frater, Æ. 10, 126.
Clarius Apollo, Æ. 3, 360.
Clausus, a quo Claudia gens, Æ. 7, 706. 10, 345.
Cleopatræ fuga, Æ. 8, 696.
Clipei votivi, Æ. 3, 286. coriis pluribus induti, Æ. 10, 482.
Clio, una Oceanidum, G. 4, 341.
Clitumnus, fl., G. 2, 146.
Cloanthus e Trojanis, Æ. 1, 222. 510. 612. 4, 288. in navali certamine Scyllam regit, Æ. 5, 122. victor, Æ. 5, 245.
Clœlia, Æ. 8, 651.
Clonius a Turno occiditur, Æ. 9, 574. alius, 10, 749.
Clonus, insignis cælator, Æ. 10, 499.
Cluentia gens, Æ. 5, 123.
Clusium, Æ. 10, 167. unde
Clusini, Æ. 10, 655.
Clymene, nympha, G. 4, 345.
Clytius, Æoli f., Æ. 9, 774. alius, 10, 129. alius, 325. alius, 11, 666.
Cocles, Romanus, Æ. 8, 650.
Cocytus fl. describitur, G. 4. 478. Æ. 6, 132. 297. 323. Cocytia virgo Alecto, Æ. 7, 479.
Codrus, pastor, E. 5, 11. 7, 22. 26.
Cœus, e Titanibus, G. 1, 279. Æ. 4, 179.
Collatia, urbs, Æ. 6, 774.
Colocasia s. colocasium, planta Ægyptia, E. 4, 20.
Columba malo adfixa, Æ. 5, 488. 505. 512. columbæ Dodoneæ, E. 9, 13. Veneri dicatæ, Æneæ ad aureum ramum duces, Æ. 6, 190.
Coluber, ex hydrorum genere, G. 3, 418. serpentis genus, Æ. 2, 471.
Columna verua, G. 2, 396.
Cometes, Æ. 10, 272.
Conon, E. 3, 40.
Cora urbs, Æ. 6, 776.
Coras, Æ. 7, 672. 11, 465. 604.
Corinthus, a Mummio diruta, Æ. 6, 837.
Cornix tempestatis nuntia, G. 1, 388. E. 1, 18. 9, 15.
Cornus, G. 2, 448. Æ. 9, 698. 12, 267. corna, ejus baccæ, G. 2. 34. Æ. 3, 649.
Coroebus, Cassandræ sponsus, Æ. 2, 341. auctor est Trojanis, ut Græcorum arma induant, Æ. 2, 386. ultor Cassandræ, Æ. 2, 407. interficitur, Æ. 2, 424.
Corona, deorum et regum insigne, Æ. 1, 655. 7, 75. radiata, Æ. 12, 162. tonsa, Æ. 5, 556. crateri imposita, Æ. 3, 525. navalis et rostrata, Æ. 8, 684. in re bellica, Æ. 4, 418.
Coronæ sidus, G. 1, 222.
Coronata vina, Æ. 1, 724.
Corsica, taxis et melle amara nobilis, E. 9, 30.
Corvi, nuntii pluviarum, G. 1, 381. et serenitatis, G. 1, 410.
Corulus, E. 1, 14. 5, 3. 7, 63. G. 2, 65. 299.
Corus, caurus, Æ. 5, 126.
Corybantum saltationes, Æ. 3, 111.
Corycius senex, G. 4, 127.
Corydon, E. 2, 56. 5, 86. 7, 2. 40.
Corymbus, hederæ racemus, E. 3, 39.
Corynæus, Æ. 9, 228. sternitur, Æ. 9, 571.
Corythus, Æ. 3, 170. 7, 209. 9, 10. 10, 719.
Corythus, pharetra, Æ. 10, 169.
Cosæ, urbs, Æ. 10, 168.
Cossus, Æ. 6. 842.
Cothurnus Dianæ et venatorum, E. 7, 32. 8, 10. Æ. 1, 337. Bacchi, G. 2, 8.
Cremona, E. 9, 28.
Crepusculum, Æ. 4, 584.
Creta, Æ. 3, 104. 129. 5, 588.
Cretæus, Æ. 3, 117. 12, 412.
Creteus, Græcus, Æ. 12. 538.
Cretheus, lyricus, Æ. 9, 774.
Creüsa, Æneæ conjux, Æ. 2, 673. amissa, Æ. 2. 736. conjugi apparet, Æ. 2, 772.
Crinisus fl., Acestis regis pater, Æ. 5, 38.
Crustumerii, Æ. 7, 631.
Crustumium, urbs piris nobilis, G. 2, 88.
Cucumis, G. 4, 122.
Cumæ, urbs, Æ. 6, 2.
Cumæus, Æ. 3, 441. 6, 96.
Cunei theatrorum, G. 2, 509. Æ. 5, 664.
Cupavo, Æ. 10, 186.
Cupencus, Æ. 12, 539.
Cupido in Ascanium transformatus, Æ. 1, 657. 664. 695. 10, 93.
Cupressus sacra, Æ. 2, 714. in rogo, Æ. 6, 216. et ara, Æ. 3, 64. cupressum ferens Silvanus, G. 1, 20. conferæ. Æ. 3, 680. Idææ, G. 2, 84. caput efferunt, E. 1, 26.
Curculio, frumenti grana corrodens, G. 1, 186.
Cures, urbs Sabinorum, Æ. 6, 812. 8, 638.
Curetum oræ, h. Creta. Æ. 3, 131. ab iis Jupiter infans custoditus, G. 4, 151.
Cursus certamen, Æ. 5, 291.
Cybebe, Æ. 10, 220.
Cybele, Æ. 3, 111. 11, 768. Idæa et Berecyntia, Æ. 9, 82. turrita, Æ. 10, 252. per Phrygiam invecta, Æ. 6,

Anxur, Æ. 10, 545. Anxurus Jupiter, Æ. 7, 799.
Aonea, montes, E. 6, 65.
Aonius, E. 10, 12. G. 3, 11.
Apenninus mons, Æ. 12, 703.
Apenninicolæ, Æ. 11, 700.
Apes: earum natura et cura, G. 4, 1 etc. Jovem infantem aluerunt, G. 4, 149. nec concipiunt, nec pariunt, G. 4, 197. apum ortus et generatio ex floribus, G. 4, 55. 197. ex bove cæso, G. 4, 281. morbi et remedia, G. 4, 251.
Aphidnus, Æ. 9, 702.
Apium, G. 4, 120. E. 6, 68.
Apollo Trojæ conditor, G. 4, 36. Actius, Æ. 8, 704. hiemem Pataris Lyciæ exigit, Æ. 4, 143. parat choros, Æ. 4, 144. crine effuso, Æ. 4, 147. Butæ forma Ascanium a præliando dehortatur, Æ. 9, 638. semper a Trojanorum partibus stetit, Æ. 6, 56. Sibyllam furore corripit, Æ. 6, 46. 77. ejus fano et oraculo nobilis Delus, Æ. 3, 73. 94. 4, 144. Thymbra, G. 4, 323. Æ. 3, 85. Grynium, E. 6, 72. Æ. 4, 345. promontorium Actiacum, Æ. 3, 275. 8, 704. mons Soracte, Æ. 11, 785. mons ad Cumas, Æ. 4, 9. 40. ejus sagittandi peritia, Æ. 9, 655. Apollo Nomius, E. 5, 35. G. 1, 14. 4, 7. Arcitenens, Æ. 3, 75.
Aquarius, G. 3, 304.
Aquatilia peste corripiuntur, G. 3, 551.
Aquicolus, Æ. 9, 684.
Aquila, armiger Jovis, Ganymedem rapuit, Æ. 5, 254.
Aquilo cœlum serenat, G. 1, 460. procellam incitat, Æ. 1, 102.
Aræ, saxa in mari, Æ. 1, 109.
Ara pinguis, Æ. 7, 764. 9, 585. 4, 62. Carmentæ, Æ. 8, 337. aræ ornari solent coronis ac sertis, G. 4, 276. Æ. 1, 417. 3, 25. 6, 884. vittis, Æ. 3, 64. frondibus cupressinis, Æ. 3, 64. 6, 215. ante templum statuuntur, G. 4, 541. 549. quatuor Neptuni, Æ. 5, 639. aras tenent precantes, Æ. 4, 219. incendimus votis, Æ. 3, 279. in iis tura ardent: *adolescunt ignibus*, G. 4, 379. *calent*, Æ. 1, 417. 4, 453.
Arabs, G. 2, 115. Æ. 7, 605. 8, 706.
Aracynthus mons, E. 2, 24.
Aranea invisa Minervæ, G. 4, 246.
Arar, fl., E. 1, 63.
Aratio trina, G. 1, 45.
Aratri forma, G. 1, 170.
Araxes, fl., Æ. 8, 728.
Arbor: arborum creandarum ratio naturalis triplex, G. 2, 9. 47. et artificialis varia, G. 2, 22. avulsio, G. 2, 23. infossio, 2, 24. 61. 64. propagatio, 26. 63. surculus, 28. 65. concisio 30. 63. insitio, 32. 78. 79. inoculatio, 73. arborum variæ species ejusdem generis, 83. silvestrium emendatio, 47 et fructus, 429.
Arbutum, G. 1, 148. 2, 520. 3, 301. 4, 181.
Arbutus, E. 3, 82. 7, 46. G. 2, 69. frondes ejus ac folia grata capellis, G. 3, 300. et apibus, G. 4, 181.
Arcades ambo, E. 7, 4. cantandi periti, E. 10, 32. credunt se vidisse Jovem, Æ. 8. 352. eorum arma picta, Æ. 12, 281.
Arcadia, E. 4, 58. 59. 10, 26. G. 3, 392. Æ. 8, 159. 10, 429.
Arcas Evander, Æ. 12, 551. rex, Æ. 8, 102. 573. eques, Æ. 10, 239. Menetes, Æ. 12, 518.
Arcades alæ, Æ. 11, 835.
Arcens Siculus, Æ. 9, 581.
Archetius, Æ. 12, 459.
Archippus, rex, Æ. 7, 752.
Arcitenens, Apollo, Æ. 3, 75.
Arctos, ursa major, G. 1, 138. Æ. 1, 744. Arcti duæ, G. 1, 246. Æ. 6, 16.
Arcturus, Æ. 1, 744. 3, 516. G. 1, 68. 204.
Ardea, avis, G. 1, 364.
Ardea, urbs Rutulorum, Æ. 7, 411. 631. 9, 738. 12, 44.
Area terendis frugibus, G. 1, 178. 180. 192. 298. 3, 133.
Arethusa, nympha, E. 10, 1. G. 4, 344. 351. et fons Siciliæ, E. 10, 4. Æ. 3, 696.
Argi s. Argos, Æ. 1, 24. 285. 2, 95. 178. 326. 6, 838. 7, 286. 10, 779. 782.
Argileti nemus, Æ. 8, 345.
Argivorum clipei, Æ. 3, 636. 2, 389. 412. et galea, Æ. 5, 314.
Argitis minor, G. 2, 99.
Argo, navis, E. 4, 34.
Argolicus clipeus, Æ. 3, 637. galea, Æ. 5, 314. gens, Æ. 2, 78 et al.
Argos Hippium, s. Argyripa, Arpi, Æ. 11, 246. et Diomedis urbs, Æ. 8, 9. 11, 226.
Argus hospitio ab Evandro exceptus, Æ. 8, 346.
Argus Inachius, Æ. 7, 791.
Argyripa, v. Argos Hippium.
Aricia, urbs et nympha, Æ. 7, 762.
Aries: qualis deligendus, G. 3, 386.
Aries, machina, Æ. 2, 492. 11, 890. 12, 706.
Arion, E. 8, 56.
Arisba, urbs, Æ. 9, 264.
Arista, E. 1, 70. mollis, E. 4, 28. tenera, Æ. 7, 809.
Aristæus, Apollinis et Cyrenes f., G. 1, 14. apes amittit, G. 4, 283. 317. 355. 437. recuperat, G. 4, 530. 553.
Ariusia vina, E. 5, 71.
Arma picta, Æ. 8, 588. 10, 181. 12, 281.
Armeniæ tigres, E. 5, 29.
Armenta: quomodo habenda, G. 2, 195.
Arpi Ætoli, Æ. 10, 28. 11, 250. 428.
Arruns Camillam occidit, Æ. 11, 759. ab Ope interficitur, Æ. 11, 858.
Asbutes, Æ. 12, 362.
Ascanius Iulus dictus fuit, et Albam Longam condidit, Æ. 1, 267. Paphum a Venere avectus, Æ. 1, 691. venatur, Æ. 4, 156. ludum equestrem exhibet, Æ. 5, 667. et Latinos eum docuit, Æ. 5, 596. ejus jaculandi peritia, Æ. 7, 496. caput flamma circumdatum, Æ. 2, 680. pulcerrimus, Æ. 10, 132.
Ascanius, fl., G. 3, 270.
Ascræus senex, Æ. 6, 70. carmen, G. 2, 176.
Asia, angustus tractus paluster Lydiæ ad Caystrum, G. 1, 382. Æ. 7, 701.
Asia Deiopea, G. 4, 343.
Asia pars terrarum, Æ. 1, 385 et al.
Asilus, insectum, G. 3, 147.
Asius, Imbrasi f., Æ. 10, 123.
Assaracus, G. 3, 35. Æ. 1, 284. 6, 650. 779. 9, 259. 643. 10, 174. 12, 127. Assaraci duo, Æ. 10, 124.
Assyrium venenum, G. 2, 465.
Astrologia rustico necessaria, G. 1, 204. et gubernatori navis, Æ. 3, 513.
Astrum Cæsaris, Æ. 9, 47. cadens est lætum auspicium, Æ. 2, 693. G. 1, 365.
Astur, Æ. 10, 180.
Astyanax, Hectoris f., Æ. 2, 457. 3, 489.
Asylas, Æ. 9, 571.
Asylas, Etruscus, dux et sacerdos, Æ. 10, 175. 11, 620. 12, 127. 550.
Asylum Romuli, Æ. 8, 342.
Athenienses Minoi, ob necem Androgei, tributum pendunt, Æ. 6, 20.
Athesis, fl., E. 9, 680.
Athos, mons, G. 1, 332. Æ. 12, 701.
Atii, Æ. 5, 568.
Atina, urbs, Æ. 7, 630.
Atinas, Æ. 11, 869. 12, 661.
Atlas cantus et astronomiæ peritus, Æ. 1, 741. cœlifer, Æ. 4, 247. 480. 6, 797. 8, 137. 141. ejus filiæ, Æ. 8, 130 sq. G. 1, 221.
Atlantis Electra, Æ. 8, 135. Atlantides, G. 1, 221.
Atrides, Menelaus, Æ. 11, 262.

Atridæ, Æ. 2, 104. 415. 9, 602 et al.
Atys, unde gens Atia, Æ. 5, 568.
Avaritia, Æ. 1, 347. 3, 55.
Audacia, Æ. 10, 276.
Avena pro frumenti vitio, G. 1, 154. 77. E. 5, 37. calamus, E. 1, 2. 10, 51.
Aventinus mons, Æ. 8, 231. collis, Æ. 7, 659. Herculis f., Æ. 7, 655 sqq.
Avernus, Æ. 6, 126. 5, 732. 7, 91. unde nomen acceperit, Æ. 6, 239. 201. lacus silvâ inclusus, Æ. 3, 442. 6, 238. 704. Acherontis exundantis aqua, Æ. 6, 107. fons Avernus, Æ. 4, 512. portus, Æ. 5, 813. luci, Æ. 6, 118. 564. freta, G. 2, 164. stagna, G. 4, 493.
Aves pestilenti morbi vexantur, G. 3, 546. marinæ præsagia pluviarum, G. 1, 383. calidiorem plagam volatu petunt, Æ. 5, 310. Diomedeæ, Æ. 11, 271. cœlo et aere mutato naturæ earum mutationem subeunt, G. 1, 417. imbre et nocte ingruente silvis se tegunt, G. 4, 473.
Aviaria, G. 2, 430.
Aufidus, fl., Æ. 11, 405.
Augurium, Æ. 9, 327. e cygnis, Æ. 1, 393. 12. 244. flamma e capite micante, Æ. 2, 680. stella cadente, Æ. 1, 692. equis quatuor candidis, Æ. 3, 537. et sagitta exardescente, Æ. 5, 522.
Augusti Cæsaris templum, res gestæ et triumphi, G. 3, 13 sq. 4, 560. Æ. 6, 792. 8, 678. 714. G. 1, 24. 505. Æ. 1, 286. imperium, G. 1, 25. 2, 170.
Aulæa in theatro, G. 3, 25. vestes et vela, Æ. 1, 697.
Aulestes, Æ. 10, 207. occiditur, Æ. 12, 289.
Aulis, Æ. 4, 426.
Aunus, Æ. 11, 700. 717.
Aura luminis, G. 2, 47. ignis, Æ. 6, 747. auri, Æ. 6, 204. famæ, Æ. 7, 646.
Aureum Sæculum, E. 4, 4. G. 1, 125. 2, 536. Æ. 7, 203. 8, 319.
Aureus ramus, Proserpinæ sacer, Æ. 6, 136.
Aurora ad Vulcanum accessit, ut Memnoni arma peteret, Æ. 8, 384. auroræ descriptio, G. 1, 446. Æ. 3, 521. 588. 4, 129. 5, 64. 104. 6, 535. 7, 25. 12, 76.
Aurunci Turnum adjuvantes, Æ. 7, 206. 795. 10, 353. ab eo perdomiti fuisse videntur, Æ. 12, 22. 93. pars eorum ultra Lirim habitavit, Æ. 7, 726. et alii versus Sicanorum fines non longe a Tiberi, Æ. 11, 316. Auruncus Actor, Æ. 12, 94.
Ausonii coloni, Ansones, G. 2, 385. antiqui, Æ. 11, 253.
Ausonia, Æ. 3, 477 et al. Ausonidæ, Æ. 10, 546 et al. Ausonius, epitheton, passim.
Auster, deus, G. 1, 461. frigidus, G. 4, 261. austri sunt sævissimi in mari Mediterraneo, Æ. 1, 51. 536. austrini calores, G. 2, 271.
Anthronius, v. Thronius. Æ. 10, 753.
Automedon, Achillis auriga, Æ. 2, 477.
Autumnus arbores foliis spoliat, Æ. 6, 309. ejus initio tempestates frequentius ingruere solent, G. 1, 311. et vites serendæ sunt, G. 2, 321. ejus æstus gravis esse et morbos gignere solet, G. 3, 478.

B.

Baccar, herba, E. 4, 19. 7, 27.
Bacchus cothurnatus, G. 2, 7. qua faciem convertit, summa agri ubertas sequitur, G. 2, 392. curru tigribus juncto vehitur, E. 5, 29. in ejus sacris hircus mactatur, G. 2, 380. 395. et ad choros tibia adhibetur, Æ. 11, 737. ejus orgia s. sacra enthusiastica, G. 4, 521. Æ. 4, 301. 7, 385. 580. chorus, E. 5, 30. thyrsus, E. 5, 31. Æ. 7, 390. sacra inter Etruscos vel maxime viguerunt, Æ. 11, 737. festum Liberalia vindemia facta, G. 2, 385. ei comam alunt Bacchæ, Æ. 7, 391. ejus sacra celebrantur in jugis Naxi, Æ. 3, 125. et Taygeti, G. 2, 487. ejus ex India triumphus, Æ. 6, 805.
Bactra, G. 2, 138. Æ. 8, 688.
Baiæ, urbs Campaniæ, Æ. 9, 710.
Balearis funda, G. 1, 309.
Balsamum Orientis, G. 2, 119.
Balteus sculptura ornatus, Æ. 10, 496. ex aureis catenulis compactus, Æ. 12, 273. balteus Pallantis, bullis ornatus, Turno causa mortis, Æ. 12, 941.
Barce, urbs Cyrenaica, unde Barcæi, Æ. 4, 43.
Barce, Sichæi nutrix, Æ. 4, 632.
Batulum, Æ. 7, 739.
Bavius, poëta, E. 3, 90.
Bebrycia, Æ. 5, 373.
Belgica esseda, G. 3, 204.
Bellona pronuba, Æ. 7, 319. cum flagello, Æ. 8, 705.
Belli malorum descriptio, G. 1, 505. Æ. 1, 294. portæ, Æ. 1, 294. 7, 607. locus in ipso limine Tartari, Æ. 6, 279. indicendi mos apud Albanos et Romanos, Æ. 7, 601. 611. signum, vexillum in arce positum, Æ. 8, 1. belli mala, G. 1, 505. bello interfectorum apud inferos locus, Æ. 6, 477.
Belus Didonis pater, Æ. 1, 621. alius Tyriorum regum progenitor, Æ. 1, 729.
Benacus, lacus, G. 2, 160. E. 10, 205.
Berecynthia, Æ. 6, 784. 9, 82. 619.
Beroe, nympha, G. 4, 341.
Beroe, Dorycli uxor, Æ. 5, 620. 646. 650.
Bianor, Mantuæ conditor, E. 9, 60.
Bisaltæ, Thraces, G. 3, 461.
Bitias, Æ. 1, 738.
Bitias, Pandari frater, Æ. 9, 672. ejus educatio, ibid. vastum corpus, 674. 703. mors, 705. Æ. 11, 396.
Blattæ, vermes ceram depascentes, G. 4, 243.
Bola, urbs, Æ. 6, 776.
Bootes, stella, G. 1, 229.
Boreæ frigora, E. 7, 51. G. 1, 93. 370. 2, 316. 3, 278. Æ. 1, 442. 3, 687. spiritus, Æ. 12, 365. de gente, Æ. 10, 350.
Boves qui optimi, G. 3, 51. candidi in triumpho immolantur, G. 2, 146. boum pugna, G. 3, 217. 220. Æ. 12, 720. nivearum usus ad pompam in Junonis sacris ducendam, G. 3, 532.
Briareus, Æ. 6, 287.
Britanni, E. 1, 67. G. 3, 25.
Brontes, unus Cyclopum, Æ. 8, 425.
Brutus, Æ. 6, 818.
Bubo, avis, Æ. 4, 462. 12, 862.
Buccina dat signum belli, Æ. 7, 519. 11, 474.
Bufo, reptile, G. 1, 181.
Bullæ, ornamenta cinguli, Æ. 9, 359. 12, 942.
Bumastus, G. 2, 102.
Bura s. buris, pars aratri, G. 1, 170.
Busiris illandatus, G. 3, 5.
Butes, ex Bebrycia, a Dare in cæstu vincitur, Æ. 5, 372.
Butes, armiger Anchisæ et Ascanii comes, Æ. 9, 647.
Butes, Trojanus, a Camilla interfectus, Æ. 11, 690.
Buthrotum, urbs Epiri, Æ. 3, 293.
Buxus, G. 2, 437. 449.
Byrsa, seu Bisra melius, ara Carthaginis, Æ. 1, 367.

C.

Cacus Herculis boves abigit,

Æ. 8, [illegible] ab eo occiditur, 259. ejus spelunca, 193.
Caduceus Mercurii, Æ. 4, 242.
Cæculus, Prænestinæ urbis conditor, Æ. 7, 678. 10, 544.
Cædicus, Æ. 9, 362. alius, 10, 747.
Cæneus in inferis, Æ. 6, 448. alius a Turno occiditur, Æ. 9, 573.
Cære urbs, Cærete domo, Æ. 10, 183. Cæritis annus, 8, 597.
Julii Cæsaris anima in stellam crinitam abiit, E. 9, 47. Æ. 8, 681. prodigia post ejus cædem, G. 1, 466.
Cæsar Augustus, v. Augustus.
Cæstus e corio, G. 3, 20. Æ. 5, 69. 401. 405. certamen, Æ. 7, 732.
Cætra, scutum Hispanicum, Æ. 1, 732.
Caicus, Oceani f., et Mysiæ fl., G. 4, 370.
Caicus, Trojanus, Æ. 1, 183. Æ. 9, 35.
Caieta, Æneæ nutrix, Æ. 7, 2. portus, Æ. 6, 901.
Calabri saltus, G. 3, 425.
Calathus, E. 5, 71.
Calchas, vates, Æ. 2, 100. 122. 176. 185.
Cales, urbs, Æ. 7, 728.
Calliope, Æ. 9, 525.
Calliopea, E. 4, 57.
Caltha, E. 2, 50.
Calydon, urbs, Æ. 11, 270. 7, 306. unde Calydonius aper, Æ. 7, 306.
Camarina, urbs et palus, Æ. 3, 701.
Camers, Æ. 10, 562. 12, 224.
Camilla, Metabi, Volscorum regis, filia, Æ. 7, 803. 11, 432. Amazon, Æ. 11, 648. Dianæ vovetur, Æ. 11, 557. semper virgo, Æ. 11, 582. educata in montibus, Æ. 11, 570. venatrix, Æ. 11, 575. et bellatrix, Æ. 7, 804. 11, 649. velocissima, Æ. 7, 808. ab Arrunte interficitur, Æ. 11, 803. 816 sqq.
Camilli, G. 2, 169.
Camillus signa a Gallis recipit, Æ. 6, 826.
Camœnæ alterna amant, E. 3, 59.
Campana urbs, Æ. 10, 145.
Camura, h. incurva, cornua, G. 3, 55.
Cancer, G. 4, 48. sidus, E. 10, 68.
Canes venatici, Æ. 1, 152. 7, 479. inferæ, Æ. 6, 257. mala ominantur, G. 1, 470. canum cura et utilitas, G. 3, 404.
Canis, signum cœleste, G. 1, 218. æstifer, G. 2, 353.
Canopus, urbs Ægypti, G. 4, 287.
Cantharus Sileni, E. 6, 17.
Capena, cum luco Feroniæ, Æ. 7, 697.
Caper in Bacchi sacris immolatus, G. 2, 380. in vetere Atheniensium tragœdia poëtarum præmium, G. 2, 381. ex eo utres in Lænais, G. 2, 384.
Caphereus, (ὁ Καφηρεὺς σκόπελος; promont. Euboeæ, Æ. 11, 260.
Capitolium, Æ. 6, 837. 8, 347. 653. 9, 448.
Caprarum cura, G. 3, 300 sq.
Capreæ, insula, Æ. 7, 735.
Capua, Campaniæ metropolis, G. 2, 224. Æ. 10, 145.
Capys, Anchisæ pater, Æ. 6, 768.
Capys, Trojanus, Æ. 1, 183. 2, 35. a Temilla interficitur, Æ. 9, 576.
Capys, unde Capua nomen accepit, Æ. 10, 145.
Cares, Æ. 8, 725.
Carchesium, vasis genus, G. 4, 380. Æ. 5, 77.
Carex, junci genus, E. 3, 20. G. 3, 231.
Carinæ, locus in quarta regione Romæ, Æ. 8, 361.
Carmenta s. Carmentis aram Romæ habuit, Æ. 8, 336. ab ea dicta Carmentalis porta, Æ. 8, 338.
Carpathium mare, G. 4, 387. Æ. 5, 595.
Carthago, Tyriorum colonia, Æ. 1, 12. 340. a Romanis evertetur, Æ. 1, 19. cum iis bellum geret, Æ. 10, 11. Junoni sacra, Æ. 1, 15. condita, Æ. 1, 365. 421. colles urbi imminentes, Æ. 1, 419. templum Junonis, Æ. 1, 445 sq.
Caseus, E. 1, 35.
Casia, herba, E. 2, 49. G. 2, 213. 466.
Casmilla, Camillæ mater, Æ. 11. 542.
Casperia, urbs Sabinorum, Æ. 7, 714.
Caspia regna, Æ. 6, 799.
Cassandra vates frustra dissuadet de equo Trojano in urbem inferendo, Æ. 2, 246. ejus amore incensus Corœbus, Æ. 2, 342. ei ab Ajace stuprum infertur, Æ. 1, 41. ex Minervæ templo abducitur, Æ. 2, 403. ejus vaticinia de Æneæ fatis, Æ. 3, 185. 10, 681. per somnum apparet, Æ. 5, 636.
Cassida, h. galea, Æ. 11. 775.
Castalia, πηγή, fons, G. 3, 293.
Castaneæ molles, E. 1, 82. hirsutæ, E. 7, 53. ex semine proveniunt, G. 2, 14. iis fagi inseruntur, G. 2, 71.
Castor, Trojanus, Æ. 10, 124.
Castoris et Pollucis moriendi vices, Æ. 6, 121. eorum equus Cyllarus, G. 3, 90.
Castorum Ponticum et graveolens, G. 1, 59.
Castra Trojanorum nullo vallo ducto oppugnantur, Æ. 9, 156. defenduntur, Æ. 10, 130.
Castrum Inüi, urbs Italiæ, Æ. 6, 776.
Cateia, teli genus, Æ. 7, 741.
Catilinæ supplicium, Æ. 8, 668.
Catillus, Æ. 7, 672. 11, 640.
Cato, M. Porcius, Æ. 6, 842.
Cato, Uticensis, Æ. 8, 670.
Caucasus, Æ. 4, 367. ibi Prometheus affixus, E. 6, 42. ejus silvæ, G. 2, 440.
Caulon, l. Caulonia, Achæorum colonia, Æ. 3, 553.
Caurus s. Corus, ventus, G. 3, 278. 356.
Cavea apum, G. 4, 58. in Circo, Æ. 8, 636.
Cayster, fl., G. 1, 384.
Cea, G. 1, 14.
Cecropidæ, Æ. 6, 21.
Cecropius, G. 1, 177. 270.
Cedrus, vel potius oxycedrus, ex juniperorum genere, domibus struendis inservit, G. 2, 443. alius ejus usus, G. 3, 414. Æ. 7, 13. 177. 11, 137.
Celæno, una ex Harpyiis, Æ. 3, 211. vaticinatur, Æ. 3, 245. 365.
Celenna, Æ. 7, 739.
Celeus, Eleusinius, Triptolemi pater, G. 1, 165.
Centauri Thessaliæ montes inhabitantes, Æ. 7, 674. ebrii cum Lapithis pugnant, G. 2, 455. eorum apud inferos locus, Æ. 6, 186. primi equorum domitores, G. 3, 115.
Centaurus, navis eum pro parasemo habens, Æ. 5, 122. 155. 10, 195.
Centaureum, herba, G. 4, 270.
Cerasus, G. 2, 18.
Ceraunia alta, G. 1, 332. Æ. 3, 506.
Cerberus, G. 4, 483. ejus descriptio, Æ. 6, 417.
Cereale papaver, G. 1, 212. solum, Æ. 7, 111. culmus, G. 2, 517. arma, Æ. 1, 177.
Ceres G. 1, 96. 297. legifera, Æ. 4, 58. agriculturam homines docuit, G. 1, 147. ejus festum, Ambarvalia, E. 3, 77. G. 1, 338. 345. templum haud procul a Troja in colle, Æ. 2, 713. 742. sub ejus et Bacchi nomine Sol et Luna colebantur, G. 1, 6. pompa Eleusinia, G. 1, 166.
Cerinthe, herba, G. 4, 63.
Certamen navale, Æ. 5, 114. et cursus, Æ. 5, 286. sagittis arcu emissis, Æ. 5, 485. equis, quibus armati insident, Æ. 5, 548.

Cervus venatione interemtus causa belli inter Latinos et Trojanos, Æ. 7, 475. 483. cervos jaculatur Æneas, Æ. 1, 184. cerva telo confixa, Æ. 4, 69.
Cethegus, Æ. 12, 513.
Chalcidicus, E. 10, 50. Æ. 6, 17.
Chalybes, gens dura et in ferro cudendo occupata, G. 1, 58. Æ. 8, 421. 10, 174.
Chalybe, sacerdos, Æ. 7, 419.
Chaon, Trojanus, Æ. 3, 335.
Chaonia terra, Æ. 3, 335.
Chaonius, E. 9, 13. G. 1, 8. 2, 67. Æ. 3, 293. 334.
Chaos, G. 4, 347. Æ. 4, 510. 6, 265. 534.
Charontis inferni portitoris descriptio, Æ. 6, 298. ab Hercule compedibus vincitur, Æ. 6, 292. ejus cymba, Æ. 6, 413. 303.
Charybdis descriptio, Æ. 3, 420. periculosa, Æ. 3, 564. 684. 7, 302.
Chelæ, G. 1, 33.
Chelydri, angues fœtore intolerabili, G. 2, 214. 3, 415.
Chersydrus, s. dryinus, ex hydrorum genere, G. 3, 425.
Chimæra, Æ. 6, 288. 7, 785. navis, ejus parasemo ornata, Æ. 5, 118. 122. 223.
Chiron, G. 3, 550.
Chlamys, Æ. 4, 137. 5, 250. crocea, Æ. 11, 775.
Chloreus, Cybeles sacerdos, Æ. 11, 768. a Turno interficitur, Æ. 12, 363.
Chorus in ambarvalibus, G. 1, 346. Saliorum in vetere Latio, Æ. 8, 285. eum Diana ducit, Æ. 1, 498. et Apollo, Æ. 4, 143.
Chromis, Satyrus, E. 6, 13.
Chromis, Trojanus, Æ. 11, 675.
Cicadæ rore pascuntur, E. 5, 77. querulæ, G. 3, 328. E. 2, 13.
Cicones, populi ad Hebrum fl., G. 4, 520.
Ciconia tempus serendarum vitium indicat, G. 2, 319.
Ciminius lacus, Æ. 7, 697.
Cinna, poëta, E. 9, 35.
Cinyps, fl., unde Cinyphii, G. 3, 312.
Cinyras, Æ. 10, 186.
Circe Ææa, Æ. 3, 386. mutavit Ulyssis socios, E. 8, 70. ejus insula et fabula, Æ. 7, 10. 190. 282. 3, 386. Circæum jugum, Æ. 7, 799.
Circenses ludi, al. Consualia, Æ. 8, 636.
Cisseus, Hecubæ pater, Æ. 5, 537. unde
Cisseis, Hecuba, Æ. 7, 320. 10, 705.
Cisseus, Æ. 10, 317.
Cithæron, Bœotiæ mons, G. 3, 43. Æ. 4, 303.
Citharœdus in conviviis, Æ. 1. 740.
Citrus. arbor, G. 2, 126.
Clanius, fl., G. 2, 225.
Clarus Sarpedonis Lycii frater, Æ. 10, 126.
Clarius Apollo, Æ. 3, 360.
Clausus, a quo Claudia gens, Æ. 7, 706. 10, 345.
Cleopatræ fuga, Æ. 8, 696.
Clipei votivi, Æ. 3, 286. coriis pluribus induti, Æ. 10, 482.
Clio, una Oceanidum, G. 4, 341.
Clitumnus, fl., G. 2, 146.
Cloanthus e Trojanis, Æ. 1, 222. 510. 612. 4, 288. in navali certamine Scyllam regit, Æ. 5, 122. victor, Æ. 5, 245.
Cloelia, Æ. 8, 651.
Clonius a Turno occiditur, Æ. 9, 574. alius, 10, 749.
Clonus, insignis cælator, Æ. 10, 499.
Cluentia gens, Æ. 5, 123.
Clusium, Æ. 10, 167. unde
Clusini, Æ. 10, 655.
Clymene, nympha, G. 4, 345.
Clytius, Æoli f., Æ. 9, 774. alius, 10, 129. alius, 325. alius, 11, 666.
Cocles, Romanus, Æ. 8, 650.
Cocytus fl. describitur, G. 4. 478. Æ. 6, 132. 297. 323. Cocytia virgo Alecto, Æ. 7, 479.
Codrus, pastor, E. 5, 11. 7, 22. 26.
Cœus, e Titanibus, G. 1, 279. Æ. 4, 179.
Collatia, urbs, Æ. 6, 774.
Colocasia s. colocasium, planta Ægyptia, E. 4, 20.
Columba malo adfixa, Æ. 5, 488. 505. 512. columbæ Dodoneæ, E. 9, 13. Veneri dicatæ, Æneæ ad aureum ramum duces, Æ. 6, 190.
Coluber, ex hydrorum genere, G. 3, 418. serpentis genus, Æ. 2, 471.
Columna verua, G. 2, 396.
Cometes, Æ. 10, 272.
Conon, E. 3, 40.
Cora urbs, Æ. 6, 776.
Coras, Æ. 7, 672. 11, 465. 604.
Corinthus, a Mummio diruta, Æ. 6, 837.
Cornix tempestatis nuntia, G. 1, 388. E. 1, 18. 9, 15.
Cornus, G. 2, 448. Æ. 9, 698. 12, 267. corna, ejus baccæ, G. 2. 34. Æ. 3, 649.
Corœbus, Cassandræ sponsus, Æ. 2, 341. auctor est Trojanis, ut Græcorum arma induant, Æ. 2, 386. ultor Cassandræ, Æ. 2, 407. interficitur, Æ. 2, 424.
Corona, deorum et regum insigne, Æ. 1, 655. 7, 75. radiata, Æ. 12, 162. tonsa, Æ. 5, 556. crateri imposita, Æ. 3, 525. navalis et [illegible]ta, Æ. 8, 684. in re læta, Æ. 4, [illegible].
Coronæ sidus, G. 1, 222.
Coronata vina, Æ. 1, 724.
Corsica, taxis et nelle [illegible] nobilis, E. 9, 30.
Corvi, nuntii pluviarum, G. 1, 381. et serenitatis, G. 1, 410.
Corulus, E. 1, 14. 5, 3. 7, 61. G. 2, 65. 299.
Corus, caurus, Æ. 5, 126.
Corybantum saltationes, Æ. 3, 111.
Corycius senex, G. 4, 127.
Corydon, E. 2. 56. 5, 86. 7, 2. 40.
Corymbus, hederæ racemus, E. 3, 39.
Corynæus, Æ. 9, 228. sternitur, Æ. 9, 571.
Corythus, Æ. 3, 170. 7, 209. 9, 10. 10, 719.
Corythus, pharetra, Æ. 10, 169.
Cosæ, urbs, Æ. 10, 168.
Cossus, Æ. 6. 842.
Cothurnus Dianæ et venatorum, E. 7, 32. 8, 10. Æ. 1, 337. Bacchi, G. 2, 8.
Cremona, E. 9, 28.
Crepusculum, Æ. 4, 584.
Creta, Æ. 3, 104. 129. 5, 588.
Cretæus, Æ. 3, 117. 12, 412.
Creteus, Græcus, Æ. 12, 538.
Cretheus, lyricus, Æ. 9, 774.
Creüsa, Æneæ conjux, Æ. 2, 673. amissa, Æ. 2, 736. conjugi apparet, Æ. 2, 772.
Crinisus fl., Acestis regis pater, Æ. 5, 38.
Crustumerii, Æ. 7, 631.
Crustumium, urbs piris nobilis, G. 2, 88.
Cucumis, G. 4, 122.
Cumæ, urbs, Æ. 6, 2.
Cumæus, Æ. 3, 441. 6, 98.
Cunei theatrorum, G. 2, 509. Æ. 5, 664.
Cupavo, Æ. 10, 186.
Cupencus, Æ. 12, 539.
Cupido in Ascanium transformatus, Æ. 1, 657. 664. 695. 10, 93.
Cupressus sacra, Æ. 2, 714. in rogo, Æ. 6, 216. et ara, Æ. 3, 64. cupressum ferens Silvanus, G. 1, 20. comfere. Æ. 3, 680. Idææ, G. 2, 84. caput efferunt, E. 1, 25.
Curculio, frumenti grana corrodens, G. 1, 186.
Cures, urbs Sabinorum, Æ. 6, 812. 8, 638.
Curetum oræ, h. Creta. Æ. 3, 131. ab iis Jupiter infans custoditus, G. 4, 151.
Cursus certamen, Æ. 5, 291.
Cybebe, Æ. 10, 220.
Cybele, Æ. 3, 111. 11, 768. Idæa et Berecyntia, Æ. 9, 82. turrita, Æ. 10, 252. per Phrygiam invecta, Æ. 6,

785. ejus sacra, Æ. 3, 111. 9, 617.
Cyclades, Æ. 3, 127. 8, 692.
Cyclopum labores, G. 4, 170. Æ. 8, 424. littus in Sicilia, Æ. 1, 201. G. 1, 471. terra et antrum, Æ. 3, 569. 617. 8, 418. statura, Æ. 3, 641. 662. 675. ab iis muri ferrei regiæ Plutonis fabricati, Æ. 6, 630.
Cycni alis plaudentes et loquaces, Æ. 7, 699. 11, 458. ad poëtas referuntur, E. 9, 29. præsagia pluviarum, G. 1, 383. aquilæ adventu disperguntur, Æ. 1, 393. 9, 563. 12, 247. iis abundabat Mincius, E. 9, 29. G. 2, 199. ex iis augurium petitur, Æ. 1, 392. cycnis candidior, E. 7, 38.
Cycnus ex luctu de Phaethontis casu in olorem mutatus, Æ. 10, 189.
Cydippe, nympha, G. 4, 339.
Cydon, Æ. 10, 325.
Cydones, Æ. 12, 858. Cydonia spicula, E. 10, 59.
Cyllarus, Dioscurorum equus, G. 3, 90.
Cyllene, mons Arcadiæ, Æ. 8, 139.
Cyllenius, G. 1, 337. Æ. 4, 252. 258. 276.
Cymodoce, nympha, G. 4, 338. Æ. 5, 826.
Cymodocea, Æ. 10, 225.
Cymothoe, nympha. Æ. 1, 144.
Cynthus, mons Deli, Æ. 1, 498. 4, 147. unde Cynthius Apollo, E. 6, 3. G. 3, 36.
Cyprus opima, Æ. 1, 622.
Cyrene, nympha, G. 4, 321. 334. 376. 530.
Cyrneæ, h. Corsicanæ taxi, E. 9, 30.
Cythera, insula, Æ. 1, 680. 10, 51. 86. unde Cytherea Venus, Æ. 1, 257 et al.
Cytisus, fruticis genus, E. 1, 79. 2, 64. 9, 31. 10, 30. G. 2, 431. 3, 394.
Cytorus, mons, G. 2, 437.

D.

Daci cum Romanis bella gerunt, G. 2, 497.
Dædali fabula, Æ. 6, 14. 29. dædala Circe, Æ. 7, 282. tecta, G. 4, 179.
Dahæ, Æ. 8, 728.
Damœtas, pastor, E. 2, 37. 3, 1. 5, 72.
Damon, pastor, E. 3, 17. 8, 1.
Danae, Acrisii f., Ardeam extruxit, Æ. 7, 410.
Danai, Æ. 1, 30 et al.
Danaides nocte nuptiali suos sponsos interimentes, Æ. 10, 497.
Daphnidis laudes, E. 5, 20. D. amatorem suum mulier magicis artibus ad se revocat, E. 8, 68.
Dardanidæ, Æ. 1, 560 et al.
Dardanius. Dardania gens, Æ. 1, 602 et al.
Dardanus. Dardana pubes, Æ. 5, 119. 7, 219. arma, Æ. 2, 618. tela 6, 57.
Dardanus Trojæ auctor, Æ. 6, 650. origo ex Italia, Æ. 3, 167. 7, 205. mater Electra, Æ. 8, 134. pater Jupiter, Æ. 7, 219.
Dardanus, pro Dardanius, Æ. 4, 662. 5, 119. 6, 57. 2, 618.
Dares, Æ. 5, 368. 406. cum Entello manus conserit, Æ. 5, 426. et vincitur, Æ. 5, 456.
Dauci duo filii, Æ. 10, 391.
Daunia gens, Rutuli, Æ. 8, 146. dea, 12, 785. Daunius heros, 12, 723.
Daunus, Turni pater, Æ. 10, 616 et al.
Decii, G. 2, 169. Æ. 6, 825.
Defrutum, vini genus, G. 4, 269.
Deiopea, nympha, G. 4, 343. Æ. 1, 72.
Deiphobe, Sibylla Cumæa, Æ. 6, 36.
Deiphobus in inferis, Æ. 6, 494. 500.
Deli ins. descriptio, Æ. 3, 73.
Delia, pastoris amica, E. 3, 67.
Delphines, Æ. 8, 673.
Demodocus, Æ. 10, 413.
Demoleus, Æ. 5, 260.
Demophoon, Æ. 11, 675.
Dercennus, Æ. 11, 850.
Deucalion, G. 1, 62.
Deorum jusjurandum, Æ. 6, 323. 9, 104. concilium in Olympo, Æ. 10, 1. præsentiæ signa in discessu, Æ. 1, 402. 9, 657. et si in hominum conspectum veniunt, Æ. 2, 591. 4, 358. 5, 647. quoties apparent, omnia rident et frondescunt, G. 2, 322. quas terras et urbes præcipue invisere dicantur, G. 1, 25. Dii marini, Æ. 5, 822. timendi, Æ. 6, 630. 1, 543. ipsi Trojam excidunt, Æ. 2, 604.
Diana choros ducit, Æ. 1, 498. tria ora habet, Æ. 4, 511. irata in Œneum, Æ. 7, 305.
Dicte, mons Cretæ, pars Idæ. Dictæa arva, Æ. 3, 171. saltus, Æ. 4, 73. antrum, G. 4, 152. rex, G. 2. 536. nymphæ, E. 6, 56.
Dictamnus, herba, Æ. 12, 412.
Didonis fata post mortem Sichæi, Æ. 1, 840. Trojanos benigne excipit, Æ. 1, 561. ejus amor, Æ. 4, 60. 529. forma et imperium, Æ. 1, 496. conjugium cum Æneæ, Æ. 4, 165. oratio ad eum, ne se deserat, Æ. 4, 305. in eum imprecatio, Æ. 4, 365. ad infimas preces delabitur, Æ. 4, 424. vitæ pertæsa, Æ. 4, 450. Sacrum arcanum præparat et differt, Æ. 4, 504. se ipsam super rogo interficit, Æ. 4, 660. convenit Æneam in locis inferis, Æ. 6, 450 sq.
Didymaon, Æ. 5, 359.
Dies ortus descriptio, G. 1, 445. Æ. 3, 588. 4, 129. 6, 535. 11, 1. 12, 76. dies longissimus in Italia, G. 3, 327.
Dindymus, mons, Æ. 9, 618. 10, 252.
Diomedes a Turno ad belli societatem impellitur, Æ. 8, 9. Venerem vulneravit, Æ. 11, 277. cum Æneæ congressus, Æ. 11, 282. ejus aves, Æ. 11, 271. urbs Argyripa, Æ. 11, 246. equi, Æ. 1, 752.
Dione, Venus. Dionæus Cæsar, E. 9, 47. mater, Æ. 3, 19.
Diores cursus certamen iniit, Æ. 5, 297. a Turno interficitur, Æ. 12, 509.
Dioxippus occiditur a Turno, Æ. 9, 574.
Diræ, Æ. 7, 314. 454. 8, 235. 12, 845. 689.
Dirce fons. Dircæus Amphion, E. 2, 24.
Dis, Ditis alta ostia, G. 4, 467. 519. Æ. 4, 702. 5, 731. 6, 127. 269. 397. 541. 7, 586. 8, 667. 12, 199.
Discordia: ejus descriptio, Æ. 8, 702. sedes apud inferos, Æ. 6, 280.
Dodona, G. 1, 149. Dodonæi lebetes, Æ. 3, 466.
Dolicaon, Æ. 10, 696.
Dolon, Æ. 12, 347.
Dolon, teli genus, Æ. 7, 664.
Dolopes, Æ. 2, 7. 29. 785.
Donaria in templis, Æ. 7, 138.
Donysa, ins., Æ. 3, 125.
Dorica castra, Æ. 2, 27. 6, 88.
Doris, E. 10, 5.
Doryclus Tmarius, Æ. 5, 620. 647.
Doto Nereïa, Æ. 9, 102.
Draco, sidus, G. 1, 244. in Hesperidum hortis, Æ. 4, 484. duo dracones Laocoontem petentes, Æ. 2, 203. 225.
Drances et Turnus se mutuis conviciis prosciudunt, Æ. 11, 122. 220. 336. 378. 384. 443. 12, 644.
Drepani ora illætabilis, Æ. 3, 707.
Drusi, Æ. 6, 825.
Dryades, E. 5, 59. G. 1, 11. 3, 40. 4, 460.
Drymo, nympha, G. 4, 336.
Dryope, Æ. 10, 551.
Dryopes primum Thessaliæ habitatores, et inde Parnassi accolæ, Æ. 4, 146. Dryopes, ὁ Δρύοπος, Æ. 10, 346.
Dulichiæ rates, E. 6, 76.
Dulichium, ins., Æ. 3, 271.

Dymas, Æ. 2, 340. 394. 428.

E.

Ebenus, G. 2, 117.
Ebulum, herbæ genus, E. 10, 27.
Ebusus, Æ. 12, 299.
Echionius, Æ. 12, 515.
Echo: ejus descriptio, Æ. 5, 148. 150.
Edera, E. 7, 25. 8, 13. 4, 19. G. 4, 124. nigra, G. 2, 258. pallens et circum poculi labra circumfusa, E. 3, 38. alba, E. 7, 38.
Edonus, h. Thracicus Boreas, Æ. 12, 365.
Egeria, nympha, Æ. 7, 763. 775.
Electra, Atlantis f., Dardani mater, Æ. 8, 135. 136.
Electrum, metallum, G. 3, 522. Æ. 8, 402. 625. succinum, E. 8, 54.
Eleusinia pompa et mysteria, G. 1, 160.
Elis, urbs, Æ. 3, 694. 6. 588. Eleus campus, 3, 202. Eliades equæ, G. 1, 59.
Elissa, Æ. 4, 335. 367. 610. 5, 3. Dido.
Elleborus gravis, G. 3, 451.
Eloquentiæ forensis laus, G. 2, 508.
Elysiorum camporum descriptio, Æ. 6, 638. G. 1, 38.
Elysium, Æ. 5, 735. 6, 542. iter, 6, 744.
Emathia, G. 1, 492. 4, 390.
Emathion, Æ. 9, 571.
Enceladus, Æ. 3, 578. 4, 179.
Enipeus, fl., G. 4, 368.
Entelli et Daretis certamen, Æ. 5, 426.
Eous, G. 1, 221. 288. 2, 115. Æ. 1, 489. 2, 417. 3, 588. 11, 4.
Epeus, equi Trojani fabricator, Æ. 2, 264.
Ephyre, nympha, G. 4, 343.
Ephyreium æs, G. 2, 464.
Epidaurus, equorum cura nobilis, G. 3, 44.
Epirus generosis equis nobilis, G. 1, 59. 3, 121. eam adit Æneas, Æ. 3, 292. 503.
Epulæ, G. 4, 378. sacræ, Æ. 8, 175. 283. ferales, Æ. 5. 62. repostæ, G. 3, 527. epulas instaurant, Æ. 8, 283. divum, Æ. 1, 79. epulis Penates adhibere, Æ. 5, 63. epulas rimatur sub pectore, Æ. 6, 599. subjiciunt liba, Æ. 7, 110.
Epulo ab Achate obtruncatur, Æ. 12, 459.
Epytides, Æ. 5, 547. 579.
Epytus, Æ. 2, 340.
Equorum bonorum notæ, G. 3, 73. admissura, G. 3, 123. usui bellico destinatorum educatio, G. 3, 179. morbus et cura, G. 3, 498. omen ipsi Æneæ, Æ. 3, 537. juncti currui in certaminibus et triumphis, G. 3, 202. eorum primi domitores Centauri, G. 3, 115. equi vulnerati descriptio, Æ. 10, 891. Mezentii oratio ad equum suum Rhœbum, Æ. 10, 860. equus ligneus vel Trojanus, Æ. 2, 15. equi caput inventum, ubi post Carthago, Æ. 1, 443. equæ vento gravidæ, G. 3, 273. equarum gravidarum cura, G. 3, 138.
Equestre certamen, Æ. 5, 553.
Erato, Musa, Æ. 7, 37.
Erebus, G. 4, 471. Æ. 4, 26. 510. 6, 247. 404. 671. 7, 140.
Eretus, Æ. 7, 711.
Ericetes, Æ. 10, 749.
Erichthonius, quadrigarum inventor, G. 3, 113.
Eridanus, fluviorum rex, G. 1, 482. Æ. 6, 659. 4, 372.
Erigone, G. 1, 33.
Erinnys, Æ. 2, 337. 573. 7, 447. 570.
Eriphyle, Æ. 6, 445.
Erycinus, Æ. 5, 759. 10, 36.
Erymanthus, mons, Æ. 5, 448. apro nobilis, Æ. 6, 803.
Erymas, Æ. 9, 702.
Eryx, Veneris et Butæ f., Erycis conditor, Æ. 5, 24. 483. 630. 772. pugil, Æ. 5, 392. 412. ejus cæstus, Æ. 5, 402. 419.
Eryx, mons, Æ. 1, 570. 12, 701. in quo Veneris templum, Æ. 5, 759.
Esseda Belgica, G. 3, 204.
Etruria, G. 2, 533. Æ. 8, 494. 12, 232.
Etruscus sacerdos, Æ. 8, 498. tibicen, G. 2, 193. Etrusci agricultura potentes facti, G. 2, 533. Etrusca acies, Æ. 8, 503. urbs, Æ. 10, 180. pinus, Æ. 9, 521. Etrusci, Æ. 9, 150. 10, 429. 11, 598. 8, 480. 10, 148. 238. veste auro texta, Æ. 10, 818. auxilia Æneæ ex Etruria, Æ. 10, 166.
Evadne, Æ. 6, 447.
Evander sacris Herculis intentus, Æ. 8, 102. cum Latinis bella gerit, Æ. 8, 51. benigne excipit Æneam, Æ. 8, 154. auxilia promittit, Æ. 8, 470. et adducit, Æ. 8, 546. ejus fortitudo, Æ. 8, 561. affectus paternus erga Pallantem, Æ. 8, 574. cujus mortem deplorat, Æ. 11, 148.
Euanthes, Æ. 10, 702.
Euboea. Euboica rupes, Æ. 6, 42. littus, Æ. 9, 710. oræ, 6, 2. cautes, 11, 260.
Eumedes nobilis et fortis, Æ. 12, 346. occisus a Turno, Æ. 12, 353.
Eumelus, Æ. 5, 665.
Eumenides, G. 1, 278. 4, 481. Æ. 4, 469. 6, 250. 280. 375.
Eunæus, Æ. 11, 666.
Evoe, Æ. 7. 389.
Euphrates, fl., G. 1, 509. 4, 561. Æ. 8, 726.
Euphorion, poëta, E. 6, 72. 10, 50.
Europa, Æ. 1, 385. 7, 224. 10, 91.
Eurotas, fl., Æ. 1, 498. E. 6, 83.
Eurous, Æ. 3, 533.
Eurus, G. 1, 371. 453. G. 2, 107. 2, 339. 441. 3, 272. 322. 4, 29. 4, 192. Æ. 1, 85. 110. 131. 140. 383. E. laetus equis Eois, Æ. 2, 418. 8, 223. 12, 733.
Euryalus victor in cursu, Æ. 5, 337. inter eum et Nisum amoris mutui affectus, Æ. 9, 176. ejus pietas erga matrem, Æ. 9, 284. in hostes incidit, Æ. 9, 384. eum liberare tentat Nisus, Æ. 9, 402. conditur, Æ. 9, 422. caput hastæ adfixum, Æ. 9, 465. ejus mortem mater luget, 473.
Eurydices et Orphei fabula, G. 4, 485.
Eurypylus, vates, Æ. 2, 114.
Eurystheus, G. 3, 4. Æ. 8, 292.
Eurytes, Æ. 10, 499.
Eurytion sagittandi peritus, Æ. 5, 495. 514. 541.
Extispicium, Æ. 4, 63. Extorum usus in lustrationibus, Æ. 8, 183.

F.

Fabaris, fl., Æ. 7, 715.
Fabarum satio, G. 1, 193. 215.
Fabii, Æ. 6, 845.
Fabius Maximus, Æ. 6, 846.
Fabricius, Æ. 6, 845.
Fadus, Æ. 9, 314.
Falernum vinum, G. 2, 96.
Falisci Æqui, Æ. 7, 695.
Famæ descriptio, Æ. 4, 174.
Fati necessitas, Æ. 10, 467.
Faselus, fabarum genus, G. 1, 227. navigium, G. 4, 289.
Fauni indigenæ, Æ. 8, 314. saltant, E. 6, 27. G. 1, 10.
Faunus, Pici f., Latini pater, Æ. 7, 47. 213. 12, 766. ejus oraculum in luco Albuneæ, Æ. 7, 81. 102. 254. 368. silvicola, Æ. 10. 551.
Favi suffiri debent, G. 4, 239. eorum crates, G. 4, 214. castratio, G. 4, 228.
Ferales epulæ, Æ. 5, 62.
Feroniæ lucus, fons et templum, Æ. 7, 800. mater Herili, Æ. 8, 564.
Ferula, frutex, E. 10, 25. G. 3, 415.

Fescennia, Æ. 7, 695.
Festa sollemnia diis rusticis habita, G. 2, 527.
Fidena, Latinorum urbs, Æ. 6, 773.
Fides, numen, Æ. 1, 292.
Filix, herba, G. 2, 189. 3, 297.
Fiscina, G. 1, 266. **Fiscella, calathus**, E. 10, 71.
Flammæ augurium in vertice Iuli, Æ. 2, 680. **Laviniæ**, Æ. 7, 72.
Flavinia arva, Æ. 7, 696.
Fluviorum dii cornibus taurinis, G. 4, 371. **ortus ex caverna sub terra**, G. 4, 363.
Fœderum feriendorum ritus, Æ. 8, 639. 12, 117. 196. 234.
Formicæ frumento nocent, G. 1, 186. **tempestatis nuntiæ**, G. 1, 379. **sedulæ ac providæ**, Æ. 4, 402.
Fortuna domus, G. 4, 209. **multos locavit in solido**, G. 10. 427.
Fortunatorum apud inferos locus, Æ. 6, 638.
Foruli in Sabinia, Æ. 7, 714.
Forum insanum, G. 2, 502.
Fori, favi in alveis, G. 4, 250.
Fraxinus, arboris genus, E. 7, 65. G. 2, 359. Æ. 6, 181. 11, 136.
Fucinus, lacus Italiæ, Æ. 7, 759.
Fuci ab apibus expelluntur, G. 4, 168. **ignavi**, G. 4, 244. Æ. 1, 435.
Fucus, alga, G. 4, 39.
Fulgura cœlo sereno, G. 1, 487. **a Jove missa**, G. 1, 328. **a Venere**, Æ. 8, 523. **eorum descriptio**, Æ. 8, 427. **ea Salmoneus imitatur**, Æ. 6, 590.
Funebris pompa, Æ. 11, 59. 184.
Furiarum forma, G. 4, 482. **sedes in Tartaro**, Æ. 6, 280. **et in Jovis vestibulo**, Æ. 12, 845. **ab iis agitatus Orestes**, Æ. 3, 331. **idem et Pentheus**, Æ. 4, 469. **et Amata**, Æ. 7, 323.
Furor plebis, Æ. 1, 148. 7, 505. **vatum**, Æ. 6, 46. 77.

G.

Gabii, urbs Volscorum, Æ. 6, 773.
Gabina Juno, Æ. 7, 682. **Gabinus cinctus**, Æ. 7, 612.
Gæsa Gallorum, Æ. 8, 662.
Gætulus Iarbas, Æ. 1, 326. **leo**, Æ. 5, 351. **Gætulæ syrtes**, Æ. 5, 51. 192. **urbes**, Æ. 4, 40.
Galatea, E. 1, 31. 32. 3, 64. 72. 7, 37. 9, 39. **Nereia**, Æ. 9, 103.
Galbani odor, G. 3, 415. 4, 264.
Galæsus, fl., G. 4, 126.
Galæsus, rusticus dives in Latio, Æ. 7, 535. **interficitur**, Æ. 7, 575.
Galea Argolica, Æ. 2, 389. 412. 5, 314. **ex galea sortes ducuntur**, Æ. 5, 490.
Galla in arboribus, G. 4, 267.
Galli poëtæ laus et amor, E. 6, 64. 10, 1 sq.
Galli a Marcello victi, Æ. 6, 856. 859. **eorum habitus et oppugnatio Capitolii**, Æ. 8, 655.
Gangaridæ, Indi ad Gangis ostia, G. 3, 27.
Ganges pulcher, G. 2, 137. **ejus fontes et ostia**, Æ. 9, 30.
Ganymedes raptus, Æ. 1, 28. 5, 254.
Garamantes, E. 8, 44. Æ. 6, 795. **Garamantis nympha**, Æ. 4, 198.
Garganus, mons Iapygiæ, Æ. 11, 247.
Gargara, urbs et mons Mysiæ, G. 1, 103. 3, 269.
Gela, fl. et urbs Siciliæ, Æ. 3, 701. **Gelous**, Æ. 3, 701.
Geloni Sarmatæ picti, G. 2, 115. **acres**, G. 3, 461. **sagittiferi**, E. 8, 725.
Genii, E. 7, 136. **per serpentes exhiberi solent**, Æ. 5, 84. 95.
genialis hiems, G. 1, 302. **et torus**, Æ. 6, 603.
Genesta s. genista, G. 2, 12. 434.
Germania, E. 1, 63. G. 1, 474. 509.
Geryon, Æ. 7, 662. **tergeminus**, Æ. 8, 202.
Getæ, G. 3, 462. 4, 463. Æ. 7, 604. **Geticus**, 3, 35.
Gilvus color, G. 3, 83.
Glaucus color, G. 3, 82. 2, 13. 4, 182. 451. Æ. 6, 416. 10, 205. 8, 33. 12, 885.
Glaucus, Sisyphi f., G. 3, 267.
Glaucus, pater Sibyllæ Cumanæ, Æ. 6, 36.
Glaucus, Deus marinus, G. 1, 437. Æ. 5, 823.
Glaucus Trojanus, Æ. 6, 483. 12, 343.
Gnosia regna, h. Creta, Æ. 3, 115. **spicula**, Æ. 5, 306. **stella**, G. 1, 222. **tellus**, Æ. 6, 23.
Gnosius, Æ. 6, 566. 9, 304.
Gorgones in locis inferis, Æ. 6, 289. **Gorgonea venena**, Æ. 7, 341. **Gorgo, Medusa**, Æ. 2, 616. 8, 438.
Gortyna stabula, E. 6, 60. **spicula**, Æ. 11, 773.
Gracchus, Æ. 6, 843.
Græcia, G. 1, 38. 3, 20. Æ. 11, 287.
Graia urbs, Æ. 6, 97.
Graiæ acies, Æ. 2, 598. **jubæ**, 2, 412. **urbes**, 3, 295.
Graii, G. 3, 90. 148. 2, 16. Æ. 1, 467. 53. 2, 727. 3, 163. 6, 242. 8, 135. G. 2, 16. 2, 786. 3, 308. 499. 6, 529. 10, 430. 2, 157. 148. 4, 228. 6, 588. 10, 81. 334. 11, 289. 12, 538.
Grajugenæ, Æ. 3, 550. 8, 127.
Graius, Æ. 3, 210. 10, 720.
Gradivus, Æ. 3, 35. 10, 542.
Grando uvis nocet, G. 1, 449.
Gravisca, urbs, Æ. 10, 184.
Grues tempestatis nuntiæ, G. 1, 374. **Strymoniæ**, G. 1, 120. Æ. 10, 265. 11, 580.
Gryneus Apollo, Æ. 4, 345. **Gryneum nemus**, E. 6, 72.
Gyarus, ins., Æ. 3, 76.
Gyas, Trojanus, Æ. 1, 222. 612. **in certamine navali**, Æ. 5, 118. 152. 169. 184. 223. 12, 460.
Gyas, Latinus, Æ. 10, 318.
Gyges Trojanus, Æ. 9, 762.
Gylippus, Arcas, Æ. 12, 272.

H.

Hædorum ortus, G. 1, 205. Æ. 9, 668.
Hæmon, Æ. 9, 685.
Hæmonides, sacerdos, Æ. 10, 537.
Hæmus, mons, G. 1, 492. 2, 488.
Halesus Agamemnonius, Aurunconum dux, Æ. 7, 723. 10, 352. **ejus virtus et interitus**, Æ. 10, 411.
Halius, Æ. 9, 767.
Halys, Æ. 9, 765.
Hamadryades, E. 10, 62.
Hammon, Æ. 4, 198.
Harpalyce Threissa, Æ. 1, 317.
Harpalycus, Æ. 11, 675.
Harpyiarum descriptio, Æ. 3, 211 sq. **locus apud inferos**, Æ. 6, 289.
Hebrus, Dolicaonis f., Æ. 10, 696.
Hebrus, fl., E. 10, 65. G. 4, 463. 524. **gelidus**, Æ. 12, 331. **volucris**, Æ. 1, 317.
Hecate, Æ. 6, 118. 564. **tergemina**, Æ. 4, 511. **cœlo Ereboque potens**, Æ. 6, 247. **ejus sacra in nocte et triviis**, Æ. 4, 609.
Hector ab Achille occisus, Æ. 1, 99. **ejus lacerum corpus patri venditur**, Æ. 1, 483. 2, 540. **in ejus honorem ludi funebres habiti**, Æ. 5, 371. **ejus cenotaphium**, Æ. 3, 303. **per somnum Æneæ apparet**, Æ. 2, 270.
Hecuba, Cissei f., et mater Paridis, Æ. 2, 50. Æ. 7, 320. 10, 705. **facem utero gerere somniabat**, *ibid.* **ad aram fugit**, Æ. 2, 515.
Hedera, v. Edera.
Helena, Ledæ f., Æ. 7, 364. **a Paride ad Trojam ducta**, Æ. 7, 363. **Argivæ pellax**, Æ. 1, 650. **perfidia in maritum**

Deiphobum, Æ. 6, 511. Tyndaris Lacæna, Æ. 2, 601. ei manum inferre volebat Æneas, Æ. 2, 567. sed a Venere prohibetur, Æ. 2, 589.
Helenor, Æ. 9, 544.
Heleni regnum in Epiro, Æ. 3, 294. 333. benigne Æneam excipit, Æ. 3, 345. vates, Æ. 3, 358. vaticinatur, Æ. 3, 373. 712. hospiti dat munera, Æ. 3, 463.
Helicon, Æ. 7, 641. Æ. 10, 163. Aonius, E. 6, 65. G. 3, 11.
Hellespontiacus, G. 4, 111.
Helorus, fl., Æ. 3, 698.
Helymus, Trojanus, Æ. 5, 73. cursus certamen iniit, Æ. 5, 300. 323. 339.
Herbesus, Æ. 9, 344.
Hercules Cerberum compedibus vincit, Æ. 6, 392. Cacum, boves ei auferentem, occidit, Æ. 8, 201. 259. ejus sacra, et sacerdotes Salii, Æ. 8, 102. 172. 184. 268. 281. res gestæ in hymnis antiquis, Æ. 8, 288. labores, 6, 802. pugilatu cum Eryce pugnavit, Æ. 5, 410. inferos adiit, Æ. 6, 123. 392. ei sacra populus, E. 7, 61. G. 2, 66. Æ. 8, 276. Herculeum Tarentum, Æ. 3, 551. Herculei ignes in foco Penatium, Æ. 8, 542.
Herilus tricorpor ab Evandro occisus, Æ. 8, 561.
Herminius, Æ. 11, 642.
Hermione Ledæa, Æ. 3, 328.
Hermus, fl. auro turbidus, G. 2, 137. Æ. 7, 721.
Hernicorum ager saxosus, Æ. 7, 684.
Heroum et priscorum hominum vasta corpora, G. 1, 497. Æ. 12, 899.
Hesiodus, Ascræus, E. 6, 70. G. 2, 176.
Hesione, Priami soror, Æ. 8, 157.
Hesperia, Italia, Æ. 1, 530. 569. 2, 781. 3, 186. 8, 148 et al.
Hesperidum horti, E. 6, 61. Æ. 4, 484. Hesperides aquæ, Æ. 8, 77.
Hesperus, E. 8, 30. 10, 77.
Hiberus, v. Iberus.
Hibiscus, herbæ genus, E. 2, 30. 10, 71.
Hicetaonius, Æ. 10, 123.
Hiera, l. melius Iæra, nympha, Æ. 9, 673.
Hiera, insula Vulcani, subterraneis ignibus notabilis, Æ. 8, 416.
Himella, fl., Æ. 7, 714.
Hippocoon, Hyrtaci f., Æ. 5, 492. 502. 544.
Hippodame Œnomai f., G. 3, 7.
Hippolyte, Amazonum regina, Æ. 11, 661.
Hippolytus, Æ. 7, 761. vitæ restitutus, Æ. 7, 765. 774.
Hippomanes, in fronte equi recens editi, Æ. 4, 515. herba, G. 3, 280.
Hippotades, Æ. 11, 674.
Hirundo garrula, G. 1, 377. veris nuntia, G. 4, 307. nigra, cui Juturna comparatur, Æ. 12, 473.
Hisbo, Rutulus, Æ. 10, 384.
Hominum origo e lapidibus jactis, E. 6, 41. ex terra, G. 2, 341.
Homole, mons, Æ. 7, 675.
Hortinæ classes, Æ. 7, 716.
Hortorum cura et commoda, G. 4, 116 sq.
Hospitalitatis exemplum, Æ. 3, 80. 345. 8, 154. munera, Æ. 3, 463. 8, 166. 1, 647. 7, 243.
Hyacinthus ferrugineo colore, E. 2, 18. 3, 63. 10, 39. G. 4, 183.
Hyades, G. 1, 138. pluviæ, Æ. 1, 744. 3, 516.
Hyalus, pro vitro, G. 4, 335.
Hybla, mons Siciliæ, E. 1, 55. 7, 37.
Hydaspes, fl. Mediæ, G. 4, 210.
Hydaspes, Trojanus, Æ. 10, 747.
Hydra Lernæa in vestibulo Orci, Æ. 6, 287. capitibus quinquaginta, Æ. 6, 576; et centum, Æ. 7, 658. ab Hercule occisa, Æ. 6, 804. 8, 299.
Hylæus, Centaurus, G. 2, 457. Æ. 8, 294.
Hylas, E. 6, 43. G. 3, 6.
Hylax, canis, E. 8, 107.
Hyllus, Trojanus, Æ. 12, 535.
Hymettia littora, Æ. 7, 763.
Hypanis, Sarmatiæ fl., G. 4, 370.
Hypanis, Trojanus, Æ. 2, 340. 428.
Hyperborei triones, G. 3, 381. oræ, G. 3, 196. glacies, 4, 517.
Hyrcanæ tigres, Æ. 4, 367.
Hyrcani, Æ. 7, 605.
Hyrtacus, Æ. 9, 406. ejus filius Nisus, Æ. 9, 177. alius, pater Hippocoontis, Æ. 5, 492.

I.

Iacchus, Bacchus, E. 6, 15. 7, 61. G. 1, 166.
Iæra, Æ. 9, 673.
Janiculum, Æ. 8, 357.
Janus pater, Æ. 8, 357. bifrons, Æ. 7, 180. 12, 198. Deus Latinorum, Æ. 7, 45. ejus templum, pacis bellique index, Æ. 7, 610. 1, 294.
Iapetus, Terræ f., G. 1, 279.
Iapis, medicus, Æ. 12, 391. 420.
Iapygia, Apulia, Æ. 11, 247. 678.
Iapys Timavus: ab Iapydibus, Illyriæ populo, G. 3, 475.
Iapyx, ventus, Æ. 8, 710. equus, Æ. 11, 678. Garganus, 11, 247.
Iarbas, Æ. 4, 198. de spreto a Didone amore ad Jovem queritur, Æ. 4, 198. 206.
Iasides Palinurus, Æ. 5, 843.
Iapis, 12, 392.
Iasius, Æ. 3, 168.
Jason dentes draconis sevit, G. 2, 140.
Iberi, gens fera, G. 3, 408.
Iberus, Æ. 7, 663. 9, 582. 11, 913.
Icari interitus, Æ. 6, 30.
Ida, mons Phrygiæ, G. 4, 41. Æ. 2, 801. 3, 6. 10, 158. 5, 449. 252. 9, 80. 12, 546. in Creta, Æ. 12, 412. nympha, Æ. 9, 177.
Idæus Trojanus, Æ. 6, 485. alius, 9, 500.
Idalium, mons et urbs, Æ. 1, 681. 693. 5, 760. 10, 52. 86.
Idas, Æ. 9, 575. alius, 10, 351.
Idmon, Turni nuntius, Æ. 12, 75.
Idomeneus Creta expulsus, Æ. 3, 121. 11, 265. in agro Sallentino consedit, Æ. 3, 400.
Idumæa palmis frequens, G. 3, 13.
Ignipotens Vulcanus, Æ. 8, 414 et al.
Ignis æternus Vestæ, Æ. 2, 296. et Jovis Ammonis, Æ. 4, 200. subterraneus, Æ. 3, 578. 9, 716.
Ilex nigra, E. 6, 54. arguta, E. 7, 1.
Ilia, Rhea Silvia, Æ. 1, 274. 6, 779. Ilia res, Æ. 1, 268. tellus, Æ. 9, 285. 11, 245.
Iliacus, Æ. 1, 97 et sæpe.
Iliades, Æ. 1, 480 et al.
Ilione, Priami f., Æ. 1, 653.
Ilioneus, Æ. 1, 120. 559. 612. ejus oratio ad Didonem, Æ. 1, 521. ad Latinum, Æ. 7, 212. 9, 510 et 569.
Ilium, Æ. 1, 68 et al.
Illyricus, E. 8, 7. Æ. 1, 243.
Ilva, ins., Æ. 10, 174.
Ilus, Iulus, Ascanius, Æ. 1, 267.
Ilus, rex Trojæ, Æ. 6, 650.
Ilus, Rutulus, Æ. 10, 400.
Imaon, Æ. 10, 424.
Imbrasus, filii Glaucus et Lades, Æ. 12, 343. alius, pater Asii, Æ. 10, 123.
Inachus, fl., et rex Argolidis, Æ. 7, 372. 792. unde
Inachius, G. 3, 153. Æ. 7, 286. 11, 286.
Inarime, insula Pithecusa Typhœo imposita, Æ. 9, 715.

India ebore 1, 56 et ebeno nobilis, G. 2, 116; et vastarum arborum generibus, G. 2, 122. Indi, G. 2, 138. Æ. 6, 795. 7, 605. imbelles, G. 2, 172. colorati, G. 4, 293. sitientes, G. 4, 425.
Indiges, Æ. 12, 794.
Indigetes Dii, G. 1, 496.
Indum ebur, Æ. 12, 67.
Infantum locus apud inferos, Æ. 6, 426.
Inferni portæ, Æ. 6, 552. viæ duæ, Æ. 6, 540. facilis aditus, sed reditus ex eo difficilis, Æ. 6, 126. qui inde ad superos redierunt, Æ. 6, 119.
Inferis diis sacrificandi mos, Æ. 6, 243.
Inferiæ, Æ. 3, 62. 5, 46. 96.
Ingluvies, G. 3, 431.
Inhumati non veluntur a Charonte, Æ. 6, 316. 325. 373. 1, 353. 3, 67.
Inous Melicerta, G. 1, 437. Palæmon, Æ. 5, 823.
Instrumenta operis rustici, G. 1, 160.
Insitio arborum, G. 2, 32. 69. 73. 78.
Intubum, herba, G. 1, 120. 4, 120.
Inüi castrum, Æ. 6, 776.
Io, Inachi f., cornuta, Æ. 7, 789. in vaccam mutata, G. 3, 152.
Iolas, pastor, E. 2, 57. 3, 76. 79.
Iolas, Trojanus, Æ. 11, 640.
Ionium mare, G. 2, 108. Æ. 3, 211. 671. 5, 193.
Iopas citharœdus, Æ. 1, 740.
Iphitus, Æ. 2, 340. 435.
Iræ descriptio, Æ. 7, 462. 9, 59.
Iris mittitur ad expediendam Didonis animam, Æ. 4, 693. ad classem Trojanorum, Æ. 5, 606. in Beroen transformatur, Æ. 5, 620. 646. ad Turnum missa, Æ. 9, 1. ad Junonem, 9, 802. 10, 73. per arcum evolat, Æ. 5, 657. Iris arcus aquas suis cornibus attrahit, G. 1, 380.
Ismarus, mons, E. 6, 30. G. 2, 37. Æ. 10, 351.
Ismarus, Lydius, Æ. 10, 139.
Ister, fl. turbidus, G. 3, 350. conjuratus, G. 2, 497.
Italiæ laudes, G. 2, 136. 167. prisci incolæ et nomina, Æ. 8, 314. 1, 530.
Italus heros, Æ. 7, 178. adjectivum, Æ. 1, 109. 252 et sæpe.
Ithaca, Æ. 3, 272. 613.
Ithacus Ulysses, Æ. 2, 104. 122. 128. 3, 629.
Ituræi sagittandi arte clari, G. 2, 448.
Itys, Æ. 9, 574.
Julius, Æ. 1, 288.
Julius portus, G. 2, 163.
Iulus, Ascanius, Æ. 1, 267. 8. 556 et al.
Juno promuba, Æ. 4, 166. 7, 319. ejus oratio ad Æolum, Æ. 1, 64. ad Venerem, Æ. 4, 90. 10, 63. ad Alecto, Æ. 7, 330. et Juturnam, Æ. 12, 138. irata in gentem Trojanam, Æ. 1, 36. 7, 286. 292. pro Turno rogat Jovem, Æ. 12, 807. ejus templum in Carthagine, Æ. 1, 446. simul cum armis et curru, Æ. 1, 15 sq.
Juno infernа, Æ. 6, 138. Junonia hospitia, Æ. 1, 671.
Jupiter placide Veneri annuit, Æ. 1, 254. et Mercurium ad placandam Didonem mittit, Æ. 1, 297. incensas naves exstinguit, Æ. 5, 693. Jupiter hospitalis, Æ. 1, 731. Anxur, Æ. 7, 799. aer inferior, E. 7, 60. G. 2, 325. infans, G. 4, 149. fulminans, G. 1, 328. de rebus Trojanorum concilium deorum habet, Æ. 10, 1. ejus et Junonis colloquium, Æ. 10, 606. 12, 791. eo loquente tota natura silet, Æ. 10, 100.
Jusjurandum in faciendo fædere, Æ. 12, 169. 175. 197. deorum, Æ. 6, 323. 9, 104. 10, 113.
Juturna, nympha et Turni soror, a Jove vitiata, Æ. 12, 138. 146. 870. Turno fœdus dissuadet, Æ. 12, 222. dat signum cœlo, Æ. 12, 244. aurigæ officio fungitur, Æ. 12, 468. gladium fratri reddit, Æ. 12, 785. Turni sortem luget, Æ. 12, 869. se in fontem suum immittit, Æ. 12, 885.
Ixionis pœna in locis inferis, G. 3, 38. 4, 484. Æ. 6, 601.

L.

Labicum, Latii urbs, Æ. 7, 796.
Labyrinthus Dædali, Æ. 5, 588. 6, 27.
Labrusca, vitis genus, E. 5, 7.
Lacænus, G. 2, 487. Æ. 2, 601. 6, 511.
Lacedæmon, Æ. 7, 363. 3, 328.
Lactis majorem copiam impetrandi ratio, G. 3, 391.
Lacinium Junonis templo celebre, Æ. 3, 552.
Lades, Æ. 12, 343.
Ladon, Æ. 10, 413.
Laertia regna, Æ. 3, 272.
Lageos, G. 2, 93.
Lagus, Æ. 10, 381.
Lamyrus, Æ. 9, 334.
Laocoontis et liberorum interitus, Æ. 2, 40. 203.
Laodamia, Æ. 6, 447.
Laomedonteus, G. 1, 502. Æ. 4, 542.
Laomedontius, Æ. 7, 105. 8, 18.
Laomedontiades, Æ. 8, 158. 162.
Laomedontiadæ, Æ. 3, 248.
Lapithæ primi equorum domitores, G. 3, 115. 2, 457. apud inferos, Æ. 6, 601. in eos exarsit Mars, Æ. 7, 305. 307.
Lappa, herbæ genus, G. 1, 153. 3, 385.
Lardes, Æ. 10, 391. 395.
Larina virgo, Æ. 11, 655.
Larissæus Achilles, Æ. 2, 197. 11, 404.
Larius lacus, G. 2, 159.
Latagus, Æ. 10, 697.
Latinus, Fauni ex Marica filius, Æ. 7, 45. regiæ ejus descriptio, Æ. 7, 59. filiam Æneæ promittit, 7, 160 sq. consilium habet, 11, 296. Latini, Latina gens Æ. 7, 160 et al. suadet pacem cum Æneæ, Æ. 12, 195.
Latium, Æ. 1, 6 et al. unde hoc nomen ortum, Æ. 8, 322. ex eo copiæ, Æ. 5, 617.
Latona, 1, 501. 12, 198. Latonia virgo, Æ. 11, 534. 557. 9, 405. Delos, G. 3, 6.
Lavatio ante epulas, Æ. 1, 213. 5, 218.
Lavinia caussa belli inter Æneam et Turnum, Æ. 7, 52. 6, 764. Æneæ promissa, Æ. 7, 268. ejus crines accensi, Æ. 7, 71.
Lavinium, Æ. 1, 258. 270. 6, 94.
Lavinia littora, Æ. 1, 2. arva, Æ. 4, 236.
Laurentes, urbs, unde sic dicta, Æ. 7, 61. populi, Æ. 6, 892 et al. nymphæ, 8, 71. Laurens Thybris, Æ. 5, 797 et al. Laurentia palus, Æ. 10, 709. arva, Æ. 7, 663. agmina, Æ. 11, 909.
Lausus, Mezentii f., Æ. 7, 649. ejus virtus, Æ. 10, 426. pietas in patrem, Æ. 10, 789. ab Æneæ occisus, Æ. 10, 813.
Lebetes Dodonæi, Æ. 3, 466. præmium in ludis, Æ. 5, 266.
Leda, Æ. 1, 652. Ledæa Helena, Æ. 7, 362. Hermione, Æ. 3, 328.
Leguminum satio, G. 1, 193.
Leleges oram Asiæ maritimam tenebant, Æ. 8, 725.
Lemnius pater, Æ. 8, 454.
Lenæa, Athenis olim celebrata, G. 2, 382.
Lenæus, G. 2, 4. 7. 529. 3, 510. Æ. 4, 207.
Lens frequens apud Ægyptios, G. 1, 228.
Leo Gætulus, Æ. 5, 351. leones Pœni, E. 5, 27 Phrygii Æ. 10, 157. bijugi, Æ. 10, 253. leonis exuviis induti, Æ. 7, 666. 8, 552. Comparationes cum leone, Æ. 9, 339. 9, 792. 10, 454. 723. 12, 4.
Lerna, Argivi agri fl. et palus, Æ. 12, 518. 6, 287. 804.
Lernæa Hydra, Æ. 8, 300.

Lesbos, ins. G. 2, 90.
Lethe, amnis infernalis ante reditum ex inferis bibendus, Æ. 6, 714. 749. in finibus Elysii, Æ. 6, 705. ejus rore madens ramus, Æ. 5, 854. Lethæus somnus, G. 1, 78. Lethæa papavera, G. 4, 545.
Leti locus in Orco, G. 4, 481. Æ. 6, 277.
Leucaspis, Æ. 6, 334.
Leucates, promont. Æ. 3, 274. 8, 677.
Libatio, G. 4, 376. Æ. 3, 66. 5, 77. 8, 274.
Liber, E. 7, 58. G. 1, 7. Æ. 6, 806.
Liberalia Bacchi, G. 2, 385.
Libethrides Nymphæ, E. 7, 21.
Liburnorum regna, Æ. 1, 244.
Libya, Libycus, G. 1, 241 et al.
Libyci ursi, Æ. 5, 37.
Libystis ursa, Æ. 5, 37. 8, 368.
Lichas, Æ. 10, 315.
Licymnia, serva Mæonii regis, Æ. 9, 546.
Ligea, nympha, G. 4, 336.
Liger, Æ. 9, 571. 10, 576. 584.
Ligones vinitorum, G. 2, 399.
Ligur laboribus adsuetus, G. 2, 168. Ligures, Æ. 11, 701. eorum ductor Cinyras, Æ. 10, 185.
Ligus, Æ. 11, 705.
Ligustrum, arbor, E. 2, 18.
Lilybæum, promontorium, Æ. 3, 706.
Linus, E. 4, 56. 57. 6, 67.
Lipare, insula, Æ. 8, 117.
Liris, Æ. 11, 670.
Lituus Quirinalis, Æ. 7, 187.
Locri Narycii s. Epizephyrii, Æ. 3, 399. Ozolæ in Africæ littoribus, Æ. 11, 265.
Lorica annulorum serie triplici, Æ. 3, 467. 5, 259. 7, 639. et duplici, Æ. 12, 376. præmium in ludis, Æ. 5, 259.
Lotos, arbor, G. 2, 84. 3, 394.
Lucagus, Æ. 10, 575. 592.
Lucas, Æ. 10, 561.
Lucetius, Æ. 9, 570.
Lucifer, stella, E. 8, 17. G. 3, 324. Æ. 2, 801. 8, 589.
Lucina, G. 3, 60. 4, 340. casta, E. 4, 10.
Lucrinus lacus, G. 2, 161.
Luctus apud inferos locus, Æ. 6, 274.
Ludi funebres, Æ. 5, 45. 104. Actiaci, Æ. 3, 280. puerorum cum rhombo, Æ. 7, 378.
Lugentes campi apud inferos, Æ. 6, 440.
Luna tempestatum significatrix, G. 1, 424. 427. lunæ labores, G. 2, 478.
Lupercal, Æ. 8, 343.
Luperci et Lupercalia, Æ. 8, 663.
Lupinus, leguminis genus, G. 1, 75.
Lustratio, Æ. 3, 279. lustralia exta, Æ. 8, 183.
Lutea, s. luteum ac lutum, herbæ genus, E. 4, 44.
Lyæus pater, G. 2, 229. Æ. 4, 58. latex, Æ. 1, 686.
Lycæus, mons Arcadiæ, E. 10, 15. G. 1, 16. 3, 2. 314. 4, 539. Æ. 8, 344.
Lycaon Gnosius, Æ. 9, 304. Arcas, G. 1, 138.
Lycaonius, Æ. 10, 749.
Lycas, Æ. 10, 315. 561.
Lycia, Æ. 4, 143. 7, 721. 10, 126. 12, 344. 516.
Lycia classis, Æ. 6, 334. pharetra, Æ. 7, 816.
Lycii, Æ. 1, 113.
Lyciæ sortes, Æ. 4, 346. 377. sagittæ, Æ. 8, 166. Lycium cornu, 11, 773.
Lycidas, pastor, E. 7, 67. 9, 2.
Lycisca, E. 3, 18.
Lycius, Æ. 10, 751.
Lycoris, amica Galli, E. 10, 2. 42.
Lycorias, nympha, G. 4, 339.
Lyctius, E. 5, 72, Æ. 3, 401.
Lycurgus, rex Thracum, Æ. 3, 14.
Lycus a Turno occisus, Æ. 9, 556. Trojanus, Æ. 1, 222. fluvius, G. 4, 367.
Lydia, G. 4, 211. Æ. 8, 479. 10, 155. Lydi, Æ. 9, 11. Lydius, Æ. 2, 781.
Lynceus a Turno interfectus, Æ. 9, 768.
Lyrnessus, urbs, Æ. 12, 547. 10, 128.

M.

Machaon, Æ. 2, 263.
Mæander, fluvius tortuosus, Æ. 5, 251.
Mæcenas, G. 1, 2. 2, 41. 3, 41. 4, 2.
Mænalus, mons, E. 8, 22. 10, 15. 55. G. 1, 17. Mænalius, E. 8, 21.
Mæon, Rutulus, Æ. 10, 336.
Mæonia mitra, Æ. 4, 216. domus, 10, 141. juventus, 8, 499. Mæonidæ, 11, 759. Mæonis, 10, 337. Mœonius Bacchus, G. 4, 380. Rex, Æ. 9, 546.
Mæotia, G. 3, 349. Æ. 6, 800.
Mævius, poëta, E. 3, 90.
Magalia, Æ. 1, 421. 4, 259.
Magicæ artes et superstitiones, E. 8, 66. 69. Æ. 4, 493. 512.
Magus, e Latinis, Æ. 10, 521.
Maia, una e Pleiadibus, G. 1, 225. mater Mercurii, Æ. 1, 297. 8, 138. 140.
Malcæ promontorium, Æ. 5, 193.
Mala medica s. citrea, G. 2, 126. aurea, s. Cydonia, E. 2, 51. 3, 71. 8, 53. roscida, E. 8, 37. Hesperidum, E. 6, 61.
Manes evocati ut adessent inferiis, Æ. 5, 99. tractant artes prioris vitæ, Æ. 6, 642. 651. insepultorum errant vel circa corpus vel circa Stygem, Æ. 1, 353. 3, 67. 6, 149. 325. 365. 374. quisque suos patimur, Æ. 6, 743. eorum expiandorum mos, Æ. 3, 62.
Manlius Torquatus arcis Tarpeiæ custos, Æ. 8, 652. 6, 825.
Manto, Æ. 10, 199.
Mantua, E. 9, 27. G. 2, 198. 3, 12. unde dicta, Æ. 10, 198.
Mapalia, G. 3, 340.
Marcelli, Octaviæ f., laudes, Æ. 6, 883.
Marcellus, qui spolia opima tulit, Æ. 6, 856.
Mareotides uvæ, G. 2, 91.
Marica, Latini mater, Æ. 7, 47.
Marii, G. 2, 169.
Marinorum deorum nomina, G. 1, 437. Æ. 5, 822.
Marpesia cautes, Æ. 6, 471.
Marrubia gens, Marsi, Æ. 7, 750.
Mars gradivus, Æ. 3, 35. 10, 542. ejus equi, G. 3, 91. furtum cum Venere, G. 4, 346. lucus in Sicilia, Æ. 9, 584. ex eo gravida Rhea Sylvia, Æ. 1, 274.
Marsi, G. 2, 167. 7, 758. 10, 544.
Massica vina, G. 2, 143. 3, 526. Æ. 7, 726.
Massicus, dux Clusinorum, Æ. 10, 166.
Massyli, Æ. 4, 132. 6, 60. 4, 483.
Maurusia gens, Æ. 4, 206.
Medi, G. 2, 134. 136. 4, 211.
Media, G. 2, 126.
Medica, G. 1, 215.
Medon, Æ. 6, 483.
Megæra, furia, Æ. 12, 846. in bubonem mutata, Æ. 12, 862.
Megari sinus, Æ. 3, 689.
Mel optimum, G. 4, 100. bis in anno eximendum, G. 4, 231.
Melampus Amythaonius, G. 3, 550. alius, comes Herculis, Æ. 10, 320.
Meliboeus, E. 1, 6.
Melibœa, urbs Thessaliæ, Æ. 3, 401. Melibœa purpura, Æ. 5, 251. Melibœus dux, Æ. 3, 401.
Melicerta Inous, G. 1, 437.
Melisphyllum, herba, G. 4, 63.
Melite, una ex Nereidibus, Æ. 5, 825.
Mella fl. ad Brixiam, G. 4, 278.
Memnia gens, Æ. 5, 117.
Memnon, Æ. 1, 489.
Menalcas, pastor, E. 2, 15. 3, 13. 9, 16. 10, 20.
Menelaus, dux Græcorum, Æ. 2, 264. Deiphobum in lecto obtruncat, Æ. 6, 525. ejus errores, Æ. 11, 262.
Menestheus, Æ. 10, 129.

Menœtes, rector navis Gyæ Æ. 5, 160. 166. ab eo in mare præcipitatur, Æ. 5, 173. alius, Arcas, Æ. 12, 517.
Mephitis, Æ. 7, 84.
Mercurius Cyllenius, G. 1, 337. Æ. 4, 252. 258. 276. a monte Cyllene, in quo natus, Æ. 8, 139. ad Didonem mittitur, Æ. 1, 297. et ad Æneam, Æ. 4, 222. ei per somnum apparet, Æ. 4, 556. ejus talaria et virga, Æ. 4, 239. volatus, Æ. 4, 252.
Meridiei descriptio, G. 4, 401.
Merops, Trojanus, a Turno occisus, Æ. 9, 702.
Merops, avis, G. 4, 14.
Messapus, Neptuni f., invulnerabilis, Æ. 7, 691. dux Latinorum, Æ. 8, 6 et al.
Metabus, Camillæ pater, Æ. 11, 540. 564.
Messis, quando facienda, G. 1, 297.
Methymnæus palmes, G. 2, 90.
Metiscus, auriga Turni, Æ. 12, 469 etc.
Metius, perfidus Albanorum dux, quadrigis distractus, Æ. 8, 642.
Metus, apud inferos, Æ. 6, 276.
Mezentius, Æ. 7, 647. 8, 7. 481. pugnæ succedit, Æ. 10, 723. vulneratur, Æ. 10, 783. ab equo excussus interimitur, Æ. 10, 892.
Milesia vellera, G. 3, 306. 4, 334.
Milii satio, G. 1, 216.
Mimas, Æ. 10, 702. 706.
Mincius, fl., E. 7, 13. G. 3, 15, Æ. 10, 206.
Minerva oleæ inventrix, G. 1, 18. ei invisa aranea, G. 4, 246. pro Palladio ei consecratus equus Trojanus, Æ. 2. 15. 31. 183. ejus castrum sub Hydrunto et templum in monte, Æ. 3, 521. 531. 543. delubrum in acropoli Trojæ, Æ. 2. 404. 410. tempestate classem Achivorum disjecit, Æ. 1, 39. 2, 163. 11, 259. Ajacem, Oilei f., fulmine percussum scopulo illisit, Æ. 1, 39. arci Pergamo insidet, ægidem vibrans, E. 2, 615. Tritonia, Æ. 2, 171. 615. 11, 483. ejus peplum, Æ. 1, 480. ægis, Æ. 8, 435. Palladium, Æ. 2, 164. 172. eam Laurentes in templo precantur, Æ. 11, 477. Minerva Polias, s. Urbana, E. 2, 61. M. tenuis, Æ. 8, 409.
Minio, Æ. 10, 183.
Minoia regna, Æ. 6, 14.
Minos, Æ. 6, 14. judex apud inferos, Æ. 6, 432.
Minotaurus, Æ. 6, 26.
Misenus, tubicen classis, Æ, 3, 239. moritur, Æ. 6, 164. crematur, Æ. 6, 177. 210. mons ab eo dictus, Æ. 6, 234.
Mitra Phrygum, Æ. 4, 216. 7, 247. 9, 616.
Mnasylus, E. 6, 13.
Mnestheus, Æ. 4, 288. 5, 116. 184. 188. secundo loco victor in certamine navali, Æ. 5, 238. 493. ab eo Memmia gens, Æ. 5, 117.
Moeris, fascinator, E. 8, 95. 9, 1. 61.
Mola salsa, Æ. 12, 173.
Molorchi luci, G. 3, 19.
Molossi canes, G. 3, 405.
Monœci arx, Æ. 6, 831.
Montis excelsi descriptio, Æ. 4, 246. 481. 6, 796.
Mopsus, pastor, E. 5, 1. 10. 8, 26. 29.
Morbi animalium, G. 3, 440. apud inferos, Æ. 6, 275.
Morini extremi hominum, Æ. 8, 727.
Mortis periphrasis, Æ. 10, 745. apud inferos locus, Æ. 6, 277. Morti mactantur, Æ. 11, 197.
Mulciber, Æ. 8, 724.
Mundi natales in vernum tempus inciderunt, G. 2, 336.
Murranus, Æ. 12, 529. 638.
Musa et Musæ, E. 1, 2. 3, 60. 84. 6, 69. 7, 19. 6, 8. 8, 1. 5. G. 2, 475. 4, 315. Æ. 10, 191. 9, 775. invocatio, Æ. 1, 8. 9, 77. 525. Sicelides, E. 4, 1.
Musæus, vates, Æ. 6, 667.
Mutuscæ oliviferæ, Æ. 7, 711.
Mycenæ, G. 3, 121, Æ. 1, 284. 650. 2, 25. 180. 331. 577. 6, 839. 7, 222. 5, 52. 7, 372. 9, 139.
Mycenæus, Æ. 11, 266.
Mycon, pastor, E. 3, 10. 7, 30.
Myconus, insula, Æ. 3, 76.
Mygdonides, Æ. 2, 362.
Myrica, virgulti genus, E. 4, 2. 8, 54. 10, 13.
Myrmidones, Æ. 2, 7. 252. 785. 11, 403.
Myrtus Veneri sacra, E. 7, 62. G. 1, 28. ex ea hastæ et jacula, G. 2, 447. Æ. 3, 23.
Mysia, G. 1, 102.
Mysus Caicus, fl., G. 4, 370.
Mystica vannus, G. 1, 166.

N.

Naiades, E. 6, 21. Naides, 10, 10.
Nais, E. 2, 46.
Napææ, deæ silvarum, G. 4, 535.
Nar, fl., Æ. 7, 517.
Narcissus, E. 3, 48. 8, 53. G. 4, 123. purpureus, E. 5, 38. ejus lacrima, G. 4, 160.
Narycia pix, G. 2, 438.
Narycii Locri, Æ. 3, 399.
Navale certamen, Æ. 5, 114.
Naves Trojanorum incensæ Æ. 5, 659. ceteræ in Nymphas mutatæ, Æ. 10, 215. insignia s. parasema in prora, Æ. 5, 116, 10, 166. 171. 205. aplustre et tutela in puppi, Æ. 1, 183.
Nautes, prudens Æneæ amicus, Æ. 5, 704. 728.
Naxos, insula, Æ. 3, 125.
Neæra, E. 3, 3.
Nealces, Æ. 10, 753.
Neapolis Virgilium aluit, G. 4, 563.
Nemea, silva, Æ. 8, 295.
Neoptolemus, Pyrrhus, Achillis f., Æ. 2, 263. 499. regiam Priami expugnat, Æ. 2, 469. transfigit Politen, Æ. 2, 526. et Priamum, Æ. 2, 547. captam Andromachen habet, Æ. 3, 324. ab Oreste occiditur, Æ. 3, 330. ejus robur, Æ. 2, 491. regnavit in Epiro, Æ. 3, 294. 333.
Neptunus tempestatem sedat, Æ. 1, 124. 5, 779. 817. Æneam Achillis manibus nube subduxit, Æ. 5, 803. Trojæ exstructor et eversor, Æ. 2, 610. 5, 810. ejus comitatus, Æ. 5, 822. tridens, Æ. 1, 138. 145. quadrigæ, Æ. 1, 147. equi, Æ. 5, 817. sedes in mari Ægæo, Æ. 3, 74. quatuor aræ, Æ. 5, 639. taurus victima, Æ. 3, 119.
Nereus, deus maris, E. 6, 35. G. 4, 392. Æ. 2, 419. 8, 383. 10, 764. Nereia Doto, Æ. 9, 102. Nereides, Æ. 3, 74. 5, 240. 822. Nerine, E. 7, 37.
Neritos ardua saxis, Æ. 3, 271.
Nersæ, urbs Æquorum, Æ. 7, 744.
Nesæe, nympha, G. 4, 338. Æ. 5, 826.
Nilus pinguis, fl., Æ. 9, 31. septemgeminus, Æ. 6, 801. undans bello et magnus fluens, G. 3, 28. stagnans, G. 4, 288. fugientes excipit, Æ. 8, 711.
Niphæus, Rutulus, Æ. 10, 570.
Niphates, G. 3, 30.
Nisa, E. 8. 18. 26.
Nisus, una, cum filia Scylla in avem mutatus, G. 1, 404. E. 6. 74.
Nisus et Euryalus, conjunctissimum amicorum par, Æ. 5, 286. 334. 9, 176 sqq. in cursus certamen descendit, Æ. 5, 296. 318. 328. 353. in Volscentis equites incidit, Æ. 9, 376 sq. multis vulneribus confossus super amici corpus concidit, Æ. 9, 444.
Noctua, tempestatis et serenitatis nuntia, G. 1, 402.

Noctis initium, Æ. 2, 250. descriptio, Æ. 4, 461. 522. 8, 26. 9, 224. locus apud inferos, Æ. 6, 278. 390.
Noëmon, Æ. 9, 767.
Nomades Afri, G. 3, 339.
Nomentum, urbs, Æ. 6, 773. 7, 712.
Noricum, G. 3, 474.
Notus, ventus sinister, G. 1, 442. et pro quocunque vento, Æ. 1, 575 et al.
Nubigenæ Centauri, Æ. 7, 674. 8, 293.
Numa Pompilius, Æ. 6, 809.
Numa, Rutulus, Æ. 9, 454. et alius, Æ. 10, 562.
Numanus Remulus, Æ. 9, 592. 653.
Numicus, fl., Æ. 7, 150. 242. 796.
Numidæ infreni, Æ. 4, 41.
Numitor, Æ. 10, 342.
Numitor, Albæ rex, Æ. 6, 768.
Nuptiarum mala omina, Æ. 4, 166. in iis nucum spargendarum mos, E. 8, 30.
Nursia, Sabinorum urbs, Æ. 7, 716.
Nympharum nomina, G. 4, 334.
Nysa, mons, Æ. 6, 806.

O.

Oaxes, Cretæ fl., E. 1, 66.
Oceanitides, G. 4, 341.
Oceanus pater, G. 4, 382.
Ocnus, Æ. 10, 198.
Œagrius Hebrus, G. 4, 524.
Œbalia, G. 4, 125.
Œbalus, Æ. 7, 734.
Œchaliam Hercules disjecit, Æ. 8, 291.
Œnotri, Æ. 1, 532. 3, 165.
Œnotria, 7, 85.
Œta, mons, E. 8, 30.
Oileus, Æ. 1, 141.
Olea pacis signum, Æ. 7, 154. 11, 101. nulla fere cultura indiget, G. 2, 420. e semine nascitura tarde crescit, G. 2, 3. hieme ingruente maturescit, G. 2, 519. ejus inventrix Minerva, G. 1, 18. varia genera, G. 2, 86.
Olearia mola, G. 2, 519.
Oleaster, G. 2, 182. inter vites haud interserendus, G. 2, 302.
Olearos s. Oliaros, insula, Æ. 3, 126.
Olympus omnipotens, Æ. 10, 1, 12, 791. Ossæ impositus, G. 1, 282. suspectus ad Olympum, Æ. 6, 579 et al.
Olympiaca palma, G. 3, 49.
Onagri in Italiæ silvis, G. 3, 409.
Onytes. Æ. 12, 514.
Opheltes, Æ. 9, 201.
Opis nympha, G. 4, 343. comes Dianæ, Æ. 11, 532. Aruntem occidit, Æ. 11, 836. 867.
Oraculum Apollinis perperam intellectum ab Anchisa, Æ. 3, 90. 102. 180.
Oratores Æneæ ad Latinum, Æ. 7, 152.
Orchades, olearum genus, G. 2, 86.
Orcus, G. 1, 277. 4, 502. Æ. 2, 398. 4. 242. 699. 6, 273. 8, 296. 9, 527. 785.
Oreades, montium nymphæ, Æ. 1, 500.
Orestes Pyrrhum interimit, Æ. 3, 330. Furiis agitatus, Æ. 4, 471.
Orichalcum, Æ. 12, 87.
Oricia terebinthus, Æ. 10, 136.
Orion, Æ. 1, 535. 3, 517. 4, 52. 7, 719. 10, 763.
Orithyia, Erechthei f. G. 4, 463. Æ. 12, 83.
Ornus, G. 2, 71. alta, Æ. 10, 766. 2, 626. sterilis, G. 2, 111.
Ornytus, Æ. 11, 677.
Orodes, Æ. 10, 732.
Orontes, Æ. 1, 113. 220. 6, 334.
Orpheus Thracius, E. 3, 46. 4, 55. 6, 30. in silvis, E. 8, 56. ejus et Eurydices fabula, G. 4, 454. 553. Æ. 6, 119. lyricen in locis inferis, Æ. 6, 645.
Orphitus, Æ. 11, 677.
Orses, Æ. 10, 748.
Orsilochus, Æ. 11, 636. 690. 699.
Ortygia, insula, Æ. 3, 124. 143. 154. 694.
Ortygius, Æ. 9, 573.
Oscorum manus, Æ. 7, 730.
Osinius, Æ. 10, 655.
Osiris, Æ. 12, 458.
Ossa, mons, G. 1, 281.
Ostrum Tyrium, G. 3, 17. Sarranum, G. 2, 506.
Othryades, Æ. 2, 319. 336.
Othrys, mons Thessaliæ, Æ. 7, 675.
Ovium cura et natura, G. 3, 294 sq. morbi 441.

P.

Pachynum, promontorium, Æ. 3, 429. 699. 7, 289.
Pactolus, fl., Æ. 10, 142.
Padus, fl., G. 2, 452. Æ. 9, 680. cycnorum copia celeber, Æ. 11, 457.
Padusa, unum ex Padi ostiis, Æ. 11, 457.
Pæan, hymnus, Æ. 6, 657. 10, 738.
Pæon, cognomen Apollinis, unde Pæonius, Æ. 7, 769. 12, 401.
Pæstum, Lucaniæ urbs, G. 4, 119.
Pagasus, Æ. 11, 670.
Palæmon, pastor, E. 3, 50. 53.
Palæmon, Inous portuum deus, Æ. 5, 823.
Palamedes, Æ. 2, 82.
Palatinus, Æ. 9, 9.
Palatium, G. 1, 499.
Pales, dea, E. 5, 35. G. 3, 1. 294.
Palici, Æ. 9, 585.
Palinurus Æneæ nauta, Æ. 3, 202. 562. 5, 12. 833. a Somno de navi detrusus mari obmergitur, Æ. 5, 857. apud inferos ab Æneæ conventus, Æ. 9, 337 sq.
Paliurus, fruticis genus, E. 5, 39.
Palladium, Æ. 2, 172. 183. ablatum, Æ. 2, 164. 9, 150.
Pallanteum, Æ. 8, 54. 341. 9, 196.
Pallas, Evandri f., Æ. 8, 104. Æneam benigne excipit, Æ. 8, 121. auxilia ducit, Æ. 8, 514. Arcades equites ad pugnam hortatur, Æ. 10, 362. a Turno interimitur, Æ. 10, 479. corpus humandum conceditur Arcadibus, Æ. 10, 491. ab Ænea ad Evandri urbem remittitur, Æ. 11, 59. ibi excipitur et crematur, Æ. 11, 139 sqq.
Pallas, Minerva, E. 2, 61. Æ. 1, 39. 479. 2, 15. 163. 615. 3, 544. 5, 704. 154. 8, 435. 11, 477.
Pallene, G. 4, 391.
Palma ardua, G. 2, 67. Olympica, G. 3, 49.
Palmus, Æ. 10, 697.
Pampinatio, G. 2, 362.
Pan, E. 2, 32. 10, 26. G. 1, 17. E. 4, 59. Lunam fefellit, G. 3, 391. Panos de more Lycæi, Æ. 8, 344.
Panacea, herba odorifera, Æ. 12, 419.
Panchæa tura, G. 2, 139. 4, 379.
Pandarus, Æ. 5, 496. et Bitias, Æ. 9, 672. a Turno interimuntur, Æ. 9, 735. 11, 396.
Pangæa, Thraciæ mons, G. 4, 462.
Panis conficiendi ratio, Æ. 1, 177. G. 1, 267. placentæ pro panibus, Æ. 7, 109.
Panopea, G. 1, 436. Æ. 5, 240. 825.
Panopes, Æ. 5, 300.
Pantagias, fl., Æ. 3, 689.
Panthus, Apollinis sacerdos, Æ. 2, 318. interimitur, Æ. 2, 429.
Papaver Cereale, G. 1, 212. quando serendum, *ibid.* soporiferum, G. 1, 78. Æ. 4, 486.
Paphos, Veneri sacra, Æ. 1, 415. 10, 51. 86.
Paphiæ myrtus, G. 2, 64.
Parcæ, E. 4, 47. Æ. 1, 22. 3, 379. 5, 789. 9, 107. 10, 419. 815. 12, 147. 150.

Paris, pastor, E. 2, 61. mollis, Æ. 4, 215. fortis, Æ. 5, 370. causa excidii Trojæ, Æ. 7, 321. raptor Helenæ, Æ. 7, 363. judex inter deas, Æ. 1, 26. Achillem interfecit, Æ. 6, 57. ab Hecuba eadem nocte natus, qua Mimas, Æ. 10, 702.
Parnassus, mons, E. 10, 11. 6, 29. G. 3, 291. Parnassius, E. 6, 29. G. 2, 18.
Paros, insula, Æ. 3, 126. Parius, 1, 593. G. 3, 34.
Parrhasius, Æ. 8, 344. 11, 31.
Parthenii saltus, E. 10, 57.
Parthenius, Æ. 10, 748.
Parthenope, Neapolis, Virgilium aluit, G. 4, 564.
Parthenopæus, Æ. 6, 480.
Parthi, G. 4, 211. Æ. 7, 606. leves, G. 4, 314. Parthus fuga fidens, versisque sagittis, G. 3, 31. sagittis venenatis utens, Æ. 12, 857. Parthus, E. 10, 59. 1, 93.
Pascua, quæ optima, G. 2, 195.
Pasiphaes amor in taurum, E. 6, 46 sq. Æ. 6, 25. 447.
Patavium condidit Antenor, Æ. 1, 247.
Patrii dii, G. 1, 498. Æ. 2, 702. 9, 247.
Patrii dii, G. 1, 498. Æ. 2, 702. 9, 247.
Patron, Æ. 5, 298.
Pavoris descriptio, Æ. 3, 47. 11, 806.
Pausia, olearum genus, G. 2, 86.
Pecorum cura, G. 3, 286 sq. morbi 440 sq.
Pedatio, G. 2, 358.
Pelasgi, Æ. 1, 624. 2, 83. 6, 503. Pelasgus, Æ. 2, 152. 106. 9, 154. 8, 600.
Pelethronii Lapithæ, G. 3, 115.
Pelias e Trojanis, Æ. 2, 435.
Pelides, Æ. 2, 263. 435. 548. 5, 808. 12, 350.
Pelion, mons, G. 1, 281. 3, 94.
Pellæus, h. Macedonicus Canopus, G. 4, 287.
Pelodes, portus, Æ. 3, 292.
Pelops humero insignis eburno, G. 3, 7. Pelopea mœnia, Æ. 2, 193.
Pelorus, promont. Æ. 3, 411. 687.
Peltæ lunatæ Amazonum, Æ. 1, 490.
Penatigerus, G. 1, 338.
Penates Trojæ, Æ. 2, 293. 5, 62. 6, 7, 121. 9, 258. Æneas asportavit, Æ. 2, 293. 717. 3, 12. eidem per somnum apparent, Æ. 3, 148. 173. 264. sacrum iis factum, Æ. 8, 542.
Peneus, fl. G. 4, 355.
Penea Tempe, G. 4, 317.
Peneleus, Æ. 2, 425.
Penthesilea, Æ. 1, 491. 11, 662.
Pentheus, Æ. 4, 469.
Peplum Minervæ, Æ. 1, 480.
Pergama, Æ. 1, 466 et al. Pergamea gens, Æ. 6, 63. 3, 110. 476. urbs, 3, 133. Lar, 5, 744.
Peridia, Æ. 12, 515.
Periphas, Æ. 2, 476.
Permessus, fl. Bœotiæ, E. 6, 64.
Persis pharetrata, G. 4, 290.
Pestis descriptio, Æ. 3, 135. pecudum, G. 3, 478.
Petilia, urbs, Æ. 3, 402.
Phæacum arces, Æ. 3, 291.
Phædra, Æ. 6, 445.
Phaëthontis equi, Æ. 5, 105 amore Cycnus in olorem, Æ. 10, 189. Phaëthontiades sorores, E. 6, 62.
Phalarica, hastæ genus, Æ. 9, 705.
Phaleris, Æ. 9, 762.
Phanæus, mons, G. 2, 98.
Pharus, Rutulus, Æ. 10, 322.
Phasis, G. 4, 367.
Phegeus, Æ. 5, 263. 9, 765. alius, 12, 371.
Pheneus, urbs Arcadiæ, Æ. 8, 165.
Pheres, ab Haleso interfectus, Æ. 10, 413.
Philippi, G. 1, 489.
Phillyrides, Chiron, G. 3, 550.
Philoctetes, Æ. 3, 402.
Philomela, E. 6, 79. G. 4, 512.
Philosophiæ ac naturæ studium jucundissimum, G. 2, 475. 490.
Phinei domus, ex qua Harpyiæ expulsæ, Æ. 212.
Phlegethon, Tartareus fl. Æ. 6, 551. 265.
Phlegyas, apud inferos, Æ. 6, 618.
Phœbe, G. 1, 431. Æ. 10, 216.
Phœbus, E. 6, 66 et al.
Phœbigena, Æ. 7, 773.
Phœnices, Æ. 1, 344.
Phœnissa, Æ. 1, 670 et al.
Phœnix, Græcus, Æ. 2, 762.
Pholoe, serva, Æ. 5, 285.
Pholus, Centaurus, G. 2, 456. Æ. 8, 294. Trojanus, Æ. 12, 341.
Phorbas, Æ. 5, 842.
Phorcus, deus marinus, Æ. 5, 240. 824. Latinus, cujus septem filii, Æ. 10, 328.
Phryges, Æ. 1, 468 et al. Phrygius, Æ. 1, 618 et al. Parygia, G. 4, 41 et al.
Phthia, regio et urbs, Æ. 1, 284.
Phyllis, E. 3, 76. 5, 10. 7, 63. 10, 41.
Phyllodoce, Nympha, G. 4, 336.
Picus, Fauni pater, Æ. 7, 48. 171. ejus statua et mutatio in picum, Æ. 7, 187.
Pierides, E. 3, 85. 8, 63. 6, 13. 9, 33. 10, 72.
Pilenta mollia, Æ. 8, 666.
Pilumnus deus, Æ. 9, 4. 10, 76. 619. 12, 83.
Pinaria domus, Æ. 8, 270.
Pindus, E. 10, 11.
Piorum sedes apud inferos, Æ. 6, 637.
Pirithous, Thesei amicus, Æ. 6, 393. 601.
Pisa, urbs Elidis, G. 3, 180. Etruriæ, Æ. 10, 179.
Piscatio, G. 1, 141. Pisces pestilenti morbo vexantur, G. 3, 541.
Pix Idæa, G. 3, 450. 4, 41. Narycia, G. 2, 438.
Placentæ pro panibus, Æ. 7, 109.
Platanus sterilis, G. 2, 70. umbrosa, G. 4, 146.
Pleias, G. 4, 232.
Pleiades, G. 1, 138. ortus et occasus, G. 1, 221.
Plemmyrium, promont. Æ. 3, 693.
Pluto, Æ. 7, 327. Dis ater, Æ. 6, 127. ejus regia, Æ. 6, 541. 630. nocturna sacrificia, Æ. 6, 252.
Pocula coronata, Æ. 1, 724. 3, 525.
Podalirius, Æ. 12, 309.
Pœni, Æ. 1, 302, 442. 567. 4, 134. 12, 4. E. 5, 27. Æ. 6, 858.
Politis Priami filii cædes, Æ. 2, 526. 5, 564.
Poli arctici et antarctici descriptio, G. 1, 242.
Pollio, E. 3, 84. 4, 12.
Pollucis equus Cyllarus, G. 3, 89. ejus et Castoris moriendi vices, Æ. 6, 121.
Polybœtes, Æ. 4, 484.
Polydorus Priami filius confossus telis, quæ in arbores excreverunt, Æ. 3, 22. 45. 49. in ejus honorem inferiæ, Æ. 3, 62.
Polymnestor avarus Polydorum obtruncat, Æ. 3, 49.
Polyphemus, Cyclops, Æ. 3, 641. 655.
Polyphœtes, Trojanus, Æ. 6, 484.
Pometii, quorum urbs Suessa Pometia, Æ. 6, 776.
Pontus, G. 1, 58. 207. E. 8, 95. 96.
Pontica venena, E. 8, 95. castorea, G. 1, 58.
Populonia, urbs, Æ. 10, 172.
Populus, arbor Herculi sacra, E. 7, 61. 9, 41. Æ. 8, 276.
Porsenna, Æ. 8, 646.
Portenta, Æ. 1, 441. 7, 58.
Portunus, deus, Æ. 5, 241.
Potitius, Herculis sacerdos, Æ. 8, 269. 281.
Potniæ, Bœotiæ vicus, in quo Glauci equæ Potniades, G. 3, 267.
Præneste, Æ. 7, 678, 680. 8, 561.

Præsagia v. Prognostica.
Priameius, Æ. 2, 403. 3, 431. 7, 252.
Priamides, Æ. 3, 295. 346. 6, 494. 509.
Priamus, Laomedontis f., Salaminem et Arcadiam adiit, Æ. 8, 157. ejus regia expugnatur, Æ. 2, 479. Sinonem benigne excipit, Æ. 2, 146. fata extrema, Æ. 2. 506. 533. 547. filiæ et nurus, Æ. 2, 501.
Priamus, Politis f. Æ. 5, 564.
Priapus in hortis, E. 7, 33. 4, 110.
Pristis. navis, Æ. 5, 116. 218.
Privernus interimitur, Æ. 9, 576. Privernum, urbs, Æ. 11, 540.
Procas, Albanorum rex, Æ. 6, 767.
Prochyta, insula, Æ. 9, 715.
Procne, G. 4, 15.
Procris, Æ. 6, 445.
Prodigium, Æ. 3, 26. 5, 522. in Ascanio, Æ. 2, 680. nuptiarum inauspicatarum, Æ. 4, 166. prodigiæ post Julii Cæsaris cædem, G. 1, 466.
Prœtides, Prœti filiæ, in vesaniam actæ, E. 6, 48.
Prognostica pluviarum, G. 1, 370. serenitatis, G. 1, 393.
Promethei furtum, E. 6, 42.
Promolus, Æ. 9, 574.
Proscenium, ante scenam, G. 2, 381.
Proserpina matrem sequi noluit, G. 1, 39. morituram Didonem, crine abscisso, diis inferis consecrat, Æ. 4, 698. ei sacer ramus aureus, Æ. 6, 138. 142. 636. et sterilis vacca mactatur, Æ. 6, 251. servat limen patrui, Æ. 6, 402.
Protei variæ formæ et vaticinium, G. 4, 387 sq. columnæ, pro extremis terræ plagis, Æ. 11, 262.
Prytanis, Æ. 9, 767.
Psythia vitis, G. 2, 93. 4, 269.
Pugilatus, Æ. 5, 362. 426.
Punicus, Æ. 4, 40. 1, 338.
Putatio vitium, G. 2, 362. 407. 417.
Pygmalion, Æ. 1, 346. 364. 4, 325.
Pyracmon, unus ex Vulcani famulis, Æ. 10, 181.
Pyrgi, urbs, Æ. 10, 184.
Pyrgo, Priami natorum nutrix, Æ. 5, 645.
Pyrrhæ lapides, E. 6, 41.
Pyrrhus, Neoptolemus, Æ. 2, 469. 491 et al.

Q.

Quadrigas invenit Erichthonius, G. 3, 113.
Quercens, Æ. 9, 684.
Quercus Jovi sacra, G. 3, 332. Dodonæa, G. 1, 149. 2, 16. 67.
Quirinus, Augustus, G. 3, 27. Romulus, Æ. 1, 292. 6, 860. Quirinalis lituus, Æ. 7, 187. trabea, Æ. 7, 612.
Quirites prisci, Æ. 7, 710. G. 4, 201.

R.

Radii, olearum genus, G. 2, 86.
Ramus aureus, Æ. 6, 136.
Ranæ, tempestatis indices, G. 1, 378. loquaces, G. 3, 431.
Rapo, Æ. 10, 748.
Remulus, Numanus, Æ. 9, 592. 633. alius, Æ. 9, 360. alius, 11, 636.
Remus, G. 3, 532. Æ. 1, 273. 292. Alius Remus interimitur, Æ. 9, 330.
Rhadamanthus, judex inferorum, Æ. 6, 566.
Rhæticum vinum, G. 2, 95.
Rhamnes interficitur, Æ. 9, 324. 359. 452.
Rhea Sylvia, quam Mars compressit, Æ. 1, 274. 6, 779. 7, 659. 8, 630.
Rhenus, fl., E. 8, 47. bicornis, Æ 8, 727.
Rhesus, Thracum ductor, G. 4, 462. Æ. 1, 469.
Rhipæi montes, G. 1, 240. 3, 382. 4, 518.
Rhodope mons, E. 6, 30. 8, 44. G. 1, 332. 3, 351. 462. 4, 461.
Rhœbus Mezentii equus, Æ. 10, 861.
Rhœteus, Æ. 10, 399. 402.
Rhœtus, Centaurus, G. 2, 456.
Rhœtus, Rutulus, Æ. 9, 344.
Rhœtus, Marsorum rex, Æ. 10, 388.
Rhœteæ oræ, Æ. 3, 108. Rhœteia, Æ. 5, 646. Rhœteius ductor, Æ. 12, 156. Rhœteum littus, Æ. 6, 505.
Rhombus, quo pueri ludunt, Æ. 7, 378.
Ripheus, Æ. 2, 339. interimitur, Æ. 2, 426.
Rogus exstructus, Æ. 6, 177, 214. 11, 184.
Roma, septicollis, G. 2, 535. a Gallis obsessa, Æ. 8, 655.
Romani unde dicti, Æ. 1, 277. eorum reges, Æ. 6, 778. 8, 626. imperium, Æ. 1, 335. G. 2, 534.
Romulus, G. 1, 497. Æ. 1, 276. 6, 779. 8, 342. 654. Romula tellus, Æ. 6, 877. Romuleus culmus, Æ. 8, 654.
Romulidæ, Æ. 8, 638.
Ros marinus, G. 2, 213.
Rosea rura, Æ. 7, 712.
Rubus asper, E. 3, 89. horrens, G. 3, 315.
Rufræ, urbs, Æ. 7, 739.
Rustica numina, quibus festarum solennia habita, G. 2, 527. rusticæ vitæ laudes, G. 2, 458. 475. 486.
Ruscus, virgulti genus, E. 7, 42. G. 2, 413.
Rutuli a Turno adducti, Æ. 7, 795 et al.

S.

Sabæi, Æ. 8, 706. Sabæum thus, Æ. 1, 416. G. 1. 57. 2, 117.
Sabella mater, Æ. 8, 510. pubes, G. 2, 167. Sabellum veru, Æ. 7, 665.
Sabellicus sus, G. 3, 255.
Sabinæ raptæ, Æ. 8, 635.
Sabini, G. 2, 532. Æ. 7, 706. 709.
Sabinus pater, Æ. 7, 178.
Saburra, G. 4, 195.
Saces, Æ. 12, 651.
Sacra rustica, E. 5, 65. G. 2, 527. Sacrum Herculis, Æ. 8, 268. nocturna, Æ. 6, 252. Sacrorum ritus, Æ. 2, 132. 8, 172. 542. tibicines Etrusci adhiberi solebant, G. 2, 193.
Sacranæ acies, Æ. 7, 796.
Sacrator, Æ. 10, 747.
Sagaris, Æ. 5, 263. 9, 575.
Sagittantium certamen, Æ. 5, 485.
Salamis, Æ. 8, 158.
Salentini campi, Æ. 3, 400.
Salii, Æ. 8, 285. 663.
Salius, Æ. 5, 298. alius, 10, 753.
Salmoneus, Æ. 6, 585.
Saltatio, Æ. 6, 644. armata, Æ. 5, 548. Saliorum cum hymno, Æ. 8, 285. incondita mensorum, G. 1, 350.
Same, Æ. 3, 271.
Samothracia, Æ. 7, 208.
Samus, Æ. 1, 16. Threicia, 7, 208.
Sandyx, coloris genus, E. 4, 45.
Sardoæ herbæ, E. 7, 41.
Sarnus, fl., Æ. 7, 738.
Sarpedon, Æ. 1, 104. 9, 697. 10, 125. 471.
Sarranus juvenis, Æ. 9, 535. 454.
Sarranum ostrum, G. 2, 506.
Sarrastes populi, Æ. 7, 738.
Saticulus, Æ. 7, 729.
Saturæ palus, Æ. 7, 801.
Saturum Tarentum, G. 2, 197.
Saturnus, G. 2, 538, 3, 93. Æ. 7, 180. 8, 319. 357. stella, G. 1, 336.
Saturnia tellus, G. 2, 173 et al. arx, vel Janiculum, Æ. 8, 357.
Saturnia Juno, Æ. 1, 23 et al.
Saturnius pater, Æ. 4, 372. Neptunus, Æ. 5, 799.
Satyri saltantes, E. 5, 73.
Scææ portæ, Æ. 2, 612. 3, 351.

Scilla, G. 3, 451.
Scipiadæ, G. 2, 170. Æ. 6, 844.
Scorpius, G. 1, 35.
Scrobes vitibus quales faciendi, G. 2, 259. 288.
Scytaceum, Æ. 3, 553.
Scylla, avis, G. 1, 405. Nisi f., E. 6, 74. monstrum, Æ. 3, 420. 432. 684. 7, 302. unde **Scyllæa** rabies, Æ. 1, 200. navis, Æ. 5, 122.
Scyllæ biformes, Æ. 6, 286.
Scyria pubes, Æ. 2, 477.
Scythia, E. 1, 66. G. 1, 240. **Scythiæ** hiemes, G. 3, 197. gentes, 349.
Sebethis, Nympha, Æ. 7, 734.
Seculum aureum, E. 4. Æ. 8, 324. ferreum, Æ. 8, 326.
Selinus palmosa, Æ. 3, 705.
Semivir Phryx, Æ. 12, 99. comitatus, 4, 215.
Septemtrio, G. 3, 381.
Sequestra pax, Æ. 11, 133.
Seres Indiæ, G. 2, 121.
Serestus, Æ. 1, 611 et al.
Sergestus, Æ. 1, 510 et al.
Sergia domus, Æ. 5, 121.
Serpentes pestilenti morbo vexantur, G. 3, 544. per eos genii adumbrantur, Æ. 5, 84. 95. ab aquila rapiuntur, Æ. 11, 751. duo Laocoontis filios elidunt, Æ. 2, 203. et in Minervæ templum fugiunt, Æ. 2, 225.
Serpyllum, herba, E. 2, 11. G. 4, 31.
Serranus, Æ. 6, 844.
Severus mons in Sabino, Æ. 7, 713.
Sibylla, E. 4, 4. Æ. 3, 452. 5, 735. 6, 10. 44. 98. 176. 211. 236. 538. 666. 752. 897.
Sicani, Æ. 5, 293. 7, 795. 8, 328. Sicani fluctus, E. 10, 4. portus, Æ. 5, 24. fines, Æ. 11, 317. Sicania, Æ. 1, 557. **Sicanius** sinus, Æ. 3, 692. **Sicanium** latus, 8, 416.
Sicelides Musæ, E. 4, 1.
Sichæus, Æ. 1, 347 sq. 4, 20. 502. 532. 632. 6, 474.
Sicula tellus, Æ. 1, 34. ora, 3, 410. Sicula arva, Æ. 5, 702. **Siculæ** regiones, Æ. 1, 547. undæ, 3, 696. Siculi montes, E. 2, 21. Siculus pastor, E. 10, 51. Siculum latus, Æ. 3, 418. Pachynum, 7, 289.
Sicyonia bacca, G. 2, 519.
Sidera montibus oriuntur et occidunt, Æ. 2, 801. eorum ortus et occasus sunt servandi agricolis, G. 1, 204. et nautis, Æ. 3, 515.
Sidicina æquora, Æ. 7, 727.
Sidon, Æ. 1, 619. Sidonia Dido, Æ. 1, 446. 613. 9, 266. 11, 74. urbs, Æ. 1, 608. 4, 545. chlamys, Æ. 4, 137. Sidoniæ opes, Æ. 4, 75. Sidonii patres, Æ. 4, 683. Sidonius equus, Æ. 5, 571.
Sigea freta, Æ. 2, 312. Sigei campi, Æ. 7, 294.
Sila, Æ. 12, 715.
Silarus, G. 3, 146.
Silenus, E. 6, 14.
Siler, G. 2, 12.
Siliqua, G. 1, 74. 195.
Silvæ descriptio, Æ. 9, 381.
Silvanus, E. 10, 24. G. 1, 20. 2, 494. Æ. 8, 600.
Silvia, Æ. 7, 487. 503.
Silvius, Æ. 6, 763. 769.
Simois, Æ. 1, 100. 618. 3, 302. 5, 261. 634. 803. 6, 88. 10, 60. 11, 257.
Sinon, Æ. 2, 79. 195. 259. 329.
Sirenum scopuli, Æ. 5, 864.
Sirius, G. 4, 425. Æ. 3, 141. 10, 273.
Sithoniæ nives, E. 10, 66.
Sol, nuntius tempestatum, G. 1, 441. serenitatis, G. 1, 458. et bellorum, G. 1, 464. Solis defectus, G. 2, 478.
Solum frumentis idoneum, G. 2, 203. optimum, 217. soli cujuscunque notæ ac criteria, 226. varia indoles ac natura, 177.
Somni periphrasis, Æ. 4, 522. 8, 26. sedes ante Tartarum, Æ. 6, 278. 390. in ulmo, Æ. 6, 283. duæ portæ, Æ. 6, 894. Somnus deus Palinurum in mare præcipitat, Æ. 5, 838.
Sophocleus cothurnus, E. 8, 10.
Soracte, Æ. 7, 696. 11, 785.
Spadix, G. 3, 82.
Sparta, G. 3, 405. Æ. 2, 577. 10, 92. Spartana virgo, Æ. 1, 316.
Sparus, Æ. 11, 682.
Spelunca Sibyllæ, Æ. 6, 11. 42. Averno imminens, Æ. 6, 237.
Sperchius, G. 2, 487.
Spinus pruna ferens, G. 4, 145.
Spio, G. 4, 338. Æ. 5, 826.
Sporades, Æ. 3, 127.
Stella, viæ dux, Æ. 2, 693. stellæ cadentes, G. 1, 365. Æ. 2, 693.
Stellio, animal, G. 4, 242.
Steropes, Cyclops, Æ. 8, 425.
Sthenelus, dux Græcorum, Æ. 2, 261.
Stheneles, Rutulus, Æ. 10, 388. 12, 341.
Stimicon, E. 5, 55.
Stiva, manica, G. 1, 174.
Strophades, insulæ, Æ. 3, 209.
Strymon, fl., G. 4, 508.
Strymoniæ grues, G. 1, 120. Æ. 10, 265. 11, 580. Strymonius ensis, Æ. 10, 414.
Stygius fons, Æ. 12, 816. Stygia palus, Æ. 6, 323 et al. Stygius Jupiter, Æ. 4, 638. 6, 252. Orcus, 4, 699 et al.
Styx, stygia unda, palus, G. 1, 243. 3, 551. 4, 480, 506. Æ. 3, 235. 6, 134. 369. 374. 385. 391. 439. jusjurandum deorum, Æ. 6, 323. 10, 113.
Sucro, Rutulus, Æ. 12, 505.
Sulmo interficitur, Æ. 9, 412. ejus quatuor filii, Æ. 10, 517.
Surculus, G. 2, 28. 62.
Sus alba sedem urbi Albæ condendæ designavit, Æ. 3, 389. 8, 42. 81. Sabellicus, G. 3, 255. suum morbus, angina, G. 3, 497.
Sybaris, Trojanus, Æ. 12, 363.
Sychæus, v. **Sichæus**.
Symæthius, fl., Æ. 9, 584.
Syracosius versus, E. 6, 1.
Syria pira, G. 2, 88.
Syrtes, Æ. 1, 111. 146. 4, 41. 5, 192. 6, 60. 7, 302. 10, 678. **Gætulæ**, Æ. 5, 51.
Syrtis, Æ. 4, 41.

T.

Taburnus, mons, G. 2, 38. Æ. 12, 715.
Tænariæ fauces, G. 4, 467.
Tagus, Rutulus, Æ. 9, 418.
Talaria Mercurii, Æ. 4, 239.
Talos, Æ. 12, 513.
Talpæ oculis capti, G. 1, 183.
Tanager, fl., G. 3, 151.
Tanais, fl., G. 4, 517. vir, Æ. 12, 513.
Tapetes picti, Æ. 7, 277. 358. alti, Æ. 9, 325.
Tarcho, Tyrrhenus, Æ. 8, 506. 603. 10, 153. 290. 302. 11, 127. 746. 757.
Tarentum, G. 2, 197. Herculeum, Æ. 3, 551.
Tarpeia, arx, Æ. 8, 347. 652. Camillæ comes, Æ. 11, 656.
Tarquinius Superbus, Æ. 6, 818. 8, 646.
Tarquitus, Æ. 10, 550.
Tartara, G. 1, 36. Æ. 6, 541 sqq.
Tartarea vox, Æ. 7, 514. Megæra, Æ. 12, 846. **Tartareæ** sedes, Æ. 8, 667. sorores, Æ. 7, 328. **Tartareus** Acheron, Æ. 6, 295. custos, Æ. 6, 395. Phlegethon, Æ. 6, 551.
Tatius senex, Æ. 8, 638.
Taurorum pugna, G. 3, 217. Æ. 12, 715. niveorum usus in sacris Junonis, G. 3, 531. eos domandi ratio, G. 3, 163.
Taurus sidus, G. 1, 218.
Taxus Cyrnea, E. 9, 30. amat frigora, G. 2, 113. noxia, G. 2, 257. 4, 47. ex eo arcus, G. 2, 448.
Taygete, una Pleiadum, G. 4, 232.

Taygetus mons, sub quo Bacchi templum. Taygeta bacchata virginibus Lacænis, G. 2, 488. Taygeti canes, G. 3, 44.
Tegeæus, Pan, G. 1, 18. T. ensis, Æ. 8, 459. Tegeæa gens, Æ. 5, 299.
Tela veneno inungere solent barbari, Æ. 9, 773. 10, 140. 12, 857.
Teleboæ populi, Æ. 7, 735.
Tellus, Æ. 4, 166.
Telon, Æ. 7, 734. 12, 513.
Temillas, Æ. 9, 576.
Tempe frigida, G. 2, 469. Peneia, G. 4, 317.
Tempestatis descriptio, G. 1, 316. 356. Æ. 1, 102. 3, 192. 4, 160. 5, 8. præsagia, G. 1, 370. a Neptuno sedatur, Æ. 1, 124.
Tenedos, insula, Æ. 2, 21, 203. 255.
Terebinthus Oricia, Æ. 10, 136.
Tereus in upupam, E. 6, 78.
Tereus a Camilla occisus, Æ. 11, 675.
Terra parens, Æ. 4, 178. omniparens, Æ. 6, 595.
Terræ motus, G. 1, 474.
Testudo scutorum, Æ. 2, 441.
Tethys, G. 1, 31.
Tetrica rupes, Æ. 7, 713.
Teucer, Æ. 1, 236. 4, 230. 6, 500. 548. ad promont. Rhœteum venit, Æ. 3, 107. et ad Belum, Sidonis ac Tyri regem, Æ. 1, 619. Inde Teucri Trojani sæpe.
Teucria, Æ. 2, 26.
Teuthras, Æ. 10, 402.
Teutonicus, Æ. 7, 741.
Thalia, Musa, E. 6, 2. una Nereidum, G. 4, 338. Æ. 5, 826.
Thamyris, Æ. 12, 341.
Thapsus Siciliæ, Æ. 3, 689.
Thasiæ vites, G. 2, 91.
Thaumantias, Iris, Æ. 9. 5.
Theano, Mimantis mater, Æ. 10, 703.
Thebæ, Æ. 4, 470. Thebis qui occubuerunt, Æ. 6, 497. Thebana mater, Æ. 9, 697.
Themon, Æ. 10, 126.
Thermodon, fl., Æ. 11, 659.
Theron, Æ. 10, 312.
Thersandrus, Æ. 2, 261.
Thersilochus, Æ. 6, 483. alius, 12, 363.
Theseus inferos adiit, Æ. 6, 122. Proserpinam rapuit, Æ. 6, 397. hinc in inferis saxo insidet, Æ. 6, 617.
Thesidæ, G. 2, 383.
Thessandrus, Æ. 2, 261.
Thestylis, E. 2, 11.
Thetis, E. 4, 31. G. 1, 399. G. 5, 825.
Thoas, Æ. 2, 262. alius, 10, 415.
Thraca, Æ. 12, 335.
Thraces quondam sub Lycurgo, Æ. 3, 14. Thracius, E. 4, 55 et al. Threicius, Æ. 3, 51. 6, 645 et al. Threicia cithara, Æ. 6, 120. Samus, Æ. 7, 208. Amazones, Æ. 11, 659. Threissa, Æ. 1, 316. 11, 858.
Thronius, Æ. 10, 753.
Thule, G. 1, 30.
Thyas, Baccha, Æ. 4, 302.
Thybris, rex, Æ. 8, 330. 2, 782. 5, 83. 797. 7, 242. 8, 64. 72. 331.
Thymber, Æ. 10, 391.
Thymbra, herba, G. 4, 31.
Thymbræus Apollo, G. 4, 323. Æ. 3, 85.
Thymbræus Trojanus, Æ. 12, 458.
Thymbris, Trojanus, Æ. 10, 124.
Thymœtes, Æ. 2, 32. 10, 123. 12, 364.
Thymus capitatus, apibus gratissimus, G. 4, 112.
Thyrsis, pastor, E. 7, 2. 16. 69. 3, 20.
Tiberis, fl., G. 1, 499. Tiberinus 4, 369. Æ. 1, 13. unde dictus, Æ. 8, 330. Æneæ ut deus apparet in somno, Æ. 8, 26 sq.
Tiber superbum, Æ. 7, 630.
Tiburnus, l. Tiburtus, conditor Tiburis, Æ. 7, 671. 11, 519.
Tiburs, Æ. 9, 360. Tiburtes, Æ. 11, 758. Tiburtia mœnia, Æ. 7, 670.
Tigris, fl., E. 1, 63. tigrides Hyrcanæ, Æ. 4, 367. currum Bacchi vehunt, E. 5, 29. navis cum tigride insigni, Æ. 10, 166.
Tilia, arbor, G. 1, 173. 2, 449. 4, 182.
Timavus, fl., E. 8, 6. G. 3, 475. Æ. 1, 244.
Tmeæ, dirum genus, G. 4, 246.
Tiphys, E. 4, 34.
Tiryns. Tirynthius heros, Æ. 8, 228. victor, Æ. 7, 662.
Tisiphone pallida, G. 3, 552. Æ. 10, 761. aditum Tartari servat, Æ. 6, 555. ultrix in locis inferis, Æ. 6, 570.
Titan, sol, Æ. 4, 119.
Titania pubes: in locis inferis, Æ. 6, 580. astra, Æ. 6, 725.
Tithonus, G. 3, 48. ejus conjux Aurora, G. 1, 447. Æ. 8, 384.
Tityus, cujus jecur a vulture tondetur, Æ. 6, 595.
Tityrus, E. 1, 1. 5, 12. 8, 55. G. 4, 566.
Tmaros, mons, E. 8, 44. Æ. 9, 685. Tmarius Doryclus, Æ. 5, 620.
Tmolus, mons, G. 1, 56. vino generoso nobilis, G. 2, 98.
Tolumnius, Æ. 11, 429. augur fœdifragus, Æ. 12, 258. occisus, Æ. 12, 460.
Tonitrua, G. 1, 328. sinistra prospera, Æ. 2, 692.
Tophus scaber, G. 2, 214.
Torquatus, T. Manlius, Æ. 6, 825. Tarpeiæ arcis custos, Æ. 8, 652.
Trabale telum, Æ. 12, 294.
Trabea, Æ. 7, 188. 612. 11, 334.
Tragœdia vetus Atheniensium, G. 2, 381.
Trapetum, mola olearia, G. 3, 519.
Tribulus, spinæ genus, G. 1, 153. 164.
Trieterica Orgia, Æ. 4, 302.
Trinacria Sicilia, Æ. 3, 582 et al. Ætna, Æ. 3, 554. pubes, Æ. 5, 450. unda, Æ. 3, 384. T. juvenes, Æ. 5, 300. T. Pachynum, Æ. 3, 429.
Triones, h. boves, sidus, G. 3, 381. Æ. 1, 744. 3, 516.
Triptolemus a Cerere artis nem edoctus, G. 1, 19.
Triton, deus marinus, Æ. 1, 144. Misenum submersit, Æ. 6, 171.
Tritones, Æ. 5, 824.
Triton, navis, Æ. 10, 209.
Tritonia, Minerva, Æ. 2, 171. 615. 5, 704. 11, 483. Tritonidis arx, Æ. 2, 226.
Trivia, Diana, Æ. 6, 13. 35. 69. 169. 774. 7, 516. 11, 566. 836. 10, 537. Hippolytum abscondit. Æ. 7, 774.
Troja Neptunia, Æ. 2, 625. cum nomine occidet, Æ. 12, 828. ejus excidii descriptio, Æ. 2, 298. muros et urbem diruit Neptunus, Æ. 2. 610. excidium Carthagine pictum, Æ. 1, 466.
Troja, urbs in Sicilia ab Ænea exstructa, Æ. 5, 755.
Troja, ludus, Æ. 5, 545. 602.
Trojanorum origo, Æ. 3, 167. cur iis invisa Juno, Æ. 1. 19. reliquiæ ad Æneam collectæ, Æ. 3, 796. fatali terra cognita lætantur, Æ. 7, 120. fortiter pugnantium cædes, Æ. 9, 509.
Troilus ab Achille occisus, Æ. 1, 474.
Troius, Æ. 1, 596 et sæpe.
Tros, Ili pater, G. 3, 36.
Tros Trojanus, Æ. 1, 574 et al.
Tropæum occiso Mezentio victor Æneas Marti statuit, Æ. 11, 5.
Tuba a Tyrrhenis inventa, Æ. 8, 526.
Tulla, Camillæ socia, Æ. 11, 656.
Tullus Hostilius, Æ. 6, 815. Metium quadrigis distraxit, Æ. 8, 644.
Turnus, Dauni f., Æ. 10, 616.

688. 12, 22. 90. 934. petit Laviniam, Æ. 7, 55. ei studet Amata, 7, 343 sq. Rutulos ad arma hortatur, Æ. 7, 577. 780. falsam Æneæ imaginem sequitur, Æ. 10, 657. Pallantem interficit, Æ. 10, 473. cum Æneæ confligit, Æ. 12, 895. ab Æneæ occiditur, Æ. 12, 950.
Turris in muris, Æ. 2, 460. ante muros, Æ. 9, 530 sq. post muros mobilis, Æ. 12, 674 sq. ferrea, Æ. 5, 554.
Turrita Cybele, Æ. 6, 786.
Tus Sabæum, G. 1, 57. 2, 117. Æ. 1, 416. Panchæum, G. 2, 139. 4, 379. masculum, E. 8, 65. turea dona, Æ. 6, 225. turicremæ aræ, Æ. 4, 453.
Tuscus. Tusci, Æ. 10, 203. 11, 629. 12, 551. 10, 164.
Tuscus amnis, Æ. 10, 199. 11, 316. 629. fluvius, Æ. 8, 373. Tiberis, G. 1, 498.
Tydeus, Æ. 6, 479.
Tydides, Æ. 1, 97. 471. 2, 164. 197. 10, 29. 11, 404. 12, 351.
Tympana, G. 2, 444. Cybeles, Æ. 9, 619.
Tyndaris Helena, Æ. 2, 569. 601.
Typhœus, Terræ f., G. 1, 279. Æ. 8, 298. 9, 716.
Typhoia tela, Æ. 1, 665.
Tyres, Æ. 10, 403.
Tyrrhenus æstus, G. 2, 164. æquor, Æ. 1, 67. et sic alia.
Tyrrheni Mezentium tyrannum expulerunt, Æ. 10, 691. tubam invenerunt, Æ. 8, 526.
Tyrrhenus, nom. pr. viri, Æ. 11, 612.
Tyrrheus et ejus filii Tyrrhidæ, cum filia Sylvia, Æ. 7, 483 sq. 9, 28.
Tyrus, Æ. 1, 346. 4, 36. 43. 670.
Tyrii coloni tenuere Carthaginem, Æ. 1, 12. bilingues, Æ. 1, 661. Tyrium ostrum, G. 3, 17. 307. Tyriæ virgines, Æ. 1, 336.

V.

Vaccæ optimæ, G. 2, 51. fœtæ non mulgendæ, G. 3, 176. steriles Proserpinæ immolantur, Æ. 6, 251.
Vaccinia nigra, E. 2, 13. mollia pingit caltha, E. 3, 50.
Valerus, Æ. 10, 752.
Vannus mystica Iacchi, G. 1, 166.
Varus poeta, E. 6, 7. 10. 12. 9, 26.
Varius, E. 9, 35.
Vatis descriptio, Æ. 10, 175. furor, Æ. 6, 46. 77.
Ucalegon, Trojanus, Æ. 2, 312.
Velinus lacus, Æ. 7, 712. Velini fontes, Æ. 7, 517. portus, Æ. 6, 366.
Venationis apparatus et descriptio, Æ. 4, 130.
Venilia, Nympha, Turni mater, Æ. 10, 76.
Ventorum prognostica, G. 1, 354. 370. patria et antrum, Æ. 1, 51. sedes sunt montes, Æ. 3, 687.
Venulus, legatus, Æ. 8, 9. 11, 242. interficitur, Æ. 11, 742.
Venus Æneæ apparet, Æ. 1, 314. iterum, 2, 588. a Cupidine petit, ut Ascanii speciem induat, Æ. 1, 657. Jovem alloquitur, Æ. 1, 227. 10, 16. et Neptunum, Æ. 5, 779. a Vulcano arma Æneæ petit, Æ. 8, 370. ea filio adfert, Æ. 8, 608. sententiam Junonis approbat, Æ. 4, 107. a Diomede vulnerata, Æ. 11, 276. Æneæ vulnus sanat, Æ. 12, 411. ejus stella Lucifer, Æ. 8, 589. loca ei sacra, Æ. 1, 680. 10, 51. 86. Cytherea, Æ. 1, 257. 657 et al.
Ver novum, G. 1, 43 sq. quæ facienda sint rustico, ibid. exitu tempestates frequentius ingruere solent, G. 1, 313. Veris descriptio, G. 2, 319 sqq.
Verbena, herba, E. 8, 65. G. 4, 131.
Vesevus, mons, G. 2, 224.
Vesta, G. 1, 498. 4, 384. Æ. 1, 292. 2, 567. 9, 259. eam Æneas Troja secum abstulit, Æ. 2, 296. 5, 744.
Vesulus, pinifer mons, Æ. 10, 708.
Ufens, fl., Æ. 7, 802. 10, 518.
Ufens, dux Latinorum, Æ. 7, 745. 8, 6. 12, 460.
Viburnum, fruticis genus, E. 1, 26.
Vicia, leguminis genus, G. 1, 75. 227.
Vinearum satio, G. 2, 259. 419.
Vinum Mareoticum, G. 2, 91. passum, 93. Rhæticum, 96. Amineum, 97. Tmolium et Phanæum, 98. Rhodium, 101. odoratum, G. 4, 279. coronatum, Æ. 1, 721.
Violæ pallentes, h. flavæ, E. 2, 47. nigræ, E. 10, 39. mollis, E. 5, 38.
Vipera, G. 3, 417. 545.
Virbius, Æ. 7, 762. 777.
Virgilii ager, E. 1, 47. 9, 7. cum Parthenope aluit, G. 4, 563.
Virosa castorea, G. 1, 58.
Viscus in querno arborum genere, Æ. 6, 205.
Vitæ rusticæ laudes, G. 2, 458. 475.
Vites in seminario educandæ, G. 2, 265. quo tempore serendæ, G. 2, 315. lagea, purpurea, et precia, G. 2, 93. inter eas oleastri haud interserendi, G. 2, 302. vitibus novellis quænam animalia maxime noceant, G. 2, 373. satio, G. 2, 319. fossio, G. 2, 397. pedatio, G. 2, 358. putatio et pampinatio, E. 2, 70. G. 2, 362. 366. 406. 410. 417.
Vitisator, Saturnus, Æ. 7, 179.
Vitta mollis, E. 8, 64. ei frondes sacræ implicitæ, Æ. 2, 430. 12, 120. et infula, G. 3, 487.
Vitulorum tractatio, cura, cibus, usus, G. 3, 157.
Ulmus in burim inflectenda est, G. 1, 169. somniorum apud inferos sedes, Æ. 6, 282.
Ulva, E. 8, 87. G. 3, 175. Æ. 2, 135. 6, 416.
Ulysses ad Circes insulam venit, E. 8, 70. ad Cyclopes venit et Polyphemo oculum effodit, Æ. 3, 613. pellax, Æ. 2, 90. cum Diomede Palladium abstulit, Æ. 2, 164. ejus sedes Ithaca, Æ. 3, 273. ejus invidia Palamedes interiit, Æ. 2, 81. Æolides, hortator scelerum, Æ. 6, 529.
Umber canis ex Umbria, Æ. 12, 753.
Umbro, Æ. 7, 752. 10, 544.
Volema pira, G. 2, 88.
Volscens a Niso occisus, Æ. 9, 370. 420. 439. 10, 563.
Volsci, Æ. 7, 803. veruti, G. 2, 168. novam Trojam oppugnant, Æ. 9, 505 et al.
Volturnus, fl., Æ. 7, 729.
Volusus, Æ. 11, 463.
Upilio, E. 10, 19.
Ursa Libystis, Æ. 5, 37. 8, 368.
Urus pro bubalo, G. 2, 374. 3, 532.
Utrum usus in Lenæis, G. 2, 384.
Uvæ passæ, G. 2, 93. pedibus calcantur, G. 2, 7.
Vulcanus Mulciber, Æ. 8, 724. Martem cum Venere opprimit, G. 4, 345. ejus officina in Hiera insula, Æ. 8, 416. pater Lemnius, Æ. 8, 454. Veneris precibus fatigatus Æneæ arma fabricat, Æ. 8, 370. 388.
Vulcania tellus, Æ. 8, 422. acies horrida, Æ. 10, 408. arma, Æ. 8, 535. 12, 739.

X.

Xantho, nympha, G. 4, 336.

Xanthus fl., Æ. 1, 473. 3, 350. 497. 4, 143. 5, 634. 803. 6, 88. 10, 60. ejus pugna cum Achille, Æ. 5, 804.

Z.

Zacynthos nemorosa, Æ. 3, 270.
Zephyri domus, G. 1, 371. auræ tepentes, G. 2, 330. morantes, G. 4, 138. felices, Æ. 3, 120. secundi, Æ. 4, 562. Zephyro gravidæ redduntur equæ, G. 3, 273. ei alba agna mactatur, Æ. 3, 120.
Zodiaci descriptio, G. 1, 238.
Zonæ quinque, G. 1, 233.

FINIS.

Excudebat S. Hamilton, Weybridge.

Indeque et cælis communis [illegible] Juppiter
Dictae [illegible] habitat ille [illegible]

2005/66

[illegible] following lines

Eclogue 4th 43rd line
Do — 7th 17th line
Do — 9th 6th ~~line~~ and 68th line
Do — 10th 46th to 49th line
Do — Do — 52 to 55th line
Georgic 1st 76th to 76th
Do 300th line
Do — 400th line
Do — 505th line
Do — 2nd — 25th to 28th line
Do — 197th line
Do 243rd to 248th line
Do — 303rd line
Do 416th and 417th line
Do — 3rd — 267 and 268th line
Do — 347 and 348th line
4th — 203 and 204th line
Do — 289th line
Do — 484th line 295
Do — 231 and 2 following lines 255
550

255 295
120 240
495 535

260 - 280